15
5
395

BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICO DOGMATICO CANONICO HISTORICO MORALES

Iuxta Sacram Scripturam, Canones, SS. Patres, Celebrioréſque DD. & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ & Diſciplinæ Scriptores exaratæ.

A PATRE

ANTONIO MARIA BORANGA

ORD. S. HIERONYMI
CONGREG. B. PETRI DE PISIS

S. THEOL. LECT. IUBIL. EXPROV. ET TRIBUNALIS
S. INQUISITIONIS CONSULTORE.

TOMUS II.

Complectens Tractatus de Virtute Religionis, de Horis Canonicis, de Adoratione, & cultu Deo debito, & Sanctis, de Voto, de Juramento, de Peccatis Religioni oppoſitis, de Beneficiis, de Virtutibus Cardinalibus, & donis Spiritus Sancti, de Obligationibus quorumdam ſtatuum perſonarum.

Della Libreria de PP. Minimi
15
5
395
Al Convento di S. Giuseppe di Firenze 1774
BIBLIOTH



VENETIIS MDCCLXVI.

APUD SIMONEM OCCHI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

IN HOC SECUNDO TOMO CONTENTORUM.

TRACTATUS
De virtute Religionis.
CAPUT I.
De Religione.

§. 1. DE *Religionis eſſentia, & eius actibus.* pag. 1
§. 2. *De devotione.* 2
§. 3. *De oratione.* ibi.
§. 4. *De neceſſitate orationis.* 3
§. 5. *De efficacia Orationis, & de requiſitis ad eius efficaciam,* ibi.
§. 6. *De ſubiecto Orationis, ideſt de iis qui poſſunt orare.* 4
§. 7. *Pro quibus orandum ſit.* 5

CAPUT II.
De Horis Canonicis.

§. 1. *De Oratione divini Officii, ſeu Horarum Canonicarum.* ibi.
§. 2. *De iis qui tenentur ad Horas canonicas.* 8
§. 3. *De iis quæ requiruntur ad debitam Horarum canonicarum recitationem.* 11
§. 4. *De tempore recitandi divinum Officium.* 12
§. 5. *De loco ubi Horæ canonicæ ſunt recitandæ.* 13
§. 6. *De ordine ſervando in recitandis Horis canonicis.* 14
§. 7. *De modo recitandi divinum Officium, ideſt de intentione & attentione.* 15
§. 8. *De iis quæ poſſunt excuſare a recitatione Breviarii.* 16
§. 9. *De iis qui legitime percipere poſſunt quotidianas diſtributiones impartiri ſolitas in Cathedralibus & Collegiatis Choro inſervientibus.* 19
§. 10. *De cauſſis excuſantibus Præbendatum a Choro, ut abſens lucrari poſſit diſtributiones.* 20
§. 11. *De aliis qui ob utilitatem Eccleſiæ excuſari poſſunt, & quando in tali ſua abſentia percipere poſſint diſtributiones.* 22
§. 12. *De privilegio ſeu diſpenſatione Choro non interveniendi, & de ſenſu quo accipi debet.* 24
§. 13. *De ſtatutis & conſuetudinibus Eccleſiæ, quæ poſſunt excuſare a reſidentia ultra tres menſes cum participatione fructuum beneficii & diſtributionum.* 25

CAPUT III.
De adoratione & cultu debito Deo & Sanctis.

§. 1. *De ſenſu quo hic ſumitur hoc nomen.* ibi.
§. 2. *De cultu qui licite tribui poteſt fœminis ac viris, qui cum ſanctitatis odore demortui ſunt, & nondum ab Eccleſia beatificati vel canonizati.* 28
§. 3. *De rerum ſacrarum venditione, & converſione in uſus profanos.* 30

CAPUT IV.
De Voto.

§. 1. *De eſſentia voti.* 31
§. 2. *De diviſione voti.* 34
§. 3. *De modo quo votum obligat, de iis quos obligat, & de tempore quo obligat.* 35
§. 4. *De votis indeterminatis.* 37
§. 5. *De voto dubio.* 39
§. 6. *De voto perſonali.* 40
§. 7. *De voto cum fictione elicito.* ibi.
§. 8. *De voto conditionato.* 41
§. 9. *De culpa illius quem pœnitet voti facti, & votum violat.* 42
§. 10. *De iis qui poſſunt vota emittere.* ibi.

a 2 §. 11.

§. 11. De modis quibus tollitur voti obligatio. 43
§. 12. De votorum diſpenſatione. 48
§. 13. De cauſſa legitima requiſita ad diſpenſationem. 54
§. 14. De voti commutatione. 55
§. 15. De iis qui poſſunt vota commutare. 57
§. 16. De cauſſis ad commutationem requiſitis. 59

CAPUT V.

De Iuramento.

§. 1. De natura ſeu eſſentia Iuramenti. ibi.
§. 2. De Iuramenti diviſione. 63
§. 3. De uſu Iuramenti, & de circumſtantiis requiſitis ad hoc ut Iuramentum ſit licitum. 65
§. 4. De conditionibus requiſitis ad hoc ut Iuramentum licite fiat, veritate ſcilicet, iudicio, & iuſtitia. 69
§. 5. De Iuramento aſſertorio, cui deeſt veritas. 73
§. 6. De Iuramento promiſſorio quoad defectum veritatis & iuſtitiæ. 74
§. 7. De obligatione Iuramenti comminatorii. 75
§. 8. De cauſſis, materia & effectibus Iuramenti, ac præſertim de eius obligatione. 76
§. 9. De obligatione Iuramenti ex parte materiæ. 77
§. 10. De vi Iuramenti ad firmandos contractus iure poſitivo nullos aut reſcindibiles. 79
§. 11. De obligatione Iuramenti emiſſi non amplius ludendi. 81
§. 12. De validitate Iuramenti circa obiectum ſecundum ſe quidem licitum, quando oppoſitum ſit, vel evadat de meliori bono. 82
§. 13. De validitate Iuramenti non mutuandi, non commodandi, vel fideiubendi. ibi.
§. 14. De Iuramento facto ex errore vel dolo. ibi.
§. 15. De Iuramento dolo, vel metu, ac vi extorto. 83
§. 16. De obligatione Iuramenti facti ſine intentione iurandi. 84
§. 17. De ſubiecto obligationis Iuramenti. ibi.
§. 18. De quibuſdam particularibus Iuramentis; ſeu explicatur qualiter obligent Iuramenta ſervandi Statuta Reipublicæ, Collegii, Univerſitatis, aut Societatis cuiuslibet. 85
§. 19. De Iuramento quod faciunt Scribæ, Procuratores, aliique publici Miniſtri ſervandi taxam a lege præſcriptam: de eo quod præſtant Senatores, Præſides, ſeu locorum Gubernatores de procurando publico bono Civitatis vel Oppidi. 86
§. 20. De Iuramento ſervandi ſecretum eorum quæ in Congregationibus tractantur; & qualiter obliget. 87
§. 21. De Iuramento præſtito a Medicis monendi infirmos ut confiteantur; qualiter obliget. ibi.
§. 22. De Iuramento hiperbolico, amphibologico, doloſo, & æquivoco, ideſt cum æquivocatione & reſtrictione. 88
§. 23. De reſtrictionibus latis, ſeu non pure mentalibus. 92
§. 24. De conditionibus ut quis licite uti poſſit iurando reſtrictione late, & non pure mentali. 93
§. 25. De petitione iuramenti ab eo qui prævidetur falſo iuraturus ſeu peieraturus. 94
§. 26. De petitione Iuramenti execratorii, num licita ſit. 95
§. 27. De interpretatione Iuramenti dubii. ibi.
§. 28. De interpretatione Iuramenti generaliter præſtiti bona fide ſine dolo. 96
§. 29. De ceſſatione obligationis Iuramenti. 97
§. 30. De ceſſatione eiuſdem obligationis per irritationem Iuramenti factam a Superiore. 98
§. 31. De ceſſatione Iuramenti facti ſoli homini per illius remiſſionem. ibi.
§. 32. De ceſſatione obligationis Iuramenti facti in honorem Dei, & ſimul in utilitatem hominis, per remiſſionem. 99
§. 33. De ceſſatione obligationis Iuramenti facti ſoli Deo per diſpenſationem. 100
§. 34. De iis qui diſpenſare poſſunt in Iuramentis. 101
§. 35. De Iuramenti commutatione. 102
§. 36. De uſitatioribus modis, quibus male iurando lethaliter delinquitur. 103
§. 37. De gravitate peccati periurii, & de pœnis contra periuros. 104

CAPUT VI.

De Adiuratione.

§. Unicus. De ratione Adiurationis. 105

CA-

CAPUT VII.

De peccatis Religioni oppoſitis.

§. 1. *De Superſtitione.* 107
§. 2. *De Idololatria.* 109
§. 3. *De Divinatione.* 110
§. 4. *De interrogatione occultorum, abſentium vel futurorum ſaltem per exorciſmos facta dæmoni.* 113
§. 5. *De divinatione per ſomnia græce Oniromantia.* ibi.
§. 6. *De Divinatione per ſortes, quæ dicitur Sortilegium.* 114
§. 7. *De vana Obſervantia.* 117
§. 8. *De Magia.* 120
§. 9. *De Salutatoribus.* 121
§. 10. *De Enſalmis & faſcinatione.* ibi.
§. 11. *De Magia ſuperſtitioſa & maleficio.* 123
§. 12. *De pœnis ſtatutis contra Superſtitioſos, & præcipue ſortilegos, divinatores, magos, ſagas, ac maleficos.* 126
§. 13. *De Irreligioſitate.* 127
§. 14. *De Tentatione Dei.* ibi.
§. 15. *De Blaſphemia.* 129
§. 16. *De Blaſphemia & peccato in Spiritum ſanctum.* 132
§. 17. *De Sacrilegio.* 134
§. 18. *De Simonia.* 137
§. 19. *De conditionibus ad incurrendam Simoniam.* 139
§. 20. *Diviſio Simoniæ.* 140
§. 21. *De gravitate Simoniæ.* 143
§. 22 *De ſubiecto Simoniæ.* 145
§. 23. *De materia Simoniæ.* 146
§. 24. *De materia ſpirituali Simoniæ.* 151
§. 25. *De Simonia in re ſpirituali eſſentialiter.* 152
§. 26. *De Simonia in adminiſtratione Sacramentorum.* ibi.
§. 27. *De Simonia in Sacramentalibus.* 155
§. 28. *De Simonia in venditione ſepulturæ & cæmeterii, & de ſimonia quæ contrahi poteſt in accipienda pecunia pro ſepultura, funere, aliiſque Eccleſiaſticis officiis, & iuriſdictionis actibus.* 156
§. 29. *De Simonia pro ingreſſu in Religionem.* 159
§. 30. *De variis modis quibus contrahi poteſt Simonia in materia Beneficiorum Eccleſiaſticorum.* 164
§. 31. *De pœnis ſtatutis contra Simoniacos.* 172
§. 32. *De debito reſtitutionis ex Simonia.* 175

CAPUT VIII.

De Beneficiis Eccleſiaſticis in genere.

§. 1. *De origine & natura Beneficiorum Eccleſiaſticorum.* 176
§. 2. *Beneficiorum diviſione.* 179
§. 3. *De Eccleſiaſticis dignitatibus tam ſecularibus, quam Regularibus.* 183
§. 4. *De ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus.* 186
§. 5. *De Epiſcopis, eorumque poteſtate ac functionibus.* 189
§. 6. *De Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis.* 192
§. 7. *De electione Epiſcopi.* 193
§. 8. *De ornamentis ſeu inſignibus Epiſcopalibus.* 195
§. 9. *De Pallio Archiepiſcopali.* 196
§. 10. *De Cruce Archiepiſcopali.* 198
§. 11. *De Chorepiſcopis & Archipresbyteris.* ibi.
§. 12. *De dignitatibus Eccleſiæ Cathedralis, & primum de Archidiacono.* 199
§. 13. *De Primicerio.* 200
§. 14 *De Archipresbytero Cathedralium.* ibi.
§. 15. *De Præpoſito.* 201
§. 16. *De Decano.* ibi.
§. 17. *De Cantore.* ibi.
§. 18. *De Theſaurario.* 202
§. 19. *De Scholaſtico.* ibi.
§. 20. *De Pœnitentiario.* 203
§. 21. *De Canonicis Cathedralium & Collegiatarum.* ibi.
§. 22. *De Parochis, ſeu animarum Paſtoribus.* 205
§. 23. *De Abbatibus Commendatariis.* 208
§. 24. *De modo acquirendi Beneficium Eccleſiaſticum.* 214
§. 25. *De libera collatione Beneficiorum.* 215
§. 26. *De Collationis natura ac ratione, necnon diviſione.* 219
§. 27. *De devolutione Beneficiorum.* ibi.
§. 28. *De electione, poſtulatione & confirmatione.* 220
§. 29. *De Præſentatione.* 223
§. 30. *De Iurepatronatu.* ibi.
§. 31. *De præſentatione ex Iurepatronatu.* 227
§. 32. *De Beneficiis canonice conferendis.* 230
§. 33. *De forma conferendi Beneficia.* 231
§. 34. *De requiſitis ad formam proviſionis Eccleſiarum curatarum ſeu Parochialium.* ibi.
§. 35. *De requiſitis quoad formam collationis Beneficiorum ſimplicium ſeu non curatorum.* 234

§. 36.

Digitized by Google

§. 36. De iis quibus Beneficia eccleſiaſtica conferenda ſunt. ibi.
§. 37. Beneficia curata etiam iurispatronatus dignioribus a patronis conferenda ſunt. 239
§. 38. De proviſione Beneficiorum ſimplicium quoad electionem ſeu prælationem dignioris. 241
§. 39. De debito reſtitutionis quod incumbit iis, qui indignos & iis qui minus dignos, poſthabitis dignioribus, ad Beneficia Eccleſiaſtica promovent. 243
§. 40. De conditionibus ſeu dotibus requiſitis in promovendis ad Beneficia. 245
§. 41. De obligationibus Beneficiariorum. 246
§. 42. De Horis canonicis recitandis a Beneficiariis. 247
§. 43. De obligationibus Beneficiariorum, qui ex natura ſuæ præbendæ addicti ſunt Choro. 251
§. 44. De Reſidentia Beneficiariorum. 252
§. 45. De Epiſcoporum & Parochorum debita reſidentia. 254
§. 46. De cauſis excuſantibus Epiſcopum & Parochum a reſidentia. 256
§. 47. De pluralitate Beneficiorum. 260
§. 48. De uſu & diſpoſitione bonorum eccleſiaſticorum. 265
§. 49. De dominio Beneficiariorum in ſuperfluos ſuorum Beneficiorum reditus iuxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam. 274
§. 50. De aliis Beneficiariorum obligationibus. 284
§. 51. De Penſionibus. 286
§. 52. De iure Clericorum utendi redditibus eccleſiaſtici Beneficii ad ſui ſuſtentationem, quando proviſi ſint de ſufficienti patrimonio, unde honeſte vivere poſſint. 291
§. 53. De Beneficiorum vacatione. 295
§. 54. De Reſignatione. 297
§. 55. De permutatione Beneficiorum. 299
§. 56. De Coadiutoriis. 300

TRACTATUS

De Virtutibus cardinalibus, & de Donis Spiritus Sancti.

CAPUT I.

De Virtutibus in genere.

§. 1. De Virtutibus moralibus. 302
§. 2. De Prudentia. 303
§. 3. De vitiis Prudentiæ oppoſitis. 305

CAPUT II.

De Fortitudine.

§. 1. De natura Fortitudinis, virtutibus ipſi adnexis, & vitiis oppoſitis. ibi.
§. 2. De martyrio. 308

CAPUT III.

De Virtute Temperantiæ.

§. Unicus. De ratione Temperantiæ, virtutibus ei adnexis, & vitiis oppoſitis. 310

CAPUT IV.

De Iuſtitia, quæ eſt quarta Virtus cardinalis.

§. Unicus. De eſſentia Iuſtitiæ, Virtutibus ipſi adnexis, & vitiis oppoſitis. 315

CAPUT V.

De donis Spiritus ſancti.

§. 1. Dona Spiritus ſancti explicantur, ubi etiam agitur de eorum Fructibus, & de octo Beatitudinibus. 317
§. 2. De dono Timoris. 322

TRACTATUS

De obligationibus ſpecialibus certorum Statuum & Officiorum.

CAPUT I.

De Clericorum obligationibus.

§. 1. De dotibus requiſitis in iis qui ſtatui clericali initiari volunt. 326
§. 2. De vocatione ad Clericalem ſtatum requiſita in initiandis. ibi.
§. 3. De innocentia vitæ in Clericis requiſita. 328
§. 4. De ſcientia quæ in Clericis requiritur.
§. 5. De iis quæ fugienda ſunt a Clericis. 331
§. 6. De geſtatione armorum Clericis vetita. ibi.
§. 7. De Clericorum venatione. ibi.
§. 8. De Militiæ exercitio vetito Clericis. 332

Digitized by Google

§. 9. De negotiatione deque aliis officiis, quæ Clericis prohibentur. ibi.
§. 10. De ludis Clericis vetitis. 335
§. 11. De cohabitatione & familiaritate cum mulieribus, præcipue ſuſpectis. 336
§. 12. De popinarum, cauponarum, & tabernarum ingreſſu, conviviis, ac crapula. 337
§. 13. De luxu & elegantia veſtium a Clericis vitanda, & de choreis, larvis ac comœdiis, a quibus debent Clerici abſtinere. 338

CAPUT II.

§. 1. De iis quæ a Clericis ſunt præſtanda. 340
§. 2. De obligationibus Beneficiariorum. 345
§. 3. De obligatione Beneficiariorum ad publicam fidei profeſſionem & reſidentiam. ibi.

CAPUT III.

§. 1. De cauſſis excuſantibus a reſidentia Epiſcopos. 346
§. 2. De cauſſis excuſantibus a reſidentia Canonicos aliosque hujuſce generis Beneficiarios. 348

CAPUT IV.

§. Unicus. De obligationibus Parochorum. 349.

CAPUT V.

§. 1. De ſtatu & obligationibus Religioſorum. 350
§. 2. De voto caſtitatis. 357
§. 3. De voto obedientiæ. ibi.
§. 4. De culpa Religioſi qui violat Regulam. 352
§. 5. De obligationibus Superiorum Regularium, & primum de Capitulo, & Generali quoad electionem Superiorum localium, ſeu Monaſteriorum. ibi.
§. 6. De obligationibus Superiorum localium ſeu Monaſteriorum. 360
§. 7. De bonorum Monaſterii uſu, quem facere debet Superior. 361
§. 8. De aliis quibuſdam ſtatus Religioſi obligationibus. ibi.
§. 9. De ſtudiis Religioſorum. 362
§. 10. De Clauſura. 363

CAPUT VI.

§. 1. De mutua Superiorum & inferiorum obligatione. 364
§. 2. De obligationibus Tutorum & Curatorum. ibi.
§. 3. De mutua obligatione heri & famuli. 365

CAPUT VII.

De obligationibus perſonarum judicialium ſeu forenſium.

§. 1. De Judicis obligationibus. 367
§. 2. De Accuſatore. 372
§. 3. De Teſtibus. 373
§. 4. De obligationibus Rei. 375
§. 5. De obligationibus Advocatorum. 377
§. 6. De obligationibus Procuratorum, Referentis, Secretarii, Notarii, & Apparitoris. 379

CAPUT VIII.

De obligationibus Ducum & Militum. 380

CAPUT IX.

De obligationibus Medicorum, Pharmacopolarum, Chirurgorum. 381

CAPUT X.

De obligationibus parentum erga filios, & filiorum erga parentes. 382

CAPUT XI.

De obligationibus Ruſticorum, Artificum, aliorumque Operariorum. 383

CAPUT XII.

De obligationibus eorum qui exercent artem theatricam, ut licite eam peragant. ibi.

CAPUT XIII.

De officio & obligatione Epiſcoporum. ibi.

CAPUT XIV.

De obligatione Regum ac Principum, præſertim circa res eccleſiaſticas. 387

CA-

CAPUT XV.

De obligationibus Confeſſariorum.

§. 1. *De poteſtate requiſita in Confeſſario ad abſolvendum.* 393

§. 2. *De ſcientia requiſita in Confeſſario.* 395

§. 3. *De prudentia requiſita in Confeſſario.* 396

§. 4. *De iis qui adigendi ſunt ad Confeſſiones reiterandas.* 399

§. 5. *De probitate Confeſſarii.* 402

TRACTATUS
DE VIRTUTE RELIGIONIS.

CUM per ea quæ hactenus proſecuti ſumus agentes de virtutibus fidei, ſpei, & caritatis, quæ immediate & ut principale obiectum Deum attingunt, nobis explicetur ac proponatur, quod ipſum ut verum Deum credere ac recognoſcere debeamus, & quid nobis ab ipſo ſit expectandum, necnon amor quo ipſum, & proximum propter ipſum proſequi debeamus; nemo non videt hæc omnia eſſe veluti præludia ad religionis virtutem, per quam edocemur cultum & honorem, quo Deum ſupremum Dominum auctoremque noſtrum venerari debemus.

CAPUT I.

De religione.

§. I.

De religionis eſſentia, & eius actibus.

Religio, ſi nominis etymologiam reſpiciamus, ex Lactantio & D. Thoma *Opuſc.* xxx. & 2. 2. *quæſt.* lxxxi. *art.* 1. habet derivationem a verbo *religo*, eo quia Deo nos alliget; vel ex citato Angelico Doctore a *reeligendo*, eo quod Deum quem negligentes perdideramus, reeligere debeamus. Quomodocumque vero nomen hoc accipiatur, ſic definitur a Theologis cum D. Thoma loc. cit. *Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo tribuit tamquam primo omnium principio.* Nam ſicuti ſpeciali virtute, quæ eſt pietas, honoramus homines propter eorum virtutes; ſic per præcipuam virtutem, quæ eſt religio, homo Deo ob eius infinitam excellentiam tribuit ſingularem cultum, quo eum recognoſcit ac fatetur primum rerum omnium principium, ſeque ipſi ſervum in omnibus proteſtatur. Quare obiectum religionis eſt omne ſignum, ſive interius, ſive exterius, tantæ excellentiæ proteſtativum. Et hæc non eſt virtus theologica, ſed moralis: quia habet pro obiecto materiali actus quibus Deus colitur; & pro formali ſpecialem honeſtatem in cultu Deo præſtando ob ſummam eius excellentiam, cum honeſtum ſit ſupremum cultum Deo præſtare. Hæc autem virtus, cum immediatius aliis ac perfectius tendat in Deum, principalem inter ipſas locum obtinet.

Quid ſit religio. *Obiectum huius virtutis.* *Actus religionis.*

Religionis actuum duo ſunt genera (ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxi.) ideſt alterum interiorum, ut devotio & oratio; alterum exteriorum: Et hi alii ſunt quibus homo corpus ſuum ad Deum venerandum exhibet, ut adoratio: alii quibus offert Deo aliquid de rebus exterioribus, ut ſacrificium, decimæ, oblationes, primitiæ: alii denique quibus in divini nominis honorem aliquid aſſumit, ut ſunt ſacramenta; vel nomen Dei ad propria verba confirmanda, ut fit per iuramentum; vel per Deum ſuperiores deprecando, aut inferioribus imperando, quod dicitur adiuratio; vel per modum promiſſionis factæ Deo in eius honorem, & dicitur votum. Hæc omnia, tametſi diverſa, ad eamdem virtutem religionis pertinent: quia ſingula tendunt ad proteſtandum Dei dominium.

Actus ſimiliter religionis alii ſunt eliciti, qui immediate a religionis virtute procedunt; & ſunt ſupra relati, conſiſtentes præcipue in ſeria divini cultus volitione: alii vero imperati; ii nempe qui eliciti immediate ab aliis virtutibus a religione ſunt imperati, eos ad divinum cultum ordinando. Et ex imperatis alii ſunt per ſe tales, ideſt nati immediate ut a religione imperentur; ut adoratio, tum ſpiritualis, tum corporea: alii vero ſunt imperati a religione per accidens; ut actus fidei, ſpei, caritatis, aliarumque virtutum, quibus religio ad finem divini cultus uti poteſt. Imperatos actus qui per ſe tales ſunt, elicitos etiam dicunt aliqui Theologi poſt S. Thomam: quia nimirum nullam pro principio habent nominatam virtutem, quam religionem. Revera tamen illi actus a religione phyſice & immediate non eliciuntur; & qui eos ab ipſa elici dicunt, vix poſſunt religionem a virtutibus theologicis diſcernere.

Digitized by Google

§. II.

De devotione.

Definitur devotio. Devotio, ut D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxii. *art.* 1. docet, eſt *voluntas quædam prompte tradendi ſe ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum*. Hic vero voluntas non ſumitur pro potentia aut habitu, ſed pro quodam ſpeciali actu voluntatis: multoties enim virtutes & earum actus definiuntur per potentiam in qua reſident. Dicitur *prompte*: eo quia devotioni ſpecialiter tribuatur promptitudo ſe tradendi ad ea quæ ad Dei obſequium pertinent. Unde ſequitur, devotionem eſſe actum religionis, eumque præſtantiſſimum, ac quaſi ceterorum animam: utpote cuius auxilio prompte & ardenter executioni mandentur ea quæ ſunt cultus divini.

Devotionis cauſſa. Cauſſa vero devotionis duplex eſt ex D. Thoma. Alia eſt extrinſeca & principalis, nempe Deus. Altera intrinſeca eſt ex parte noſtra: & eſt meditatio ſeu contemplatio partim divinæ bonitatis & beneficiorum eius, quæ excitant dilectionem, quæ eſt proxima devotionis cauſſa; partim noſtrorum defectuum, quæ conſideratio excludit præſumptionem, & parit humilitatem. Fructuoſa autem meditatio & magis imbecillitati noſtræ accommodata ea eſt quæ verſatur circa Chriſti humanitatem, ut *dum viſibiliter*, ſicut canit Eccleſia, *Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur*.

Effectus devotionis. Effectus devotionis itidem duplex. Alter eſt lætitia ſpiritualis ex conſideratione infinitæ Dei bonitatis, iuxta illud Pſalm. lxxvi. *Memor fui Dei, & delectatus ſum:* alter eſt quædam ſalutaris triſtitia ex meditatione infirmitatis noſtræ & exilii a cæleſti patria.

Quando obliget. Actus devotionis quando obliget per ſe, non ita facile diiudicant Theologi; cum tempus nullum ſit ad eius obligationem aſſignatum. Per accidens vero obligat, quando adeſt grave periculum vitii contrarii, ſcilicet acediæ in rebus ſpiritualibus. Item quando tenemur elicere actus religionis vel aliarum virtutum, ad quos eliciendos neceſſaria eſt devotio: quia devotio invenitur in variis generibus actuum religionis non ſicut ſpecies, ſed ſicut movens ad eorum promptam elicientiam; qua promptitudine indigemus etiam in exercitio aliarum virtutum.

§. III.

De oratione.

Secundus interior actus virtutis religionis eſt oratio, cuius ſi nomen attendatur, ſumitur late pro quovis opere bono, & pro quolibet animi motu in Deum; ſtricte vero & pro ordinaria ſua acceptione, quæ eſt præſentis inſtituti, ſumitur pro petitione a Deo facta. Et in hoc ſenſu definitur: *Oratio eſt petitio decentium a Deo*: ita S. Ioannes Damaſcenus *lib. III. Fid. orthod. cap.* xxiv. Definitio orationis. Dicitur *petitio*: id eſt intimatio deſiderii ſui alteri facta ad obtinendum aliquid ab eo: & ſic exprimi ſolet oratio Matth. cap. vii. *Petite, & accipietis*. Dicitur *rerum decentium*: impium enim eſſet id petere quod nec Deus dare poſſet, neque nos accipere; & petitio rei malæ, vel auxilium ad illam, vel contra ordinem divinæ providentiæ, graviter Deum offendit, quaſi eſſet auctor mali vel fautor. Unde ex una parte eſſet potius execratio, & ex altera Dei tentatio quam oratio. Dicitur *a Deo*; etſi enim oratio non ſemper immediate ad Deum dirigatur, ſed aliquando ad amicos Dei, Sanctos nempe; petitio tamen proprie non fit niſi Deo, a quo ſolo omne donum eſt deſurſum deſcendens, ut monet S. Iacobus *Epiſt. cathol. cap.* 1.

Quare oratio ſub uno reſpectu ad religionem pertinet; cum per eam teſtemur Deum auctorem eſſe bonorum noſtrorum, & nos ipſo eſſe inferiores, eoque indigere: ſub alio reſpectu ad ſpem; quia oratio aliquid ſperat & expectat a Deo, nec quiſquam eſt qui ad alium ſupplex accedat, ſi certo noverit eum numquam ad vota ſua eſſe flectendum.

Oratio quotuplex. Oratio dividitur ex parte actus in mentalem, quæ fit ſola mente; & vocalem, in qua mentali locutioni vox corporalis ſuperadditur. Quare in hac homo ſecundum ſe totum, id eſt ſecundum animam & corpus, honorem Deo rependit.

Oratio mentalis dividitur in meditationem, quæ eſt pia alicuius veritatis occultæ inveſtigatio ad concipiendum devotionis fervorem; & in contemplationem, quæ eſt ſuſpenſæ mentis elevatio, æternæ dulcedinis gaudia deguſtans: & hæ non tam ſunt diſtinctæ orationis ſpecies, quam eiuſdem partes. Meditatio petit, & pulſat ut ſibi aperiatur; contemplatio guſtat, & fruitur.

Oratio vocalis ex parte orantis dividitur in publicam, quæ fit a publico miniſtro, ad id deputato, nomine Eccleſiæ, & pro ſalute populi; & in privatam, quæ fit a perſona particulari ut tali. Oratio communis & publica debet eſſe vocalis. Cum enim totius populi fidelis nomine Deo offeratur, Chriſtianæ plebi, pro qua offertur, neceſſe eſt ut innoteſcat. Quamobrem recte inſtitutum eſt ut Eccleſiæ miniſtri publicas orationes alta voce

voce pronuntient, ut ad notitiam omnium pervenire poſſint: nam per ſigna exteriora interior affectus promovetur, hiſque permota mens ad Deum aſcendit. Ad orationem publicam referuntur horæ canonicæ. Verum de his infra ſuo loco ſermo inſtituetur.

Oratio eſt actus intellectus practici, ideſt præſuppoſitive pertinens ad intellectum; formaliter vero ad voluntatem: quia orans cognoſcere debet & ſuam infirmitatem ac indigentiam, & benignitatem ac potentiam illius quem orat; & ſemper in ſua oratione aliquid deſiderat & vult.

§. IV.
De neceſſitate orationis.

Oratio eſt neceſſaria neceſſitate medii. Oratio neceſſaria eſt neceſſitate medii ad ſalutem conſequendam, ut conſtat ex Scriptura & Sanctis Patribus, præcipue Auguſtino *lib. de Eccleſ. Dogmat. cap.* LVI. ubi ad ſalutem æqualiter, ac Dei vocationem, & ipſius auxilia ſtatuit etiam orationem. Quare ſicuti auxilia divina neceſſaria ſunt neceſſitate medii, ita etiam oratio: cum ex natura rei quilibet teneatur recurrere ad Deum pro bonis ſpiritualibus conſequendis, a quo unice dependent, quod fieri non poteſt niſi per orationem; & eo vel maxime, quod oratio eſt cauſſa moralis per quam divina providentia ſtatuit dare neceſſaria ad ſalutem Matth. cap. VII. *Petite, & accipietis*: & Iacob. cap. v. *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Hoc tamen intellige reſpectu adultorum, & iuxta regulam ordinariæ Dei providentiæ: cum in aliquo caſu ad manifeſtationem ſuæ liberalitatis Deus poſſit largiri abſque prævia oratione gratias, quibus quis ſalutem conſequatur. Sic Saulo non oranti, ſed potius Chriſtum perſequenti, tanta gratiarum copia cælitus immiſſa eſt, ut ex perſecutore in Apoſtolum converſus fuerit.

Necnon neceſſitate præcepti. Ex hoc autem ipſo quod oratio neceſſaria ſit neceſſitate medii, conſtat eſſe etiam neceſſariam neceſſitate præcepti, quod obligat omnes fideles adultos, ut ex ſupra allatis textibus divinæ Scripturæ colligitur. Nam ſine debita oratione non obtinentur auxilia neceſſaria ad vincendas tentationes, & obſervanda divina præcepta, ut Iacob. cap. IV. *Non habetis propter quod non poſtulatis*: & donum perſeverantiæ non eſt præparatum niſi orantibus, ut docet S. Auguſtinus *lib. de dono perſeverant. cap.* XVI. Quare orationis præceptum obligat in gravi neceſſitate, & tentatione, propria, vel proximi, & ſæpiſſime in vita: quia ſemper divino indigemus auxilio.

Cum oratione vocali eſt pariter neceſſaria omnibus fidelibus oratio mentalis: quia ad vivam & efficacem poſtulationem eorum quibus homo indiget, neceſſe eſt ut homo cognoſcat animæ ſuæ plagas, tenebras ſuæ mentis, ſui cordis infirmitatem, occaſionum virtuti funeſtarum pericula, & perpetuam divinæ protectionis neceſſitatem: quod practice fieri non poteſt ſine aliqua meditatione & reflexione.

§. V.
De efficacia orationis, & de requiſitis ad eius efficaciam.

Orationis efficacia triplex. Si oratio undequaque talis ſit, qualis eſſe debet, triplicem habet efficaciam: merendi ſcilicet, ſatisfaciendi, & impetrandi. Nam ex primo capite oratio legitime facta eſt actus meritorius; cum habeat conditiones omnes ad meritum ſive de condigno, ſive de congruo requiſitas. Ad actum enim meritorium de condigno, ut alias vidimus, requiritur & ſufficit ut ſit bonus, ſupernaturalis, liber, ab homine iuſto & in ſtatu viæ elicitus, ac denique ut ei promiſſa ſit merces; ad meritum vero de congruo requiritur actus bonus, liber, ſupernaturalis, & ab homine viatore procedens. Oratio autem legitime facta has omnes conditiones habet, ſi fiat ab homine iuſto; & ſaltem quatuor poſteriores, ſi fiat a peccatore: quamquam orationi legitimæ, etiam peccatoris, facta videatur rei petitæ promiſſio his Chriſti verbis Matth. cap. VII. *Petite, & accipietis*. Secundo, efficaciam habet ſatisfactionis: quia actus ex gratia procedens, pœnalis, & laborioſus, cui promiſſa eſt pœnæ remiſſio, vere eſt ſatisfactorius. Tandem oratio facta cum debitis conditionibus eſt infallibiliter impetratoria: quia petitio id habet ex natura ſua, ut animum alterius inducat ad dandum nobis id quod petimus, non quia illud emimus, aut meremur, ſed quia rogamus, & quia convenit liberalitati illius quem rogamus, ut poſtulata nobis largiatur.

Conditiones utile efficax. Ad hoc vero ut oratio ſit efficax, debet eſſe pia & honeſta; alioquin non eſſet actus religionis, nec cultus Dei. Ideo fieri debet cum intentione, & præcipue cum attentione. Perinde ſi quis ſecundum D. Thomam 2. 2. *quæſt.* XXXIII. *art.* 3. *ad* 3. ex propoſito in oratione mente evagetur, hoc peccatum mortale eſt, ſi in re præcepta; veniale, ſi in non præcepta: & tollitur fructus orationis; quia hæc evagatio eſt ſimulatio cultus divini, & iniurioſa irreverentia contra Deum.

Digitized by Google

Item fieri debet cum fide, fiducia, humilitate, devotione decenti, ac pia corporis compoſitione, & de rebus neceſſariis vel conducentibus ad ſalutem & ad gloriam Dei; ita ut res indifferentes a Deo non petantur, niſi quatenus ex eius ordinatione & cum ipſius gratia poſſunt conferre ad illius gloriam & ſalutem noſtram.

§. VI.

De ſubiecto orationis, ideſt de iis qui poſſunt orare.

Cum oratio ſit indigentis ad non indigentem, adeoque ad ſuperiorem; hinc evidenter patet, Deum orare non poſſe: licet videatur hoc innui aliquibus locis divinæ Scripturæ, præcipue *Rom.cap.*VIII. ubi dicitur, Spiritum Sanctum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nam hic & in aliis ſimilibus locis intelligitur de eo quod gratia ſua operatur in nobis.

Subiectum orationis, homo. Homo igitur ille eſt qui præcipue orare poteſt. Sed huius duplex eſt ſtatus: alter huius vitæ, nempe viatoris; alter futuræ. Hic rurſus triplex eſt: beatorum, damnatorum, & purgantium. Et de beatis loquendo, certum eſt poſſe illos orare tum pro nobis, tum pro gloria ſui corporis; quod tamen faciunt ſine moleſtia & anxietate: non orant vero pro duratione ſuæ felicitatis, quam certo ſciunt eſſe interminabilem. Damnati vero incapaces ſunt vere & proprie dictæ orationis: eo quia non poſſunt habere pios motus, qui oriri debent ex gratia qua prorſus carent; & ſciunt cælum eſſe contra ipſos implacabile. Et ſi aliquando aliquid hi petiere (ut Satan petivit ut ſibi licitum eſſet tentare Iob, ab Abrahamo) & dives epulo guttam aquæ petiit hæ petitiones non fuerunt vere orationes; cum non pertinuerint ad cultum religionis, nec ex pio affectu proceſſerint. Animæ tandem in purgatoriis ignibus languentes, ſecundum multos, orare poſſunt & pro nobis, & pro ſe ipſis: ſunt enim iuſtæ, multiſque indigent bonis quæ ex pio affectu petere poſſunt. Licet vero iam non ſint in ſtatu merendi, poſſunt tamen impetrare: neque enim ad impetrationem requiritur ſtatus viæ; ut patet in Sanctis, qui multa pro nobis impetrant. Hoc autem a Deo petere poſſunt, ut eam nobis caritatem tribuat, qua pro ipſis oremus & ſatisfaciamus.

Iuſti & impii æque poſſunt & debent orare. Quod vero ſpectat ad homines viatores, duplex horum gradus eſt conſiderandus: iuſtorum videlicet & impiorum. Iuſtos orare poſſe & debere, certiſſimum eſt. Ad eos enim, ſicut ad ceteros homines, diriguntur verba Chriſti, ex quibus orationis neceſſitatem ſupra probavimus. Præterea ii etiam qui ſtant, videre debent ne cadant, & omni ope atque opera eniti ut ſingulare perſeverantiæ donum conſequantur. Lis vero ſuboritur de impiis & peccatoribus. Verum ipſi quoque orare poſſunt, & ſæpiſſime orant utiliter: nec proinde oratio impiorum eſt novum peccatum; ut ex damnatione theſis 59. inter 101. propoſitiones ex libro *Reflexionum Moralium* extractas. Hæc enim habentur II. Eſdr. cap. IX. *Provocaverunt te ad iracundiam ... feceruntque blaſphemias grandes ... & in tempore tribulationis clamaverunt ad te, & tu de cælo exaudiſti.* Ii igitur de quibus loquitur hic textus, bene & utiliter oraverunt: quandoquidem a Deo miſericorditer exaudici fuerunt; quamvis ipſi in ſtatu habituali impietatis & iniuſtitiæ maxime eſſent eo etiam tempore quo orabant ad Deum. Præterea impiis quibuslibet præceptum eſt ut orent, & dicant: *De neceſſitatibus meis erue me.* Pſalm. XXIV. Quod autem impiis præceptum eſt, quis umquam peccatum eſſe adfirmabit? Alioquin ſi oratio impiis in peccatum verteretur; tenerentur ab omni oratione, omnibuſque orandi occaſionibus, ac proinde a templis etiam & a Miſſæ ſacrificio abſtinere.

Excellentia orationis dominicæ. Oratio dominica ceteras omnes antecellit auctoritate; quia a Chriſto Domino tradita eſt atque inſtituta: brevitate; quia pauciſſimis verbis continetur: neceſſitate, quia omnes hanc ſcire tenentur ac frequenter recitare, ut ex Sanctis Patribus & Conciliis, præcipue Toletano & Rhemenſi, evincitur: tandem ordine; cum in oratione dominica non ſolum petantur ea quæ recte deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine quo deſideranda ſunt, ut ait D. Thomas. Oratio enim dominica excitat fidem ſeu fiduciam toties in Scripturis inculcatam: continet finem in quem tendere debet omnis affectus noſter; ſcilicet volendo Deo gloriam eius & gloriæ huius fruitionem nobis exoptando: tandem hæc oratio media nobis confert ad hunc finem conſequendum; ideſt fugam a peccatis, ac divinorum mandatorum obſervantiam. Immo ait D. Auguſtinus, quod hæc oratio nobis venialia remittit quoad culpam, mortalia vero quoad pœnam, ſi iam per claves Eccleſiæ remiſſa fuerint. Etenim hæc oratio pie recitata ſignum eſt & effectus ſinceræ caritatis in Deum & proximum. *Caritas* autem *operit multitudinem peccatorum* (I. Petr. cap. IV.) quam ut conſequamur, ca-

ven-

Digitized by Google

vendum eſt (quod non raro evenit) ne orationem illam recitando, aliud verbis, aliud corde & opere loquamur.

§. VII.

Pro quibus orandum ſit.

Pro omnibus viatoribus orandum. Orandum eſt pro viatoribus omnibus iuſtis & iniuſtis, amicis & inimicis, fidelibus atque infidelibus: quia quod aliis optare debemus, hoc & aliis debemus precari. Huc enim facit in primis caritatis præceptum, quo tenemur multa non ſolum nobis, ſed etiam aliis exoptare; alioquin iam non diligimus proximum eodem modo quo ipſos nos diligimus. Proinde illi bonum velle debemus & precari, ſicut nobis. Id etiam evincitur ex ipſa orationis dominicæ forma, quæ talis eſt, ut eam recitantes pro nobis ſimul & pro aliis oremus. *Noluit* (inquit S. Cyprianus in Expoſit. Orat. Domin.) *pacis Doctor*, *ut quis pro ſe tantum precetur*. *Non enim dicimus*, Pater meus; *nec* Panem meum da mihi; *ſed* Pater noſter, Panem noſtrum da nobis.

Non licet vero precari pro beatis qui ſunt in cælo, neque pro iis qui in inferno ſepulti ſunt. Nam quoad primos, habetur vulgatum illud S. Auguſtini effatum Serm. XVII. de verb Apoſt. *Iniuriam facit Martyri qui orat pro Martyre*. Poſſumus tamen ipſis precari gloriam accidentalem, quam & ipſi poſſunt ſibi a Deo poſtulare. Quoad alios vero, id manifeſte patet, quia pro iis orandum non eſt qui precibus noſtris iuvari non poſſunt, quales ſunt damnati: unde receptum illud: *In inferno nulla eſt redemptio*. Et hæc eſt communis Sanctorum Patrum traditio.

Etiam pro animabus purgatorii. Orationes noſtræ ſicuti ſacrificia, indulgentiæ, & quælibet alia opera bona animabus in purgatorio degentibus applicari cum magno illarum fructu & utilitate poſſunt: non tamen in ratione meriti, nec per modum iudicii & abſolutionis; ſed ſolius impetrationis & ſatisfactionis, ideſt per modum ſuffragii. Et ratio eſt: quia ſi omnia Chriſtianæ pietatis opera, videlicet ſacrificia, indulgentiæ, aliaque huiuſcemodi ſunt ſatisfactoria & impetratoria apud Deum tam pro ſe, quam pro aliis in communione Eccleſiæ exiſtentibus; orationes plane (utpote præcipuum pietatis opus, valde Deo gratum, cui facta eſt rei petitæ promiſſio) fructuoſe & utiliter applicari poſſunt per modum ſuffragii ad ſatisfaciendum & impetrandum pro animabus purgatorii, quæ licet a ſocietate præſentis vitæ ſeiunctæ, adhuc tamen ſunt viva Eccleſiæ membra, eidemque per caritatis vinculum ſunt coniunctæ, idcirco in ſanctis eius operibus communicantes. Hinc docent Theologi, præcipue Salmanticenſes, poſſe Confeſſarios iniungere pro pœnitentia orationes aliaque opera bona applicanda pro defunctis. Quia cum hæc habeant duplicem ſatisfactionem, unam ex virtute ſacramenti, ideſt ex opere operato; alteram ex opere operantis: licet prima nequeat aliis applicari; bene tamen altera, quæ eſt ex opere operantis. Idcirco applicari etiam poteſt pro animabus purgatorii: quia cum non ſit a ſacramento, ſed ab operante; eſt in illius poteſtate de ea diſponere. Quocirca in omnibus liturgiis oblatio & oratio fit pro defunctis; & ita docuere omnes antiqui Patres.

Nullum vero eſt tempus præſcriptum ad orandum pro defunctis, præcipue quoad perſeverantiam fundationum ab iiſdem relictarum: ita ut legata ab iſtis relicta etiam poſt mille annos ſunt adimplenda. Et merito proſcripta eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio ordine 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos*.

CAPUT II.

De horis canonicis.

§. I.

De ratione divini officii ſeu horarum canonicarum.

Horæ canonicæ ſeu officium divinum (quod ex Eccleſiæ præſcripto recitare ſolent ac debent quotidie clerici in ſacris conſtituti, & beneficiati, necnon Religioſi, ſive publice, ſi choro ſint addicti, ſive privatim) conſiſtit in quibuſdam vocalibus precibus ac divinis laudibus ex canonum ſtatuto regulariter ab eccleſiaſticis perſonis recitandis. Appellantur hæ preces modo *officium divinum*, cap. *Dolentes* IX. de celebr. Miſſar. quia ad Dei cultum eſt inſtitutum: modo *eccleſiaſticum*; quia nomine Eccleſiæ perſolvitur: modo *canonicum* ſeu *horæ canonicæ*; quia iuxta regulam ſacrorum canonum inſtitutæ ſunt, unde publicæ ſunt, etiamſi extra chorum private recitentur: modo *breviarium*; vel quia eſt admirabile compendium ſeu collectio veteris & novi Teſtamenti, Patrum ſententiarum, & compendioſa memoria de virtuoſis Sanctorum geſtis ac vita; vel quia, ut alii volunt, officium quod nunc recitamus, eſt compendium longioris quod primis Eccleſiæ ſæculis recitabatur: modo etiam dicitur ora- Officii divini varia nomina.

orarium ab orando; quia magna eius pars conſtat variis precibus ſeu petitionibus, quas ad Deum fundimus, & quibus potiſſimum Deum oramus per ipſum ac deprecamur. Divinum igitur officium ſeu horarum canonicarum recitatio conſiſtit in quibuſdam divinis officiis ex pſalmis, hymnis, canticis, ſacra Scriptura, & Doctrina Sanctorum Patrum concinnatis, atque ex ſacrorum canonum decretis ab eccleſiaſticis perſonis Eccleſiæ nomine certis diei noctiſque horis Deo perſolvendis.

Horæ canonicæ aliæ nocturnæ, aliæ diurnæ.

Divinum hoc porro officium conſtat ſeptem horis, quarum aliæ vocantur nocturnæ, quia mos fuerit, & adhuc præcipue apud Clauſtrales obſervantiores perſeverat, eas recitandi nocturno tempore. Tres priores partes primæ horæ dicuntur *Nocturna*, quibus adjunctæ ſunt *Laudes* quæ faciunt cum *Nocturnis* integram horam, quæ dicitur etiam *Matutinum*. Dictæ tres parte cum Laudibus dicuntur *Nocturna*; quia, ut paulo ante notavi, aliquando recitabatur hæc prima hora media nocte: *Matutinæ*, ſeu *Matutinum*, quia aliquando etiam ſummo mane ante Solis ortum recitare conſueverint. Diurnæ vero ſunt *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Veſperæ*, (quæ vocabantur alio nomine *Lucernarium*, eo quod deſinente die & accenſis lampadibus decantarentur) & *Completorium* quod recitabatur poſt *Veſperas*: & dicitur *Completorium*, quia eſt ultima hora qua divinum complebatur ac completur officium. Et in his ſeptem horis repræſentantur principaliora Dei beneficia: creationis videlicet, conſervationis, redemptionis, prædeſtinationis, vocationis, iuſtificationis, & glorificationis. Item ſunt veluti ſigna repræſentativa principaliorum myſteriorum dominicæ paſſionis: nempe *Matutinum* repræſentat capturam Chriſti in horto; *Prima* opprobria a militibus poſt capturam Chriſto illata; *Tertia* ipſius mortis ſententiam; *Sexta* ipſius crucifixionem; *Nona* ipſius mortem & lateris transfixionem; *Veſperæ* e cruce depoſitionem; *Completorium* ſepulturam.

Quo tempore ſint inſtitutæ.

Divini officiis uſus, quoad ſubſtantiam, nempe pro precibus quæ quotidie ſtatutis horis a fidelibus perſolvebantur, eſt antiquiſſimus, ut credibile ſit ab Apoſtolis initium duxiſſe. Legitur enim *Act. cap.* II. quod in primordiis Eccleſiæ fideles *erant perſeverantes in communicatione fractiones panis & orationibus*: ideſt *in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes & pſallentes*, ut loquitur *Apoſtolus Eph. cap.* V. *Tertullianus* tempus hiſce laudibus, pſalmis, & canticis deſtinatum appellat horas apoſtolicas. Et ex his porro orationibus, pſalmis, & canticis temporum lapſu probabile eſt efformatum fuiſſe *officium* ſeu *Breviarium*: quod proinde licet antiquiſſimum quoad ſubſtantiam, quoad formam vero, ordinem, & numerum horarum, quem nunc habet, paulatim obtinuit. Nam licet in conſtitutionibus quæ dicuntur apoſtolicæ, notetur etiam *Hora Veſperarum*, tamen, ut ex Tertulliano *lib. de ieiun. cap.* X. & XI. & ex Cypriano *de Orat. Dom.* colligitur, tempore Apoſtolorum *Officium Divinum* tres tantum horas continebat: *Tertiam* ſcilicet, *Sextam*, & *Nonam*, (ſicuti mos erat etiam in veteri Teſtamento) *Tertiam* in memoriam deſcenſus Spiritus Sancti; *Sextam* Chriſti Crucifixionis; *Nonam* ipſius mortis. His autem poſtea ab Eccleſia tempore S. Cypriani additæ erant *Prima* & *Veſperæ*. *Sed nobis*, inquit, *præter horas antiquitus obſervatas orandi nunc & ſpatia, & ſacramenta creverunt. Nam & mane orandum eſt, ut reſurrectio Domini matutina oratione celebretur .... Recedente item Sole & die ceſſante, neceſſario rurſus orandum eſt. Nam quia Chriſtus Sol verus & dies eſt verus, Sole ac die ſæculari recedente, quando oramus ac petimus ut ſupra nos lux denuo veniat, Chriſti precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum*. Quoad formam vero pſalmodiæ multum conſuluere Monachi Ægypti (teſte Caſſiano *de noct. orat. lib.* II. *cap.* V. & VI. & Sozomeno *lib.* III. *cap.* XIII.) qui ſtatuerunt horas non ſolum diurnas ſed etiam nocturnas, & in ſingulis canendi duodecim pſalmos, ideſt duodecim nocte, totidem mane, totidemque veſpere, & in fine cuiuſce pſalmi addebatur ſolemnis illa Dexologia *Gloria Patri*, quæ ubi mos erat ut unus tantum cetera caneret vel legeret, ab omnibus ſimul decantabatur: immo in iiſdem Ægypti Monaſteriis in fine cuiuſque pſami is qui erat præpoſitus collectam recitabat. In gratiam porro eorum quibus cordi erant ſcripturæ ſacræ, additæ poſtea ſunt lectiones duæ, una veteris, altera novi Teſtamenti; ſed utraque pro libito recitanda. Die tamen Sabbati utraque e novo Teſtamento ſumebatur: altera ex Pauli Epiſtolis, altera ex Actibus Apoſtolorum aut ex Evangeliis. Ita *P. Thomaſſinus Tom. I. Eccleſ. Diſcipl. lib. II. cap.* LXXI. *num. 6. & 7.*

Officiorū noſtrorum cooſenſio cum officio S. Benedicti.

Nullus tamen ritus divini officii magis præſenti formæ eſt conſonus ſicuti quem ſtatuit ſuis Monachis D. Benedictus, ita ut
ex

ex officio S. Benedicti mira quædam prodatur officiorum nunc noſtrorum conſenſio cum iis quæ præſcripſit ſanctiſſimus Pater. Etenim ita iuxta formam divini officii quod ſanctus Benedictus conſtituit, idem habet exordium, nempe *Deus in adiutorium:* Inde pſalmus, *Venite exultemus*, ab alternis vel ab uno canendus cum Antiphona. Succedit hymnus quem vocat Ambroſianum ab auctoris nomine. Inde ſex pſalmi alternis canendi choris, verſus, & benedictio Abbatis. Tum tres lectiones leguntur, interſectis totidem reſponſoriis, quorum ultimo tantum additur *Gloria Patri* &c. & ſic in aliis Nocturnis, & poſt ultimum nocturnum addebatur *Te Deum laudamus*. Et tali fere penitus ordine etiam aliæ horæ erant concinnatæ. Horæ nocturnæ celebrabantur in ſuis Monaſteriis circa mediam noctem. In hoc tamen horæ illæ canonicæ diſcrepant a noſtris, quod in iis in curſu hebdomadæ totum perſolvebatur Pſalterium cum canticis. Mos vere laudabilis; cum vetuſtiſſimi Monaſticæ vitæ inſtitutores integrum quotidie idem Pſalterium recitarent. Hoc autem orandi genere ac modo in Eccleſia recepto, factum fuit quod tam regulariter obſervaretur (ſic teſtis eſt Palladius in Vita S. *Chryſoſtomi*) ut Epiſcopi, quando cum fidelibus publicæ orationi intereſſe non poterant, vigilias ſeu officium intra ſua diverſoria celebrarent.

Ad horas canonicas conveniebat antiquitus etiam populus, non ſolum ad diurnas, ſed ad nocturnas quoque, quos Clerici ſolebant nocturno tempore recitare. Hic tamen mos, reſpectu horæ, non ſemper fuit idem in Cathedralibus, nec idem ſemper ubique. Nam alicubi mos fuit ut nocturnas recitarent aut canerent circa mediam noctem; alicubi poſt Solis occaſum; alicubi ſummo mane: immo ubi etiam fuit aliquando uſus ut ad eas ſurgerent media nocte, mutarunt uſum in ſummum mane ante Solis ortum. Dixi *recitarent aut canerent:* quia etiam prioribus ſæculis inductus fuit Pſalmorum cantus, qui fiebat ubi per unum ſolum, & pauca totus chorus aliquando reſpondebat; ubi a choro alternatim. Ita citatus P. Thomaſſinus.

Quo tempore cœpit præſens forma Breviarii. Sed ut redeamus ad id quod ſpectat ad inſtitutionem præſentis formæ ſeu ritus Breviarii quo utitur Eccleſia iuxta uſum ac præſcriptum Eccleſiæ Romanæ, ſi credamus Radulpho, ut habetur ex citato Thomaſſino, ſæculo ineunte tertiodecimo, breviatum fuit divinum officium in ſacra Æde Pontificia; quod ideo dicebatur officium breviatum Romanæ Curiæ: quam formam, addit Radulphus, cum amplexi fuiſſent diſcipuli S. *Franciſci*, & quidam ex iis, nomine Haymo, idem Breviarum in eum ſtatum ſeu formam quæ nunc habetur, reduxiſſet; præcepit Nicolaus III. ut ab omnibus Eccleſiis aſſumeretur. Unde ait Radulphus, *Hodie in Roma omnes libri ſunt novi & Franciſcani*. Sic P. Thomaſſinus *cit. Par. IV. lib. I. cap.* xl. ubi etiam probat precem *Dominus vobiſcum* non eſſe omittendam ab iis qui officium privatim recitant; ſicuti iamdudum probavit ex profeſſo Petrus Cardinalis Damiani.

Verum dicta Breviarii forma temporis diuturnitate ab antiqua ſua inſtitutione multum deflexerat. *Alii enim*, ut habetur in Bulla Pii V. de Reformat. Breviarii poſt initium, *præclaram veteris Breviarii conſtitutionem, multis locis mutilatam, alii incertis & alienis quibuſdam commutatam, deformarunt: plurimi ſpecie officii commodioris allecti, ad brevitatem novi Breviarii, a Franciſco Quignonio tituli Sanctæ Crucis in Jeruſalem Presbytero Cardinale compoſiti, confugerunt. Quin etiam in provincias paulatim irrepſerat prava illa conſuetudo, ut Epiſcopi in Eccleſiis quæ ab initio communiter cum ceteris veteri Romano more horas canonicas dicere ac pſallere conſueviſſent, privatum ſibi quiſque Breviarium conficerent, & illam communionem uni Deo, una & eadem formula preces & laudes adhibendi, diſſimillimo inter ſe ac pene cuiuſque Epiſcopatus proprio officio diſcerperent. Hinc illata multis in locis divini cultus perturbatio: hinc ſumma in Clero ignoratio cæremoniarum ac rituum eccleſiaſticorum, ut innumerabiles Eccleſiarum miniſtri in ſuo munere indecore, non ſine magna piorum offenſione, verſarentur.* Hanc orandi varietatem graviſſime ferens fel. record. Paulus Papa IV. emendare ſtatuerat: ac facta interim proviſione ne ulla in poſterum novi Breviarii licentia permitteretur, ſe totum ad reſtituendum priſtinum orandi morem convertit. Sed cum priuſquam ea quæ circa hoc inchoaverat, expleviſſet, ad ſuperos vocatus fuiſſet; hanc poſtea provinciam Concilii Tridentini Patres ſuſcepere, & ad hunc finem curarunt ut a Pio Papa IV. Tridentum mitteretur quidquid Paulus IV. pro re hac collectum ac elaboratum reliquerat, ut per doctos pioſque viros, quos ad hoc negotium elegerant, tam ſanctum ac ſalutare opus compleretur. Verum, inſtante iam Concilii con- Breviarii forma a nonnullis deformata. Ad priſtinam regulam per ſummos Pontifices conformata.

cluſione, rem totam ad auctoritatem iudicium que ſummi Pontificis retulerunt: qui, adſcitis Romam illis ipſis Patribus ad hoc munus a Concilio delectis, nonnulliſque etiam in urbe idoneis viris ad hunc numerum adiunctis, rem totam perficiendam curavit. Verum cum e vivis hic deceſſiſſet, Pius V. qui eidem Pio IV. in honore ſucceſſit & onere, opus vidit abſolutum; & quocumque alio ritu qui noviter inoleverat, penitus deleto, hanc divini officii regulam qua nunc utimur, univerſali Eccleſiæ omnino obſervandam propoſuit: ut conſtat ex eius Bulla quæ initio Breviariorum legitur. Immo cum hæc etiam regula, ex incuria præcipue vel etiam arbitrio Typographorum, aliquantulum a primo nitore excidiſſet, paſtoralis ſollicitudo tum Clementis VIII. tum Urbani VIII. ſedulam navavit operam, ut priori puritati ac decori reſtitueretur: ut videre eſt in Bullis eorumdem Pontificum, quæ initio Breviarii pariter apponi ſolent.

§. II.

De iis qui tenentur ad horas canonicas.

Quamvis recitare officium, & canere divinam pſalmodiam, non ſit munus Ordinem requirens, ſed Chriſtianis omnibus commune, ideoque ex conſuetudine Eccleſiæ pertineat non ſolum ad clericos & religioſos, ſed etiam ad laicos, non quidem ad omnes, ſed ad eos qui deputantur a clericis ut cum illis in choro congregati maiore cultu ac decentia divinum perſolvant officium: propriiſſime tamen munus hoc ſpectat ad clericos & religioſos, quorum eſt laudare Deum, pro populo intercedere, ipſumque ad devotionem excitare. Idcirco præceptum eſt ab Eccleſia ut divinum officium quotidie recitetur a ſuis miniſtris in cathedralibus, collegiatis, parochialibus, regularibuſque Eccleſiis (ut patet ex receptiſſima conſuetudine, & ex *cap.* Dolentes *de celeb. Miſſar.* & *Clement. I. tit. eod.*) ſalvis tamen qui ex proprio inſtituto a Sancta Sede approbato ab hoc deobligantur, ut in ordine Societatis Ieſu. Cum tamen hoc ſit de iure poſitivo, poteſt contra illud prævalere contraria conſuetudo. Hinc habetur in pluribus Eccleſiis, præcipue collegiatis, parochialibus, & etiam in non paucis regularibus, ut ſolum diebus dominicis, feſtivis, aliiſque ſolemnioribus ſervetur. Immo talis obligatio aliquibus in locis eſt penitus ablata, vel ob tenuitatem redituum; vel ob talem miniſtrorum paucitatem, ut officia divina non poſſint debite aut convenienter celebrari; vel aliis de cauſſis, quibus potuit introduci legitima conſuetudo abrogativa talis obligationis.

Sequitur igitur, quod in Eccleſiis, ubi adhuc viget conſuetudo publice recitandi divinum officium, vel in toto & ſemper, vel in parte & aliquibus diebus, ut in maiore parte parochialium; vel ubi per contrariam conſuetudinem ius commune non eſt abrogatum, ſub gravi culpa tenentur Prælati & ſuperiores communiter non ſolum ſicut alii perſonaliter choro aſſiſtere, ſed etiam ſollicite curare, vel per ſe, vel per alium, ut communitas tali obligationi ſatisfaciat, ideſt ne umquam divina officia, quorum uſus adhuc viget, publice omittantur. Et ſi Prælatus fuerit in hoc negligens, tenetur unuſquiſque ſub eadem obligatione particulariter ſupplere ne deficiat hæc Dei collaudatio choralis: quia obligatio munerum communitatis, deficiente cura Prælati, ad ſingulas eius perſonas devolvitur, ut communiter ſentiunt doctores. Idcirco ſi ob unius abſentiam officium in choro omitteretur, & hoc ille præyideret; hic mortaliter peccaret, ſi abſque legitima cauſſa non intereſſet.

Obligatio quoad Regulares in choro.

Ceterum quidquid ſit de particularibus legibus vel conſuetudinibus, nullus religioſus in particulari tenetur ſub gravi quotidie horas dicere in choro: quia ad hoc non tenetur neque ex iure ſcripto, quod nullum datur obligans illum vel illum in particulari. Etenim *Clement. I. de celebr. Miſſar.* notat, obligationem talem eſſe in communi: & alii textus qui in contrarium adduci poſſunt, non loquuntur de religioſis, ſed de clericis per beneficium ſervitio Eccleſiæ deputatis. Nec tenentur ex conſuetudine, quæ nulla reperitur in Religionibus ita graviter obligans. Neque tenentur, eo quod alantur eleemoſynis fidelium, vel bonis Eccleſiæ: quia eis hæc non dantur ſub hac conditione, ſicuti præbendatis, qui idcirco multo magis quam religioſi choro intereſſe adſtringuntur; ſed ut Deo inſerviant iuxta eorum inſtitutum. Nihilominus, re melius perpenſa, a gravi culpa non plane eximendus videtur religioſus, etiam ſecluſo ſcandalo, qui vi ſtatus ſui choro addictus, ei inſervire tenetur in laudibus Deo perſolvendis, ſi ſine iuſta cauſſa & legitima diſpenſatione frequenter a choro abeſſet. Nam obligatio quæ incumbit communitati laudandi Deum in choro, & ſu-

ſuperiori curandi ut huiuſcemodi laus Deo reddatur, urget ſingulos etiam de communitate; cum nonniſi ex ſingulis communitas conſtituatur. Præterea cuique incumbit progredi in perfectione quam profeſſus eſt, ad quem finem maxime conducit, immo neceſſarium eſt, pia proprii inſtituti exercitia, quorum præcipuum eſt divina pſalmodia, ſollicite frequentare. Hinc Clemens VIII in Decretis *pro Reformatione tam Monachorum, quam Regularium* hæc ſtatuit: *Ut in eos qui negligentes aut inobedientes fuerint in ſervitio chori, nec legitima cauſſa diſpenſati, ſalutari pœnitentia ſuperiores animadvertant*. Pœna vero nonniſi culpæ ſtatuitur. Sed de hoc fuſius ſuo loco.

Quot requirantur ad ſatiſfaciendum pro choro. Ad ſatisfaciendum obligationi communitatis recitandi divinum officium convenire debent, ſi commode fieri poteſt, quatuor ad minus Religioſi: quia ſine tali numero non cenſetur ſufficiens communitas ad intentum. Ceterum alii putant etiam tres ſufficere, immo ex nova conſtitutione fel. recordat. Benedicti XIV. ſtatutum fuit, etiam duos poſſe ſupplere, quando ob Religioſorum paucitatem in Monaſterio degentium maior numerus aliquando commode haberi nequeat. Quocirca excuſat ab obligatione chori, quando ſaltem hic numerus ob paucitatem Religioſorum familiæ commode intereſſe nequeat: quia impoſſibilium non eſt obligatio, ideſt quando commode fieri nequit. Officium publicum impleri poteſt, quando ita opus eſſet, etiam per ſolos novitios: quia in favorabilibus reputantur Religioſi, cum gaudeant iiſdem privilegiis ac profeſſi; ideoque concurrere poſſunt ad implenda illorum onera.

Hiſce notatis circa eos qui ad publicam horarum divinarum recitationem tenentur, reſtat videndum de obligatione circa earum recitationem privatam, ſeu de iis qui ad hanc tenentur. Donec obtinuit laudabilis diſciplina Eccleſiæ, ut nullus ordinaretur clericus, quin ſervitio alicuius Eccleſiæ tamquam miniſter adſcriberetur, ſine ulla diſtinctione maiorum, aut minorum clericorum; omnes obſtricti erant recitationi horarum canonicarum. Deficiente vero Eccleſiæ diſciplina, talis obligatio reſtricta fuit ad ſolos beneficiarios & ad clericos ſacris

Clerici ſacris initiati debent privatim horas recitare ſub mortali. initiatos. Idcirco communiter conveniunt Doctores, quod ſub mortali ſingulis diebus horarum canonicarum penſum privatim perſolvere obligentur clerici omnes ſacris Ordinibus initiati, etiamſi eccleſiaſticum beneficium non poſſideant, nec ulli Eccleſiæ choro ad publicam recitationem ſint addicti. Immo excommunicati etiam, degradati, condemnati ad triremes, dummodo ſine ſui ſtatus dedecore & verberum periculo recitare queant: nullo enim privilegio ab hoc onere ii eximuntur; alias commodum ex ſua iniquitate reportarent. Hic docent aliqui, quod ſi clericus priuſquam recepiſſet Ordinem vel beneficium, totum officium illius diei perſolviſſet; iterum teneretur recitare partem officii correſpondentem horæ in qua cœpit obligari. Ideo Subdiaconi & beneficiarii non tenentur niſi ad horas quæ correſpondent tempori, quo unus Ordine inſignitur, alter poſſeſſionem ſuſcipit beneficii: quia obſervatio præcepti ſupponit obligationem contractam; & horas recitare clerici tenentur nomine Eccleſiæ, ut miniſtri ad hoc deputati, quod fieri nequit ante Ordinis & beneficii receptionem.

Clerici non ſponte, ideſt inviti, ex gravi metu ordinati, aut ita poſiti in poſſeſſione beneficii, non tenentur, niſi illi exerceant poſtea Ordinem ſuſceptum; conſentiant iſti in acceptationem collati beneficii, vel percipiant fructus qui dantur propter officium.

Item Religioſi & Moniales, quando choro non interveniunt. Horas canonicas quotidie recitare debent, quando choro non interveniant, Moniales omnes & Religioſi profeſſi; etiam fugitivi, eiecti, ad triremes damnati, ſi tamen ii poſſint: cum revera iſti Religioſi remaneant, ideoque obligationibus Religionum obnoxii; nemini enim debet ſua culpa ſuffragari. Hæc obligatio conſtat ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine vim legis tenenre, fundata in eorum ſtatu ad Dei cultum inſtituto. Etenim de Monachis (quod intelligendum eſt de Religioſis omnibus) ait S. Epiphanius Expoſit. Fid. Cathol. cap. XXIII. *Magna vero ex parte Monachi in decantandis pſalmis ac perpetuis orationibus occupantur*. Idemque de Monialibus teſtantur S. Gregorius Nyſſenus in Vita S. Macrinæ, S. Hieronymus *Epiſt.* XXVII. & Caſſianus *lib. II. & III. Collat.*

Religioſi etiam antequam ſacris initientur. Notandum hic occurrit contra quoſdam, nempe Religioſos profeſſos, choro addictos, nedum ſacris Ordinibus initiatos, non immunes eſſe a debito recitandi privatim horas canonicas, quando choro non interſint; tametſi in eorum inſtituto non inducta eſſet talis conſuetudo. Licet enim non tenerentur vi conſuetudinis ſui inſtituti; tenerentur tamen vi conſuetudinis inductæ ab Eccleſia, ſtatuente Religionibus omnibus choro addictis onus recitandi quotidie canonicas horas; quæ conſuetudo cum vim legis obti-

obtineat, omnes ab ea non exemptos, cuiuſmodi ſunt Religioſi profeſſi nondum in ſacris conſtituti quando choro non interſint, generatim ſub gravi obſtringit. Quod autem dicitur de Religioſis ſacris non initiatis, idem prorſus intelligendum eſt de Monialibus: cum in iis æqualis eademque ac in Religioſis currat ratio & lex Eccleſiæ conſuetudinis. Et eo vel maxime quod ipſæ quoque vivant de menſa Domini, id-eſt bonorum eccleſiaſticorum ſint participes; ac perinde æquum eſt ut ipſæ pariter divino famulatui ſacra chori pſalmodia mancipentur, ita ut privatim ſaltem, in choro intereſſe non poſſint, horarum penſum perſolvant. Huic oneri Continuator Tournely vult obnoxias virgines illas quæ in Belgio & Germania Canoniſſæ vocantur. Eæ enim ut plurimum ſucceſſerunt veteribus Benedictinarum Monaſteriis, quarum cum vicem teneant quoad reditus, debent & vicem tenere quoad officium.

Necnon clerici omnes beneficium habentes.

Beneficiarii omnes iure naturali & poſitivo tenentur ſub gravi, & ſub obligatione reſtitutionis fructuum, ad recitationem quotidianam horarum canonicarum (ut conſtat ex *cap.* Si quis Presbyter *de celebr. Miſſar.* & ex Concilio Lateranenſi V.) ſive beneficia fundata ſint poſtquam tale onus recitationis officii beneficiariis omnibus impoſitum eſt; ſive antequam imponeretur: nam etiam ante talem impoſitionem, ſaltem virtualiter, id exegerunt fundatores, & promiſerunt beneficiarii. Ad incurrendam vero talem obligationem ſatis non eſt, ut communiter contra Navarrum, quod facta ſit beneficii collatio; ſed neceſſe eſt ut beneficiarius, ſit in beneficii poſſeſſione: quia tunc cenſetur perfecte beneficium conſecutus; cum antea multa occurrere poſſint impedimenta contra conſecutionem, & ante poſſeſſionem beneficiarius nullas functiones beneficii exercere, nulloſque fructus percipere poſſit. Etenim licet in caſu reſignationis, non obſtante quod facta ſit & acceptata reſignati beneficii collatio, videatur clericus proviſus habere in beneficium aliquod ius; reipſa tamen ius illud non eſt utile: cum reſignans percipiat fructus, donec removeatur a poſſeſſione. Quod valet etiam, quando beneficium vocet alia via: quia licet fructus recenſentur pro inſtituendo, onus tamen ſemper reſpicit tantummodo inſtitutum, qui numquam talis eſt, niſi ſit in actuali beneficii poſſeſſione; ideoque ſicuti antea non poteſt nec debet, perſolvere alia officia honorifica, ita non tenetur onera ſubire.

Quid cum duo diſcrepant circa beneficium.

Si duo contendant de beneficio, cum ius utriuſque dubium ſit, neuter ad officium tenetur, niſi poſt aditam pacificam poſſeſſionem; quæ talis non eſt in caſu litis, quia ius eſt incertum. Si alteruter vero de iure ſuo certus ſit, ſive ex iuriſperitorum, quos conſuluit, ſententia, ſive alia ratione; tunc longe probabilius eſt eum teneri: quia ex tali poſſeſſione, licet pacifica, ius tamen moraliter certum eſt. Ad officii etiam recitationem tenentur iis, quibus, tameſi de litis ſucceſſu ſint incerti, fuit pro interim adiudicata beneficii poſſeſſio; cum fructus beneficii revera ſuſcipiant.

An teneantur qui tenue poſſident beneficium.

Circa eos vero qui tenue poſſident beneficium, ut reditus non attingat tertiam partem mediocris ſuſtentationis quæ ad clericum communis conditionis deſideratur, multiplex eſt Theologorum opinio, num teneantur ad officii recitationem. Putant alii teneri ſaltem certis temporibus, puta diebus feſtis & dominicis. Alii, ut Vaſquez, ſentiunt non teneri, ſi habeat aliqua onera ſuper tale beneficium, puta Miſſam per ſe aut per alium celebrandas: alias non excuſari a tali debito ob ſolam beneficii tenuitatem; quia cum beneficium quodcumque detur propter officium ſpirituale, hinc ab Eccleſia ad horarum recitationem obligantur, cum hoc ſit illud primum quod exigitur ab iis clericis præſertim qui aliud officium ipſi Eccleſiæ non præſtant. Quinimmo putant alii quomodocumque teneri, nec ob tenuitatem beneficii nullatenus excuſari; ut ex pluribus probant Conciliis, præcipue Toloſano & Burdigalenſi: quia qui ſentit commodum, licet tenue, quod tamen certum eſt, ſentire debet & incommodum. Etenim ſicuti talis tenuitas non excuſat a reſidentia; ita, dicunt ii, ne excuſare quidem debet ab officii recitatione.

Quid de iis qui nullos percipiunt fructus.

Illi ſimiliter qui etiam ſine ulla ſua culpa nullos modo fructus beneficii parcipiant, puta bello aut ſterilitate, ſed tamen percepturi ſunt, non redduntur immunes ab obligatione horarum canonicarum; cum nulla ſit ratio quæ ipſos ab hac recitatione excuſet, eo vel maxime quod in annis fertilioribus, quando fructus copioſiores quam qui in ipſa fundatione conſtituti ſunt, percipiunt, non plus precum pro fundatoribus fundunt. Quod ſi nulla ſpes adſit fructus umquam in poſterum percipiendi, puta ſi fundi perierint; cenſent alii non teneri beneficiarium ex hoc titulo ad onus officii: quia talis obligatio incurritur ob ſuſtentationem ab Eccleſia clerico ſuperadditam.

Alii

Alii vero contrarium tenent. Quod enim, inquiunt, de beneficiario modicos percipiente reditus dicitur a S. Antonio, quo illud *imputare ſibi debeat*, hic dicendum occurrit. Nam ut quid beneficii titulum ſumit, eique inſiſtere pergit, qui eodem vult ſe gerere modo ac ſi reipſa titulum non haberet? Præterea qui omnes beneficii fructus reſignanti dimittit per modum penſionis, ex omnium conſenſu ad officium tenetur: quia nempe ſponte & lubens cum eo onere beneficium accepit. Cum autem pariter in caſu propoſito ſponte ac lubens beneficium acceperit ille de quo nunc agimus, pariter tenetur ad officii recitationem.

Ad quid teneantur penſionarii. Qui penſionem poſſident clericalem fundatam in eccleſiaſtico beneficio (non enim hic loquimur de mere laicali, quæ confertur ob aliquod officium temporale Eccleſiæ retribuendum, organa v. g. pulſando) tenentur ſub mortali & pœna reſtitutionis ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis, *ut decrevit Pius V. in bulla* XIII. *quæ in hoc punitiv.* ubique recepta eſt: quia inquiunt Navarrus & Proſper Fagnanus penſio hodie datur propter officium.

Ad quid præſtimoniati. Item qui habent præſtimonia perpetua (quæ ſunt portiones quædam a reditibus beneficiorum abſtractæ, & deſignatæ iuvenum ſubventioni ad ſtudia peragenda, vel alteri habili perſonæ pro Eccleſiæ ſervitio) ſtando iuri communi, tenerentur ad officii recitationem iuxta laudatam Pii V. conſtitutionem: quia præſtimonia perpetua, ad differentiam eorum quæ dantur ad tempus, & ad nutum ſunt revocabilia, habent eoſdem characteres ac alia beneficia. Nam non dantur ab Epiſcopo niſi clerico & ſine pacto, locum habent tituli eccleſiaſtici. Proinde qui ſentit commodum, debet ſentire & incommodum. Hoc tamen non obſtante, diſcrepant Doctores hac ſuper obligatione, aliquibus in contrarium ſentientibus.

Quid circa Commendas & Coadiutorias. Circa vero commendas, coadiutorias, & alia generis eiuſdem, ex dictis & uſu facile eſt intelligere quid ſit ſentiendum. Ceterum de his fuſe agit Suarez *Tom. II. Lib. IV. cap.* XXII. Sed ut circa hoc etiam nonnulla in medium afferamus, videntur iuxta declarationem S. Pii V. Coadiutores, ſi nullum percipiant fructum, non teneri ad officii recitationem: quia obligatio remanet apud proprietarium, qui revera eſt beneficiarius; cum ex eodem beneficio nequeat in duobus obligatio conſurgere. Coadiutori ſolum ius datur ut poſt mortem proprietarii in eodem gradu ſuccedat: & Canonicus hic ſolum vocatur propter ius acquiſitum ſuccedendi proprietario, & propter vocem quam habet in capitulo, & ſedem in choro poſt proprietarios. Si vero aſſignentur coadiutori aliqui fructus, & hi per modum penſionis; tenetur ut alii penſionarii ad officium parvum B. Mariæ Virginis. Si autem certi proventus ipſi aſſignentur, ut ad eorum titulum poſſit ordinari; tenetur & ipſe, & proprietarius ad officii divini recitationem; quia tunc cenſentur veluti duo beneficia. Similiter ſi Parocho abſenti vel infirmo detur adiutor, vel alia ratione alius ſubſtituatur, ut Parochi compleat obligationes; tenebitur hic ad recitationem officii, quam non poteſt præſtare proprietarius: quia loco illius ſubrogatur, & ob id ſtipendium ſuſcipit.

§. III.

De iis quæ requiruntur ad debitam horarum canonicarum recitationem.

Quoad Breviarii qualitatem, ſæculares & regulates ſub mortali formam Breviarii Romani iuxta conſtitutionem S. Pii V. ſervare tenentur: alioquin ſuæ obligationi non ſatisfaciunt, etiamſi ſemel vel bis id faciant. Excipiuntur tamen Capitula & Monaſteria, quæ a ducentis annis ante prædictam conſtitutionem habebant proprium Breviarium; quibus nihilominus permittitur ex conſenſu Epiſcopi, ſeu Prælati & univerſi Capituli aſſumere Romanum. Qui autem ab hoc tempore tenent Breviarium proprium ſui Ordinis vel diœceſis, debent etiam privatim illo uti ad horarum recitationem: etenim bulla tales relinquit iuris communis diſpoſitioni, a quo quiſque obligatur ad recitandum officium ſuæ Eccleſiæ: ut deducitur ex *cap.* XIII. & XIV. *diſt.* XII. & *ex Clement.* II. *de celebr. Miſſar.* ubi permittitur Clericis & Monachis, ut valeant recitare officium ſecundum ritum Cardinalium vel Epiſcoporum cum quibus morantur. *Quo Breviario quiſque debeat uti.*

Clericus beneficiarius, reſidens in loco ſui beneficii, tenetur recitare officium Diœceſis in qua poſſidet beneficium, & mancipatus ſervitio alicuius Eccleſiæ ad illud Eccleſiæ cui ſervit, non Romano. Nam (ut notat D. Thomas *Quodlib.* VI. *cap.* VIII.) ſicuti clericus Eccleſiæ addictus tenetur ad officii recitationem; ſic qui tali Eccleſiæ eſt addictus, ad officium talis Eccleſiæ recitandum tenetur. Nec aliter intellecta fuit citata bulla Pii V. Si vero beneficiarius choro non teneatur intereſſe, uti poteſt Breviario Romano: quod ſatis uſu fere univerſali proba- *Ad quod officium teneantur Beneficiatii.*

ri

ri videtur. Si tamen beneficiarius non reſideat in loco ſui beneficii, ſed in aliena diœceſi, optime ſe gerit, ſi huiuſce diœceſis Breviario utatur. Alii autem qui nec certæ Eccleſiæ, nec alicui religioſo Ordini ſunt addicti, ut qui ad titulum patrimonii ordinantur, recitare debent officium iuxta ritum diœceſis in qua ordinarie verſantur.

Qui verſantur in aliqua diœceſi, vel parochia per breve tempus, non debent nec poſſunt ſequi loci huius ritum; ſed tenentur ſervare ritum diœceſis in qua morantur: alioquin ſuæ obligationi non ſatisfaciunt.

Quid de directoribus Monialium.

Director Monialium, ſive ſæcularis ſit, ſive regularis, necnon earum capellani qui Miſſam conventualem tenentur celebrare, licite ſe poſſunt accommodare illis in recitatione Breviarii, recitando officia de feſtivitatibus & ſanctis, quæ ob ſpeciale inſtitutum ipſæ recitant: quia cum iſti celebrent Miſſam conventualem, quæ debet eſſe ſecundum ritum ſui Chalendarii; adimplent rubricam quæ incluſa eſt in Bulla S. Pii V. poſita in principio Miſſalis, ideſt ut Miſſa quotidie conformetur officio, iuxta Gloſſam in *cap.* Dictum *de celebr. Miſſar.* Nam dicunt aliqui, ſicuti Monachus qui Eccleſiæ ſæculari præficitur, illius Eccleſiæ conſuetudinem ſequitur quoad officium canonicum; ita ſæcularis præfectus vel quaſi præfectus Eccleſiæ regularis, ſequi poteſt conſuetudinem illius Eccleſiæ regularis: cum contrariorum eadem ſit diſciplina. 1. *fin. cap. de Legat.*

Adnotantur aliqua circa reliquias.

Epiſcopus non poteſt per ſe ſine Pontificis diſpenſatione inſtituere dies feſtos in ſua diœceſi, & obligare ſuum clerum ad recitationem officii illius feſti, ut habetur in rubrica Breviarii Romani. Poteſt tamen Eccleſia quæ habet inſignem probatam reliquiam alicuius Sancti, puta caput, brachium, crus, aut partem illam corporis in qua paſſus eſt, celebrare de illo etiam ſub ritu duplici, ut volunt Navarrus & Gavantus: quia, dicunt, hoc conceſſum fuit a ſacra Rituum Congregatione XXIII. Novembris anno MDCII.

Et circa earum approbationem.

Circa vero certitudinem requiſitam in approbandis reliquiis, doctores plura dixere; nempe ſufficere moralem deductam ex probabilibus argumentis, non autem eſſe neceſſariam evidentem & infallibiliter convincentem: & hæc communiter. Similiter ad hoc ut in una diœceſi reliquiæ venerentur, ſufficit ut ſint approbatæ a quocumque Epiſcopo, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* XXV. *de reliq. & venerat. SS.* Et hæc non eſt iuriſdictio contentioſa, ſed voluntaria, Barboſa *de Poteſt. Epiſc. Part. III. allegat.* XCVII. *n.* 14. Verum quidem eſt, quod ad hoc ut officium ob aliquam inſignem reliquiam celebretur, non ſatis eſt eam habuiſſe, ſed neceſſe eſt ut permanenter habeatur, ſive in altari, ſive in aliqua Eccleſiæ parte vel Monaſterii; nec ſufficit ut ſervetur aliquod fruſtum. Etenim privilegium ceſſat, ceſſante cauſa conceſſionis, ut ex *l.* Nihil intereſt *de nautico fenore.*

Quid circa Epiſcopos Regulares.

Epiſcopus Regularis alicuius Ordinis qui habet proprium Breviarium, uti poteſt Breviario ſuæ diœceſis, & ſocii etiam recitantes cum eo, ut ex *Clement.* Dignum *de celebr. Miſſar.* Immo docent aliqui doctores, quod recitans cum alio qui ex privilegio haberet officium brevius, ſocius quoque ſatisfaceret: quia, dicunt iſti, privilegium conceſſum uni relativo, ad aliud etiam correlativum extenditur; cum diſpoſitum in uno cenſeatur æque diſpoſitum in alio. *Cap.* Si poſtquam *de elect. in 6.* Addunt pariter, quod Religioſi qui Breviario Romano utuntur, vel ratione itineris, vel alia iuſta de cauſa, poſſint recitare cum alio, & etiam ſolum per ſe, aliud Breviarium, & ſatisfacere ſuæ obligationi, ob conceſſionem factam Minoribus ab Innocentio IV. (ut in eorum privilegiis v. *Officium Divinum*) & non revocatam a S. Pio V. ut docet Rodriguez.

§. IV.

De tempore recitandi divinum officium.

Servandum ſub gravi tempus præſcriptum.

Quotidie totum officium recitari debet, ut ex *cap.* Dolentes *de celebr. Miſſar.* ex Bulla S. Pii V. & ex communi conſuetudine conſtat. Idcirco mortaliter peccat, qui die aliquo vel totum, vel aliquam officii partem notabilem prætermittit; quia in re gravi præceptum Eccleſiæ ſcriptum vel traditum violat: ac proinde qui hodie officium omittit, non tenetur, nec poteſt ſatisfacere die craſtino duplex officium recitans; nec ſimiliter poteſt uno die anticipare officium pro die ſequenti. Si quis vero dubitet, num alicui parti officii ſatisfecerit, & non ſit vere ſcrupuloſus; tenetur illud repetere: non tenetur autem, ſi habeat gravem probabilitatem & coniecturam ſe ſatisfeciſſe; quia probabilius eſt illud recitaſſe. Hinc docent graves doctores, præcipue Navarrus, non teneri quidquam eorum repetere quæ non meminit ſe dixiſſe; modo non recordetur ſe non dixiſſe, & iuſtam habeat coniecturam credendi, quod dixerit.

Obligatio recitandi divinum officium inci-

Digitized by Google

cipit a puncto mediæ noctis antecedentis diei, & finitur in puncto mediæ noctis diei ſequentis, ita ut extra tale tempus, ideſt ante vel poſt, non ſatisfiat præcepto (exceptis tamen Matutino & Laudibus, quæ ex conſuetudine recitari poſſunt poſt Veſperas diei antecedentis, ut communiter ſentiunt doctores) quia officium divinum ſingulis diebus eſt recitandum; & dies iuxta communem Eccleſiæ morem computatur intra fines mediæ noctis diei antecedentis & ſubſequentis. Idcirco a communi non eſt recepta aliquorum ſententia, licet hæc fuiſſe videatur etiam D. Thomæ & Bellarmini, quod dies ſit computandus a veſpere huius diei ad mediam noctem ſubſequentis. Sicut pariter non eſt ſequenda ita facile ſententia quorumdam; ſcilicet quod poſſit ſatisfieri præcepto pro hodierna celebratione, ſi officium incipiatur paulo ante mediam noctem diei ſequentis, & poſt completam mediam noctem continuetur: quia, iuxta communem doctorum, hæc obligatio incipit ab initio huius diei, & in fine eiuſdem concluditur; & quod fit poſt mediam noctem, ſemper tribuitur diei ſequenti. Ex his ſequitur etiam, quod unico officio non poteſt ſatisfieri duplici præcepto; ideſt pro die præſenti, præterito, vel futuro: ut docuit Alexander VII. in cenſura propoſitionis ab ipſo damnatæ quæ eſt ordine 35. Licet Matutinum ex iure communi recitandum eſſet media nocte, habetur tamen ex conſuetudine poſſe ipſum anticipari: ideoque qui timeret ne impediri poſſet ab aliqua occaſione ab officii recitatione, poſt mediam noctem totum perſolvere poteſt: quia intra terminum præfixum obligationis. Melius eſt enim apud Deum anticipare, quam poſtponere.

Quid circa publicam recitationem. Hæc omnia intelligenda ſunt de privata recitatione, non de publica in choro: nam hæc ſtatutis ſuis horis, & ſecundum cuiuſcumque Eccleſiæ conſuetudinem eſt peragenda. In privata autem recitatione temporis variatio non eſt gravis inordinatio; & obligatio ſervandi tempus præſcriptum, ſi quæ ſit gravis, imminuta eſt per conſuetudinem: immo ob iuſtam cauſſam, v. g. iter, negotia, legitimam occupationem, licet in illa privata recitatione antevertere vel protrahere tempus præſcriptum; quod quidem ex conſuetudine magnam habet latitudinem.

§. V.

De loco ubi horæ canonicæ ſunt recitandæ.

Recitatio horarum canonicarum fieri debet ex præcepto in choro, vel in Eccleſia, ita ut alibi perſolvi nequeant, in ſacriſtia videlicet, vel alio in loco: dummodo ſacriſtia non ſit ita Eccleſiæ adnexa, ut pars ipſius reputetur; cum pars reputetur in toto (*Regul.* lxxxvi. *iur. in 6.*) vel conſuetudo, aut gravis neceſſitas, ut aſperitas brumalis, ita ſuadeant: quia chorus & Eccleſia magis correſpondent ad Dei cultum & fidelium ædificationem.

Canonici & præbendati tenentur recitare in choro. Horas canonicas in choro recitare tenentur ſub pœna peccati letalis, & poſt certum tempus tenentur etiam ad reſtitutionem fructuum beneficii ſeu præbendæ, qui per aliquod beneficium addicti ſunt Eccleſiæ, ubi in more eſt chori officiatura: ut ſunt Canonici, præbendati, & quocumque alio titulo beneficiarii Cathedralium, Collegiatarum, aliarumque huiuſce generis Eccleſiarum, ubi vel ex conſuetudine vel ex benefactorum diſpoſitione, vel quotidie vel certis diebus, in toto vel in parte viget talis obligatio. Etenim hi omnes ad hoc inſtituti ſunt, ad hoc ſtipendia accipiunt; ideoque multiplici ratione choro per ſe debent intereſſe ad horarum recitationem vel cantum.

Non ſufficit eorum præſentia. Canonici igitur aliique huiuſce generis beneficiarii qui ratione beneficii quod poſſident, choro alicuius Eccleſiæ addicti ſunt, ad ſingulas horas canonicas, quando non ſint legitime impediti, vel alia legitima cauſſa eos excuſet, per ſe & non per alium intereſſe debent non tantum cum præſentia, ſed ad horas recitandas: ſicuti ſi deficiant, etiamſi diſtributiones aſſignatas non reciperent, ante Deum nihilominus non excuſarentur. Quia ita exigit ratio eorum inſtituti & muneris; cum proprium Canonicorum officium ſit ut in choro ad pſallendum inſtituto hymnis & canticis Deum devote laudent, ut ait Tridentinum *ſeſſ.* xxiv. *cap.* xii. *de reform.* Item quia fideles benefactores conſtituerunt ac fundarunt Eccleſias pro ſua & communi Reipublicæ ſalute, necnon ſuas illis ſubſtantias reliquerunt, quibus inſtitutæ ſunt Canonicorum præbendæ ac cetera beneficia, & diſtributiones ſiunt ut per eas fieri debeant ſacræ liturgiæ, & ut in illis a piis clericis miniſtrantibus Deus colatur. Et hanc ſtrictiſſimam obligationem Canonicorum aliorumque beneficiariorum qui choro ſunt addicti, declararunt, necnon ſuis decretis præceperunt inculcaruntque ut impleretur, Concilia cum generalia, ut inter cetera *loc. cit.* Tridentinum; tum provincialia, ut Baſileenſe & Senonenſe. Quocirca non valent eximere a tali onere nec ſtatuta ſuorum capitulorum, nec contraria conſue-

ſuetudo. Nam ex primo capite certum eſt ſtatuta inferiorum, nempe capituli Canonicorum, non poſſe præiudicare ſeu derogare legibus ſuperiorum, ideſt Concilii generalis, præcipue Tridentini: & contraria conſuetudo, cum naturali iuri adverſetur, & identidem reciſa fuerit a zelo Conciliorum, & præcipue ultimi iam citati Tridentini generalis & a Synodis Epiſcoporum, eſt merus abuſus.

Dixi, *talem conſuetudinem adverſari iuri naturali:* in quo fundatur iuſtitia, qua Canonici & alii beneficiarii; tenentur ſatisfacere intentioni fundatorum, qui ad hoc reliquerunt ſuas facultates Eccleſiis, ut clerici qui eorum fructibus pro ſua ſuſtentatione providerentur, divinorum officiorum celebratione quotidie laudes darent Deo, ac pro eorum & Reipublicæ Chriſtianæ ſalute continuo deprecarentur. Quare ſi fides habeatur Fagnano, ſacra Congregatio Cardinalium quæſita, num valeat ſtatutum, ut una vel duabus horis intereſſendo lucrentur *maſſam groſſam* ſive præbendam, omiſſis diſtributionibus? reſpondit: Non valere. Ita habetur etiam *Cap.* Licet *de præbend. n* 35.

Immo ad hoc ut clericus choro addictus, nec legitime impeditus, munus ſuum adimpleat iuxta evidentem ſacrorum canonum declarationem, non ſatis eſt quod initio horarum interſit, ſed uſque ad finem perſiſtere, & cum aliis eas recitare debet: idque evincitur ex divinarum horarum ratione, quæ ex integris, non ex aliqua parte conſtant. Unde Patres Concilii Moguntini decernentes ut quotidianæ diſtributiones integris ac totis officiis & horis aſſignentur, & iis dentur qui ab initio uſque ad finem interfuerunt, adiungunt: *Quibuſcumque irrationabilibus ac pravis conſuetudinibus* (quæ potius corruptelæ cenſendæ ſunt) *non obſtantibus*. Anno MDXLIX. cap. lxxII.

Sine iuſta cauſſa nequeunt abeſſe.

Ex his omnibus ſequitur, non poſſe Canonicos alioſque beneficiarios choro addictos abeſſe ſine iuſta cauſſa, non obſtante Concilii Tridentini decreto, quod illis ſavere videtur, ipſis indulgendo abſentiam trium menſium: quando dicit, eos non poſſe vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis abeſſe ultra tres menſes. Nam ex hoc decreto inferri nequit, quod Concilium talem abſentiam indulſerit ſine iuſta cauſſa; ſed ſolum quod toleraverit ut abſentes ad tres menſes per annum, etiam ſine ulla ſuperioris licentia, & allegata cauſſa, pœnis a ſacris canonibus abſentibus inflictis puniri nequeant. Ita hic Van-Eſpen. Minor vero cauſſa requiritur pro abſentia Canonicorum quam Paſtorum, ideſt habentium curam animarum: quia ex illorum abſentia minus præiudicium Eccleſiæ & animis timetur quam ob abſentiam Paſtorum. Quinimmo tanta fuit ſemper vigilantia & ſollicitudo Eccleſiæ ut tale onus a Canonicis aliiſque beneficiariis choro addictis impleretur, ut ad excitandam eorum ignaviam, ac ad providendum ne ex hac divinus cultus minueretur, inſtituerit quotidianas diſtributiones ad ſingulas horas, quibus magis aſſidui redderentur, ut quos (ait Ivo Carnotenſis ſcribens ad Paſchalem) *panis interni dulcedo non movet*, *refectio panis corporei provocaret*. Idcirco ordinatum fuit a Synodo Tridentina, ut ubi hæ deſierant, reducerentur per detractionem tertiæ partis fructuum & quorumcumque proventuum, canonicatuum, perſonatuum, portionum, & officiorum, quibus cumulus pro quotidianis diſtributionibus efformaretur. Attendant tamen huiuſcemodi beneficiarii, ne avaritia conſequendi diſtributiones choro præſentes aſſiſtant; ſed principaliter zelus divini cultus eos ſollicitos reddat ad proprium officium perſolvendum: alias, ſicuti evidentiſſime patet, in horridam labem inciderent ſimoniæ.

Quod ſi aliqui Canonici aut beneficiarii occupati ſint in gravibus negotiis maioris utilitatis Eccleſiæ, vel valetudine impediti choro intereſſe non valeant; ne divinum officium intermittatur, aut non ea qua decet, ſolemnitate peragatur, merito, his intervenientibus iuſtis cauſſis, poſſunt per vicarios ſive coadiutores ſuo oneri ſupplere. Van-Eſpen.

§. VI.

De ordine ſervando in recitandis horis canonicis.

Quis ordo ſervandus.

Horarum ordo exigit ut, completo officio diei antecedentis, dicatur ante omnia Matutinum, cui ſtatim ſequantur Laudes, deinde Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, & Completorium. Et hic ordo in choro inverti nequit ſine gravi culpa: extra chorum vero, ideſt in privata officii recitatione, talis inverſio citra contemptum ſine iuſta cauſſa ſecundum doctores eſt tantum veniale; quia ſemper eſt contra ordinem ab Eccleſia præſcriptum, qui ſervandus eſt quoad ſubſtantiam & quoad modum. Non eſt mortale extra chorum; quia talis recitatio non eſt gravis, quando intra diem naturalem impleatur. Immo ſi adſit iuſta cauſſa, venialis quidem eſt. Nam cum hoc non reſpiciat ſubſtantiam officii, cenſetur ab Ecc-

Ecle-

cleſia permitti; præcipue cum adſit quæcumque rationabilis cauſſa; ut ſi occurrat occaſio commode recitandi Matutinum poſt alias horas; ſi debeas ire ad chorum ad Veſperas, ad Matutinum, non recitatis horis præcedentibus; ſi maior ſtudendi commoditas interveniat, ut ſi hora veſpertina occurrat opportunitas recitandi Matutinum pro altero die, non recitato Matutino huius diei, erit quidem veniale, ſi deſit iuſta cauſſa, numquam tamen ad mortale perveniet.

Ordinem invertere privatim in eadem hora, ut in Matutino perlegere Lectiones ante pſalmos, Laudes ante Matutinum, unum pſalmum ante alios, etiamſi abſque cauſſa fiat, ſecluſo ſcandalo & contemptu, eſt ſolum veniale: quia partes cuiuslibet horæ ſeorſim ſumptæ habent completam ſignificationem, nec una ab alia dependet; cum unum ſint potius per aggregationem quam per continuationem. Quare ſciens memoriter pſalmos, & carens Breviario, ſi ipſi opportunitas occurreret eos recitandi; vel habens Breviarium, non tamen commoditatem recitandi ſimul lectiones, & pſalmos percurrendi; poſſet lectiones, capitula, orationes, & poſtea pſalmos recitare ſine culpa mortali; & ſolum veniale committeret, ſi iuſtam cauſſam non haberet.

Quid circa celebrationem Miſſæ ante Matutinum. Circa celebrationem Miſſæ ante Matutinum, ſecundum alios, eſt defectus iure gravi: idcirco mortalis, ob conſuetudinem & rubricam Miſſalis, quæ contrarium præcipit. Communiter vero oppoſitum ſentiunt, arbitrantes ne veniale quidem eſſe: quia officium Miſſæ & recitationis horarum ſunt res diverſæ. Nihilominus tamen difficillime excuſari pôteſt a veniali qui ſine rationabili cauſſa Miſſam celebrat ante recitatum Matutinum: tum quia Matutinum recitatum non eſt debita hora; tum ob conſuetudinem; tum ob rubricas Miſſalis ſic præcipientis. Sed quia defectus exiſtimatur levis; ſic videtur non pertingere ad mortale.

An poſſit ſeparari Matutinum a Laudibus. Multi cenſent Matutinum ſeparari poſſe a Laudibus, unumque Nocturnum ab alio per duas circiter horas ſine ulla culpa. Sed videtur adverſari contraria conſuetudo, ita ut niſi ex rationabili cauſſa fieri nequeat ſine culpa. Puto tamen, quod hæc diviſio numquam ad mortale pertingat, ductus ſupradicta ratione: quod quælibet pars officii ſeiunctim ab aliis ſumpta habeat completam ſignificationem. Idcirco ad mortale vitandum, ſatis eſt ut intra diem naturalem totum compleatur officium. Verum quidem eſt, & mihi videtur poſſe ex iis inferri, non licere niſi ad breviſſimum tempus, & ex iuſta cauſſa interrumpere pſalmos, lectiones, orationes: alias cenſerem nullam eſſe illam dimidiatam recitationem.

§. VII.

De modo recitandi divinum officium, ideſt de intentione & attentione.

Modus recitandi divinum officium conſiſtit in recitatione ſtudioſa ac devota. Studioſa quidem, ideſt integra, quæ ita ſit ſenſibilis, ut præciſis impedimentis, ſit audibilis a recitante; & perfecta, ſine præcipitantia, contractione, & abſciſſione ſyllabarum: devota vero, ideſt cum intentione, quæ ſe tenet ex parte voluntatis; & cum attentione, quæ ſe tenet ex parte intellectus. Quid circa intentionem. Et quantum attinet ad intentionem, quæ eſt quædam volitio, ſicuti requiritur ad legem omnem adimplendam, ita ad horas perſolvendas, ſcilicet ut intendamus rem facere in his præceptam, vel explicite & formaliter, quæ in præſenti eſt laudandi & orandi Deum; vel implicite & virtualiter, videlicet ſuo muneri ſatisfaciendi: ita ut ſi quis ob ſtudium, vel curioſitatem, vel aliud motivum horas diceret, non ſatisfaceret ſuæ obligationi, niſi haberet intentionem vel explicitam & formalem, vel implicitam & virtualem laudandi & orandi Deum, quam cenſetur habere qui ſolito more aſſumit Breviarium ad illud recitandum. Nec requiritur intentio adimplendi præceptum, dummodo rem præceptam modo dicto intendat apponere: immo præceptum impleret, etiamſi haberet voluntatem expreſſam & poſitivam per talem recitationem non adimplendi, ſi poſtea intra terminum præcepti mutaret animum, & vellet illa recitatione ſuo oneri ſatisfacere.

Attentio duplex. Quod vero ſpectat ad attentionem, notandum, quod hæc duplex eſt: externa & interna. Externa conſiſtit in attentione ad prolationem verborum, ut diſtincte & integre pronuntientur, excludente omnem actionem incompoſſibilem cum attentione interna, & evagationem ſenſuum circa obiecta diſtractiva: attentio interna eſt advertentia mentis ad ſenſum verborum, vel ad Deum aut res divinas.

Quænam attentio ſufficiat. Ad ſatisfaciendum præcepto recitationis horarum canonicarum nihil valet attentio habitualis, nec ſufficit ſola externa ad verba,

ba, ut diſtinƈte & integre proferantur, & quæ excludat omnem aƈtionem incompoſſibilem cum attentione interna, ut ſcribere, pingere, ludere, fabulari, aliaque alia audire: ſed requiritur etiam interna ad Deum ſeu res divinas, vel ad ſenſum verborum, vel ſaltem ad verba ut laudes Dei, orationes, piaſque affeƈtiones continentia; intendendo per illa Deum laudare ac precari, omneſque voluntarias diſtraƈtiones reiiciendo. Et talis attentio non eſt neceſſe ut ſemper aƈtualis ſit & formalis, ſed ſufficit etiam virtualis, quæ eſt attentio ad Deum & res divinas initio orationis habita, & non revocata. Attentio huiuſcemodi requiritur in horis divinis perſolvendis: quia in his præcipitur aƈtus religionis, gratus Deo, & Eccleſiæ proficuus, qui certe ſine attentione aƈtuali vel virtuali ſupra explicata talis eſſe nequit; cum omnis Dei cultus fieri debeat in ſpiritu & veritate, & non ſolo corpore, ut *Io. cap.* IV. habetur, & colligitur etiam ex Concilio Lateranenſi *cap.* Dolentes *de celebr. Miſſar.* Nam licet Eccleſia præcipere nequeat aƈtus mere internos, poteſt tamen præcipere aƈtus internos qui coniunƈti ſunt cum externis; ut eſt oratio vocalis, quæ in horarum canonicarum recitatione exercetur.

Voluntaria diſtraƈtio quando ſit letalis.

Hinc mortaliter delinquit, qui per notabilem officii partem voluntarie diſtrahitur, non aliter ac ſi illam partem omitteret; cum recitatio ſine debita attentione non ſit religioſa recitatio. Similiter ſi recitet in loco diſtraƈtionibus expoſito, v.g. in foro publico, ubi frequens concurſus, rumor, ſtrepitus profanorum hominum, ubi habentur diſputationes: quia eo ipſo quod tenemur ad internam attentionem, tenemur etiam vitare periculum ne ab ipſa diſtrahamur.

Et hoc eſt obſervandum etiam in orationibus non præceptis, nempe ut habeatur attentio interna: alias eſſet ſimulatio cultus & irreverentia notabilis erga Deum; idcirco ipſi iniurioſa. Itidem irreverentia committitur erga Deum, orationem inchoatam ſine cauſſa interrumpendo.

Notandum vero, ad evitandos ſcrupulos, quod non tenemur repetere, quando in recitatione horarum canonicarum alteriuſve orationis involuntarie diſtrahimur.

§. VIII.

De his quæ poſſunt excuſare a recitatione Breviarii.

Quænam infirmitas excuſet.

Certum eſt, gravem infirmitatem, id eſt eam ob quam ſine magno ſalutis corporalis damno, aut dolore, aut vexatione officium recitari nequeat, ab illius recitatione excuſare. Et quando infirmus bona fide hoc videt, non eſt neceſſe ut Medici, Superioris, aut Confeſſarii conſenſum exquirat: quia infirmitas gravis reddit infirmum moraliter impotentem ad tale onus implendum, & ad impoſſibile nemo tenetur; immo non eſt credendum, piam matrem Eccleſiam novam afflictionem velle affliƈtis addere. Et talis infirmitas, quamdiu perdurat, ſubtrahit infirmum a tali obligatione, etiamſi ſua culpa & animo ſe ſubtrahendi a tali onere eam contraxerit, ita ut ſubſequentes omiſſiones non ſint illi imputandæ.

Non excuſat tamen a tali penſo implendo infirmitas levis; puta dolor ſtomachi non nimis vexans, nec dolor capitis non multum vehemens, febris tertiana, quartana, & alia quævis, quæ non affligens maiore diei parte, non impedit aƈtiones ordinarias abſque eo quod morbus graviter augeatur. Idcirco nec ab officio recitando diſpenſare cenſetur: quia huiuſcemodi infirmitates non pariunt moralem impotentiam; & gravis obligatio, ſicuti eſt horarum canonicarum, ſuſpendi nequit niſi gravi cauſſa interveniente.

Nihilominus tamen tria circa hoc advertenda ſunt. Primo, quod levia incommoda in corpore valido, gravia ſunt in imbecilli: & cum benigna mater Eccleſia omnia ſua præcepta ad caritatem ordinet; non eſt credibile velle infirmos ad hoc onus obligare, licet non multum ex recitatione lædantur. Et ſic non ſemper eſt neceſſarium grave damnum; ſed ſufficit, quando infirmus credit perventurum aliquod incommodum ſtomacho, capiti, vel viribus, vel febrim tardius remittendam. Secundo, quod quando infirmitas deſerit infirmum, dum convaleſcit, & vires ſunt imbecilles, poteſt per aliquot dies arbitrio prudentis officium prætermittere: cum convaleſcentia & imbecillitas adhuc reputetur infirmitas; & Eccleſia velit ægris aliquam concedere requiem. Licet autem tempore convaleſcentiæ poſſet quis celebrare, ut minus incommodum; non teneretur tamen officium recitare, ut laborioſius: ſuppoſito ſemper, quando hoc poſſet afferre periculum convaleſcenti alicuius gravis incommodi. Tertio, quod quamvis aliquis febri laborans vel alia infirmitate per notabilem diei partem vacet ordinariis confabulationibus, aut legat etiam aliquem librum ad animi relaxationem;

Digitized by Google

nem; non ob hoc tamen officium recitare tenetur: quia illa confabulatio & lectio non auget, ſed potius morbum alleviat, utpote afferens voluptatem, & non requirens attentionem, ut horarum recitatio, quæ cum magna attentione (ideoque animo & corpori laborioſa) fieri debet.

In dubio vero, num infirmitas ſufficiens ſit ad excuſandum a recitatione officii, ſtandum eſt iudicio medici vel ſuperioris, qui ob iuriſdictionem ſpiritualem poteſt per modum diſpenſationis aliquid remittere; vel illis deficientibus, ſe remittere arbitrio prudentis viri, ſibi perſuadens, quod quando in hac re bona fide proceditur, & cum probabili iudicio excuſationis, nulla contrahitur culpa. Si vero adhuc dubium perſeveret, an talis recitatio poſſit graviter officere; tunc non tenetur, immo non poteſt recitare: quia ius naturale ſuperius fortiuſque eſt, ideoque prævalere debet iuri eccleſiaſtico de recitatione. Si vero tale damnum non timeatur, ſed ſolum dubitetur, an indiſpoſitio ſufficiens ſit ad excuſandum; tunc cum lex ipſa eccleſiaſtica poſſideat, & dubium ſit de exemptione, debet adimpleri. Poteſt tamen tale dubium deponi, ſi non ſit æquale, & plura occurrant quæ faveant excuſationi.

Excuſat occupatio gravis. Excuſat a recitatione Breviarii etiam occupatio, ſi gravis ſit, honeſta, & neceſſaria, quæ commode differri non poteſt ſine ſcandalo aut peccato, aut notabili damno ſui vel proximi: quia eccleſiaſtica præcepta non præſumuntur cum tanto onere obligare, & virtuti caritatis cedere debent, quia pro caritate inſtituta ſunt; & præcepta poſitiva debent moraliter intelligi, & admittunt benignam interpretationem. Quare excuſantur ex hoc titulo qui gravibus negotiis Reipublicæ vel Religionis incumbunt, ut Prædicatores, Confeſſores, Doctores in concurſu cathedræ publicam prælectionem, Scholares publicam diſputationem, non tamen ad oſtentationem, habituri: quando in tali actione vel in neceſſaria ad illam præparatione per totum diem ita eſſe debeant occupati, ut commode recitare nequeant & munus ſuum pro dignitate obire. Similiter excuſantur qui per totum diem detinentur occupati in officio pietatis ſubveniendi proximo ægrotanti, vel gravem dolorem patienti: & idem dicendum de omni alia æquali gravi occupatione, neceſſaria, & honeſta. Econtra vero non excuſaretur qui ſolum per aliquam aut etiam maiorem partem diei detineretur in ſimilibus occupationibus; ut patet ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. quæ ordine eſt 21. ubi de illo qui ordinario ſtudio litterarum occupatur, declarat Pontifex, ipſum non eximi ab officii recitatione.

Notandum, quod ſi occupatio prævideatur, recitatio eſt anteponenda aut poſtponenda, præcipue ſi ſine magno incommodo fieri poſſit. Si vero culpabiliter quis non præveniſſet tempus; urgente occupatione, excuſabitur, ſi negligentiæ pœniteat: quia factus eſt moraliter impotens. Itidem ad hoc ut excuſetur, caveat ne voluntarie ſuſcipiat occupationem quam non habet, incompoſſibilem cum officii recitatione; niſi tamen occurrat aliqua ratio maioris boni, vel gravis neceſſitas ſuadeat ſuſceptionem talis muneris, ut aliter conſuli nequeat. Ex officio autem ea operari cenſentur quæ ad caritatem publicam vel privatam ſpectant: etenim unicuique incumbit quodammodo ex officio ſervire Reipublicæ & proximo in ſpiritualibus & temporalibus indigentiis; & ſuo bono incumbere, cum poſſit.

Cæcus quando eximitur. Impotentia ſimiliter, ut cæcitas, vel oculorum caligo, quæ intrinſeca dicitur, excuſat ab officii divini recitatione; dummodo tamen qui laboraret tali incommodo, neſciat memoriter totum officium, vel partem ipſius, vel adhibita diligentia, pſalmos ſaltem memoriter dicere poſſit, vel ſine magno ſuo incommodo habere ſocium: nam in hiſce caſibus inquantum ſcit & poteſt tenetur. *Quid de ſurdo.* Surdus vero non excuſatur, ſi ſolus dicere poſſit officium; cum poſſit legere, nec ſit neceſtarium ut ſe ipſum audiat. Si autem alias ob aliud impedimentum ſolus recitare nequeat, poſſet tamen cum ſocio; non tenetur: quia ſocium commode non audiret, & non ſine magna vociferatione ille loqueretur, quod grave eſſet inconveniens.

Quando excuſat impotentia extrinſeca. Itidem excuſat impotentia extrinſeca, ſcilicet carentia involuntaria Breviarii, idest quia caſu ab eo ablatum, vel amiſſum, vel domi relictum, dum iter ageret, aut per oblivionem, aut quia putabat ſe alibi reperturum, modo adhibita ſit debita diligentia ut reperiretur; quia tunc impotens eſt ad recitationem: non excuſatur tamen in ea parte quam ſcit memoriter. Si vero carentia ſit voluntaria, vel quia illud quærere aut emere negligit, vel quia in principio navigationis proiecit in mare, vel iter facturus reliquit domi, vel combuſſit prævidens ſe aliud non habiturum, non ſolum peccat ea actione qua ſe Breviario ſpoliavit,

vit, ſed peccat etiam, quamdiu perſiſtit in prava illa deliberatione non recitandi; cum det cauſſam voluntariam omnium ſubſequentium omiſſionum: & ſi eſt beneficiarius, tenetur ad reſtitutionem ob omiſſiones omnes factas; dummodo ante omiſſionem non ſe pœniteat culpæ quam habuit in contrahenda carentia Breviarii. Nam tunc amplius omittendo non peccabit, nec ob omiſſionis ſubſequentis pœnitentiam tenebitur ad reſtitutionem: quia non eſt peccatum omiſſio horarum pro eo tempore quo eſt impotens, & voluntariæ impotentiæ ſe pœnituit. Idem dicendum, ſi quando reliquit Breviarium, non potuit vel non debuit omiſſionem futuram prævidere: quia in tali caſu non eſt illi voluntaria in cauſſa.

Excuſat diſpenſatio. Tandem inculpabilem reddere poteſt horarum divinarum omiſſionem diſpenſatio, quam diſpenſationem in perpetuum elargiri poteſt ſolus ſummus Pontifex; cum tale præceptum ſit de iure humano & eccleſiaſtico. Ad aliquod breve tempus erga ſuos ſubditos in ſacris conſtitutos, necnon beneficiarios diſpenſare poteſt Epiſcopus; & reſpectu ſuorum Religioſorum Prælatus regularis vi ſuorum privilegiorum, quæ citantur a Salmanticenſibus *Tom. IV. tract.* XVI. *cap.* III. *num.* 7. Nam licet in lege ſuperioris inferior non poſſit diſpenſare ſimpliciter, vel ad multum tempus; poteſt tamen ad breve tempus, & pro caſibus frequenter occurrentibus & particularibus, ſicuti diſpenſare poteſt hoc modo in lege ieiunii, & obſervationis feſtorum. Etenim ex benigna interpretatione voluntatis ſuperioris cenſetur talis facultas in inferioribus reperiri ad bonum & ſuave regimen ſubditorum neceſſaria; cum pro caſibus particularibus & frequentibus non ſit facilis recurſus ad ſuperiorem qui legem condidit. Et hæc facultas in dictis caſibus convenit Prælatis ex iure communi, & ex privilegiis quæ præcipue Regularibus etiam quoad recitationem divini officii plura conceſſa fuere a ſummis Pontificibus; & licet uni tali Religioni conceſſa ſint, etiam aliæ per participationem iiſdem gaudent.

Privilegium conceſſum Mendicantibus. Leo X. conceſſit Minoribus, & ſic omnibus Religioſis mendicantibus, ut privatim ſolum mentaliter perſolvendo divinum officium, ſatisfacerent præcepto ipſius recitationis. Nec dici poteſt, tale privilegium, ut vivæ vocis oraculo conceſſum, revocatum fuiſſe cum omnibus aliis huiuſce generis a Gregorio XV. & Urbano VIII. Nam confirmata fuit bulla a S. Pio V. & talis revocatio reſpicit ea ſolum quæ vivæ vocis oraculo conceſſa fuere poſt S. Pium V. Proinde patet, in generali revocatione non fuiſſe abrogatum: quia per bullam huiuſce Pontificis factum fuit privilegium bullatum, nec amplius dici poteſt vivæ vocis oraculum.

Conceſſio facta Theatinis. Clemens VII. conceſſit PP. Theatinis, ut occupati in prædicatione in confeſſionibus audiendis, in lectionibus ſacræ Theologiæ aut ſacrorum canonum, in frequenti ſtudio, in cura animarum, aut infirmorum ſervitio, ſint diſpenſati ab officii recitatione. Nec poteſt hoc intelligi de occupatione quæ illos per totum integrum diem neceſſario detineat; cum in tali caſu ſint per ſe excuſabiles in omiſſione divini officii ſine ullo privilegio, ut iam dictum fuit; ſed ſufficit ut talia exercitia illos teneant tali modo occupatos, ut non ſit compoſſibilis divini officii recitatio.

Quid pariter conceſſum Minoribus. Leo X. pariter vivæ vocis oraculo conceſſit Minoribus, quod recitantes cum male pronuntiantibus aut ſenibus, ita ut diſtincti non intelligant, vel ob diſtantiam loci, ſtrepitum, vel aliam quamcumque cauſſam non bene audientes, non teneantur repetere quod non intellexerunt, vel non audierunt, ita ut præſertim in choro ſuæ ſatisfaciant obligationi. Ita ſi ob defectum viſus aut auditus aliquid horarum omittant, ſatiſfaciunt dicendo in fine aliquod pſalmum horarum, vel Pater noſter & Ave Maria. Et ſimiliter ſi privatim non bene recitent, ideſt non integra verba per imperitiam, negligentiam, defectum linguæ, vel cum animi diſtractione, dummodo non fiat cum malitia, ideſt plena advertentia; ſatiſfaciunt præcepto.

Defectus in recitatione quomodo remittuntur. Denique Leo X. conceſſit omnibus tam clericis, quam regularibus divinum officium recitantibus ex obligatione, remiſſionem omnium defectuum & culparum quæ ex humana fragilitate contraxerunt in recitatione divini officii, ſi dicant devote orationem *Sacroſanctæ ac individuæ Trinitati* cum ſuis verſiculis. Sed recitatio huiuſce orationis debet eſſe coniuncta cum divino officio: ideſt immediate poſt. Hoc tamen non requiritur in caſu quo quis uti vellet conſimili privilegio conceſſo a Gregorio XV. recitando pſalmum *Laudate Dominum*: quia, ut ex privilegio, per talem pſalmum ſupplentur omnes defectus inadvertentiæ commiſſi in recitatione divini officii & Miſſæ, & in aliis ſpiritualibus operibus eo die peractis; ideoque recitandus eſt in fine diei.

Sed

Sed notandum cum Bordon, quod ad obtinendam talem remiſſionem tria requirantur. Primo, quod defectus ſint veniales tantum, non mortales; cum talis oratio & pſalmus non poſſint neque per Papæ conceſſionem remittere mortalia. Secundo, quod volens tale beneficium obtinere, non ſit in culpa mottali: ideoque per confeſſionem vel contritionem in gratia ſe continere debet; nam venialia non remittuntur, remanentibus mortalibus. Tandem, quod licet non ſit conſcius peccati mortalis, ſe diſponat per actum amoris Dei, contritionis ſcilicet, vel ſaltem attritionis, quæ ſufficiens eſt ad delendum veniale. Nam prædicta oratio remittit peccatum veniale per modum ſacramentalis, non per modum indulgentiæ, quæ ſola habet remittete non culpam, ſed pœnam contractam per culpam quæ iam ſit per pœnitentiam remiſſa: & ſacramentalia non remittunt culpam ex opere operato, ſed ex opere opetantis.

§. IX.

De iis qui legitime percipere poſſunt quotidianas diſtributiones impartiri ſolitas in Cathedralibus & Collegiatis choro inſervientibus.

Quinam poſſint percipere diſtributiones.

Certum eſt, quod cum diſtributiones, ſcilicet proventus illi quos quotidie acquirunt præbendati ob chori intereſſentiam, ordinatæ ſint ab Eccleſia, & præcipue ab ultimo generali Concilio Tridentino, ad excitandam ignaviam beneficiariorum, ut quotidie horis omnibus adeſſent, & muneri ſuo ſecundum ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem, ideſt recitando, vel canendo, ſatisfacerent; has legitime percipere nequeunt, quotieſcumque ſine legitima cauſſa vel pluribus diebus choro non interſuerint, vel munus ſuum iuxta conſuetudinem ac decentiam non impleverint: & letaliter etiam delinquunt, ac ad reſtitutionem tenentur, ſi percipiant; quidquid aliqui in contrarium ſentiant. Et patet ex gravibus pœnis excommunicationis ac ſuſpenſionis quas ſacri canones ſtatuerunt contra talibus obligationibus deficientes, quæ pœnæ nonniſi ob culpam letalem infliguntur. Nam *cap.* Si qnis Presbyter lxxxı. *diſt.* & *cap.* Dolentes *de celebr. Miſſar.* mandatur excommunicari & ſuſpendi clericus publice non recitans; pœna depoſitionis dicitur afficiendus clericus abſens ab officiis celebratis in Eccleſia in qua reſidet; ſub eadem pœna ne ttanſcurrendo, mutilando, aut ſyncopando horas in Eccleſia recitet, præcipitur; & gravius etiam reprehenduntur tarde ad chorum accedentes, vel ante officium expletum exeuntes, vel ibi conſabulantes: quæ omnia, ut per ſe conſtat, gravem ſupponunt obligationem. Et ſane beneficiarii non ſolum tenentur choro intereſſe ob diſtributionem acceptandam; ſed multo magis ex primaria inſtitutione beneficii, quod inſtitutum eſt & confertur ut officia divina publice in utilitatem populi & cum devotione celebrentur: & mortaliter delinquit ille qui prætermittit ea ad quæ ex proprio munere tenetur. Verum tamen eſt, quod ex conſuetudine benigne interpretata ac introducta excuſatur a gravi culpa qui per tres aut quatuor dies choro non aſſiſteret: quia talis obligatio non eſt ita ſtricta, ſicuti privata recitatio, cui nec unus dies conceditur. Quare qui ultra hos dies choro non intereſſet, peccaret mortaliter, licet cederet diſtributionibus.

Canonici tenentur recitare & canere in choro.

Canonici, præbendati, aliique beneficiarii, ut iuſte in conſcientia recipere poſſint diſtributiones, non tantum choro aſſiſtere debent, ſed etiam recitare ac canere, non ſolum quando alias officium cum decenti ſolemnitate non celebraretur: quia hoc etiam ex officio eis incumbit, nempe tum eſſe præſentes in choro, & inſervire in divinis laudibus decantandis; cum clerici Eccleſiæ deputentur ut ad ipſam accedant ad divinum officium recitandum. Non tenentur tamen omnes, & præcipue Canonici, quando cantantur horæ in cantu qui dicitur figuratus, qui tametſi honeſtus, non tamen eſt neceſſarius: idcirco tunc ſufficit ut tantum aſſiſtant.

In hoc vero caſu, & in Eccleſiis ubi prætenditur potuiſſe introduci conſuetudinem ut Canonici nec tecitent, nec cantent, ſed utrumque per Capellanos alioſque deputatos ſuppleant, abſque eo quod nulla intercedat indecentia, immo maius canonicalis dignitatis ipſiuſque Eccleſiæ decus, dummodo tamen aſſiſtentiam præſtent, a qua nulla prorſus ratione eximi queunt: neceſſe eſt ut hæc ſit humano modo cedente in Dei cultum, ideſt ſine ulla diſtractione nec interiore mentis, nec exteriore corporis, legendo, dormiendo, confabulando; ſed cum debita devotione & exteriore reverentia, ut per hanc ſaltem honorem Deo reddant & populo ædificationem. Alias non poſſent dici moraliter & humano modo præſentes præſentia cedente in Dei cultum; ideoque non ſatisfacerent ſuæ obligationi: quia ſe haberent tamquam abſentes, ac proinde diſtributionum incapaces.

Pœnæ quibus ſubduntur Canonici choro non aſſiſtentes.

Pœna ſub qua Canonici aliique beneficiarii choro addicti tenentur choro aſſiſtere, prima eſt ut ipſo facto ante ullam iudicis ſententiam diſtributionibus quotidianis priventur. Ita Bonifacius VIII. *cap. unic. de cleric. non reſident.* in 6. & Tridentina Synodus *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. *de reform.* Nam qui rei dominium acquirere nequit; nec eam ſuam facere, nec illam retinere poteſt. Secunda vero, quod præter dictam privationem diſtributionum, ut ex Tridentino *loc. cit.* colligitur, præbendati, omneſque alii huiuſce generis beneficiarii qui ultra tempus a iure permiſſum non interſunt, pro prima vice priventur dimidia parte fructuum beneficii; & ſi in tali negligentia perſeverent, privandi ſint fructibus omnibus beneficii; & ſi in contumacia perſiſtant, beneficio ipſo ſpoliandi ſint. Hæc tamen privatio non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ: ideſt fieri debet per iudicis ſententiam; niſi aliquo in loco ſit conſuetudo ut ipſo facto exſpolientur. Fructus beneficii ſunt annui reditus beneficiario ob beneficii titulum conceſſi, ad quorum acquiſitionem chori aſſiſtentia pariter requiritur; non tamen ita ſtricta, ſicuti pro quotidianis diſtributionibus.

Diſtributiones quibus applicandæ.

Hæ vero diſtributiones, quæ retinentur iis qui chori aſſiſtentiæ deſunt, aliæ ſunt ordinariæ portiones, quibus privantur ii qui choro non interveniunt. Et hæ accreſcunt aliis intereſſentibus, inter quos ſunt dividendæ: niſi tamen lex, ſtatutum, aut conſuetudo ſit alicuius Eccleſiæ, ut tales diſtributiones applicentur fabricæ vel alicui pio operi (Tridentinum *ſeſſ.* XXI. *cap.* III. *&* *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XI. *de reform.*) quia cum præſentes propter aliorum abſentiam plus laborent, per diſtributionem abſentium merito maiorem accipiunt mercedem. Aliæ ſunt extraordinariæ, quæ de reditibus alicuius dignitatis ſunt conſtitutæ, ut illas lucretur is cuius eſt dignitas, ut ſic ad aſſiſtentiam chori excitetur. Et iſtæ non aliis, ſed fabricæ vel alii pio operi arbitrio Ordinarii ſunt applicandæ, iuxta Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *cap.* III. & varias Cardinalium declarationes. Aliæ ſunt retentæ ob aliam cauſſam præter abſentiam a choro, ut puta ob ſententiam alterius criminis condemnatoriam, vel ob excommunicationem, interdictum, vel ob aliud impedimentum præbendati. Et hæ pariter non intereſſentibus; ſed Eccleſiæ, ſi indigeat, vel alteri pio loco ſunt applicandæ.

Quid de diſtributionibus quæ ob abſentiam accreſcūt præſentibus.

Abſentes ob legitimam cauſſam, tametſi poſſint licite percipere diſtributiones quæ intereſſentibus dantur, ac ſi eſſent præſentes; non tamen poſſunt iuſte participare de iis quæ ob aliquorum abſentiam accreſcunt præſentibus: quia circa hoc nullum ius datur, & ius canonicum ac Tridentinum Concilium ſolum dicunt legitime abſentes lucrari diſtributiones quæ illis præſentibus convenirent; niſi tamen, conſuetudine legitime præſcripta, oppoſitum habeatur, ſine qua ne præſentes quidem quibus tales competunt diſtributiones, poſſunt licite eiſdem eas remittere, ac ſuper eas tranſigere, ex decreto Concilii Tridentini prohibentis ac excludentis omnem remiſſionem & colluſionem talium diſtributionum. Poſſunt vero licite & valide donari, ſi omnino gratioſe & libere fiat, ab iis qui eas iam poſſident, ideſt cum a capitulo diſtributæ ſunt & intereſſentibus aſſignatæ: cum antea nemo ius habeat in illas, ſed tantum ad illas. Concilium enim nil loquitur de donatione, ſed ſolummodo de remiſſione & colluſione; & quiſque moderator eſt bonorum ſuorum & arbiter. Quilibet vero poteſt ſuas diſtributiones in dubio ſibi debitas tranſigere: nam talis tranſactio nullibi eſt vetita; quin potius utilis ad evitandas lites pacemque ſervandam. Quod ſi ex oppoſito certe ſibi deberentur; tunc non habet locum tranſactio, ſed ſola remiſſio, quæ a ſolo Capitulo licite & valide fieri poteſt, ſecus vero a præbendatis intereſſentibus. Si autem omnes præbendati abſint vel ob negligentiam, vel ob interdictum latum contra ipſum Capitulum; tales diſtributiones ſunt applicandæ Eccleſiæ quæ debito cultu eſt defraudata, non vero præbendatis, ne commodum ex ſuo delicto reportent: ſi vero inculpabiliter fuiſſent abſentes, vel quia infirmi, vel quia Eccleſia diruta eſt, vel quia iniuſte interdicti; ipſis ſine culpa abſentibus ſunt applicandæ. Salmanticenſes.

§. X.

De cauſſis excuſantibus præbendatum a choro, ut abſens lucrari poſſit diſtributiones.

Tres cauſſæ excuſantes a choro præbendatū.

TRes ſunt cauſſæ aſſignatæ a Bonifacio VIII. *cap. unic. de cleric. non reſident.* ob quas poſſunt Canonici choro non intereſſe, & nihilominus diſtributiones percipere: ideſt infirmitas, iuſta & rationabilis neceſſitas, evidens Eccleſiæ utilitas. Et nullum aliud impedimentum licet legitimum poteſt reddere aptum clericum in ſua abſentia a choro ad participandas diſtributiones.

In-

Infirmitas gravis.

Infirmitas vero non levis quæ excuſare nequit a gravi obligatione, ut eſt choro intereſſe, ſed ita gravis, ut hac laborans nequeat choro adeſſe, nedum reddit hunc aptum ut licite lucretur fructus beneficii, ſed etiam quotidianas diſtributiones. Eſt communis doctorum juxta *decret. cit.* Bonifacii VIII. Quæ autem infirmitas gravis vel levis ſit iudicanda, ſi extra iudicium res agatur, ſtandum eſt arbitrio prudentis & periti Medici. *Cap.* Fraternitatis *de frigid. & maleficiat.* At ſi res in iudicio agatur, ſtandum eſt arbitrio Prælati vel iudicis, qui ex conſilio Medicorum id iudicare debet. Cum autem aliquando morbo in ſe levi poſſit grave incrementum imminere, accedendo ad chorum, quod ob privatam officii recitationem non timeretur; in tali caſu excuſatus erit ac ſi gravi morbo laboraret. Et circa hoc notandum, quod cum privilegium ſupradictum Bonifacii VIII. ſe extendat ad omnes infirmos indiſcriminatim, neminem excludendo; hinc eodem frui debeant etiam ii qui ſua cauſſa infirmantur: & merito. Nam alias magnis litibus aditus aperiretur, ſi inveſtigandum foret, num ſua cauſſa facti fuiſſent infirmi. Itidem notandum, quod ſecundum doctores, ad hoc ut Canonicus ſive præbendatus graviter infirmus poſſit licite percipere diſtributiones, neceſſe eſt ut infirmitas ſola cauſſa ſit, quare choro non interveniat: ita ut ſi infirmetur in loco adeo diſtanti a ſua reſidentia, ut etiam ſanus non interveniret, vel ante infirmitatem aſſuetus non fuiſſet frequentare chorum, vel ſaltem non ad omnes horas (dummodo tamen in infirmitate non mutaret propoſitum, ideſt quod ſi ſanitatem recuperet, velit choro intervenire) non poſſet licite percipere diſtributiones, iuxta *cit. Privileg.* Bonifacii VIII. De ſurdis vero & cæcis aliqui ſentiunt, quod cenſendi ſint ut infirmi ex *leg.* 1. *cod. Qui morbus excuſat l.* x. Alii vero contrarium tenent, ſi ſaltem non interſint, cum eorum præſentia, quæ eſt principalis obligatio præbendati, ſit maxima, ubi ſola præſentia requiritur ad auctoritatem.

Neceſſitas iuſta & rationabilis.

Iuſta & rationabilis neceſſitas, quamdiu perdurat, excuſat ab aſſiſtentia in choro, & ut licite percipi poſſint quotidianæ diſtributiones: ut in *cit. cap. unic. de cleric. non reſident. in* 6. Huiuſcemodi vero neceſſitas ab omnibus ſtatuitur, quando ex aſſiſtentia in choro imminet grave damnum & periculum ſalutis, honoris, aut fortunæ: quod ſi non evidenter appareat, ſtandum eſt iudicio prudentum & peritorum. Si autem præbendatus ſit in neceſſitate qua impediatur choro adeſſe, puta ob carcerem, exilium, excommunicationem, vel quia timet ne in carcerem coniiciatur, vel exulare cogatur, & huic impedimento cauſſam dederit; certum eſt, non poſſe lucrari diſtributiones: quia tunc non cenſetur abeſſe ob neceſſitatem, ſed ob eius malitiam. Poteſt quidem ſi ſine ſua culpa iniuſte hanc patiatur neceſſitatem, tametſi iudex ſecundum allegata & probata iuſte ſententiam tulerit: quia neceſſitate a qua ſe liberare nequit, impeditur ab aſſiſtentia. Immo ſi dum verſatur in tali impedimento iniuſto, applicarentur diſtributiones ipſi ſpectantes, etiam in caſu quo habitus fuit iuſte excommunicatus excommunicatione ne qua ipſo facto privabatur diſtributionibus & fructibus; quando appareat iniuſte fuiſſe excommunicatum, repetere illas poteſt: quia non poteſt fieri talis applicatio niſi ob iuſtam excommunicationem, qua non ſtante, nulla fuit applicatio. Si non poſſit eas recuperare ab iis quibus fuerant applicatæ; repetere poteſt ab ipſo iudice qui eum iniuſte excommunicavit, cum damnis omnibus & expenſis, quas ob talem iniuſtam ſententiam paſſus fuiſſet.

Evidens Eccleſiæ utilitas.

Evidens utilitas Eccleſiæ, non vero dubia, niſi conſuetudo oppoſitum habeat, reddit abſentem tamquam præſentem, ut lucretur diſtributiones, ſicut in *cap. unic. de cleric. non reſident. in* 6. Et hæc utilitas debet eſſe propriæ Eccleſiæ, non alienæ, cuius ſunt diſtributiones lucrandæ: niſi tamen agatur de Eccleſia univerſali; quia bonum commune eſt excellentius particulari, & utilitas communis cenſetur utilitas propriæ Eccleſiæ. Circa vero utilitatem Eccleſiæ, ſi talis ſit, ſtandum eſt iudicio prudentum: & talis etiam videtur, quando deſignatus fuit a Capitulo propter negotium quod utile Eccleſiæ iudicatum fuit. Ad hoc tamen ut ſic abſens lucretur diſtributiones debitas intereſſentibus, neceſſe eſt ut exiſtat in eadem urbe, licet choro non aſſiſtat: ita ut ſi alio pergat, etiam ad ſanctam Sedem, non poſſit illas lucrari, ſed ſolum fructus beneficii. *Cap.* Cum non deceat *de cler. in* 6.

Lucratur tamen diſtributiones, ſi quis mittitur a proprio Epiſcopo, non alieno, ad viſitanda ipſius nomine limina Apoſtolorum; vel tali cauſſa ipſum comitetur: quia cenſetur agere negotium ſuæ Eccleſiæ, inſtruendo Pontificem de eius ſtatu. Nam ita conceſſum eſt a Sixto V. *Conſtitut.* XVII. & variis Cardinalium declarationibus relatis a Garzia & Barboſa. Si mittatur a Capitulo

ut Legatus ad Pontificem vel Principem ad gratulandum de aliquo felici eventu, vel dolendum de infelici; quando tales legationes ſint in uſu: cum id cedat in utilitatem Eccleſiæ. Si a Capitulo mittatur tamquam Theologus, vel Canoniſta, vel Procurator ad Concilium generale vel provinciale; cum talis abſentia ſit in decorem & utilitatem Eccleſiæ. Item ſi a Capitulo ſit aſſignatus ad ſumendam rationem redituum & bonorum Eccleſiæ, ad exercendam aliquam iuriſdictionem Eccleſiæ adnexam. Si eligatur, Sede vacante, Vicarius ſeu proviſor ſuæ Eccleſiæ, & abſit cauſſa exercendi ſui officiis. Nam in omnibus hiſce caſibus abeſt ob Eccleſiæ utilitatem, adeoque poteſt diſtributiones lucrari. Secus vero dicendum, ſi Canonicus eligatur Vicarius ab Epiſcopo: quia tunc deſervit potius Epiſcopo quam ſuæ Eccleſiæ.

Item diſtributiones abſens lucratur, tametſi ſit etiam Canonicus, qui habet præbendam cui eſt adnexa cura animarum, dum occupatur in ſacramentorum adminiſtratione, vel aliis exercendis quæ curam reſpiciunt animarum: cum utile ſit Eccleſiæ, ut curæ animarum provideatur. Ita conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* XXII. *cap.* III. Si abſit ob iura Capituli vel Eccleſiæ defendenda, licet ſalarium conſequatur; cum hoc non detur ſub tali conditione: itidem ſi pro defendendis iuribus ſui beneficii; quia hoc in Eccleſiæ cedit utilitatem. Quod ſi aliquis tempore officii ſe occupat in negotiis cedentibus in utilitatem Eccleſiæ, quando extra tempus officii recte ea expedire poterat tempus præveniendo, vel etiam expedire poterat tempore officii, ante expedivit, vel ad aliud tempus remiſit; non excuſatur eius abſentia: ideoque licet eius occupatio fuerit in utilitatem Eccleſiæ, non poteſt computari tamquam præſens, nec lucrari poteſt diſtributiones quæ ipſi erant debitæ, ſi choro adſuiſſet; ſicuti non excuſatur pœnitentiarius ab horarum aſſiſtentia ob confeſſiones extra illarum tempus auditas.

Abſens ab Eccleſia pro negotiis eius expediendis tanto tempore percipere poteſt diſtributiones, quantum iudicio prudentum requiri potuit pro itinere, eundo & redeundo, negotiiſque expediendis. Tenetur tamen eam adhibere diligentiam & ſollicitudinem quam adhiberet in propriis negotiis, & quam quilibet prudens & timoratus in ſimilibus haberet: alias ſecurus non eſſet in conſcientia, nec diſtributiones illi deberentur. Et ſi celerius quam obligatus erat, iter peragat, & negotium expediat; non poteſt illis diebus quos inſumere poterat in itinere vel negotio perficiendo, abeſſe ab Eccleſia: quia tunc revera non eſt occupatus in utilitatem Eccleſiæ.

§. XI.

De aliis qui ob utilitatem Eccleſiæ a choro abeſſe poſſunt, & quando in tali ſua abſentia percipere poſſint diſtributiones.

Canonici dum capitulis interſunt, cenſentur præſentes.

Cum Canonici aliique ratione beneficii quod poſſident, teneantur in conſcientia, præcipue extra tempus vacationis, quando iam ſunt diſpenſati a reſidentia, capitulis intereſſe; hinc ſi ob talem cauſſam abſint a choro, cenſendi ſunt ut præſentes & diſtributionum capaces. Notandum tamen, quod capitula non ſunt congreganda tempore quo celebratur divinum officium, præcipue Miſſa maior, niſi forte aliqua adſit urgens & evidens Eccleſiæ utilitas (quod raro continget) quia prius vacandum eſt ipſo Dei ſervitio & divino cultui, quam negotiis temporalibus, quæ difficillime pati poſſunt tantam neceſſitatem, ut ad aliud tempus differri nequeant, ita ut primaria omitti debeat obligatio, quæ eſt chori aſſiſtentia. Unde abuſus graviſſimus cenſenda eſt conſuetudo illarum Eccleſiarum, in quibus paſſim congregantur capitula tempore divinorum officiorum, prætextu fictæ neceſſitatis. Et contra talem abuſum habetur Conſtitutio Clementis VIII. in ſuo Breviario, & plurium Conciliorum provincialium, necnon ſacræ Congregationis decreta, quæ citantur a Garzia *Part. III. cap.* XII. *num.* 556 & communiter etiam idipſum ſentiunt doctores.

Necnon pœnitentiarius, dum audit confeſſiones.

Pœnitentiarius & pœnitentiarii loco ſubrogatus ob eius abſentiam, infirmitatem, vel mortem, dum muneribus huiuſce beneficii ſatisfaciunt, ſive confeſſiones audiendo, ſive pœnitentes expectando, ſive cum ipſis morando in exhortationibus, conſiliis, inſtructionibus, in conſolandis eorum afflictionibus, reputantur tamquam choro præſentes; idcirco capaces ut diſtributiones lucrentur: quia hoc cedit in ſplendorem Eccleſiæ, & utilitatem fidelium, ut ſic facilius hoc ſacramentum frequentent. Et favet diſpoſitio ſacræ Congregationis apud Barboſam in *remiſſ. Concil. ſeſs.* XXIV. *cap.* VIII. *de reformat.* Non tamen excuſantur pœnitentiarii, & qui eorum officio ſubrogatur, ob confeſſionem auditam extra illud tempus; vel audiendam: cum vere tempore di-

vino-

vinorum officiorum occupatus non ſit; ſed fuit, vel erit. Confeſſarii vero qui ob ſolam eorum devotionem in audiendis confeſſionibus occupantur, cenſeri non poſſunt ut choro præſentes, nec lucrantur diſtributiones: quia licet in utilitatem populi cedat eorum miniſterium ſic ſumptum; regulariter tamen cedit in damnum Eccleſiæ & diminutionem divini cultus.

Item Canonicus magiſtralis & lectoralis.

Canonicus magiſtralis & lectoralis, dum in propria Eccleſia concionatur vel legit, habetur ut præſens, & lucratur diſtributiones: quia exequitur miniſterium ſuæ præbendæ, quod cedit in Eccleſiæ utilitatem. Immo ex conceſſione Gregorii XIII. & Cardinalium declaratione, horis omnibus illius diei in quo legit, licet abſens, ut præſens reputatur ob actionem quam exercet valde laborioſam & requirentem magnam præparationem. Cum autem in aliquibus Eccleſiis ſit conſuetudo ut non ſolum die quo concionatur, reputetur præſens, ſed per octo præcedentes dies, utpote neceſſarios ad hoc ut ſe præparet ſine tanta defatigatione; videndum num conſuetudo hiſce diebus ſe extendat ad lucrandas etiam diſtributiones, an ſolos fructus beneficii. Certum tamen eſt, quod cum conceſſio illis diebus ſit alligata, ſi hiſce aſſiſtat, non poteſt ipſa frui aliis diebus: ſicuti qui privilegium haberet certis ſtatutis diebus non ieiunandi, non poterit privilegio uti, licet ſtatutis diebus eo non fuiſſet uſus.

Quid de aliis occupatis in ſervitium Epiſcopi vel Eccleſiarum.

Vicarius Epiſcopi, eiuſque familiares, examinatores ſynodales, viſitatores diœceſis, & conſtituti ab Epiſcopo viſitatores Hoſpitalium Monaſteriorumque, necnon duo illi Canonici qui ex iure deputari poſſunt ab Epiſcopo in ſui ſervitium, quamdiu occupati ſunt hiſce miniſteriis, non cenſentur tamquam choro præſentes quoad lucrandas diſtributiones, ſed ſolum in ordine ad fructus beneficii ſeu præbendæ licite percipiendos: quia tunc non ſunt occupati in utilitatem ſuæ Eccleſiæ, ſed Epiſcopi, vel aliarum Eccleſiarum; ideoque percipere non debent ſtipendium a ſua Eccleſia, niſi ex conſuetudine vel privilegio oppoſitum habeatur. Poſſent tamen licite etiam in his caſibus percipere diſtributiones, deducta tertia parte, ſi forte eorum præbenda non haberet alios fructus niſi quotidianas diſtributiones: alias eorum privilegium pro legitima abſentia a choro in talibus circumſtantiis eſſet inutile. Nomine vero Epiſcopi intelligitur quicumque alius habens iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, ut eſt Caput, Abbas, & Prior alicuius Eccleſiæ Collegiatæ.

Quid de abſentibus ſtudiorum cauſſa.

Docentes & ſtudentes in Academiis ſeu publica Univerſitate Theologiam, Ius canonicum, ac eas artes quæ neceſſario ad illas diſponunt, ut ſunt Logica & Philoſophia, in eorum abſentia a choro pro tali occupatione lucrantur fructus beneficii; non vero diſtributiones: quia ita habetur in *cap.* Licet *de præbend.* & in privilegiis Eugenii IV. quibuſdam Univerſitatibus Hiſpaniæ, necnon in pluribus declarationibus ſacræ Congregationis.

Advertendum tamen, quod ad hoc ut privilegiatus fruatur huiuſcemodi privilegio, neceſſe eſt ut ſtudium aut lectio fiat non in quocumque Collegio vel loco, ubi illæ ſcientiæ & artes leguntur, ut ſunt Cathedrales, Conventus, aliæque huiuſce generis Scholæ; ſed in ſtudio generali erecto ac inſtituto a ſummo Pontifice & a Principe ſupremo. Et ibi docentes gaudent tali privilegio, licet non habeant ſtipendium & cathedram, dummodo licentiam habeant a Clauſtro, nempe Collegio doctorum; alias inanes & infructuoſi magiſtri excuſarentur a reſidentia in ſuis Eccleſiis, & in participatione fructuum ſui beneficii: quia ſolum ſupradicto modo docentes cenſentur in utilitatem univerſalis Eccleſiæ. Ut docentes in dictis Academiis fruantur ſupradictis privilegiis, non requiritur licentia Ordinarii; nec ullam habent in iure temporis limitationem: quod non valet pro ſtudentibus, qui niſi deſignationem habeant & licentiam ab Univerſitate, eam petere debent ab Ordinario; & tempus iis limitatur pro Iure canonico ad quinquennium, & pro Theologia ad ſeptennium. Nam hæc pro ſtudio Philoſophiæ quod præmitti debet, ac pro ſe ipſa plus temporis requirit quam Ius canonicum. Et hoc habetur in *cap. final. de Magiſt.* & in *cap.* Cum eo *de elect. in 6.*

Parochi vero, quidquid aliqui in contrarium ſentiant, probabilius eſt (poſt Concilii Tridentini decretum, prohibens Epiſcopis ne concedant ut Parochi abſint a propria parochia niſi ex gravi cauſſa) quod non poſſint abeſſe a propria parochia ut doceant vel ſtudeant in ſupradictis Academiis. Quia ſi loquamur de ſtudio, in Parochis non poteſt ſupponi talis neceſſitas; cum ad beneficium non admittantur, niſi prius iudicati ſint a tribus examinatoribus habere ſufficientem ſcientiam, pro cuius acquiſitione conceditur aliis beneficiariis ſupradicto tempore abſentia a ſuis Eccleſiis. Et ſi ſe-

cundum ſententiam probabilem poſſent Parochi abeſſe a ſua Eccleſia ut ſtudiis vacent, deberent toto tempore ſuæ abſentiæ Vicarium ſuo loco conſtituere; ad quod non tenentur Canonici aliique beneficiarii quibus non eſt adnexa cura animarum.

§. XII.

De privilegio ſeu diſpenſatione choro non interveniendi, & de ſenſu quo accipi debet.

Solus ſummus Pontifex elargiri poteſt alicui præbendato privilegium & diſpenſationem in perpetuum, ut divinis officiis non aſſiſtens lucretur tum fructus beneficii, tum diſtributiones: cum hoc ſolum habeatur in iure poſitivo.

Epiſcopus, interveniente iuſta cauſſa, poteſt ad breve tempus diſpenſare cum aliquo beneficiario, ut non reſideat, & tamen fructus beneficii percipiat: v. g. in defenſionem iuris ſibi in beneficio competentis, ad viſitandos parentes quos longo tempore non vidit, vel ut eos conſoletur in gravi afflictione, & ob alias ſimiles cauſſas, quæ iuſtæ reputantur & rationabiles, licet non ſint ex iis in iure expreſſis. Etenim ob tales cauſſas ſolent Epiſcopi Parochos ad breve tempus diſpenſare, ut a loco beneficii abſint, & fructus beneficii percipiant: & Parochi reſidentia eſt multo aliis ſtrictior, & magis eos obligat quam Canonicos.

Privilegium hoc ſtrictiſſime interpretandum.

Privilegium quodcumque, non inſertum in iure, a ſummo Pontifice beneficiario conceſſum ut abſens a choro percipere poſſit fructus beneficii & diſtributiones, ſtrictiſſime eſt interpretandum, ſalva verborum proprietate: quia affert diminutionem divini cultus, derogat iuri communi de reſidentia, & eſt in præiudicium eorum qui interſunt, quibus abſentium diſtributiones accreſcunt. Ita communiter doctores. Hinc ſi privilegium dicat de fructibus, non eſt intelligendum de diſtributionibus, niſi alios fructus non haberet beneficiarius præter diſtributiones: alias privilegium eſſet inutile. Similiter privilegium conceſſum a iure percipiendi in abſentia diſtributiones quotidianas ob aliquam ex ſupradictis cauſſis, ſecundum multos intelligi non debet de diſtributionibus quas *minutas* vocant, quæ ob anniverſaria dantur, niſi clare id exponat Pontifex: quia opponitur intentioni defunctorum, qui ſolis præſentibus illas reliquerunt. Unde inferunt, non poſſe circa hoc introduci conſuetudinem; cum ſit contra ius naturale. Alii tamen contrarium docent; cum ipſis perſuaſum ſit fundatores voluiſſe iuri communi ſe conformare: idcirco, inquiunt, diſtribuendæ ſunt inter præſentes reipſa, & eos qui ex fictione iuris præſentes moraliter reputantur.

Tridentinum concedit tres menſes pro abſentia.

Tridentina Synodus conceſſit præbendatis privilegium ut tribus menſibus poſſint abeſſe. Et hoc intelligitur, etiamſi nulla ſit alia cauſſa quam animi levamentum: nec ad utendum tali privilegio requiritur Ordinarii licentia; cum illam Concilium non requirat. Poteſt tamen Epiſcopus, ſi videat ob talem abſentiam minui divinum cultum, impedire ne abſint: & obedire tenentur. Et hos tres menſes, ideſt nonaginta dies plus vel minus, poſſunt ſibi eligere pro abſentia & continue, & interpolate; nec propter hoc magis gravaretur eorum conſcientia, ſi in vitiis etiam & ludis hoſce conſumerent: niſi tamen, ego dicerem, ad hunc finem abeſſent. Ex decreto tamen ſacræ Congregationis citatæ a Barboſa cavere debet Ordinarius ne eligant præbendati pro vacationibus dies ſolemnes Paſcharis aliarumque ſimilium ſolemnitatum: nec hoc, ut dicunt aliqui, ſervandum ſolummodo eſt ob decentiam, ſed etiam propter obligationem; utpote conſonum piæ intentioni Synodi Tridentinæ. Ceterum ex declaratione ſacræ Congregationis non poſſunt computari pro vacationibus a Concilio conceſſis horæ quibus Canonici reſidentes abſunt, ut ex pluribus horis dies, & ex tot diebus ſic collectis tres menſes conficiantur.

Supradictum privilegium conceſſum fuit a Concilio Tridentino pro iis ſolum qui integro anno ſolent reſidere. Quare qui in medio anno poſſeſſionem recepit, non poteſt habere vacationem, niſi menſis unius cum dimidio: quia cum ſolum ad medietatem anni debeat reſidere, gaudere non poteſt niſi medio privilegio.

Tribus menſibus abſentiæ pro vacationibus ſtatutis a Concilio probabilius eſt præbendatos non poſſe percipere cum fructibus beneficii etiam diſtributiones; niſi talis præbenda non haberet alios fructus, niſi diſtributiones. Nam quotidianæ diſtributiones conceduntur ſolum abſentiæ in iure expreſſæ, ideſt ob infirmitatem, neceſſitatem, evidentem Eccleſiæ utilitatem. Præterquam quod relaxatio facta a Tridentino præbendatis trium menſium in anno a reſidentia, ſi ſpectentur circumſtantiæ illorum temporum, quando gravis abuſus contra obligationem reſidendi invaluerat inter beneficiarios, fuit potius prudens tolerantia quam gratioſa conceſſio, vel, ut melius dicam,

cau-

cautio quædam, qua de cetero vetitum erat ne ultra tres menſes abeſſe poſſent præbendati a ſuis Eccleſiis.

§. XIII.

De ſtatutis & conſuetudinibus Eccleſiæ, quæ poſſunt excuſare a reſidentia ultra tres menſes cum participatione fructuum beneficii & diſtributionum.

Excuſat indulgentia fundatoris beneficii non curati.

Si fundator Eccleſiæ vel Canonicatus, vel alterius huiuſcemodi beneficii cui non ſit adnexa cura animarum, ſtatuerit, quod beneficiarii poſſint abeſſe ultra tres menſes, & ſimul fructus beneficii percipere & quotidianas diſtributiones: licet dicant aliqui hoc ſtatutum non valere, utpote contrarium ſacris canonibus qui abrogarunt quælibet ſtatuta indulgentia abſentiam ab Eccleſia ultra tres menſes; verius tamen dicunt ii qui tenent tale ſtatutum validum & licitum eſſe, & minime ſacris canonibus contrarium, qui circa fundationes nihil immutarunt, ſed iuxta fundatorum voluntates intacta omnia reliquerunt, ne alii a ſimilibus fundationibus averterentur in damnum Eccleſiæ. Multo enim melius eſt habere beneficia cum aliqua reſidentia, quam illis prorſus privari. Et ita deciſum referunt a ſacra Congregatione Garzia & Barboſa.

Non valent circa hoc ſtatuta Capituli vel Epiſcopi.

Si vero Epiſcopus aut Capitulum ſancirent ſtatutum quod indulgeret abſentiam a reſidentia ultra tres menſes a ſacris canonibus deſignatos, quidquid aliqui favorabiliter ſentiant, verior tamen, quia magis rationi conſona, eſt contraria ſententia quæ invalidum iudicat & illicitum tale ſtatutum: quia inferior, ut Epiſcopus & Capitulum, non poteſt ſancire legem aut ſtatutum contra ſuperiorem, ideſt contra legem Concilii generalis & ſummi Pontificis. Aliter dicendum de conſuetudine quæ ab inferioribus inducitur contra legem ſuperioris: quia in conſuetudine habetur tacitus Principis conſenſus expreſſus in *cap. finali de conſuetud.* qui conſenſus nullibi habetur expreſſus circa ſtatutum, ſed potius habetur expreſſus diſſenſus. Et dato quod Epiſcopus aut Capitulum condere poſſint ſtatutum iubilationis pro beneficiariis qui per annos quadraginta inſervierunt, ut in ſua abſentia poſſint percipere fructus beneficii & quotidianas diſtributiones; non poteſt tamen inferri, poſſe illud quod impugnatur, condere. Nam in ſtatuto iubilationis haberetur rationabilis cauſſa, ideſt quod qui tam longo tempore ſervivit, præſumitur poſſe eſſe infirma valetudine, ut reſidentiam continuare nequeat; & ſic tamquam impotens excuſatur: & præciſo tali caſu, ſtatutum non valeret, & iubilatus tuta conſcientia illo uti nequiret.

Nec pariter valent conſuetudines.

Circa conſuetudines vero introductas poſt Concilium Tridentinum, cum anteriores per ipſum fuerint abrogatæ, diverſimode ſentiunt Canoniſtæ & Theologi. Verior tamen ſententia videtur quæ impugnat tales conſuetudines ut abuſus: quia extra caſus a iure expreſſos, ſcilicet infirmitatis, neceſſitatis, ac evidentis Eccleſiæ utilitatis, qui ſunt valde rationi conſoni, non videtur ita facile poſſe induci rationabilis conſuetudo contra reſidentiam; cum ex proprio inſtituto habeant præbendati hanc obligationem, & ex voluntate fundatorum. Hi enim, uti alias dictum eſt, ſuas ſubſtantias Eccleſiis reliquerunt, ut promoveatur divinus cultus, devotio populi, utilitas fidelium celebratione divinorum officiorum per eos qui eorum bonis fruerentur: quæ bona non ſolum conſtituunt fructus beneficii, ſed etiam quotidianas diſtributiones, ita ut de iure naturæ teneantur ex hoc capite muneri ſuo ſatisfacere; cum de iure naturæ teneantur voluntatem fundatorum adimplere.

CAPUT III.

De adoratione & cultu debito Deo & Sanctis.

§. I.

De ſenſu quo hic ſumitur hoc nomen.

HActenus abſolvimus ea quæ ſpectant ad actus internos religionis; nunc incipimus ea explicare quæ ſpectant ad actus externos eiuſdem virtutis, inter quos primum locum obtinet adoratio, ut accipitur pro cultu divino quod Deo debetur, B. Mariæ Virgini, & Sanctis. Quare adoratio hic non ſumitur in ſenſu latiſſimo pro quacumque veneratione alteri exhibita; ſed late ſolummodo, ſeu pro veneratione alteri exhibita propter ſupernaturalem eius excellentiam: & in tali ſenſu definitur a Theologis: *Actus quo quis alteri ſe ſubmittit in ſignum excellentiæ & ſuperioritatis eius*: ſeu *Honor quo quis manifeſtat alterius excellentiam externo corporis geſtu.*

Multiplex adorationis diviſio.

Cum autem adorationis motivum ſit excellentia adorati; & hæc ſit duplex, increata ſcilicet, & creata ac a Deo participata: hinc adoratio dividitur a Theologis in eam quæ debetur ſoli Deo, & dicitur latria; & in

eam

eam quæ datur creaturis. Hæc ſi reddatur ob excellentiam ordinis mere naturalis, ut ſit a ſubdito erga principem, non eſt vera & propria adoratio, ſed vocari poteſt nomine generali *obſervantiæ*, de quá nunc non agimus. Si vero ſit ob excellentiam ordinis ſupernaturalis, ut ſanctitatis, gratiæ, beatitudinis, exhibeatur, dicitur dulia. Sed ſi detur B. Mariæ Virgini quæ ſupereminet Sanctos omnes ac choros Angelorum tum ſanctitate, tum etiam dignitate ob ſpeciale privilegium divinæ maternitatis, appellatur hyperdulia.

Inſuper dividitur adoratio in internam, quæ eſt actus internus elicitus a virtute religionis, quo expreſſe ſubmittimur Deo tamquam ſupremo rerum omnium principio, interno mentis noſtræ actu; quo modo Angeli & beati Deum adorant: & in externam, ideſt quando internus actus ſubmiſſionis manifeſtatur externo corporis geſtu, ut aperitione capitis, oſculo manuum vel pedum, genuflexione, aut proſtratione. Idcirco, ut notat D. Thomas, ſicuti oratio primarie eſt in mente, poſtea in verbis; ita adoratio principaliter conſiſtit in interiore Dei reverentia, ſecundario in quibusdam corporalibus humilitatis ſignis: & licet dari poſſit interna adoratio ſine exteriore, non tamen ſine interna dari poteſt externa; alias hæc eſſet mera fictio & irriſio.

Dividitur tandem adoratio in abſolutam, quæ perſonæ exhibetur propter excellentiam eius intrinſecam; & ſic adoratur Verbum caro factum: & in relativam, qua aliquid adoratur vel honoratur propter excellentiam perſonæ ad quam habet habitudinem aut coniunctionem; & ſic adoratur crux & imagines Sanctorum, ob reſpectum ad prototypum cuius ſunt exemplar & imago.

Adoratio igitur eſt actus præſtantioris honoris: quia omnis qui adorat, honorat, non econtra; & quia honor poteſt exhiberi æqualibus, non vero adoratio, quæ neceſſario debet alium per ſubmiſſionem ut ſuperiorem cognoſcere. Adoratio eſt actus religionis, non vero fidei, ſpei, vel caritatis. Nam adoratio habet pro obiecto cultum divinum, ideſt Deum colendum; fides autem, ſpes, caritas habent pro obiecto Deum ut eſt in ſe. Quare quando Sancti Patres dicunt per illas virtutes Deum coli, intelligendum eſt, impetrative aut diſpoſitive ad divinum cultum eas diſponere; vel improprie, quatenus omnis actus circa Deum dicitur illius cultus.

Præceptū adorandi Deum duplex.

Tenetur omnis homo ex præcepto divino naturali Deum adorare adoratione vel interna, vel mixta ex interna & externa, ut Exod. cap. xx. *Non habebis Deos alienos coram me*: in quibus verbis, ait D. Thomas, includitur præceptum adorandi Deum. 1. 2. *quæſt.* c. *art.* 14. Et hoc præceptum eſt tum negativum, obligans ſemper & pro ſemper, ſicuti alia præcepta; tum adfirmativum, quod non obligat ſemper & pro ſemper, ſed frequenter, ſicuti iam dictum eſt de actibus virtutum theologicarum. Si tamen loquamur de præcepto eccleſiaſtico adorandi Deum, docent doctores hominem teneri ſaltem diebus feſtis: & ſit præcipue devote aſſiſtendo ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio.

Deus adorandus cultu latriæ.

Deus igitur, ideſt Sanctiſſima Trinitas adoranda eſt ſummo cultu, ideſt latriæ, qui nulli alii exhiberi poteſt: quia nulli creaturæ communicari poteſt ſumma & infinita Dei excellentia; Idcirco ſi adoratio fiat etiam externe, exprimenda eſt ſpeciali ſigno ſubmiſſionis determinate ad Dei adorationem; ut ulli creaturæ exhiberi nequeat ſine idololatriæ ſuperſtitione, ſicuti alia honoris ſigna quæ ſine Dei iniuria creaturis reddere licet. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxiv. *art.* 1. *ad* 1.

Item Christus Dom. nus.

Eadem ratione adorandus eſt Chriſtus Dominus, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum in quo realiter totus Chriſtus continetur: quia tametſi in Chriſto præter divinitatem ſit etiam humanitas, quæ creata eſt; hæc tamen divino Verbo ita coniuncta eſt, ut per ipſius perſonalitatem ac ſubſiſtentiam ſubſiſtat, ita ut Chriſtus etiam prout hic homo ſit & Deus. Immo ſecundum D. Thomam *Part. III. quæſt.* xxxvi. *art.* 8. eodem cultu latriæ adoranda eſt caro & ſanguis, vel puer qui miraculoſe aliquando in hoſtia conſecrata apparet: quia vel talis caro & ſanguis eſt Chriſti, aut quid novum creatum, illam repræſentans ſaltem ut eius imago, idcirco adoranda, ſicuti aliæ eius imagines cultu latriæ ſunt adorandæ. Et quamvis hoſtia non ſit adoranda, & multo minus tali cultu, niſi ut conſecrata, ſi forte malitia Sacerdotis non eſſet conſecrata; adorans non committeret idololatriam niſi materialem: & eo vel maxime quod ſemper adoratur ſub tacita conditione, ſi ſit conſecrata; quæ conditio ſufficit ut ſit in habitu, abſque eo quod ne implicite quidem ponatur, ideſt quod fidelis ſit ita affectus, ut ſi ſciret eam non eſſe conſecratam, eam non adoraret. Idcirco tali modo licitum eſt hoſtiam expoſitam ad venerationem, dummodo ſuſpicio rationabilis non habeatur de Sacerdote, abſolute adorare.

Crux

Digitized by Google

Necnon crux & alia paſſionis inſtrumenta,

Crux aliaque paſſionis Chriſti inſtrumenta reſpectivo cultu latriæ, ideſt relative ad Chriſtum, ſunt adoranda: & præcipue crux, ſive ea ſit in qua Chriſtus paſſus eſt, ſive efformata ad illam repræſentandam; quia crux in qua Chriſtus paſſus eſt, & aliæ ad hanc repræſentandam efformatæ, ſunt Chriſti imago, ideoque iuxta regulam aliarum imaginum eodem cultu qui convenit prototypo, ſunt adorandæ. Neque vero omnes cruces quæ ad alium finem vel fortuito fiunt; ſed illæ tantum quæ ad repræſentationem crucis Chriſti ſunt conſtructæ adorari debent. Cetera pariter inſtrumenta inanimata paſſionis Chriſti, quæ corpus eius tetigerunt, ut lancea, clavi, funes, ſpongia, & ſimilia adoranda ſunt cultu latriæ: quia phyſice corpus eius tetigerunt. Unde ſunt inſignes eius reliquiæ; ſicuti etiam præſepe, ſpelunca, & alia loca eius ſanguine perfuſa. Dixi inſtrumenta *inanimata*: non animata, licet tetigerint corpus eius, ut os Iudæ, manus crucifixorum, necnon manus B. Mariæ Virginis aut Apoſtolorum. Nam reſpectu aliquorum, ut Iudæ & crucifigentium, indecens hoc eſt, ob ſcelus ab eiuſmodi membris patratum: animæ quippe flagitia etiam externa membra commaculant. Quare licet ob contactum eſſent adoratione digna, tamen ob crimen perpetratum non adoratione, ſed deteſtatione digna ſunt. Alia vero quæ corpus & carnem Chriſti tetigerunt, ut manus B. Mariæ Virginis aut Apoſtolorum, non ſunt adoranda cultu latriæ: quia (ut ait D. Thomas *Part. III. quæſt.* XXV. *art.* 5. *ad* 3.) cum hi ſint per ſe capaces venerationis, periculum eſſet ut crederetur adorationem illis tribui propter ſe, & non relative ad Deum; ideoque eſſet ſimplicibus occaſio idololatriæ. Nam, ut ibi notat Angelicus, eo modo adoratio ſiſteret in homine, & non referretur ad Deum, cui ſingulariter per ſe latriæ convenit cultus: quod non facile evenire poteſt in rebus inanimatis, quæ corpus Chriſti tetigerunt, utpote quæ non ſint per ſe venerationis capaces.

B M V. debetur cultus hyperduliæ.

Cum autem poſt Chriſtum B. Maria Virgo creaturas omnes angelicas & humanas ſuperexcellat gratia, ſanctitate, necnon dignitate ob eius divinam maternitatem; hinc eſt, quod ipſa adorari debeat non cultu ſupremo, ſed medio inter Deum & Sanctos, ideſt Deo inferiore, & omnibus Angelis & Sanctis ſuperiore, qui & cultus hyperduliæ.

Angelis, & Sanctis ipſorumque reliquiis cultus duliæ.

Angelis igitur & Sanctis qui non ſunt tantæ gratiæ, virtutis, & excellentiæ, ſicuti B. Virgo Maria, ideoque non digni & capaces tantæ venerationis quæ menſuranda eſt ab excellentia gratiæ, ſanctitatis, ac dignitatis, non eſt denegandus cultus inferior, quem duliæ appellamus. Et eiuſdem generis eſſe debet etiam cultus reſpectivus qui redditur eorum reliquiis, nominibus, & imaginibus: ita ut ſicuti reliquiæ, nomen, & imago Dei & Ieſu Chriſti venerandæ ſunt cultu reſpectivo latriæ, ideſt proportionate ad perſonam quam repræſentant, quæ digna eſt tali veneratione; ita etiam reliquiæ, nomen, imagines B. Virginis Mariæ, quæ ipſam repræſentant, adorandæ ſunt cultu reſpectivo hyperduliæ, & ſi hæc Sanctorum ſint, cultu ſolummodo duliæ, utpote gradus venerationi proportionati, unus Mariæ, alter Sanctis, ad quorum perſonas referuntur, eoſque repræſentant. Nam iuxta gradum excellentiæ qua refulget perſona, teſtificari debemus noſtram ſubmiſſionem internam & externam, tum abſolutam erga ipſam, tum reſpectivam erga ea quæ ipſam repræſentant.

Licet vero non pertineat ad articulum fidei cultus Sanctorum eorum qui per beatificationem vel canonizationem idemtidem a ſummis Pontificibus Eccleſiæ proponuntur adorationi; cum hoc non ſit a Deo revelatum, ideoque non eſſet hæreſis hoc negare: nihilominus tamen res eſt ita certa, ut hæc negatio eſſet temeraria, impia, ſcandaloſa, hæreſim ſapiens, ſicut communiter ſentiunt doctores. Sed de his fuſius agitur a Salmanticenſibus *Tom. IV. tract.* XXI. *de præcept. Decalog.* & ab aliis qui ab ipſis citantur.

Nota. Canonizatio ſeu apotheoſis qua vir aliquis aut mulier de fidelium Eccleſiæ Catholicæ cœtu ob odorem eximiæ pietatis quem in vita ac in morte dederunt, ad Sanctorum cultum ab Eccleſia extolluntur, ſtricte & proprie ſumpta, eſt publicum Sedis Apoſtolicæ iudicium ſeu expreſſa definitio de ſanctitate & gloria alicuius, qui ſolemni cæremoniarum pompa Sanctorum catalogo adſcribitur, & publicæ Eccleſiæ univerſalis venerationi proponitur, eique honores Sanctis debiti decernuntur. Beatificatio autem, proprie & ſtricte accepta, eſt legitima ſummi Pontificis conceſſio alicui certo Regno, provinciæ, religioni, vel loco facta, ut aliquis tamquam cum Chriſto regnans, aliquo publico cultu, ut recitatione officii, celebratione Miſſæ, publica eiuſdem reliquiarum expoſitione, iuxta Pontificis conceſſionem venerari ac invocari poſſit. Sic communiter doctores. Qui fuſius ſuper his inſtrui cupit, adeat inſigne opus fel. record. Be-

Digitized by Google

Benedicti Papæ XIV. inſcriptum, *De canonizatione Sanctorum*.

§. II.

De cultu qui licite tribui poteſt feminis ac viris, qui cum ſanctitatis odore demortui ſunt, & nondum ab Eccleſia beatificati vel canonizati.

Cultus qui ob eius ſanctitatem alicui tribuitur, alter eſt publicus, non quia publice coram aliis exhibetur; ſed qua tribuitur nomine totius Eccleſiæ & tamquam ex inſtituto, ſicut Miſſa & officium divinum: alter privatus, qui nomine totius Eccleſiæ non defertur.

Cultus publicus iis deferri nequit. Piis viris ac feminis cum fama ſanctitatis demortuis, & non canonizatis aut beatificatis, ne ſecreto quidem licet deferre publicum cultum, ideſt Miſſam vel officium de iis recitare, in litaniis nominare; ſed ne radiis quidem aut ſplendoribus pingi, altaria vel templa in eorum honorem dicari, eorum imagines ſuper altaria adorationi exponi, immo ſine Ordinarii recognitione tabellæ vel lampades ad eorum ſepulturas ſuſpendi, aliaque lumina accendi poſſunt. Nam talis cultus deſignatus eſt ab Eccleſia pro canonizatis vel beatificatis; & ideo ne aliis reddatur ſine conſenſu ſanctæ Sedis, vetitum fuit præcipue Decreto Urbani VIII. anno MDCXXV. ſub die XIII. Martii (ut habetur in *Bullar. Tom. IV. pag. 54.*) dummodo tamen non ſint ex iis qui ante dictum decretum habuerint talem cultum ab immemorabili: ii enim non comprehenduntur in eodem decreto, immo Pontifex eos reliquit in poſſeſſione ſui cultus; & conſtat ex pluribus declarationibus ſacræ Congregationis.

Licitus tamen eſt privatus. Licet vero hiſce venerabilibus viris ac feminis reddere privatum cultum, nempe orando & deprecando ad illorum ſepulcra, eorum interceſſionem implorare cum ſignis etiam externæ venerationis in aliqua ſpirituali vel temporali neceſſitate, ut Deus per eorum merita miracula operetur, quæ aliter non fiunt niſi eos Sanctos invocando, reverentiamque ac cultum eis exhibendo. Quia ſi communiter allegantur in proceſſibus pro Sanctorum beatificatione populi concurſus ac devotio ad eorum ſepulcra confluentis, eos exorando & deprecando; dumque viri ſancti degunt nobiſcum in terris, licitum eſt eos publice rogare ut pro nobis ad Deum intercedant, oſculari eorum manus, & coram illis genuflectere, ac ſanctos appellare: plane hoc licitum erit etiam poſt eorum mortem. Ita communiter doctores, & præcipue Barboſa in *Collect. ad Concil. Trident. ſeſſ.* XXV.

Explicantur aliqua alia circa ſacrarum reliquiarum & aliarum rerum ſacrarum cultum.

Quid de iis qui geſtant ſacras reliquias. Secum deferens aliquam ſacram reliquiam non peccat contra ciuſdem cultum, ſi dum eam ſecum defert, furetur, mœchetur, occidat; licet hic videatur non levem iniuriam inferre ſacris reliquiis, & Sanctis quorum ſunt, Deum coram ipſis graviter offendendo: quia tametſi aliqua ſit irreverentia, tamen nec aliquo ſpeciali præcepto hoc prohibetur; nec ea peccata huiuſmodi cultui reliquiarum directe opponuntur; nec inde ſequitur ab eo turpiter tunc illas contrectari. Sicuti enim virtuoſe operari, dum collo ſuſpenſæ deferuntur ſacræ reliquiæ, non eſt circumſtantia afferens novam actui bonitatem: ita nec erit ſpeciale peccatum, dum qui eas defert, vitioſe operatur; ſicut etiam peccatum non accipit novam malitiam ex eo quod fiat coram Deo, ad cuius conſpectum certiſſimum eſt nos omnia agere.

Eas furari eſt furtum ſacrilegum. Furari ſacras reliquias, tametſi non ſint pretio æſtimabiles, eſt furtum & ſacrilegium: quia furando, invito domino, res ſacras quæ tantæ æſtimabilitatis ſunt, ut nullo temporali pretio compenſari queant, gravior illi iniuria infertur quam ſi ipſi bona temporalia auferrentur quæ pretio adæquari poſſunt. Nec in hoc attendenda eſt quantitas (ſicuti in temporalibus in quibus parvitas poſſet excuſare a culpa) ſed dignitas & raritas ſacræ reliquiæ. Unde auferre parvam particulam ligni ſanctæ Crucis aut ſpineæ Coronæ, aut alterius reliquiæ quæ ob qualitatem vel raritatem plurimi a domino æſtimatur; eſt grave furtum & ſacrilegium. Immo reliquias auferendo aut traſportando ab una ad alteram Eccleſiam, aut donando ſine ſummi Pontificis diſpenſatione, incurritur maior excommunicatio ex decreto Gregorii XIII. relato a Barboſa *Part. III. de offic. Epiſc. allegat.* l. *n.* 158. quod incipit *Pontificiæ ſollicitudinis*, ubi ſub hac pœna vetat transferre aut aſportare ab una Eccleſia ad aliam, concedere, aliquam earum particulam donare, ſine Pontificis conceſſione: dummodo tamen non adſit neceſſitas, nempe ut ab infidelibus vel hæreticis ſurripiantur, ne expoſitæ remaneant eorum irreverentiis, & eo magis ne infideles illas poſſideant, vel ut tollantur ab incendio Eccleſiæ.

Sub tali pœna (uti notant Salmanticenſes *Tom. IV. pag.* 209. §. II. *num.* 3.) includuntur

tur etiam ſuperiores Religionum: ita ut cum reliquiæ computentur inter res pretioſas Monaſterii; hæ a ſuperioribus alienari nequeunt ſine illius conſenſu, & aliis conditionibus requiſitis a ſummis Pontificibus (& præcipue Gregorio XIII.) qui ſolum conceſſere facultatem eas alienandi, accedente conſenſu maioris partis capituli & definitorii generalis, & ſub conditione, quod hæc alienatio cedat in utilitatem Monaſterii. Cum licentia vero Sanctæ Sedis poſſunt aliis donari, & alio transferri.

Dux vel milites etiam in bello iuſto capientes civitatem non poſſunt ſine iniuſtitia & letali culpa exſpoliare civitatem ſacris reliquiis. Nam ob culpam civitatis capi non poſſunt bona Eccleſiæ, nec eccleſiaſtici puniri. Communiter hoc ſentiunt doctores: & talis eſt Principum praxis.

Sanctorum reliquæ, quidquid aliqui in contrarium ſentiant, non poſſunt licite exponi ut largiores offerantur eleemoſynæ. Et habetur hoc vetitum in iure canonico in *cap. final.* ubi ſic legitur: *Ut venales exponantur*: & Tridentinum *ſeſſ.* xxv. mandat, quod in reliquiarum veneratione *omnis turpis quæſtus elimınetur*.

Simoniaca eſt earum venditio. Non licet ſine gravi cauſſa, & abſque labe ſimoniæ vendere ſacras reliquias, nec formas cereas quæ vulgo *Agnus Dei* ſeu *Agni Papales* communiter appellantur. Primum conſtat ex *cap. final.* & ex Tridentino *cit. ſeſſ.* xxv. Secundum ex bulla Gregorii XIII. quæ incipit *Omni certe ſtudio* edita VIII. chalendas Ianuarii anno MDLXXII. quæ refertur a Salmanticenſibus propriis verbis *Tom. IV. pag.* 210. *num.* 116. Immo eadem conſtitutione vetitum eſt ſub pœna excommunicationis ne pingantur, inaurentur, & ita retineantur, vel vendantur: quia prædicti Agnus (eo quod ſint Chriſti imagines a ſummo Pontifice benedictæ variis cæremoniis, chriſmate conſecratæ, ac ad Dei cultum deſtinatæ, per quas mirabilia Deus operatur contra fulgura, fulmina, tempeſtates, incendia, ac dæmonum incurſus) ſunt tamquam ſacræ reliquiæ ab omnibus venerandæ. Idcirco ſine labe ſimoniaca vendi nequeunt. Poteſt tamen accipi pretium pro valore capſulæ in qua vel reliquia ſacra vel Agnus Dei includuntur & ornantur; ſicuti accipitur pretium calicis pro valore metalli & operis in eo elaborando.

An laicis eas tangere liceat. Num liceat laicis viris ac feminis tangere reliquias & Agnus Dei, tametſi aliqui abſolute negent, verius tamen eſt poſſe etiam laicos, ſive viros, ſive feminas, maxime quando adſit neceſſitas, & reverenter fiat, eas curare, & in capſulis reponere: quia revera praxis hoc confirmat. Etſi enim D. Gregorius contrarium dicat; loquitur tamen ſecundum morem illorum temporum, qui nunc non tenet, quia uſus contrarius invaluit.

Num Vaſa ſacra ab his tangi poſſint. Vaſa ſacra, ut calix, patena, corporalia, pallæ, quæ omnia ſacra epiſcopali precatione benedicta & conſecrata ſunt, a perſonis laicis viris ac feminis licite tangi non poſſunt: quia a ſacris canonibus hoc vetitum eſt, & præſertim in *cap.* In ſancta hac Apoſtolica, & in *cap.* Veſtimenta, *de conſecrat. diſt.* 1. Sed hoc caput quod reſpicit indumenta ſacra, per contrariam communem praxim in deſuetudinem abiit, ita ut ſacra veſtimenta, ut capſula, alba, & alia huiuſmodi poſſunt, ſicuti iam uſu videtur receptum, tangi a laicis, ſive viris, ſive feminis.

Quoad vaſa vero conſecrata, ideſt calicem, patenam, corporale, pallam, purificatorium, licet hæc poſtrema non habeant ſpecialem benedictionem, adhuc viget ius commune, quod a laicis non tangantur, ſaltem ſine privilegio, aut naturali neceſſitate: alias non excuſantur a culpa veniali, ſi tamen fiat, ut quidam ſentiunt, ſine contemptu & reverenter ac religioſe; cum hoc non ſit in materia gravi, & facile talis licentia concedatur laicis, præcipue ſi officium gerant ſacriſtæ, ſicuti dicit Suarez conceſſum fuiſſe laicis Fratrum Minorum a Callixto III. & a Sixto IV. laicis profeſſis Ordinis Eremitarum Lombardiæ, ut dum Sacriſtiæ inſerviunt, tangere poſſint vaſa ſacra. Quod conceſſum creditur hiſce privilegiis aliis etiam Mendicantibus ob privilegiorum communicationem, necnon Monialibus quæ in iiſdem indultis cum Religioſis communicant. Hanc facultatem tangendi vaſa ſacra facile etiam impartiuntur Epiſcopi clericis ſola prima tonſura inſignitis, necnon laicis ſæcularibus, qui in ſervitio Sacriſtiæ occupantur. Intellige tamen, ſi vas conſecratum ſit vacuum. Nam ſi ſanguinem vel corpus Ieſu Chriſti contineat, tangi nequit ſine gravi culpa, aut urgente ſumma neceſſitate, niſi a Sacerdote, & nullatenus a laico, immo ne a clerico quidem, niſi ſit Diaconus; quia tangere oleum ſacrum & Euchariſtiam munus eſt ſolius Sacerdotis, ſalvo tamen ſi ſanctiſſima Euchariſtia in terram decideret, aut eam videret ab hæreticis conculcari: nam in tali caſu, etiamſi non ſit Sacerdos, eam colligere poteſt, cum magna tamen reverentia ac veneratione, ut quam pri-

primum tradat Sacerdoti ad eam reponendam in ſacrario.

Licet autem conceſſum ſit Religioſis laicis Fratrum Minorum a Callixto III. & laicis Eremitarum S. Auguſtini a Sixto IV. ac idemtidem concedant Epiſcopi clericis in minoribus conſtitutis, & quandoquidem ſæcularibus ob rationabilem cauſam: hoc tamen non obſtante, nec Religioſi laici, nec Moniales, nec clerici in minoribus conſtituti, immo ne Subdiaconi quidem poſſunt prima lotione lavare corporalia, pallas, purificatoria. Nam in *cap.* Nemo II. *de conſecr. diſt.* I. ſtatuitur, quod nonniſi a Diacono laventur, & lotio in piſcinam mittatur; *ne forte* (ait textus) *particula dominici corporis male decidat:* ibique etiam additur, quod vaſa in quibus iſta lavantur, ſint ad hoc diſtincta. Et hoc decretum, ſaltem quoad primam, ſervatur in viridi obſervantia; nec ulla umquam conſuetudine quoad primam lotionem abrogatum eſt: immo nec rationabiliter debet abrogari, ut Silvius v. *Corporalium quæſt.* I. & v. *Benedictio quæſt.* VII. ac communiter cum ipſo ſentiunt doctores. In ſecunda vero & tertia lotione hoc ſervari æquum eſt; non tamen neceſſarium: ideoque poſt primam lotionem licite tunc poſſunt a clericis in minoribus conſtitutis, religioſis laicis, ac etiam a piis feminis, præcipue a virginibus ac ſanctimonialibus lavari.

Nec ullatenus obſtat privilegium quod allegatur conceſſum a Callixto III. laicis Fratrum Minorum (ſi tamen authenticum ſit, cum in Bullario non inveniatur) nec alterum conceſſum a Sixto IV. laicis Auguſtinianæ Congregationis Lombardiæ: quia ſi in iis exprimatur facultas ut lavent corporalia, pallas, purificatoria; intelligendum hoc eſt de ſecunda & tertia lotione, non de prima. Nam privilegia non debent derogare iuri communi, eo vel maxime quod communiter ſervatur in Eccleſia, tum apud clericos ſæculares, tum regulares ſive ſacerdotes, ſive laicos, apud quos mos ſervatur ut prima lotio corporalium & purificatoriorum fiat a Sacerdote vel Diacono, ſicuti ſacri canones præcipiunt. Et adhuc in privilegiis aliquid conceditur laicis Minorum & Eremitarum, ideſt ut lavent ſecunda & tertia lotione. Etenim tunc non ita certum erat, ut ſentiebat Caietanus, quod tales lotiones, nempe prima & ſecunda, fieri poſſent a clericis in minoribus conſtitutis, ac a laicis Religioſis & Monialibus. Et revera ſi ſacra Rituum Congregatio in *Florentina* XXX. *Aprilis MDCII.* (ut refert Barboſa in *Apoſt. deciſ. Sum. Collect.* 449. *num.* 10.) conceſſit Fr. Matthæo Monacho Sacriſtano Monaſterii Angelorum Florentiæ licentiam ſolum ad tangendum calices & corporalia: evidens eſt quod ultra tangere, ea lavare, difficulter, ſaltem quoad primam lotionem, a Sede Apoſtolica Fratribus laicis concedatur. Ideoque quicumque horum auderet ea lavare prima lotione, cum res verſetur in materia gravi, probabilius eſt quod mortaliter delinqueret.

§. III.

De rerum ſacrarum venditione & converſione in uſus profanos.

Res ſacræ, ut calix, paramenta ſacerdotalia & altarium, donec retineant propriam formam, converti nequeunt in uſus profanos (v. g. quæ ſunt ex lino, ut corporalia, ad emungendas nares, hæc & illa ad ludos ſeu comœdias repræſentandas, aut calix ad bibendum in communi menſa) quia talis uſus, ſeu potius abuſus, eſſet contemptus formalis rerum ſacrarum, & contra debitam eis reverentiam: ideoque qui hoc faceret, a graviſſimo ſacrilegio excuſari non poſſet. Quapropter Balthaſar aliique Reges Aſſyrii qui abuſi ſunt rebus ſacris quas, capta Hieroſolyma, abſtulerunt ab eius templo, graviſſimis pœnis & morte a Deo percuſſi fuerunt: ut habetur *Daniel. cap.* IV. Etenim (ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 2. *in corp.*) non poteſt aliquis Prælatus facere ut id quod eſt ſanctificatum in rebus inanimatis, ſanctificationem amittat, v. g. calix ſi remaneat integer: iuxta illud Levitic. cap. XXVII. *Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino.* Unde ſacrilegium eſt graviſſimum, donec ſacra vaſa ac paramenta ſacerdotalia ſuam formam ſervant, in prolanos uſus convertere. Quod magis etiam confirmant ſacri canones, & præcipue *cap.* Nemo *de conſecrat. diſt.* I. ubi ſub graviſſimis pœnis prohibetur ne mortuus obvolvatur palla quæ fuit in altari, aut ea quæ data eſt a Diacono in menſam Domini: & ſola conſuetudine honeſtatur, quod Sacerdotes ſepeliantur ſacris veſtibus induti, ut Silveſter v. *Benedictio.* Unde quanto magis illicitum erit, formaliſque Dei & rerum ſacrarum contemptus, capſulis, dalmaticis, aliiſque ſacris ornamentis ad profanos uſus, & multo peius ad ludos, comœdiaſque, licet honeſtas & ſacras, uti? quidquid in contrarium ſentiat Henriquez cum aliquo alio. Nam licet

Eſt ſacrilegium, donec res ſacræ ſervant propriam formam.

licet huiuſcemodi actiones, quando honeſtæ ſint, & ſacram hiſtoriam repræſentent, non ſint contra bonos mores; nihilominus tamen non concordant cum ſanctitate & maieſtate ſacræ liturgiæ aliarumque eccleſiaſticarum functionum ac cæremoniarum, quæ ad ſolum divinum cultum & animarum ſpiritualem ſanctificationem ac ſalutem ſunt ordinatæ, ut liceat in illis adhibere ſacras veſtes & ornamenta quæ his celebrandis inſerviunt.

Quid ſi propriam formam amiſerint

Quod ſi res ſacræ aut vaſa conſecrata per ſciſſionem aut fractionem amittant benedictionem; adhuc illicitum eſt his uti ad profanos uſus, ut docet D.Thomas cum ſacrorum canonum auctoritate *Part. III. quæſt.* lxxxiii. *art.* 3. *ad* 3. ubi citat canonem qui habetur in *diſt.* 1. *cap.* xxxviii. *de conſecrat.* ubi ait, quod omnia quæ inſerviunt conſtructioni Eccleſiæ, altaris, vel ipſius altaris ornamento, ut palla, candelabra, vel ornamento Sacerdotum, ut capſula, dalmatica, & alia huiuſmodi, ſi vetuſtate fuerint confracta aut conſumpta, non debent in laicorum uſum converti, ſed alterius Eccleſiæ aut Monaſterii; vel ſi ſunt conſumptibiles, igne comburi vel ſepeliri. Quare ex hoc ſequitur, quod res eiuſmodi vendi non poſſint ad profanos uſus, ne mutata quidem earum forma, ſed debeant conſumi, aut in loco ſacro ſepeliri. Vaſa vero ſacra aliaque ornamenta conſtructa ex metallo, quæ igne vel ferro poſſunt ita transmutari, ut eorum formam totaliter amittant; hæc vendi poſſunt, & eorum materia, priore forma ſacra prorſus exſpoliata, in omnem uſum etiam profanum licite converti. Nam materia ſacrorum ita penitus immutata, fit materia communis: & cum nihil amplius ſervet præteritæ conſecrationis, ratione cuius erat veneranda; inſervire poteſt omni cuicumque uſui. Communiter ita ſentiunt doctores, inter quos Barboſa *De Iure eccleſiaſt. Tom. II. lib. III. cap.* 11. *num.* 48. & in *Collect. in Cod. lib. I. tit.* 11. *auct. Præterea ſi habeat num.* 5. Quare cum materia ſacrarum veſtium etiam fractarum nequeat, ſicut calix, totaliter immutari; ſaltem ſine neceſſitate, ſacra paramenta vendi nequeunt ad uſus profanos, ob reverentiam quæ illis debetur: ideoque tunc applicanda ſunt ad alias ſacras veſtes conficiendas, vel reficiendas; aut ſi nec ad hoc inſervire valeant, comburantur, & cineres ſub pavimento Eccleſiæ aut cœmeterii ſepeliantur. Ita Barboſa *De offic. & poteſt. Epiſc. Part. II. alleg.* 27. *a num.* 31. *ad* 41.

Res profanæ licite applicantur ad uſus ſacros.

Res profanæ, quando per artem converti poſſunt ad figuram & formam ſacram, poſſunt ad ſacros uſus licite applicari: quia talis eſt communis uſus Eccleſiæ; cum ſæpe ſæpius ex pretioſa veſte alicuius nobilis feminæ Veſtes ſacerdotales, aut alia ſacra ornamenta altaris vel tabernaculi conficiantur. Nam per benedictionem Eccleſiæ omnis macula forte contracta aut profanitas mundatur; cum antequam ad uſum ſacrum applicentur, benedictione epiſcopali aut alterius qui eadem potitur facultate, ſacræ fiant. Nec mirum, ſi non ſolum veſtes profanæ, in quibus totaliter forma profana mutatur; cum alia ſit forma veſtis muliebris, alia capſulæ & dalmaticæ, aut alterius veſtis quæ ad uſum ſacræ liturgiæ inſervit: ſed domus, immo ipſa templa idolorum converſa fuere per benedictionem in templa divino cultui dicata; ut refert Eccleſiaſtica Hiſtoria, præcipue de domibus SS. Luciæ & Cæciliæ, quarum una a Marcello, altera ab Urbano Pontificibus in Eccleſias conſecratæ fuerunt, ac de Pantheon, Templum olim omnium gentilitatis Deorum, in Eccleſiam mutato a Bonifacio IV. Idcirco hoc magis fieri licebit de his quorum profana forma immutari poteſt: quia ſi aliquam moralem imparitatem, cum inſervirent uſui profano, contraxerunt, eccleſiaſtica benedictione aut conſecratione purgantur.

CAPUT IV.

De Voto.

§. I.

De eſſentia voti.

Cum votum ſit actus quo ſpeciali modo aliquis divino cultui ſe conſecrat, voluntarie ſe obligando ad obſervantiam alicuius virtutis ſub quadam conditione, quæ a lege nulla præcipitur; iure ac merito cum iis quæ ſtricte ad virtutem religionis pertinent, de eodem quoque pertractant Theologi.

Votum igitur alii a verbo *Voveo*, quod idem ſonat ac promittere, derivant; alii vero a voluntate, ideoque votum, quaſi volitum dicunt. Tripliciter autem ſolet accipi. Votum tripliciter accipitur.
Primo, pro deſiderio, propoſito, aut voluntate promittendi, ut in canone Miſſæ: *Tibique reddunt vota ſua*: ideſt deſideria & affectus. Secundo, pro ipſa materia promiſſa: ita Pſalm. xlix. *Redde Altiſſimo vota tua*. Tandem pro ipſa promiſſione qua quis Deo ſe devincit ad aliquid faciendum vel omit-

Digitized by Google

omittendum, ut Pſalm. lxv. *Reddam tibi vota mea*.

Definitio voti. Votum ſecundum hanc poſtremam conſiderationem acceptum definitur communiter cum D. Thoma 2. 2. quæſt. lxxxviii. art. 1. & 2. *Promiſſio deliberate & ſpontanee facta Deo de meliore bono*. Promiſſio eſt, non ſimplex propoſitum aliquid faciendi. Nam in ſimplici propoſito vult homo rem aliquam amplecti ut convenientem; per promiſſionem vero intendit obligationem ſibi imponere eiuſdem faciendæ tamquam Deo debitæ. Hinc votum nomine promiſſionis explicatur Eccl. cap. v. *Si quid voviſti Domino, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio*. Hanc autem deliberatam eſſe neceſſe eſt: votum enim eſt lex, eaque gravis, qua quis ſe obſtringit; & nemo ſine deliberatione ſufficienti ſeſe obligare velle cenſetur. Verum quia deliberatio alia eſt imperfecta & ſemiplena, alia perfecta & plena; locus hic eſſet quæſtioni, utra ex his ad votum neceſſaria ſit. Communiſſima tamen ſententia eſt, ad votum neceſſariam eſſe plenam perfectamque deliberationem. Hæc autem perfecta deliberatio in eo ſita eſt, quod vovens ſit plene ſui compos, & quod advertat ac cognoſcat id quod promittit. Ad hanc vero plenam perfectamque deliberationem, neceſſaria minime eſt longa & diuturna diſcuſſio omnium circumſtantiarum. Quare Theologi communiter ſentiunt, ad votum ſufficere eam deliberationem quæ talis eſt ad contrahendum mortale peccatum. Nam deliberatio quæ ſufficit ad ligandum ſe reatu æternæ damnationis, ſufficit etiam ad ligandum ſe Deo vinculo promiſſionis. Hinc vovere non poſſunt ebrii, amentes, dormientes, omneſque alii rationis uſu carentes, qui non habent ſufficientem advertentiam & cognitionem ad deliberandum circa rem quam promittunt.

Prima voti conditio eſt deliberatio.

Addunt etiam communiter Theologi ad votum requiri voluntatem promittendi id ad quod ſe obligat, & exequendi promiſſum: quia votum eſt actus moralis ac liber, quo Deus colitur. Unde nullum eſt votum factum ex errore circa ſubſtantiam rei promiſſæ; dum talis error impedit ne obiectum ſit cognitum, ideoque non volitum. Pariter non tenet votum ſimplex ex errore circa cauſſam finalem; quia cenſetur factum ſub tacita conditione, ſi cauſſa finalis ſubſiſtat, & ſublato motivo volendi, non ſtat volitio: ut ſi quis voveat ieiunium pro ſalute patris quem falſo putat ægrotare, votum nullum eſt. Valet tamen votum, ſi error ſit ſolummodo circa aliquam circumſtantiam non notabiliter mutantem rem promiſſam; ut ſi caſtitatem voveris quam falſo putabas facilem ſervatu: vel circa cauſſam ſolum impulſivam; ut ſi voveris dare eleemoſynam Petro pauperi præ aliis, quia falſo illum putas eſſe pium. Huiuſcemodi enim errores non impediunt conſenſum abſolutum circa ſubſtantialia voti. At votum ſolemne non irritatur per errorem vel dolum circa motivum extrinſecum: ſicuti per illum non irritatur matrimonium; & qui ſtatum aliquem aſſumit, cenſetur velle abſolute illum aſſumere, licet occurrat aliquis error aut dolus qui non ſit circa voti ſubſtantialia.

Altera eſt propoſitum voluntatis.

Cum inſuper votum fieri debeat cum plena ac perfecta voluntate ac libertate, communiter ſentiunt doctores, quod metus gravis iniuſte incuſſus ad votum extorquendum irritet quodcumque votum tam iure naturali, quia Deus non acceptat vota iniurioſe extorta; quam iure canonico ex *cap. 1. de iis quæ vi metuſve cauſſa fiunt*. Nam licet ibi agatur de ſola receptione aut profeſſione Religionis; ſic tamen receptum eſt, ut extendatur etiam ad votum ſimplex: ita ut quodcumque votum quod ita ſit, ex uſu & conſuetudine irritum ſit. Nihilominus tamen, cum hoc certum omnino non ſit de ſimplicibus; ſecurior in praxi eſt ſequenda: ideſt vel ſervare votum, vel petere diſpenſationem. Votum vero elicitum ex metu ſponte ſuſcepto, ut naufragii, mortis, æternæ damnationis (ex *cap. xvii. de Regul.*) vel ex metu iuſte incuſſo certum eſt valere: quia tunc eſt ſimpliciter volitum, & nulla intervenit iniuria. Itidem tenet quodcumque votum factum ex metu levi, etiam iniuſte incuſſo: quia hoc ab Eccleſia non irritatur, & eſt ſufficienter voluntarium. Sibi enim imputare debet vovens, quod tam facile tali metui ceſſerit. Valet pariter votum factum temere, imprudenter, & etiam illicite, puta cum inani gloria; dummodo finis malus non redundet in ipſam materiam voti. Nam ad valorem voti ſufficit ut ſit de re meliore & poſſibili: utque fiat cum ſufficienti cognitione & libertate.

Metus quando irritat votum.

Ipſa promiſſio eſt actus intellectus practici, ideſt practica locutio qua quis Deo ita ſe obligare ac conſtringere vult, ut ſi non fecerit, peccet. Idcirco ad votum non ſufficit ſimplex propoſitum, quod conſiſtit in ſimplici volitione faciendi aut omittendi aliquid; ſed requiritur etiam promiſſio, quæ ſuperaddit voluntatem ſe obligandi alteri: quia ex eo quod voluntas proponit aliquid,

Tertia eſt promiſſio ipſa.

non

Digitized by Google

non hoc ipſo vult ſe obligare, nec obligatur. Ad hoc vero ut per votum quis ſe obliget, ſufficit intentio virtualis & implicita ſe obligandi: ut cum quis ſciens votum obligare, deliberate vovet, licet de hac obligatione actu non cogitet; vel ignorans voti naturam, vult tamen votum facere prout in ſe eſt, aut ſolitum eſt fieri, ſeu facere quod alii faciunt, dum vovent. Tunc enim virtualiter & implicite ſe obligare intendit: non aliter ac qui ſuſcipit ſacrum Ordinem, ignorans illi adnexum eſſe votum ſeu obligationem caſtitatis. Non requiritur tamen ut vovens dicat expreſſe *Voveo*, *promitto*, *me obligo*; ſed ſatis eſt ut hoc æquivalenter & implicite interius dicat cum intentione ſe obligandi. Dico *cum intentione ſe obligandi*: quia in hoc diſtinguitur promiſſio voti a ſimplici promiſſione, quæ eſt ſolum propoſitum; ut fit in actu contritionis, in quo fugam peccati promittimus, non tamen vovemus. Ad validitatem voti ſufficit etiam conſenſus tacitus: ut fit in ſuſceptione ſacri Ordinis, qui licet ſuſcipiatur ſine voluntate ſe obligandi continentiæ; eo ipſo tamen quod quis accedit ad Ordinem ſacrum ſuſcipiendum, tacite aſſentitur obligationi continentiæ.

Quarta, quod hæc fiat Deo. Votum eo quia fit actus religionis & latriæ, quæ cultum divinum Deo debitum reſpicit, fieri nequit niſi Deo. Unde promiſſio facta B. Virgini, recitandi Roſarium, ieiunandi in ſabbato, aliæque ſimiles promiſſiones Sanctis factæ, uti etiam promiſſio obedientiæ quæ fit Prælatis, non ſunt vota, niſi prout ſaltem virtualiter & implicite fiunt Deo ſub invocatione B. Virginis aut alicuius Sancti: ſicuti votum obedientiæ quod fit Prælatis, fit Deo in manu hominis ut eius Vicarii, ideſt fit homini cum relatione ad Deum. Alias hoc non eſſet votum, ſed pura promiſſio facta homini; & vota facta B. Virgini vel Sanctis, eſſent religioſæ promiſſiones pertinentes illæ ad cultum hyperduliæ, hæ ad cultum duliæ.

Quinta, quod ſit de bono meliore. Votum denique eſſe debet promiſſio de re ſeu de bono meliore, ideſt de eo quod, omnibus ſpectatis, ad ſalutem utilius & Deo eſt gratius quam directe oppoſitum ſeu negatio illius: quia votum de aliqua re virtuoſa gratum debet eſſe Deo. Nam promiſſio alicui fit ut ei gratificemur; quod fieri nequit, niſi ei melius ſit id habere quod eidem promittimus, quam non habere. Alias promiſſio huiuſcemodi eſſet contra reverentiam Deo debitam: quia offerremus ei quod ipſi placere nequit; & hoc eſſet illi quodammodo illudere, niſi ignorantia excuſaret. Quare invalidum eſt votum & iuramentum de rebus oppoſitis conſiliis evangelicis abſolute ſumptis, ut votum non ieiunandi, non ingrediendi Religionem, non elargiendi eleemoſynam: quia ex ſe talia vota impediunt executionem maioris boni; nec Deo placere poteſt quod eſt maioris boni impeditivum. Valet tamen, ſi fiat cum aliqua moderatione aut circumſtantia, ratione cuius opus non amplius opponatur conſiliis, ſicuti apparebat; immo ſit potius conſilium cum tali circumſtantia opus illud exequi. Idcirco valere poteſt votum non ieiunandi, aut non elargiendi eleemoſynam, tali tempore & loco; in quibus circumſtantiis melius & conſultius ſit non ieiunare, & eleemoſynam non elargiri. Item licet votum non ingrediendi Religionem & matrimonium contrahendi abſolute ſumptum non teneat; cum cœlibatus melior ſit quam matrimonium: quando tamen matrimonium iudicetur remedium neceſſarium voventi ad vitandam incontinentiam; tunc valet votum favens matrimonio. Ait enim Apoſtolus I. ad Corinth. cap. VII. *Melius eſt nubere quam uri*. Item ſi quis voveret, pauperculam vel perditam ducere uxorem.

Quando validum eſſe poſſit de non vovendo. Eadem ratione valeret votum de non vovendo, ſcilicet factum cum ſua moderatione: ut non vovendi niſi in ſcripto, niſi de conſilio aut mandato Confeſſarii, niſi coram teſtibus, ne ſe periculo exponeret tranſgreſſionis & vovendi præcipitanter: quia hæc eſt conditio congrua & conveniens ad illud licite & prudenter emittendum quod Deo gratius eſt. Et revera ſi cum promiſſione de non vovendo habuit vovens animum ſe non obligandi niſi cum illis circumſtantiis: ſi poſtea contra tale votum, ideſt extra circumſtantias, oppoſitum voveat, hoc ſecundum votum invalidum eſſet; cum prior illa voluntas virtualiter permanens non cenſeatur retractata. Si vero non habuit intentionem expreſſam ſe non obligandi in voto ſine illis circumſtantiis: tunc votum factum valeret; quia eſt de re bona, Deo accepta, etſi illicite promiſſa. Etenim plura ſunt quæ non licent; & tamen facta tenent: ut matrimonium contractum ab eo qui emiſit votum ſimplex caſtitatis, quod etſi illicitum, validum tamen eſt.

Non petendæ diſpenſationis, num ſit validum. Votum cum conditione de non petenda diſpenſatione, commutatione, irritatione, ob quamcumque etiam legitimam cauſam, non tenet, niſi quando eſt utilius ſaluti ipſius voventis ſervare tale votum: ita ut non

non teneat, ſi vovens ſit in gravi periculo tranſgreſſionis; & licite poſſit petere diſpenſationem. Tenet igitur, quando utilius ſit ſaluti ſpirituali voventis: quia eſt de re meliore & grata Deo.

Qui vovit ſe non petiturum diſpenſationem, non eſt impeditus a petenda commutatione vel irritatione, & econtra: quia hi ſunt modi prorſus diſtincti; nec excluſio unius includit excluſionem etiam alterius, dummodo aliter non conſtet de Mente voventis.

Quid de votis indirecte impeditivis maioris boni.

Si quis autem voveret non ingredi niſi talem Religionem, non elargiri eleemoſynam niſi decem aureorum, non recitaturum orationem niſi flexis genibus; diſſident doctores circa valorem huiuſcemodi votorum. Etenim alii ſentiunt non tenere: quia in caſu quo vovens ingredi non valeat talem Religionem, elargiri nequeat tantam eleemoſynam, orare flexis genibus; talia vota eſſent impeditiva melioris boni, nempe ingrediendi alteram Religionem, dandi minorem eleemoſynam, orandi vel ſedendo, vel ſtando. Econtra vero docent alii, quod teneant: quia ſemper directe ſunt de meliore bono, nec directe maius bonum impediunt, licet indirecte ſint impeditiva boni maioris. Melius enim eſt eſſe obligatum uni Religioni, quam nullæ, elargiri in alieno ſinu decem aureos quam nullum.

Invalidum eſt votum de re illicita.

Non tenet vero votum de re illicita: immo promiſſio eſt mortalis contra religionem ob gravem irreverentiam contra Deum; etiamſi, ſecundum graves doctores Suarez, Leſſium, Reginaldum, alioſque, res iſta ſit ſolummodo venialiter mala, & ut talis a vovente cognoſcatur. Ita enim attribuitur Deo approbatio peccati ſaltem venialis: quod directe repugnat ſummæ eius ſanctitati & bonitati. Item non tenet votum de re optima, ſed ad rem malam obtinendam, vel ad gratias agendas pro re mala obtenta, v. g. vindicta; non autem præciſe pro bono effectu ex peccato ſecuto. Deus enim non acceptat aliquid ut ſit auctor peccati, vel ut illud promoveat, vel in gratiarum actionem pro eo: quia eſſe auctorem peccati, licet venialis, ſanctitati ac bonitati divinæ repugnat. Tenet tamen votum de actione bona ſub conditione turpi adiecta in eius odium; ut de eleemoſyna danda, ſi peccaveris. Nam quod directe promittitur, eſt bonum melius, & ordinatur ad actum bonum, nempe in odium & vindictam peccati, ſi committatur.

Item de re indifferenti.

Similiter irritum eſt votum de re prorſus indifferenti; cum nihil hæc conferat ad cultum Dei, nec ei placeat. Immo huiuſcemodi votum eſt cultus vanus ac ſuperfluus, & culpa ſaltem venialis: votum enim debet eſſe de re virtuoſa & meliore quam eius oppoſitum. Ad hoc vero ut res indifferens fiat honeſta, non ſolum eſt ordinanda ad honeſtum finem; ſed inſuper ex ſe vel ex circumſtantiis debet eſſe apta ad finem illum obtinendum. Quare ſuperſtitioſum & nullum eſſet votum non edendi capita animalium in honorem S. Ioannis Baptiſtæ, vel carnes aſſas in honorem S. Laurentii. Porro voti illiciti executio eamdem habet malitiam quam eiuſdem voti emiſſio: etenim quod fit ex obligatione voti, approbat ipſius emiſſionem.

Nec non de re impoſſibili.

Votum pariter fieri debet de re poſſibili: alias ſtulta & illuſoria eſſet promiſſio quæ impleri non poſſet; cum nemo teneatur ad impoſſibile. Unde nullum eſt votum de ſemper vitando omni peccato veniali, etiam cum imperfecta deliberatione. Nam in præſenti vita cum ordinariis auxiliis hoc eſt impoſſibile; cum ad hoc ſpeciale privilegium requiratur, ut ex Concilio Tridentino *ſeſſ. VI. can XXIII.* Sentiunt tamen doctores, valere tale votum ſi ſit de venialibus cum perfecta deliberatione; ut factum legimus a ſanctis & doctis viris: quia hoc cum divina gratia ſine privilegio eſt poſſibile.

Valet, de re aliàs præcepta.

Valide vero immo laudabiliter etiam fit votum de re aliqua ad quam ex alia parte, puta ex præcepto, ſumus iam obligati: & per tale votum novum inducitur vinculum. Ita docent doctores ex perpetuo uſu Eccleſiæ, in qua non ſolum vovetur abſtinentia a nuptiis, ſed etiam ab omni illicita voluptate extra matrimonium; licet hæc ſit iam omnibus præcepta. Et eo vel maxime voveri poſſunt opera præcepta; quia ſunt Deo gratiſſima, & hæc promiſſio novam inducit obligationem. Etenim etiam in civilibus poteſt aliquis debitor pluribus titulis ad idem ſe obligare, ut ex iuſtitia, & gratitudine. Unde violatio talis voti duplicem habet malitiam: unam contra præceptum, alteram contra religionem.

Requiritur tandem ad valorem voti, quod vovens non ſit iure poſitivo inhabilis ad vovendum. Sed de hoc infra ſermo redibit, cum agendum occurret de votis quæ irritari poſſunt.

§. II.

De diviſione voti.

Votum dividitur primo in ſimplex, quod eſt

eſt nuda promiſſio facta Deo ſine ſolemnitate; ut ieiunandi, Religionem ingrediendi: & in ſolemne, quod eſt traditio & conſecratio ſui ipſius divino cultui, cum præſcriptis ſolemnitatibus facta, & Dei nomine ab Eccleſia acceptata. Duo ſunt huiuſce generis vota: ſcilicet caſtitatis in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, & profeſſionis religioſæ in Religione a Sede Apoſtolica approbata. Dividitur ſecundo in perſonale, quod eſt promiſſio actionis vel omiſſionis, quam ipſe vovens per ſe ipſum præſtare debet; ut ieiunandi, orandi, abſtinendi a ſpectaculis: in reale, quod eſt promiſſio rei; ut pecuniæ vel alterius rei pretio æſtimabilis, quæ non ſit actio voventis: & in mixtum, quo promittitur & actio vel omiſſio perſonalis, & aliquid pretio æſtimabile ab ea diſtinctum; ut votum eundi ad aliquod templum, & calicem v. g. ibi offerendi. Dividitur tertio in temporale, quod ad certum tempus durat; ut votum ieiunandi per menſem: & in perpetuum, quod per totam vitam voventis perdurare debet; ut votum perpetuæ caſtitatis. Dividitur quarto in abſolutum, quod fit ſimpliciter ac ſine ulla conditione; ut Voveo caſtitatem: & in conditionatum, quo aliquid promittitur ſub conditione; ut Voveo peregrinationem, ſi ſanitas reſtituatur patri. Huiuſcemodi conditio mere contingens ſuſpendit obligationem voti, donec ipſa perficiatur: ſecus, ſi conditio ſit de re neceſſaria; puta de ortu Solis, vel de re alia, quæ licet in ſe contingens ſit, certo poſita fuiſſe noſcitur. Hinc votum ſic emiſſum ſtatim obligat: quia tunc potius eſt abſolutum quam conditionatum. Fit quippe non ex affectu ad conditionem; ſicuti qui aliquid vovet, ſi convaluerit: ſed ex affectu ad rem promiſſam; ut ille qui vovet Religionem, ſi eius pater obierit. Nam hic vovet non ex affectu ad mortem patris, ſed ex affectu ad Religionem. Dividitur tandem in morale quod ſpectat ad mores; ut ſtimulus & exercitium virtutis: & in pœnale, quo promittitur aliquid faciendum in pœnam criminis, ſive iam admiſſum ſit, ut Voveo ieiunium, quia temere iuravi; vel contingat illud committi, ut Voveo eleemoſynam, ſi forte iuravero. Idcirco in remedium peccati.

§. III.

De modo quo votum obligat, de iis quos obligat, ac de tempore quo obligat.

De fide certum eſt, votum ex ſe & ex natura ſua inducere gravem obligationem in conſcientia adimplendi quod promiſſum eſt. Idcirco in materia gravi mortaliter delinquitur, promiſſa Deo non ſolvendo. Primum *Deuter. cap.* XXIII. colligitur, & confirmat D. Thomas *Quodlib.* III. *art.* 12. ubi dicit hæreticum eſſe, ſi aſſeratur votum non obligare; & *Opuſc.* XVIII. *cap.* XII. inquit eſſe inſanum. Quod autem obliget in materia gravi ſub mortali cum communi docet idem Doctor Angelicus in *IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* c. *art.* 3. necnon 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 3. Et revera ſi ex natura ſua mortale eſt non ſervare proximo iuſtitiam; multo magis hoc erit non ſervare Deo fidelitatem, erga quem maior quam ergo proximum eſt noſtra obligatio. Tranſgreſſio voti pertinet ad primum Decalogi præceptum. Ita D. Thomas *Quodlib.* III. *art.* 12. & 2. 2. *quæſt. c. art.* 4. *ad* 1. Quia eſt contra religionem & latriæ cultum Deo debitum: & ideo contra præceptum de Deo colendo. Tranſgreſſiones omnium votorum ſunt peccata eiuſdem ſpeciei: quia omnia ſunt contra eumdem actum religionis, qui eſt votum. Unde cum votum non cadat ſupra materiam alias debitam: non eſt neceſſe exprimere in confeſſione materiam promiſſam, & non impletam; ſed quoties violatum fuerit votum. Materia autem voti illa gravis eſt de qua dari poteſt præceptum obligans ſub mortali. Unde qui ſemel non implet votum v. g. ieiunandi aut confitendi, peccat mortaliter: quia hæc materia gravis eſt, & ſufficiens ad mortale in præceptis Eccleſiæ. In materia vero levi ex communi votum obligat ſolum ſub veniali: quia votum eſt quædam lex privata quam aliquis ſibi imponit, & quædam ſpecies pacti; lex autem & pactum non imponunt obligationem niſi proportionatam materiæ. Præterquam quod omiſſio fidelitatis & iuſtitiæ in re parvi momenti non cenſetur gravis iniuria & offenſa; & res ex omni parte levis non eſt capax obligationis gravis; nec pendet ab hominum voluntate obligationem gravem alligare rei quæ non eſt illius capax; nec Deus videtur acceptare talem irrationabilem obligationem. Idcirco qui voviſſet dare ſingulis anni diebus unum aſſem pauperibus, peccaret ſolum venialiter ſemel aut bis omittendo: ſecus vero, ſi ſtatuiſſet non implere votum; quia materia talis voti collective ſumpta gravis eſt.

Docent non pauci, poſſe voventem ſe obligare in re gravi ſub veniali, ſi expreſſe velit (excipe tamen vota ſtatus religioſi,

Votum obligat ſub gravi in re gravi.

Sub levi in re levi.

An vovens poſſit ſe obligare in re gravi ſub levi.

quæ graviter in perpetuum obligant, niſi Eccleſia aliter ſtatuerit) quia cum obligatio ſit lex privata quam ex propria voluntate & electione quis libere ſibi imponit; pendet a voluntate voventis: & legiſlator poteſt etiam in materia gravi velle tantum ſe obligare ſub veniali. Quando autem non conſtat de alia ſpeciali intentione voventis; non aliter obligat votum in quavis materia, quam ſi de ea re eſſet lex a Deo vel ab Eccleſia lata. Unde votum ieiunandi aut audiendi ſacrum obligat ad modum præcepti eccleſiaſtici de eadem re; ideoque modo eodem eſt ſervandum; & vovens excuſatur a voto adimplendo in iis circumſtantiis in quibus excuſaretur a præcepto Eccleſiæ, niſi aliter expreſſe vel virtualiter intenderit. Ceterum violatio voti præter malitiam irreligioſæ perfidiæ & infidelitatis erga Deum involvit deformitatem ſacrilegii, ſaltem ſecundum aliquam eminentiam: nam per violationem voti Deo denegatur quod fuit ipſi dicatum per promiſſionem.

Vota perſonalia obligant tantum voventes.

Votum perſonale non obligat niſi voventem; immo nec per alium impleri poteſt: quia res promiſſa eſt propria actio vel omiſſio voventis, non alterius. Unde ſi per ſe vovens illud implere poteſt, non tenetur per alium implere; dummodo id expreſſe non intenderit. Per votum vero reale obligatur vovens aut per ſe, aut ſi per ſe ipſum implere nequeat, ad ſatisfaciendum per alium de propriis bonis. Nam res promiſſa eſt bonum temporale voventis, quod eius nomine tradi poteſt etiam per alium. Ideoque

Realia etiam heredes.

ex communi heredes tenentur adimplere vota realia defuncti ſecundum vires hereditatis, ſalva legitima heredis neceſſarii: ex *cap.* VI. *de teſtament.* & *l.* II. §. *de pollicit.* Etenim heres tenetur ex iuſtitia ſolvere gravamina adnexa hereditati: quia ex contractu implicite inito in ipſius acceptatione, cum tali onere ſuſcepit. Sicut enim omnia commoda & iura defuncti acquirit; ita ſuſcipit debita & onera realia bonis adnexa: inter quæ computandum eſt id quod Deo fuit promiſſum; cum hoc ſpeciali iure ſit ipſi debitum. Et ſi plures ſint heredes, quiſque tenetur pro rata, iuxta portionem hereditatis quæ ei obtigit; niſi res debita ab uno poſſideatur, & ſit individua. Idem valet de voto

Quid de votis mixtis.

mixto, ideſt ex ea parte qua eſt perſonale, ſuppleri debet, ut dictum eſt de perſonali; & ex ea parte qua eſt reale, ut expoſitum eſt de reali. Hinc aggravatur heres ex ea parte qua votum eſt reale, non ex ea qua eſt perſonale, ita ut ſi quis voverit viſitare aliquam Eccleſiam cum præſentatione alicuius oblationis; heredes tenentur ſatisfacere pro oblatione, non pro peregrinatione: niſi forſan heres hanc promiſerit, aut hoc pacto factus ſit hæres. Porro vota præ-

Vota præferenda omnibus legatis.

ferenda ſunt in ſolutione omnibus legatis etiam piis: quia legata ſunt libera & gratioſa; vota vero debita obligatoria. At debita omnia ex iuſtitia ſunt præferenda debitis ratione voti. Votum enim implendum eſt ex propriis bonis ipſius voventis: & tunc ſolum ſunt eius bona, quando remanent, deducto ære alieno.

Vota facta pro altero, an illum obligent.

Si quis factum alterius voverit, curare debet, quantum poteſt, ut alter impleat: hoc enim cenſetur intendiſſe. Alter tamen nullatenus ad id tenetur, niſi tali voto ipſe etiam conceſſerit: nam votum non obligat niſi eum qui promiſit. Unde filii non obligantur votis parentum qui eos Religioni devoverunt; niſi filii hoc approbaverint (*cap.* XIV. *de Regular.*) quando ad uſum rationis pervenerunt. Si autem populus voverit feſtum vel ieiunium, accedente Epiſcopi approbatione; ad hoc tenentur etiam poſteri: non ex vi voti, ſed ex præcepto Epiſcopi ſua approbatione implicite tale feſtum aut ieiunium præcipientis.

Quid circa tempus ad implendi votum.

Circa vero tempus quo votum impleri debeat, dicendum eſt cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 3. *ad* 3. quod cum obligatio voti pendeat a voluntate & intentione voventis; idcirco ſi intendebat ſtatim obligare, ſtatim tenetur: ſi autem ad certum tempus, aut ſub certa conditione, non tenetur ſtatim; ſed nec retardare debet ultra quam, dum votum emiſit, ſe intendebat obligare. Dicitur enim Deuter. cap. XXIII. *Cum votum voveris Domino Deo tuo; non tardabis reddere: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Proinde qui tempus non definivit, tenetur quam primum commode poteſt votum implere: & ſi rationabiliter timeat perpetuum impedimentum implendi, tenetur ulterius non deferre. Ita ut quando non ſit attendenda impletio conditionis voto appoſitæ, differre votum in duobus caſibus eſt mortale. Primo, ſi negligentia notabili iudicio viri prudentis procraſtinetur votum ultra tempus ad quod vovens ſive explicite, ſive implicite ſe obligare intendebat: quia talis vovens tenetur implere votum ſtatim ac poteſt, ſalvo tamen tempore quod iudicio viri prudentis tuta conſcientia ei conceditur ad commode ſe diſponendum. Immo Silveſter iudicat inculpabilem eum etiam qui procraſtinat ex

ſpe

ſpe maioris commoditatis; vel qui ſine magna negligentia oblitus eſt ex multitudine occupationum, vel rei parvitate, & huiuſmodi. Secundo, quando vovens non determinavit tempus, & probabiliter timet poſſe occurrere impedimentum perpetuum pro voto exequendo: quia in tali caſu votum ſtatim ac fit, obligat abſolute ut quamprimum commode ac recte fieri poteſt, iudicio prudentium impleatur. Nam ſtatim moraliter loquendo exigitur a Deo, iuxta illud *Deuter. cap.* XXIII. Non tamen eſt mortale differre ad breve tempus; modo votum ante impedimentum prævifum perſolvi poſſit: quia in illa brevi mora, ſicuti datur in aliis materiis poteſt eſſe parvitas materiæ. Porro ſi votum fuerit negativum, ſeu de aliqua omiſſione, toties mortaliter delinquitur, quoties fit actio omittenda: quia tale votum ad inſtar præcepti negativi obligat pro toto tempore pro quo factum eſt; & omnis omnino omiſſio promiſſa eſt.

Quid de votis affixis tali tempori.

Si quis vero vovit tali præfixo tempore, ideſt ſi votum certæ diei ſit affixum (v. g. ieiunandi feria ſexta) peccat, ſi ſine legitimo impedimento non ieiunet; & tenetur alia die votum implere, etiamſi deficiat ex impotentia obligationi: quia æqualiter ac ille qui promiſit dare decem tali die, duo contrahit debita & præcepta, ideſt ieiunandi, & ieiunandi tali die. Non tenetur vero, ſive deſit ex impotentia, ſive ex negligentia ieiunare tali die, votum alio die implere; licet, ſi deſit ex negligentia, peccet: quando ex intentione voventis, vel ex natura rei promiſſæ ſit eadem obligatio affixa tali diei ob aliquem finem qui exſpiret cum eadem die; ut ſi tali diei voviſſet ieiunium principaliter in devotionem & honorem alicuius myſterii vel Sancti cuius tunc memoria celebratur. Tunc enim obligatio cum eadem die extinguitur; cum vovens intenderit ſe obligare tali die, & non alia: ideoque ne tenetur quidem in tali caſu prævenire impedimentum quod probabiliter tali die futurum timet; quia ſicuti eius obligatio terminatur tali die, ita nonniſi tali die incipit.

Quædam circa determinationem temporis adnotantur.

Sed ne quid ad clariorem huius rei notitiam poſſit deſiderari, notandum reſtat circa temporis determinationem ad votum implendum, videlicet quod tempus poteſt determinari vel ut terminus ad finiendam obligationem, vel ad executionem voti ſollicitandam. Primo modo, ut ſi quis voveat ieiunare ſingulis feriis ſextis huius anni: & tunc, completo hoc anno, finitur eius obligatio, & terminatur votum; quia tunc vovens æque principaliter intendit votum ac tempus, ideſt ieiunare, & ieiunare illis diebus ſolummodo huius anni, & non ultra. Alio modo, ut ſi quis voveat ingredi Religionem intra annum: & peccat, ſi abſque legitima cauſſa Religionem intra annum non ingrediatur, & ſemper poſtea perſeverat eius obligatio ingrediendi Religionem; quia tunc principaliter intelligit ingreſſum Religionis & tempus aſſignatum tamquam ſolam conditionem ad ſollicitandam voti executionem, ideſt ad providendum ne talis executio, ſi moraliter fieri poſſit, ultra tale tempus differatur. Quod ſi, omnibus inſpectis, dubitet num votum factum ſit ad finiendam obligationem, an vero ad ſollicitandam executionem; ſecundum probabiliorem communioremque doctorum ſententiam tenetur talis vovens, etiam tranſacto illo tempore, votum implere: quia cum ſit certus de voti emiſſione, & dubitet de circumſtantia excuſante; potior ratio militat pro voto, & illi ſtandum eſt, donec oppoſitum non conſtiterit.

§. IV.

De votis indeterminatis.

Votum poteſt eſſe indeterminatum ſeu indifferens vel ſecundum quantitatem temporis; ut ſi vovens ieiunium non determinat quot dies debeat durare: vel ſecundum quantitatem rei; ut ſi vovens eleemoſynam non determinet quantum promittat: vel ſecundum etiam qualitatem; ut ſi promittas calicem Eccleſiæ, non determinando aureum vel argenteum: vel ſecundum numerum; ut ſi plures res promittantur ſub disiunctione, non determinando iſtam vel illam: aliiſque diverſis modis occurrere poteſt hæc indeterminatio.

Si votum ſit indeterminatum quoad primum modum, determinari debet ſecundum intentionem voventis, quando de ea conſtare poſſit: cum ſit voluntaria obligatio quam ſibi imponit; ipſique competit ampliare vel reſtringere obligationem. Et hæc intentio ex circumſtantiis aliiſque occurrentibus debet præſumi. Quod ſi de tali intentione non conſtet, reſpicienda eſt materia promiſſa, & ſecundum illam iudicandum eſt obligari: eo ſane modo quo aliæ leges & præcepta obligant in tali materia in qua præſumitur aſſumere ſibi obligationem, prout materia promiſſa exigit, & adinſtar aliarum legum quæ dantur de eadem materia,

Vota ambigua quomodo interpretanda.

ria. Quare qui promiſit ieiunium, intelligendum eſt de ieiunio eccleſiaſtico, ſecundum modum quo Eccleſia ſolet illud obſervare. Et ſi, circumſtantiis omnibus inſpectis, adhuc remaneat dubium de intentione voventis; votum benigne interpretandum eſt, ut quoad fieri poſſit, minus obliget, ſervata verborum proprietate ſecundum communem modum accepta: quia non eſt imponenda obligatio, ſi de illa clare non conſtet, ut in *cap.* Ex parte *de cenſib.* Et in tali caſu, cum ſimus in odioſis, valet illa regula iuris: *Odia ſunt reſtringenda.* Idcirco qui vovit ieiunium, vel audire ſacrum, vel recitare certas preces, tenetur ieiunium obſervare eo modo quo alia ieiunia ab Eccleſia præcepta, cum tali etiam privilegio ut non abſtineat a lacticiniis, ſi ieiunium promiſſum occurrat die quo Eccleſia in ieiunio a ſe præcepto concedit lacticinia; recitare certas preces promiſſas integre, attente, ac devote, & verbaliter, ſicut ad divinum officium requiritur ab eo qui ad illud tenetur (aliqui tamen contrarium ſentiunt de recitatione verbali, ut impleri poſſit, præcipue ex voto, etiam per recitationem mentalem, ſi vovens habeat in conſuetudine recitandi mentaliter orationem vocalem) item audire ſacrum eo modo quo in feſto alii fideles ad auditionem tenentur. Et ſi quis voverit ſacrum audire die aliquo feſto, puta die Aſſumptionis B. Virginis, tenetur audire aliam Miſſam diſtinctam ab ea ad quam tenetur cum aliis fidelibus pro die feſto: quia ex modo vovendi colligitur, ipſum ad amplius ſe voluiſſe obligare, quam alias ex præcepto iam teneretur. Videtur quidem, quod ſi voviſſet audire ſacrum ſingulis diebus per annum, tunc ſatisfaceret, ſi feſtis diebus occurrentibus, uni dumtaxat ſacro aſſiſteret: quia votum in benignam partem eſt interpretandum, cum determinatum non ſit, & non ſit credendum ſe voluiſſe duplici ſacro obligare, niſi de oppoſita intentione conſtet.

Quid de vovente ieiunium qualibet feria ſexta, quando in hanc occurrat Nativitas Domini. Num vero qui vovit ieiunium qualibet feria ſexta per annum, teneatur ieiunare die Nativitatis Domini, quando in hanc occurrat? ſecundum aliquos non tenetur: quia, dicunt ipſi, cenſetur votum emiſiſſe ſecundum morem Eccleſiæ quæ in tali ſolemnitate, occurente etiam feria ſexta, excuſat a carnium abſtinentia. Probabilior tamen docet, quod teneatur: quia ita definitum videtur a iure canonico in *cap. fin. de obſervant. ieiun.* ubi ex generali conſuetudine ii excipiuntur qui voto aut regulari obſervantiæ ſunt adſtricti. Nec valet hic dicere, textum loqui de iis qui expreſſe voverunt tali ſolemni die ieiunare, etiamſi occurrat feria ſexta: quia textus loquitur abſolute; ideoque ligat eos etiam qui ſe expreſſe non declararunt.

Quid ſi votum duabus partibus conſtet. Si ex duabus partibus in voto indeterminato promiſſis, altera pereat, antequam vovens ſe determinet: v. g. ſi habeat in domo duos calices, quorum unum promiſit ex voto donare alicui Eccleſiæ, & ſit in mora reddendi calicem promiſſum, vel ſe determinandi quemnam ex iis donare velit, unus furtive ei auferatur, aut eius cauſſa alio modo pereat; tenetur dare Eccleſiæ calicem qui ſupereſt. Obligatus enim erat ad unum ex illis; & cum unus ſuperſit, poteſt obligationem implere: etenim non minus unus quam alter, licet indeterminate, eſt voto obligatus, ideoque cum calice qui remanſit, voto ſatisfaciendum eſt; & eo vel maxime, quia æquum non eſt ut ex ſua culpa commodum reportet. Si vero quando unus calix periit, non erat in mora, nec ſua culpa periit; non tenetur tribuere calicem ſuperſtitem: quia non promiſit calicem ſuperſtitem in individuo tradere, ſed vel unum, vel alium quem elegerit; & ſic voluit ſibi reſervare electionem inter duas res. Igitur cum ſine ſua culpa impoſſibilis reddatur electio, non remanet determinata obligatio: alias eſſet contra intentionem promittentis. Quare ut electio ipſi relinquatur, & eo modo quo poteſt obligationem adimpleat, tradere tenetur vel rem ſuperſtitem, vel æſtimationem eius quæ periit: cum ad amplius ab initio ſe non obligaverit, caſu quo ipſe cauſſa fuerit quod perierit.

Item qui amiſit virginitatem quam vovit, tenetur ad ſervandam caſtitatem. Et ita docet D. Thomas in *IV. diſt.* XXXVIII. *art.* I. *ad* 3. cum continentia habeat relationem ad virginitatem, & aliqualem etiam æquivalentiam: quod ſatis eſt ut impleat eo modo quo poteſt ſuam promiſſionem apud Deum, qui non exigit ab homine, ait ſanctus Doctor, ultra poſſe.

Qui vero vovit ſolummodo Religionem, non etiam caſtitatem; ſi non ingrediatur Religionem, ſive inculpabiliter, ſive culpabiliter, non tenetur ad caſtitatem: quia in voto nihil plus intendit quam Religionem. Idcirco valide poteſt contrahere matrimonium, etiamſi culpabiliter reſiliat a ſua promiſſione: & licet in primo actu coniugali peccet contra votum caſtitatis; non vero in aliis, cum ad eam ſervandam factus ſit inhabilis. Sed ſi cum Religione voviſſet etiam caſti-

caſtitatem, ſive admittatur ad habitum, ſive non; tunc tenetur caſtitatem ſervare: quia cum Religione vovit etiam caſtitatem. Ita Sylvius. Si quis autem voverit ingredi Religionem ſtrictam, & mitiorem ingreſſus in ipſa profiteatur; non tenetur tranſire ad ſtrictam; quia votum ſolemne, cui ſeſe addixit in hoc Ordine licet mitiore, eſt magis obligatorium, & magis ligat quam votum quod ante emiſerat; ſicuti qui matrimonium contra votum ſimplex caſtitatis contraxit, tenetur vi talis contractus reddere debitum coniugale. Ita Pontas v. *Votum caſ.* xxxi. & D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 8. *ad* 3. Qui pariter vovit ingredi Religionem abſque eo quod ullam in ſpecie determinet, non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi reiiciatur ab una cui recipiendum ſe obtulerat; ſed debet aliam quærere. D. Thomas *in III diſt.* xxxviii. *quæſt.* 1. *art.* 2. & Pontas v. *Votum caſ.* xxix. At ſi voveat Religionem reſpectu talis Religionis ſpecialis vel Monaſterii, & ab ipſis reiiciatur; non tenetur ulterius aliam Religionem vel Monaſterium inquirere ut recipiatur: quia ex tali repulſa merito conüicere poteſt ſe non deſtinari vera vocatione religioſæ profeſſioni. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 3. *ad* 2. & Pontas v. *Votum caſ.* xxx.

§. V.

De voto dubio.

Dubitans, num votum emiſerit, necne, ſi poſt diligentem inquiſitionem nulla ei appareat probabilis coniectura, quod votum illud fecerit, non tenetur illud exequi: quia cum obligatio voti ſupponatur ſine rationabili fundamento, irrationabiliter adfirmatur. Nemo enim tenetur obligatione quam nullo rationabili fundamento ei conſtat ſe habere.

In æquali vero utrimque probabilitate votum ſervandum eſt, ut graves doctores ſentiunt. Nam tunc prudenter negari nequit votum factum non fuiſſe: immo cum in dubiis tutior pars ſit eligenda; qui votum non impleret, ſe peccandi periculo exponeret. Nam cum lex certa habeatur de non violando voto; eo ipſo quod dubitatur an aliquid voverimus, dubitatur an illud omittendo violemus hanc legem, & peccemus. Etenim qui agit cum dubio an peccet, ſe peccandi periculo committit, ac reipſa peccat.

Multo magis ſervare votum tenetur qui ſciens poſt ſeptennium ſe voviſſe, dubitat an intentionem habuerit ſe obligandi, vel ſufficientem advertentiam: quia actus præſumitur factus eo modo quo ſolet & debet fieri, niſi contrarium conſtet; & res in dubio iudicari debet ex communiter contingentibus; & quia, probato facto, præſumuntur interveniſſe omnia ad factum neceſſaria.

Si quis autem paulo poſt quam votum emiſerit, dubitet an intentionem habuerit aut plenam deliberationem vovendi & ſe obligandi, an vero fuerit ſimplex propoſitum; ordinarie præſumitur non voviſſe: quia vota quando vera ſunt, fiunt cum tanta advertentia & deliberatione, ut quiſquis facile recordari poſſit, quod votum emiſerit.

Dubitans an materia ſui voti ſit honeſta & poſſibilis, videtur ad votum ſolvendum non teneri: cum dubitetur de eo quod neceſſarium eſt ad voti ſubſtantiam; nimirum num materia ſit apta ad votum. Tenetur vero ille qui certus de voto, dubitat an votum emiſerit metu coactus qui cadat in virum conſtantem: quia certum deſtrui non debet per incertum.

Similiter qui certus eſt de voto, ſed dubitat an illud impleverit; dummodo ex motivo aliquo aut ratione probabili non opinetur ſe impleviſſe, implere tenetur: quia debitum certum ſolutione dubia non impletur. Quod ſi votum ſit conditionatum, & dubitaret an conditio eſſet impleta; non tenetur ad votum: quia ſe non obligavit ad promiſſa in voto, niſi poſita conditione. Tenetur quidem ſuper hoc attendere ut ſciat quando conditio purificetur, ad hoc ut ſtatim obligationem voti adimpleat: ſi tamen certus de voto, dubitet an res ita notabiliter mutatæ ſint, ut ab eius obligatione excuſetur, certe tenetur illud implere; cum æquum non ſit excuſatione dubia liberari ab obligatione certa.

Quando vero ſolum dubitatur de qualitate aut quantitate rei promiſſæ, votum explicandum eſt ſecundum voventis intentionem, ultra quam non obligat, ut *Deuter. cap.* xxiii. Nam (ut ait D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 4.) ſi de intentione non conſtet, hæc elicienda eſt ex coniecturis, ex materia, & præſertim ex fine quem in voto ſpectavit: cum cauſſa finalis ſeu ratio qua volumus, ſit menſura rei volitæ. Et ſi, hiſce inſpectis, adhuc dubium remaneat; tunc votum explicandum eſt iuxta communem & uſitatam acceptionem verborum quibus uſus eſt vovens in voto emittendo. Etenim quiſque cenſendus eſt, illud velle facere quod verba in eorum ſenſu uſitato accepta indicant. Si vero non recordetur verborum quibus uſus eſt; in tali caſu

ſu ſequi debet tutiorem partem, iuxta regulam iuris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: uti docet etiam D. Thomas in *IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* 3. *ad* 6.

§. VI.

De voto perſonali.

Votum perſonale eſt illud quo quis vovet aliquam rem pœnalitatis, ieiunium v. g. aut eleemoſynam, ut vitium aliquod ſeu moralem defectum a ſe removeat; ut ludum, fornicationem, blaſphemiam. Votum perſonale poteſt eſſe ſimplex; ut cum quis vovet ſolum ſubire pœnam, ad hoc ut vitet defectum: & in tali caſu ſi non abſtineat a defectu, non peccat ex vi voti; ſed ſolum ſi promiſſionem non adimpleat pœnæ. Poteſt etiam eſſe duplex; ut ſi voveat abſtinere a vitio, & in defectu talem pœnam ſubire: ut v. g. ſi quis voveat abſtinentiam a ludo, & ſimul ſe ſubiicere ieiunio aut eleemoſynæ, ſi a ludo non abſtineat, peccat, ſi ludat, contra votum de non ludendo; & ſi pœnæ non ſatisfaciat, peccat contra alterum votum de pœna, ſi ludat, ſubeunda. Nam hoc votum duplicem importat obligationem: & non ludendi; & ieiunandi, aut eleemoſynæ erogandæ, ſi vovens a ludo non ſe contineat. Sive tamen votum pœnale duplex ſit, ſive ſimplex; ſi vovens dum incidit in rem quam vitare vult, v. g. dum ludit, inculpabiliter non recordatur voti emiſſi, vel pœnæ promiſſæ, non tenebitur ad pœnam: quia pœna præcipue medicinalis non debet contrahi ab eo qui inculpabiliter ignorat legem quæ illam pœnam aſſignat; ut communiter in *Tract. de legib.* docent doctores. Cum vero in hiſce votis pœna ſit quoddam acceſſorium; ſi quis obtineat diſpenſationem a primo voto, puta ludendi, liberatur etiam a ſecundo, ideſt a pœna ſubeunda; iuxta illam regulam: *Deficiente principali, deficit etiam acceſſorium*. Ad hoc tamen ut obtineatur diſpenſatio voti principalis, neceſſe non eſt facere mentionem ſecundi, ideſt acceſſorii. Nam licet hoc reddat voventem magis attentum in voto adimplendo, non reddit tamen materiam voti illuſtriorem: ſicuti in caſu quo quis voviſſet peregrinationem ad ſanctam domum Lauretanam indutus ſacco, aut cum alia ſimili circumſtantia, neceſſe eſſet ut in petenda diſpenſatione a tali voto mentionem faceret circumſtantiæ, quæ cum reddat materiam voti principalis illuſtriorem; reddit etiam difficiliorem illius diſpenſationem. Item ſi quis vellet diſpenſari a pœna voto adiuncta, opus non eſt ut mentionem faciat voti principalis: cum poſſit, qui vult diſpenſari, a pœna liberari, non autem a principali obligatione.

Votum perſonale poteſt eſſe ſimplex, vel duplex.

Num vero pœna ſubeunda ſit a vovente, quotieſcumque violet votum; hoc colligendum eſt ab ipſius voventis intentione. Si igitur de hac ipſi ſatis non conſtet: in tali caſu vel votum eſt ſimplex & mere pœnale; vel eſt duplex. Si votum ſimplex ſit; tunc videtur non obligare niſi pro prima vice qua violatur: ut ſi quis dicat Voveo ieiunare, ſi ludam, videtur non teneri ad ieiunium niſi pro prima vice qua ludit, cum proprietas verborum per hoc ſervetur; ſicuti qui diceret Voveo ieiunare in vigilia S. Antonii, videtur non voviſſe niſi pro hoc anno, ſi tamen aliam non habuerit intentionem. At ſi votum eſt duplex; tunc videndum eſt, num pœna adiecta voto ſit valde gravis, ut magna eleemoſyna, ingreſſus in Religionem, peregrinatio: quia hoc intelligitur pro prima vice qua votum violaſſet; cum tales pœnæ repeti non ſoleant. Secus vero dicendum de pœnis ordinariis & levibus quas vovens ſibi imponit ad ſe frenandum ab aliquo defectu. Nam hæ non intelliguntur pro prima vice tantum, ſed etiam pro ſequentibus.

Ad quid teneatur violans votum cui adiuncta eſt pœna.

§. VII.

De voto cum fictione elicito.

Votum fictum, ſeu factum tantum exterius ſine animo vovendi & ſe obligandi, certe peccatum eſt: quia fictio illa ſeu ſimulatio eſt ſemper aliquod mendacium & vana uſurpatio nominis Dei, ac ideo iniuriam Dei continens. Sed ſecundum Suarez, ſi hoc fiat in votis ſimplicibus, & ſine contemptu, ſcandalo, & iniuria; non eſt mortale: quia, ut ipſe ait, velle præciſe proferre verba vovendi ſine animo vovendi, non eſt gravis irreverentia & iniuria Dei; & huiuſcemodi fictio non eſt reſpectu Dei, ſed tantum reſpectu hominum quibus per illam levis iniuria fieri poteſt. Si vero hoc eveniret in votis ſolemnibus, vel in iis quæ fiunt in aſſumptione ſtatus religioſi; ſine dubio hoc eſſet mortale: cum in tali caſu gravis iniuria fieret Religioni, ideoque Deo & Eccleſiæ; & vix ſeparari poſſet talis fictio a graviſſimo ſcandalo.

§. VIII.

§. VIII.

De voto conditionato.

Conditio quæ apponitur voto, ad hoc ut votum teneat, debet eſſe de re futura, contingenti, poſſibili, & honeſta. Nam cum revera res aut exiſtat, aut fuerit, vel non; conditio de præterito vel de præſenti facit votum abſolutum, nec ſuſpendit eius obligationem. Idemque dicendum eſt, ſi conditio ſit neceſſaria: quia cum ſit impoſſibile eam impedire, habetur pro impleta; nec votum ita conditionatum ſuſpenditur ut conditio adveniat, ſed ſtatim ſit abſolutum. Conditio vero impoſſibilis reddit votum nullum; cum hæc expectari nequeat: ideoque nulla contrahitur obligatio in tali voto, tametſi poſtea res fieret poſſibilis. Item invalidum eſt votum, & mortaliter culpabile, emiſſum cum conditione prava: quia hæc conditio regulariter induit rationem finis, & res promiſſa aſſumitur ut medium ad finem turpem conſequendum: ut ſi quis voveret, ſi talis mulier ei conſentiat ad carnalia. Teneret vero votum cum conditione de re turpi, ſi vovens hanc nollet, quia tunc res turpis aſſumeretur ut pura conditio: ut ſi quis voveret eleemoſynam, ſi cadat in culpam carnalem. Et in hoc caſu promiſſio eleemoſynæ eſſet in odium & in pœnam peccati. Silveſter *de Voto* 11. *quæſt.* 11. Votum enim ad hoc ut valeat, debet eſſe actus latriæ, ideſt in cultum; non in iniuriam Dei: ideoque actus vere virtuoſus.

Quid de votis cum conditione honeſta, & de futuro contingenti. Si votum factum fuerit cum conditione de futuro contingenti, & honeſta; obligatio ſuſpenditur, donec impleta ſit conditio, & tunc votum ſit abſolutum. Si vovens duplicem voto appoſuit conditionem, & hanc copulative (quod ex illius verbis, ſi de ipſius mente non conſtiterit, eſt colligendum) utraque conditio implenda eſt, ut votum obliget: ſi quis v.g. voveat Religionem, ſi pater voluerit, & ſoror nupſerit. Si vero disiunctive appoſuit dicens, Voveo Religionem, ſi pater conſenſerit, vel ſoror nupſerit; ſufficit, quod una ex his conditionibus impleatur, ut votum obliget: quia hoc, & non amplius ad disiunctionem requiritur. Si autem ſuper hoc non cogitaverit, nec ſciat diſcernere, nec recordetur num copulative, an disiunctive promiſerit; tutius eſt votum implere. Silveſt. v. *Votum* 11. *quæſt.* 13.

Quomodo conditio in voto implenda ſit. Ad difficultatem vero, num ad hoc ut votum inducat obligationem, conditio impleri debeat in propria ſpecie, aut in æquivalenti? videtur ſufficere ut impleatur in æquivalenti, quando iam effectus intentus æqualiter obtinetur; quia conditio non ponitur propter ſe, ſed ut via & medium ad effectum obtinendum: v. g. ſi quis voveat Religionem, ſi ſoror ſua nupſerit. Talis enim conditio cum poſita ſit a vovente, ne ſoror deſerta in ſæculo remaneat: conditio impletur æquivalenter, & habet vovens ſuum intentum, ſi illa moriatur, vel profiteatur in aliqua Religione; idemque ex ſuo voto ſtatim obligationem contrahit ingrediendi Religionem. Ita Sanchez & Covarruvias contra alios probabilius ſentiunt.

Quid de conditione quæ pendet ex voluntate voventis. Vovens ſub aliqua conditione pendente ex eius voluntate non tenetur expectare ut conditio impleatur; immo poteſt eam non apponere, & ſic etiam ſine culpa contra votum inhabilem ſe reddere ad rem promiſſam: quia cum remiſerit appoſitionem conditionis ſuæ voluntatis arbitrio; eo ipſo conceſſit eidem ſuæ voluntati executionem promiſſionis. Idcirco non ſolum non tenetur expectare conditionis eventum; ſed etiam ei liberum eſt eam non apponere, ac ſine ulla culpa contra tale votum ſe ineptum reddere ad hoc votum implendum: ut ſi quis voveat ingredi Religionem, ſi hoc anno aleis ludat; vel ieiunare aut dare eleemoſynam, ſi talem domum ingrediatur. Hic enim poteſt ante annum matrimonium contrahere, & non expectare per totum annum eventum ludi: ſicut etiam poteſt numquam ingredi talem domum, etiam cum animo ſe eximendi a ieiunio & a danda eleemoſyna; & ita abſque eo quod nullatenus peccet contra votum, inhabilem ſe reddere ad rem promiſſam. Etenim promiſit quidem in voto pœnam, ſi conditionem apponeret; non promiſit vero conditionem apponere.

Quid ſi pendeat ex voluntate alterius. At ſi quis voveat ſub conditione pendente ab alterius voluntate, ex vi voti tenetur expectare conditionem, donec ſit moraliter poſſibilis, & non ſe inhabilem reddere ad votum implendum, neque vi, fraude, aut dolo impedire ne votum impleatur: alias vane & inutiliter dependenter ab alterius voluntate obligationem aſſumeret, ſi pro libito eam eludere poſſet & fruſtrari. Quare qui Religionem ingredi vovit, ſi eius pater conſentiat, aut ſi mortuus fuerit, ageret contra votum, ſi non expectaret ut conditio impleatur, donec eſt moraliter poſſibilis, eligendo alium ſtatum cum Religione incompoſſibilem, puta matrimonium; aut vi, fraude, vel dolo impediendo ne conditio impleretur. In quo caſu ſecundum graviores Theologos non liberaretur a voti obligatione, ſed

ſed adſtrictus maneret voto, ſi conditio impleta eſſet: quia iuxta regulam iuris: *Fraus & dolus nemini patrocinari debet*. Etenim apud homines qui promiſit rem ſub conditione, tenetur eam tradere, ſi malitioſe impedivit conditionis eventum: ſecus vero dicendum, ſi ſolis precibus & ſuaſionibus diſſenſum perſuadeat; quia rationes & ſuaſiones non impediunt abſolute conſenſum patris, ſed eum liberum ad illum relinquunt.

Vovens ſub aliqua conditione quæ culpa eiuſdem non impleatur, agit contra votum, ſi culpa impediens conditionem proveniat ex malitia, non vero ſi ex fragilitate. Ut ſi quis voveat ingredi Religionem, ſi ſalutem integram adipiſcatur, ſi litteras didicerit, ſi Deus eum per integrum annum præſervet a mortali peccato; ageret contra votum, ſi ad effugiendam obligationem utatur cibis noxiis, vel opportuna nolit adhibere remedia quorum ope ſalutem recuperare poſſit: ſecus vero, ſi hoc faciat ex paſſione aut fragilitate. Ita ſi litteras eo animo non addiſcat; non vero ſi eas non addiſcat ob labores & difficultates quas patitur in addiſcendo. Similiter ſi tali intentione labatur in peccatum: ſecus vero, ſi ductus ſit a miſeria & fragilitate. Ita Silveſter, Navarrus, Sayrus, Sanchez. Alii vero, ſed minus probabiliter, contrarium ſentiunt.

§. IX.

De culpa illius quem pœnitet voti facti & votum violat.

Voti pœnitere, ſi adſit rationabilis cauſſa pœnitendi, non eſt mortale: cum a nullo iure talis pœnitentia prohibeatur; modo talis vovens habeat in animo votum ſuum exequi. Immo in voti executione magis meretur, quam ſi hoc faceret ſine voto. Silveſter II. *de Voto cap.* XX. Qui vero voluntarie votum tranſgreditur, mortaliter peccat. Et ita communiter doctores. Talis enim tranſgreſſio pertinet ad infidelitatem contra Deum; & gravior eſt violatio voti quam iuramenti: quia votum innititur fidelitati quam Deo debemus, iuramentum vero reverentiæ. Quare, ceteris paribus, magis obligatorium eſt votum quam iuramentum.

In voto negativo, puta non bibendi vinum, toties mortaliter delinquitur contra votum, quoties agitur contra votum tum exterius, tum interius: quia peccatum per ſe eſt in actu interiore. Unde qui uno actu interno vult furari, vel furari plura, quoad Deum, unum numero peccatum committit, licet quoad iudicium hominum plura furetur. In voto autem adfirmativo, puta ieiunandi, non eſt mortale niſi prima vice qua agitur contra votum, non ſecunda, vel tertia; niſi adſit contemptus vel ſcandalum. Dixi *prima vice*: ideſt in ieiunio reſpectu eiuſdem diei circa unicam comeſtionem; non vero reſpectu alterius diei quo vi eiuſdem voti ieiunium eſt ſervandum. Ut ſi quis voviſſet ieiunare qualibet ſexta feria alicuius menſis vel anni; ageret contra votum omni ſexta feria illius menſis vel anni, qua ieiunium non ſervaret.

§. X.

De iis qui poſſunt vota emittere.

Circa hoc regula eſt apud omnes generalis, quod vota emittere poſſint, itidemque ſe obligare, omnes quicumque pleno uſu rationis pollent, ſunt ſui iuris, & in ſua habent poteſtate ea quæ in ſuis votis promittere volunt. Ita inter alios D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 8. & 9. Etenim tales libere & ſpontanee promittere poſſunt Deo rem bonam minime cum meliore incompoſſibilem, quæ proinde Deo grata eſt ac ipſi accepta. Quare iure naturæ excluduntur a votorum emiſſione amentes, furioſi, ebrii, dormientes ob defectum uſus rationis; & pueri, antequam lumen rationis ipſis affulgeat. Quapropter pueri poſt uſum rationis valide emittere poſſunt vota ante pubertatem, licet talia vota, quæcumque ſint, irritari valeant a parentibus: ideoque talia vota firma non ſunt, ſed emiſſa reputantur ſub conditione, ſi parentibus non diſplicuerint. Ita citatus ſanctus Doctor *loc. cit.* Immo votum ipſum ſolemne Religionis, ab ipſis emiſſum ante ſextumdecimum annum, nullum eſt ob Eccleſiæ diſpoſitionem; & tale votum non valet ne in ratione quidem voti ſimplicis, ut ex Tridentino *ſeſſ.* XXV. *cap.* XV. *de Regular.* ubi irritatur in tali caſu ſolemnis profeſſio etiam in ratione voti ſimplicis. Vota vero Religioſorum, ſervorum, filiorum impuberum, uxorum abſque conſenſu Prælati, domini, patris, aut mariti de iis quæ in illorum præiudicium cedunt, nulla ſunt. Nam de iis quæ non ſunt in ſua poteſtate, nemo poteſt Deo promittere: quia eſſet de alienis ſacrificium offerre; quod Deo placere nequit.

Vota impuberum valida, ſed infirma.

Vota in præiudicium ſuperiorum ſunt irrita.

Verum vota Religioſorum, ſervorum, filiorum impuberum, ac uxorum, quæ non cedunt in præiudicium eorum ſub quorum domi-

Secus, ſine præiudicio.

dominio ac poteſtate ſunt conſtituti (ut votum ieiunandi ex ſupererogatione, recitandi Roſarium B. Mariæ Virginis, aliaque ſimilia, ſive perſonalia, ſive realia, ut votum eleemoſynæ de iis quæ poſſunt expendere, vel ſaltem ex ſuperiorum conceſſione in pios uſus convertere) licet firma non ſint, cum a ſuis ſuperioribus pro libito irritari poſſint; tamen, donec non irritentur, valent ſub conditione, & vim habent obligandi. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 3. Res enim promiſſæ per talia vota bonæ ſunt, & non incompoſſibiles cum melioribus; idcirco Deo gratæ.

Ad quid teneatur vovens aliquid a ſuperiore prohibitum.

Si Religioſus vel alius quiſpiam alterius poteſtati ſubiectus voveat quæ a ſuo ſuperiore prohibita ſunt, vel ſaltem prohibita ſunt ne fiant ſine licentia, ex vi voti tenetur petere licentiam; alias res eſſet illicita: non tenetur vero petendo licentiam manifeſtare votum. Quod ſi talis vovens neſciebat quod res promiſſa erat a ſuperiore prohibita, vel poſtea prohibeatur; ceſſat obligatio voti: quia tunc ſine licentia ſe obligare non poteſt. Si vero ceſſet prohibitio, aut quia ſuperior qui prohibuit, removeatur; vel quia vovens ad aliam domum in qua res non eſt prohibita, tranſit; vel quia prohibitio erat ſolummodo pro tali deſtinato tempore: redit obligatio voti. Nam ſolum exiſtens prohibitio obligationem ſuſpendebat, qua ceſſante, ceſſat ſuſpenſio obligationis; nec ad obtinendam licentiam neceſſe eſt adhibere omnem diligentiam, ſed eam quæ ſatis eſt ad effectum.

Vota vero Religioſorum quæ ſunt de regulæ obſervatione, & a Prælato diſpenſari poſſunt, obligant, donec ab ipſo diſpenſentur: &, poſita ipſius diſpenſatione, non obligant; quia tunc ſunt licita. Immo neceſſitas vel pietas poteſt Prælatum cogere ad præcipiendum ſubdito ut utatur diſpenſatione: & tunc ſubditus tenetur obedire; cum obedientia ſe extendat ad omnia quæ Prælatus rationabiliter præcipere poteſt, ideſt pro bono communi, vel etiam pro bono ipſius ſubditi.

Epiſcopi ac clerici beneficiarii qui ad reſidentiam tenentur, necnon Abbates & Prælati Religionum, non poſſunt facere vota quæ præiudicium afferre poſſint eorum Eccleſiæ, ſtatui, officio, ſeu obligationi, ſine licentia Papæ, Epiſcopi, & ſuorum ſuperiorum, ut *cap.* Noſtræ, & *cap.* Quam pridem. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 8. Epiſcopi tamen & beneficiarii ſi voverint, ſolvent expenſas quas feciſſent eundo & redeundo, & laborem ieiunii ac vigiliis compenſabunt.

An Eccleſia poſſit impedire vota ſimplicia, & illa irritare.

Diſputant Theologi, num Eccleſia reddere poſſit aliquas perſonas inhabiles ad vota etiam ſimplicia, eaque irritare, & præcipue quæ tam quoad actum, quam quoad materiam ſunt mere interna: quia cum obligatio de re nulli homini ſubiecta, ut eſt mere interna, ſit obligatio ſolius iuris divini, ac de re Deo grata; videtur ab humana auctoritate fieri non poſſe ut non obliget, ac Deo non ſit grata & accepta. Sed verius eſt, quod poſſit Eccleſia reddere aliquam perſonam inhabilem ad talia vota, eaque irritare; ſi irritare potuit vota ex metu gravi cadente in virum conſtantem emiſſa, ob defectum plenæ libertatis. Nulla enim datur repugnantia in eo quod Eccleſia non acceptet vota, de rebus aliàs bonis, niſi ſub tali vel tali conditione, vel in talibus circumſtantiis emiſſa. Etenim ſicuti nomine Dei remittit promiſſionem iam factam, licet eius obligatio ſit de iure naturali, ac de re Deo accepta; quod facit diſpenſando in voto (nec ad hoc requiritur poteſtas dominativa, ſed ſufficit ſpiritualis) ſic nomine Dei poteſt ante voti emiſſionem illud non acceptare, niſi fiat cum talibus conditionibus vel circumſtantiis, ſine quibus ex iuſta cauſſa votum illud reputat inconveniens. Nec in talibus caſibus obſtat commune axioma, quod Eccleſia non iudicat de internis: quia hoc intelligitur de foro externo & contentioſo, non de foro interno, & in rebus animæ favorabilibus; cum tunc valeat illud Evangelii: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

§. XI.

De modis quibus tollitur voti obligatio.

Votum ceſſat, ceſſante cauſſa finali.

Communiter ſentiunt doctores, ceſſante cauſſa finali ob quam votum factum eſt, tolli ipſius obligationem. Nam ex cap. Ix. de appellat. *Ceſſante cauſſa, ceſſat effectus:* quia, deficiente proprio ac principali motivo intentionis voventis, deficit ipſius intentio. Non enim cenſetur, illa deficiente, voluiſſe promittere & ſe obligare: ut ſi quis voveat ieiunium per aliquot dies pro ſalute patris; ſi hic moriatur, ſtatim ceſſat illius obligatio.

Tollitur defectione, vel mutatione notabili.

Ceſſat votum eiuſque tollitur obligatio, ſi deſinat materia voti, vel notabiliter mutetur: ideſt ſi res promiſſa ex honeſta fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva maioris boni

Digitized by Google

boni ratione novæ circumſtantiæ vel prohibitionis, aut fiat impoſſibilis. Nam votum eſt eſſentialiter de bono meliore & poſſibili. Item tollitur, quando non poteſt ſervari ſine gravi periculo mortis, vel gravis damni in bonis temporalibus, in ſtatu, vel honore, quod ſit accidentarium voto, niſi conſtet ex natura voti, vel aliter, voventem ſe voluiſſe in tali eventu obligare. Nam in tali caſu materia non eſt eadem; nec voventes communiter intendunt tunc ſe obligare. Neque tunc currit obligatio præſtandi aliquid aliud loco rei promiſſæ: quia votum non obligat ultra intentionem voventis, quæ non eſt ſe obligandi ad aliud quam ad id quod vovit, niſi illud ſaltem virtualiter in hoc fuerit incluſum. Non ceſſat vero voti obligatio ob difficultates quæ poſtea obveniunt, quas ſi vovens prævidiſſet, non voviſſet: ut qui poſt votum caſtitatis vel religioſam profeſſionem patiuntur tentationes & difficultates, quas ſi prævidiſſent, vovere noluiſſent; & tamen omnium iudicio non ideo eximuntur a voti obligatione. Nam hæc omnia præcogitari poterant & debebant: & ideo ſibi imputent, ſi non præviderint. Votum quippe obligat ſecundum explicitam vel implicitam intentionem quam vovens reipſa habuit, & ſecundum uſum communem & prudentum iudicium. Obligatio igitur voti vel iuramenti non tollitur per id quod ſi antea eveniſſet, vel prævisum fuiſſet, obſtitiſſet ne votum fieret: ſed requiritur ita notabilis mutatio, ut faciat quaſi aliud obiectum, ad quod voventis intentio prudenter ex circumſtantiis præſumatur ſe non extendiſſe.

Item Irritatione.

Ceſſat prorſus voti obligatio, ſi ab iis ad quos ſpectat, ex iuſta cauſſa irritetur aut diſpenſetur; & ceſſat ſolummodo quoad talem actionem, ſi commutetur; quoad talem rem, ſi redimatur. Quare voti irritatio, diſpenſatio, commutatio, & redemptio inter ſe differunt. Irritatio enim eſt annullatio obligationis voti, ex beneplacito voluntatis; ut cum vir dicit uxori, Nolo quod hoc vel illud votum obſerves. Diſpenſatio eſt annullatio obligationis ex rationabili cauſſa; ut cum Prælatus declarat, bonum non eſſe votum aliquod obſervare. Commutatio vero & redemptio voti eſt potius translatio quam annullatio obligationis voti; cum per has ſolummodo voti materia tranſmutetur, ideſt ut per commutationem pro materia promiſſa in voto aliquid aliud fiat, per redemptionem aliquid detur. Unde commutatio & redemptio voti inter ſe differunt, ut emptio & permutatio: cum per commutationem mutetur actio talis in aliam, ut peregrinatio in ieiunium; & per redemptionem imponatur perſonaliter pecunia vel aliquid aliud pretio æſtimabile, ut nummi vel aliæ eleemoſynæ pro ieiunio vel peregrinatione quam vovens promiſerat. Commutatio igitur & redemptio differunt ab irritatione & diſpenſatione in hoc præcipue, quod illæ tollant voti vinculum, illæ vero ſolam mutent voti materiam, vinculo voti remanente. Irritatio inſuper differt a diſpenſatione, commutatione, & redemptione in eo quod ad hæc tria requiritur poteſtas eccleſiaſtica, & rationabilis cauſſa; ad irritationem vero ſufficit ſola poteſtas dominativa in ſubditum, ut patris in filium, mariti in uxorem, domini in ſervum, & ſola voluntas ſuperioris irritantis ſine ulla cauſſa.

Summus Pontifex non poteſt directe irritare vota omnium fidelium: quia licet reſpectu illorum ſupremam habeat poteſtatem iuriſdictionis, non habet tamen dominativam; cum non conſtet hanc illi fuiſſe a Domino conceſſam. Poteſt quidem irritare vota eccleſiaſticorum de rebus ad eccleſiaſtica beneficia ſpectantibus, ac vota ſimplicia Monialium, Religioſorum, & illorum quorum eſt ſpecialiſſimus & ſupremus Prælatus.

Ut vota ſubditorum pendeant a voluntate ſuperiorum, & ab ipſis poſſint irritari, facta eſſe debent de iis in quibus ſunt ipſis ſubditi; alias eſſent abſolute valida, tamquam facta de eo quod erat in poteſtate voventis, & nullatenus eſſent irritabilia: ut ſi uxor voveret de non petendo debito coniugali, validum eſſet votum, etiam invito marito; cum in hoc non ſit ei ſubdita, ſed æqualis.

Num vero irritatio proveniat ex iure poſitivo, vel naturali, diſcrepant Doctores: ſed veroſimilius videtur, irritationem propriam & directam, de qua nunc agitur, ortum ducere ex iure ipſo naturæ. Ita D. Thomas 2. 2. quæſt. clxxxv. art. 5. *Quia*, inquit, *pueri naturaliter ſunt ſub poteſtate patris, quantum ad diſpoſitionem ſuæ vitæ.*

Irritatio duplex.

Irritatio igitur voti eſt ablatio eius obligationis, facta nomine proprio ab eo cuius poteſtati ſubiecta eſt voluntas voventis, vel materia voti. Eſt autem duplicis generis. Alia directa, quæ directe cadit in votum; & illud nullum reddit, quia deficit conditio ad id requiſita, ideſt conſenſus illius a quo voluntas voventis dependet. Alia indirecta, quæ ſolummodo cadit in materiam voti, ut-

pote

Digitized by Google

pote alteri ſubiectam, voto tamen remanente.

Irritandi poteſtas quibus conveniat.

Quare vota omnia illorum quorum voluntas ſubiecta eſt alterius dominativæ poteſtati, ab eo poſſunt directe irritari, nec umquam poſtea reviviſcunt. Eſt communis. Nam tales ita ſunt alteri ſubiecti, ut contra eius voluntatem ſine ipſius iniuria de ſe ipſis diſponere non valeant: ideoque eorum vota inſitam habent ac tacitam hanc conditionem, Si ſuperior non contradixerit. Nemo enim vovere poteſt contra ius alterius. Unde ſtatim ac ſuperior nolit voluntatem ſubditi obligare, ceſſat eius obligatio ob conditionis defectum. Talia tamen vota cum valida ſint, donec ſuperior non contradicat, licet non firma, ſervari debent, quamdiu non irritentur: ex *cap.* Monacho xx. *q.* iv. ubi votum a Religioſo ſine ſuperioris conſenſu factum dicitur ſolum frangendum; ideoque validum ſupponitur. Idcirco vota huiuſcemodi non habent conditionem affirmativam, ideſt Si ſuperior conſentiat; ſed negativam, ideſt Si ſuperior non contradixerit, ſeu Dum ſuperior non contradixerit.

Qualiter conveniat patri, avo, tutori.

Vota omnia impuberum (nempe maſculorum uſque ad decimumquartum ætatis annum, femellarum uſque ad duodecimum completos) directe irritari poſſunt a patre, & in eius defectu ab avo paterno, aut tutore tamquam patris vices gerente; non vero a matre, niſi forte tutrix eſſet & curatrix. Ita enim ſtatuit ius canonicum, quod votis impuberum ob iudicii imbecillitatem appoſuit hanc tacitam conditionem: Niſi pater vel tutor contradixerint. *Cap.* Puella xx. *q.* ii. Immo eodem vota impuberum irritari poſſunt a patre etiam poſt pubertatem: quia talia vota tractu temporis non amiſerunt hanc conditionem, Niſi pater contradixerit; ſed ſemper filii manent ſubiecti patri, idque expedit ad ſubveniendum liberorum indiſcretioni. Sed hoc iam non poteſt tutor: quia cum pupillus ſit pubes, tutor evadit curator, cui perſona pupilli ſeu minoris non committitur ſicut tutori; pater vero ſemper manet pater, idcirco ſemper eamdem habet auctoritatem in filios ſuos. Hæc tamen intellige, dummodo liberi ſcientes talia vota non eſſe firma, ea non ratificaverint in pubertate: quia talis ratificatio eſt nova voti emiſſio.

Qualiter conveniat ſuperioribus Religionum.

Superiores Religioſorum poſſunt directe irritare omnia vota ſuorum ſubditorum, exceptis votis quæ ex inſtituto Religionis fiunt, & voto ſtrictioris obſervantiæ. Hoc patet ex communi doctorum ſenſu & uſu in Religionibus recepto; ex *cap.* Monacho xx. *q.* iv. ac ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 8. ad 3. Quia talis eſt conditio ſtatus religioſi & voti obedientiæ, per quod Religioſus abdicavit omne ius diſponendi de ſe ipſo, tranſtulitque omnia in ſuperiorum poteſtatem, ita ut *velle & nolle non habeat*. Cap. xxvii. de elect. in 6. Superior poteſt etiam irritare votum ſubditi, licet antea a ſe vel a ſuo prædeceſſore æquali vel inferiore approbatum: quia per iſtam approbationem non amiſit ſuperior ius quo habet voluntatem ſuorum inferiorum ſibi ſubiectam ad rectam eorum gubernationem. Et licet circa hoc diſcrepent doctores; omnes tamen conſentiunt, peccare ſuperiores, ſi ſine rationabili cauſſa conſenſum revocent: quia abutuntur ſua poteſtate, ac impediunt bonum ſubditi & maius Dei obſequium.

Summus Pontifex poteſt irritare vota Religioſorum, ut multi doctores tenent: quia ratione profeſſionis eſt ſupremus eorum Prælatus, tenens ſuper eos utramque poteſtatem, ſpiritualem ſcilicet & dominativam; cum ceteroquin, ſicuti ſupra dictum eſt, irritare nequeat, ſed ſolum commutare aut diſpenſare vota laicorum. Nam ſuper iſtos eorumque voluntatem non habet dominativam poteſtatem; ſed ſolum ſpiritualem. Immo ob talem rationem nec vota clericorum ſæcularium, regulariter loquendo, irritare valet; cum ipſi multa diſponere poſſint, & contractus inire, qui dum liciti fuerint, non poſſunt ab ipſo irritari, nec revocari. Dicitur *regulariter loquendo*. Cum enim Papa ſit ſupremus Eccleſiæ Prælatus, & rerum eccleſiaſticarum ſupremus iudex, rector, ac gubernator; poteſt irritare vota clericorum, quæ præiudicant eius poteſtati: ut ſi clericus voveat aliquid quod ſpectat ad gubernationem Eccleſiarum, beneficiorum, rerumque eccleſiaſticarum; ut de beneficio renuntiando aut alienando, de augendo numero Canonicorum, ac de his ſimilibus. Non poteſt vero irritare alia clericorum ſæcularium vota quæ non habent talem repugnantiam; ut ieiunandi, orandi, dandi eleemoſynam: ſed ſolum ea commutare, redimere, & diſpenſare.

Vota vero novitiorum irritari nequeunt; cum adhuc ſint ſui iuris. Poteſt quidem ſuſpendi executio perſonalium votorum, ſi impediant obſervantiam regularem, & rectam eorum gubernationem: at ſi e Religione egrediantur, ſtatim reviviſcunt.

Qualiter conveniat coniugatis.

Circa vero vota coniugum, præcipue uxoris, diſſident inter ſe doctores. Alii enim ſen-

ſentiunt maritum irritare poſſe vota omnia uxoris ſacta ſine illius conſenſu, nullo excepto, etiam non mentiendi aut ſervandi præcepta: quia, dicunt ipſi, nullum eſt tempus quo non poſſit vir ordinare uxorem in bonam prolis & familiæ gubernationem; & licet uxor non ſit viro ſubiecta quoad materiam præceptorum Dei, bene tamen quoad novam obligationem quam ſibi imponit per votum. Sed tamen ut communior & verior opinio ſtatuitur a Sayro *lib. VI. cap.* x. *num.* 19. ideſt maritum ſolummodo irritare poſſe vota uxoris realia ac perſonalia, facta ſine eius conſenſu, ſive ante, ſive poſt matrimonium, quæ præiudicant uſui matrimonii, educationi prolis, adminiſtrationi domus & familiæ; puta vota caſtitatis, abſtinentiæ, peregrinationis, & ſimilia: non vero vota recitandi aliquas preces, elargiendi eleemoſynam de bonis illis quorum liberam habet adminiſtrationem, & multo minus de non mentiendo, peierando, furando. Uxor enim non eſt illi ſubdita, niſi quoad ea quæ uſui matrimonii, prolis educationi, & rectæ domus ac familiæ gubernationi officiunt: ut ex *cap.* Numerorum xxx. & ex *cap.* Noluit xxxiii. *q.* v. Et ita docuit Innocentius in *cap. Scripturæ* Panormitanus *num.* 8. *de Voto*, Silveſter v. *Votum q.* ii. Navarrus in *Manual. cap.* xii. *n.* 65. *&* 66. Gregorius de Valentia, Caietanus *tit.* i. *Opuſc.* Azorius, & alii communiter cum Sayro ſupra citato. Immo non ſolum irritare poteſt maritus vota quæ ab uxore ſine eius licentia emiſſa fuerint; verum etiam ea quæ de eius licentia emiſit: & licet ea poſtea ſine iuſta cauſſa revocando peccet; valida tamen eſt revocatio, & uxor obedire tenetur, ut ex *cap.* Manifeſtum xlv. *q.* v. Non enim minor eſt poteſtas viri ante conceſſionem quam poſt; tametſi diſpar ſit ratio quoad culpam.

Vota autem facta ab uxore, implenda poſt mortem mariti, non poſſunt ab ipſo vivente irritari. Ita Navarrus in *Manual. cap.* xii. *num.* 66. Sayrus *lib. VI. cap.* x. *num.* 19. Silveſter, Petrus de Aragonia, Gregorius de Valentia, Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 8. Azorius: quidquid in contrarium dicant Innocentius, Hugo, Panormitanus *in cap. Scripturæ num.* 7. *de Voto*. Nam maritus non habet poteſtatem ſuper voluntatem mulieris, niſi quoad ea quæ ſunt ipſi in præiudicium; quod profecto afferre non poteſt votum poſt eius mortem adimplendum.

Uxor autem poteſt irritare ſola mariti vota quæ ſunt præiudicialia actui matrimoniali; non vero ea quæ pertinent ad domus adminiſtrationem: in qua cum vir ſit caput mulieris, ab ipſa non pendet ſicuti in primo; quia quoad debitum coniugale petendum, in iure ſunt pares. Silveſter v. *Votum* v. *quæſt.* i. Sotus *lib. de Iuſt. quæſt.* v. *art.* i. Navarrus in *Manual. cap.* xii. *num.* 61. Petrus de Aragonia, Gregorius de Valentia, Azorius, Sayrus *lib. VI. cap.* x. *num.* 20.

Vota ſervorum, ſive in ſervitute facta ſint, ſive ante, quæ vergunt in præiudicium ſervitutis domino debitæ (ut de peregrinatione, de danda eleemoſyna, de Religione ingredienda, de horis recitandis) poſſunt a domino irritari. Nam hæc omnia impediunt vel imminuunt obſequium domino debitum, in quo ſervi ita ſunt patrono adſtricti, ut opera, labor, ars, necnon omnes eorum res in bonis dominorum adnumerentur. Non poſſunt tamen irritari a domino vota ſervorum, ex quibus nullum ipſi ſequitur præiudicium; ut vota de recitandis precibus & orationibus, de caſtitate ſervanda, hiſque ſimilia. Servi enim in iis quæ domino non præiudicant, non ſunt ipſi ſubiecti, ſed ſunt ſui iuris. *Num domini valeant irritare vota ſervorum.*

Vota tamen ſervorum, facta ante ſervitutem, immo etiam in ſervitute & a domino in ſervitute irritata, reviviſcunt, ſi ſervi redeant ad libertatem: quia tunc non ſunt in præiudicium domini, cui amplius non ſubiiciuntur. Proinde tunc non valet eorum irritatio; atque adeo a ſervis emancipatis ſunt adimplenda. Ita ſentiunt D. Thomas in *IV. diſt.* xxxi. *quæſt.* i. *art.* i. *&* 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 5. *ad* 2. Sayrus *lib. VI. cap.* x. *num.* 18. Silveſter v. *Votum*, Navarrus in *Manual. cap.* xii. *num.* 64. Petrus de Aragonia, Azorius, aliique.

Vota facta a ſervo, explenda in ſervitute, & in libertate, ſi ea ſimpliciter emiſerit expreſſo domini conſenſu, reſpectu temporis dominus prorſus irritare poteſt, ita ut non reviviſcant poſt adeptam libertatem: ſi autem facta ſint ut adimplenda tempore libertatis; hæc dominus irritare nequit, cum non ſit ſuperior ſimpliciter voluntatis ſervi. Si vero talia vota retulit ſervus ad utrumque tempus, ſervitutis ſcilicet & libertatis: tunc dominus ſolum ex parte qua illi nocent, ea irritare poteſt; non autem pro tempore libertatis, in quo nulla fit ei iniuria, nec damnum. Sayrus *lib. VI. cap.* x. *num.* 18. Adde etiam, quod cum dominus omnem habeat curam ſervorum: hinc poſſet irri-

irritare etiam vota facta in pubertate a ſervo parentibus orbato, licet nullatenus ipſi domino præiudicialia; eadem ratione qua irritare potuiſſent parentes, ſi vixiſſent. Ita Sayrus *loc. cit.*

Quænam poſſunt indirecte irritari a ſuperioribus.

Vota quorum materia eſt alteri ſubiecta, poſsunt ab eo indirecte irritari; ſcilicet ſuſpendi poteſt eorum executio & obligatio, tametſi facta ſint ante ſubiectionem, ex *cap.* Noluiſti XXXIII. *q.* v. Quia nemo poteſt, nec cenſetur promittere quod futurum ſit in damnum ac præiudicium aliorum, & talis voti executio eo ipſo fit illicita, quod alter habens poteſtatem in rem vel actionem promiſſam, contradicit. Nam ſemper eſt illicitum ius alterius violare. Notandum tamen hic eſt, quod vota directe irritata numquam reviviſcunt: quia, contradictione ſuperioris, nulla fiunt defectu conditionis requiſitæ; ſcilicet Si ſuperior non contradixerit, ſine cuius licentia inferior valide vovere non poteſt. Vota vero indirecte irritata ſolum ſuſpenduntur, quamdiu materia eſt alteri ſubiecta: qua ſubiectione ceſſante, ſtatim reviviſcunt, ac obligant. Votum enim abſolute erat validum, ſed ſolum ratione materiæ ſuſpenſum; & eius executio licita eſt, quando nulli obeſt. Quare vota realia coniugum, puberum, famulorum perpetua, quæ tempore ſubiectionis, vel ante emiſsa, ſuſpenſa erant, eos obligant ſtatim ac talis ſubiectio ac dependentia ceſſat. Unde uxor quæ ſine mariti licentia continentiam vovit, mortuo marito, nubere non poteſt.

Vota emiſsa a ſubdito tempore ſuæ ſubiectionis, tali tranſacto tempore, non poſſunt a ſuperiore irritari: quia ceſſavit ipſius poteſtas dominativa, ratione cuius ius habebat talis irritationis faciendæ. Hinc Prælatus regularis non poteſt irritare vota perpetuo expulſi a Religione, nec tranſeuntis cum debita licentia ad alium Ordinem, nec Religioſi facti Epiſcopi: quia illi non ſunt amplius ſub eius poteſtate & regimine, & per talem extractionem aut aſsumptionem eximuntur a ſuperiorum poteſtate. Poteſt tamen, ſi depoſito Epiſcopatu, rediret Religioſus ad eius ſubiectionem, non ſolum irritare vota extra Epiſcopatum, ſed etiam in ipſo Epiſcopatu facta: quia ſunt vota veri Religioſi, emiſsa cum illa tacita conditione, Si ſuperior non contradixerit. Similiter non poteſt maritus irritare vota facta ab uxore in maritali cohabitatione pro tempore divortii, licet culpam dederit: quia tunc ſubtrahitur ab eius poteſtate. Valet tamen, ſi per reconciliationem ceſset divortium, & res ad priſtinum ſtatum redeat.

Quid ſi ſuperior noverit vota ſubditi.

Vota ſive perſonalia emiſsa a filiis impuberibus ante annum decimumquartum, ſive realia in pubertate ante annum vigeſimumquintum, pater, tutor, ac curator irritare non poſsunt, ſi tali tempore ea cognoverunt; ſcilicet perſonalia, quando filius factus eſt puber, nec etiam realia poſt pubertatem, & multo minus poſt emancipationem, per quam filius fit ſui iuris & independens a poteſtate etiam quoad bonorum adminiſtrationem: quia ſciendo tale votum emiſſum a filio, pupillo, aut minore, & tacendo, videntur pater, tutor, & curator conſenſiſſe ac tacite confirmaſse. Nam qui tacet præſertim in tali caſu conſentire videtur, iuxta regulam iuris in Sexto.

Quid ſi ea ignoraverit.

Quod ſi pater ac tutor neſcierunt vota perſonalia emiſsa a filio vel pupillo impubere, aut realia a pubere; nec filius aut pupillus ſuo tempore, ideſt in pubertate perſonalia, poſt pubertatem realia rata fecerit: pater, tutor, & curator poſsunt ſemper ea irritare, etiam poſtquam vel per emancipationem, vel per ætatem facti ſunt ſui iuris & independentes ab illorum poteſtate etiam quoad bonorum adminiſtrationem. Siquidem pater etiam poſt pubertatem & emancipationem habet poteſtatem quoad actum præteriti voti perſonalis ante pubertatem, & realis ante completam pubertatem a filio emiſſi. Etenim cum actus ille elicitus fuerit dependenter a conſenſu patris (idem dicendum de tutore reſpectu pupilli, & de curatore reſpectu minoris) adhuc non minus ac antea pendet eius obligatio a patris conſenſu. Hinc poteſt votum illud irritare, non ut habens adhuc ſimpliciter poteſtatem in voluntatem filii; ſed ut is ex cuius conſenſu, tamquam ex conditione ſub qua tacite fuit emiſſum, ideſt Si pater non contradixerit, vis illius voti adhuc dependet. Unde cum pater contradixerit, & filius votum ſuo tempore ratum non fecerit; manet in ſua natura, ſcilicet implicite conditionatum: ac proinde pater quocumque tempore illud irritare poteſt, non minus ac antea, iuxta regulam iuris in 6. *Quæ a principio non tenent, tractu ſolo temporis non confirmantur.* Neque opponas caſum domini cum ſervo emancipato, cuius vota ille non poteſt irritare. Non enim eadem currit ratio ſervi ac filii: quia ſola ratio irritandi vota in ſervo eſt præiudicium domini, qui nullum patitur poſt emancipationem, qua omni iure in ſervum ipſe privatur, & ſervus fit liber a ſua obligatione. Sayrus *lib. VI. cap.* x. *num.* 16. Caietanus

nus 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *art.* 5. Navarrus in *Manual. cap.* xii. *num.* 7. Gregorius de Valentia, Azorius.

Vota perſonalia impuberum, v. g. Religionis, alias implenda quando ad pubertatem perveniunt, irritari poſſunt a patre, & eius loco a tutore. Sayrus *lib. VI. cap.* x. *num.* 29. Silveſter v. *Votum* iv. *quæſt.* ii. Sotus *lib. VII. de iuſt. quæſt.* iii. *art.* i. Gregorius de Valentia, Azorius. Quia, ut alias dictum eſt, ideo iura concedunt patri ac tutori poteſtatem irritandi vota impuberum, eo quod voluntas eorum ante illud tempus cenſetur imperfecta, utpote carens perfecto iudicio ac deliberatione. Idcirco licet tunc talia vota irritari nequeant ex parte materiæ, poſſunt tamen irritari propter ſubiectionem voluntatis eo tempore quo vota illa emiſſa fuere. Non deſunt inter inſignis notæ doctores, qui ſentiunt alia vota etiam aliorum, ideſt uxoris poſt mortem mariti, Religioſi poſt completum regimen ſuperioris ſub quo manet, poſſe irritari a marito aut a ſuperiore regulari: quia licet ſubditi careant ſubiectione, inſpecto tempore quo votum obligat; habent tamen illam pro tempore quo contrahitur obligatio, quæ habet ſemper tacitam conditionem, Si ſuperior non contradixerit. Et hoc intelligendum eſt de ſimilibus votis etiam realibus. Ita Sayrus, Valentia, Sotus, aliique.

Quidquid tamen ſit circa talia vota perſonalia uxoris directe irritata a marito, Religioſi a Prælato, ſervi a domino, notandum eſt, quod ſunt perpetuo irritata in tali ſubiectione, ut non reviviſcant, etiam ceſſante ſubiectione; licet ſuperiores in tali caſu nullum amplius præiudicium patiantur: quæ eſt ratio illis conferens poteſtatem irritandi. Certiſſimum item eſt, vota perſonalia impuberum, de quibus nihil ante pubertatem vel emancipationem cognovit pater, vel avus, vel tutor, & realia puberum ſemper ignota patri, avo, vel curatori, ſi ab iis irritentur, non amplius reviviſcere, & nullatenus poſtea obligare, niſi ab impuberibus in pubertate, & a puberibus poſt pubertatem ea denuo emittantur. Non enim tantum irritantur ut præiudicialia patriæ poteſtati; ſed præcipue quia cenſentur facta cum imperfecta voluntate, iudicio, & deliberatione, quæ ad vovendum non ſufficit. Idcirco perſonalia non ſunt irritabilia in puberibus, realia poſt pubertatem: quia tunc libera cenſentur a tali imperfectione.

De votis vero emiſſis ante ſubiectionem iam alias dictum eſt, ea non poſſe directe irritari a ſuperiore: quia illo tempore vovens non erat illi ſubiectus. Ea enim ſola vota ſunt a ſuperiore irritabilia, quæ adnexam habent conditionem, Si ſuperior non contradixerit. Poteſt ſolummodo ſuperior ea ſuſpendere, quando ſint præiudicialia, donec vovens illi ſubiiciatur.

§. XII.

De votorum diſpenſatione.

Diſpenſatio eſt alter modus quo fit ut ceſſet voti obligatio, & liber etiam maneat vovens a vinculo voti. Diſpenſatio autem communiter hic accipitur, prout ſignificat perſonæ exemptionem a lege, factam ex particulari ratione: ut ait D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *art.* 10. Sicuti quando id quod præcipitur a lege, ceſſat eſſe bonum vel utile, quod naturæ legis convenit; liberantur ſubditi per diſpenſationem ab ipſius obligatione: ita quando materia voti, quod eſt veluti quædam particularis lex quam vovens propria electione ſibi imponit, eſt impeditiva maioris boni contra naturam voti; tollitur voti obligatio per diſpenſationem ab eo qui poteſtatem habet diſpenſandi, non alias ac fit in lege univerſali, determinando votum in tali caſu non eſſe ſervandum, non tamen inquantum eſt de iure naturali vel divino. Et revera cum votum ſit promiſſio facta Deo de eo quod eſt illi gratum & acceptum, & quod hoc ſit gratum Deo & acceptum pendeat a voluntate ipſius Dei cui facta eſt promiſſio; pertinet ad Eccleſiæ Prælatos qui Dei vices gerunt, declarare hominibus ipſius Dei voluntatem. Ita S. Antoninus & alii communiter: qui etiam ex hoc inferunt, quod ſicut nemo poteſt eſſe iudex in propria cauſſa, ita ſuperior ſecum diſpenſare non poteſt. Sayrus *lib. VI. cap.* xi. *num.* 30. & 31. Quid ſiniſtre igatur nomine diſpenſationis.

Quare ad voti diſpenſationem duo requiruntur: ſcilicet Eccleſiæ auctoritas, & rationabilis cauſſa. Armilla v. *Votum* xiii. Ita ut ſicuti non omnis qui poteſt diſpenſare, poteſt quoque irritare ob defectum poteſtatis dominativæ; ita ob defectum iuriſdictionis non omnis qui poteſt irritare, etiam diſpenſare poteſt. Et licet irritatio teneat, etiam ſine rationabili cauſſa; non tamen abſque tali conditione tenet diſpenſatio: quia auctoritas collata eſt Papæ aliiſque eccleſiaſticis ſuperioribus in ædificationem, non vero in deſtructionem; ideoque diſpenſatio facta ſine iuſta cauſſa eſſet

abu-

abuſus auctoritatis, nullamque vim haberet eximendi ſubditum a voti obligatione.

Eccleſia habet poteſtatem diſpenſandi.

De fide ut certum tenendum eſt, quod in Eccleſia ſit poteſtas diſpenſandi ab obligatione votorum. Et hæc poteſtas colligitur ex generali conceſſione facta Petro Matth. cap. VI. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*: & ex uſu in Eccleſia ipſa recepto. Et plane neceſſarium fuit ad providam Eccleſiæ gubernationem, quod talis in ea facultas relinqueretur; ut quotidiana experientia conſtat, & declarat Innocentius in *cap.* Diſpenſationis I. *q.* VII. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 12. S. Antoninus, Navarrus in *Enchir.* Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 8. Reginaldus 226. 227.

Licet obligatio ſit iuris naturalis.

Nec ullatenus obſtat, voti obligationem eſſe de iure naturali & divino, quæ a nulla terrena poteſtate, ſive eccleſiaſtica, ſive ſæculari, tolli poteſt aut mutari, quod idem importat ac diſpenſare: ut *cap.* Qui inferior *de maiorit.* & *Clement.* Ne Romani *de elect.* Quia ſummus Pontifex, Epiſcopi, aliique Prælati legum conditores, dum diſpenſant in voto ac iuramento, non diſpenſant in iure naturali ac divino, ideſt non tollunt ius naturale & divinum, quod non valet humana poteſtas (ſeu non tollunt aut annullant legem divinam, quia qui votum fecit, tenetur illud ſervare, ita ut, voto remanente, diſpenſent ab ipſo ſervando, & licitum faciant quod iure divino & naturali eſt illicitum; ut eſſet non exequi votum, durante voto: quod revera naturali iuri opponitur & divino) ſed auctoritate ſibi a Domino commiſſa tollunt prorſus ac revocant votum, omnemque eius obligationem, ſeu efficiunt declarando, iudicando, ac determinando, ut quod antea erat votum, vimque habebat obligandi, in tali caſu non ſit amplius votum, nullaque illius obligatio. Eo ferme pacto quo Princeps dum in lege humana diſpenſat, non facit ut ſubditus legi humanæ non obediat; quod iuri naturali ac divino repugnat: ſed ſolum ut quod antea lex erat, ac vim legis habebat, in hoc caſu tollendo vim legis facit quod lex ceſſet, & amplius non ſit lex. Immo cum obligatio voti oriatur ex propria voventis voluntate, quæ ab eccleſiaſtica poteſtate eſt dependens: ſicuti pater cuius poteſtati puberes ſunt ſubiecti, poteſt eorum vota per irritationem revocare; ita Papa & Eccleſiæ Prælati quibus fideles ex divina diſpoſitione in ſpiritualibus ſubiiciuntur, ex iuſta cauſſa (ſive quia fuerit aliquis defectus in voti deliberatione, vel materia non ſit amplius bona nec utilis, aut fuerit maioris boni impeditiva) eorum vota tollere poſſunt ac revocare per diſpenſationem. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 10. *ad* 2. Caietanus *ibid. art.* 12. *ad* 2. Sotus *lib. VII. de iuſt. quæſt.* IV. *art.* I. *ad* 2. Covarruvias, Petrus de Aragon. Valentia, Azorius.

An poſſit Papa diſpenſare emiſſo per profeſſionem religioſam.

Num vero diſpenſare poſſit ſummus Pontifex in voto ſolemni continentiæ emiſſo in profeſſione religioſa, non una eſt auctorum ſententia, ut videre eſt in Sayro *lib. VI. cap.* XI. *num.* II. aliiſque, qui afferunt utramque ſententiam cum ſuis auctoritatibus, & præcipue in Sayro *loc. cit.* qui partem affirmativam tuetur cum Henrico de Gandavo, Ioanne Bacchono, S. Antonino, Summa Angel. Navarro, Caietano, Valentia, Azorio, Panormitano, Covarruvia, aliiſque Theologis ac Canoniſtis contra D. Thomam 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 12. *ad* 3. Toletum, Silveſtrum Tabienam, alioſque. Et profecto Sayri ſententia verior eſt & communior; hancque etiam confirmant plura exempla & rationes. Etenim, niſi fidem graviſſimis auctoritatibus Hiſtoriæ ac Theologiæ, & Canoniſtis adiungere recuſemus, qui non unum referunt exemplum eorum qui ex graviſſima ac urgentiſſima cauſſa talem diſpenſationem a ſummis Pontificibus ſine ulla erroris nota obtinuere; fateri debemus, ſummum Pontificem poſſe in hoc voto diſpenſare. Illuſtre eſt exemplum Nicolai Iuſtiniani Monachi profeſſi in Monaſterio S. Nicolai Ordinis S. Benedicti Venetiarum, relatum in Hiſtoria Vitæ S. Laurentii Iuſtiniani. Nam Vitalis Dux Venetorum impetravit ab Alexandro III. ſummo Pontifice, ut huic liceret ſolvere vinculum matrimonii ad reparandam ſobolem ſuæ gentis: eique unicam filiam deſpondit, Annam nomine. Sic Raimirus II. Sanctii Aragoniæ in Hiſpania Regis filius; ſic Caſimirus I. Monachus inter Cluniacenſes, qui fuit Poloniæ Rex: ſic Couſtantia Rogerii Regis Siciliæ filia Sanctimonialis in Monaſterio Panormitano ex conſenſu Cæleſtini III. nupſit Henrico VI. Imperatori, & genuit Fridericum II. & de hac diſpenſatione adhuc ſervantur diplomata & decreta in Archivio Romano. Neque dicas quod hi eſſent Novitii. Nam præcipue de Raimiro refert hiſtoria, quod fuerit etiam Abbas, qui debet eſſe profeſſus; & Caſimirus ob eius merita ordinatus erat Diaconus. Præterea ſi fuiſſent Novitii; fruſtra petitæ fuiſſent diſpenſationes: cum Novitiatus non impediat motu proprio ſine ulla cul-

Digitized by Google

pa dimittere Religionem, & matrimonium ſine ulla diſpenſatione Eccleſiæ contrahere. Sic Sayrus *loc. cit. num.* 18.

Ratio quoque hoc demonſtrat, ac ſolvit contrariæ ſententiæ obiecta. Nam, ſicut iam de voto ſupra dictum eſt, quod Papa non poteſt, ſtante voto, in voti obligatione diſpenſare, quia dum votum exiſtit, ſpectat ad ius divinum & naturale; bene tamen, quando ex rationabili cauſſa tollit votum ac revocat, tunc diſpenſare poteſt ab ipſius obligatione: ſimiliter fit in Religioſo, nempe quamdiu Religioſus talis ſit, ſeu in huiuſcemodi ſtatu perſiſtat, nulla poteſtas humana valet eum diſpenſare a continentia, quæ eſt inſeparabilis a ſtatu religioſo, atque adeo cum matrimonio quod tali ſtatui repugnat, incompoſſibilis; non alias ac repugnat, quod calix Deo dicatus per conſecrationem, donec manet in ſua forma, in uſus profanos convertatur. Verum ſicut, ſi a calice tollatur ſua forma, poteſt omni uſui etiam profano inſervire, ita, cum adſit graviſſima ac rationabilis cauſſa, Pontifex ex plenitudine ſuæ poteſtatis ſubtrahere poteſt Religioſum a tali ſtatu, ideſt facere illum de Monacho non Monachum: unde, ſublato vinculo voti, ac ſi eſſet in ſimplici voto continentiæ, poteſt illum diſpenſare ad matrimonium valide ac licite contrahendum. Talis reſponſio eſt Sayri *loc. cit. num.* 24. & 25. cum Richardo, Durando, Caietano, aliiſque communiter.

Immo addendum cum ipſo Sayro *num.* 27. & Ioſepho de Angl. citato ab ipſo Sayro, quod ita ex legitima cauſſa diſpenſatus, ceſſante iam cauſſa diſpenſationis, & mortua uxore, non tenetur ad Monaſterium redire: quia obligatio ſemel extincta non amplius reviviſcit. Et quod dicitur de voto ſolemni continentiæ iiſdem rationibus intelligendum etiam eſt de voto ſolemni paupertatis; nempe modo ſupra citato, poſſe Pontifices diſpenſare: ut Covarruvias in *cap.* 12. *num.* 11. *de teſtam.* Azorius, Sotus, Sayrus. Non enim eſt maior vel minor ratio de uno quam de alio.

Quinque vota Papæ reſervata.

Præter vota ſolemnia ſunt etiam alia vota in quibus non poſſunt Epiſcopi aliique Eccleſiæ Prælati epiſcopalem iuriſdictionem habentes diſpenſare, quia Papa eorum diſpenſationem ſibi reſervavit. Et hæc ſunt quinque. Duo ſunt de iure antiquo: ut votum ſolemne Religionis, & votum caſtitatis perpetuæ ſacris Ordinibus adnexæ: Tria ſimplicia ſunt de iure novo: ut peregrinationis Hieroſolymitanæ non ſolum in ſubſidium, ſed etiam ex ſola devotione ad viſitandum ſanctiſſimum Domini ſepulcrum, quod votum in iure canonico ultra maria vocatur; votum viſitandi limina Apoſtolorum; & votum peregrinationis ad viſitandum S. Iacobum in Compoſtella. In his Pontifex ſibi reſervavit diſpenſationem. Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 34. Tabiena v. *Diſpenſatio*, Angel. v. *Votum*, Silveſter v. *Votum* IV. quæſt. III. Sotus, Navarrus, Valentia Azorius. Immo addit Silveſter *ibid.* quod etiam votum conferendi bona aliena incerta in ſubſidium Terræ Sanctæ a ſolo Papa diſpenſari poſſit, nec alias ab Epiſcopo, ut in alios uſus convertantur. Sayrus *ibid. num.* 37.

In aliis votis diſpenſant Epiſcopi aliique Prælati.

Exceptis autem his quinque votis Papæ reſervatis, non ſolum Epiſcopi, ſed alii quoque Prælati, iuriſdictionem ſpiritualem ordinariam habentes, quoad ſuos ſubditos diſpenſare poſſunt, ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. *ad* 3. S. Antonino, Silveſtro, Tabiena, Soto, Valentia, Navarro, Azorio, aliiſque. Unde ubi S. Thomas ait, quod vota omnia perpetua ſunt Papæ reſervata, intelligendus eſt de votis quæ ex natura ſua ſunt perpetua, ut Religionis & caſtitatis; non de perpetuis ex intentione voventis & quaſi per accidens: ut explicat Caietanus *ibid.* Sotus, Azorius, aliique.

Epiſcopus poteſt in voto caſtitatis facto, conſtante matrimonio, ab altero coniugum.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto caſtitatis facto ab altero coniugum, non ante matrimonium contractum aut conſummatum, quia tunc Papæ reſervatur; ſed poſt matrimonium conſummatum, altero inſcio. Immo ubi adeſt Bulla Cruciatæ, vi ipſius quilibet Confeſſarius diſpenſare poteſt quoad debitum petendum: nam quoad reddendum, poteſt ab altero coniugum irritari. Ita S. Antoninus, Silveſter v. *Votum Matrim.* VII. *quæſt.* V. *num.* 11. Sotus, Petrus de Arag. Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 52. Quia hoc non eſt vere votum caſtitatis, quod poſt conſummatum matrimonium ſimpliciter alter coniugum ſine alterius conſenſu elicere non poteſt, ut oppoſitum uſui copulæ carnalis; ſed ſolum de non petendo debito. In hoc autem poteſt Epiſcopus ſimpliciter diſpenſare: ita ut, etiam mortuo altero coniuge, alter non teneatur ad caſtitatem ſervandam, ſed libere poſſit alteri nubere; & ſi mœcharetur, non faceret contra tale votum. Quod tamen dici nequit de alio voto caſtitatis, emiſſo ante matrimonium, in quo ſolum poteſt Epiſcopus talem voventem diſpenſare quoad debitum petendum poſt matrimonium conſummatum, non vero a voto, ſi fieret, libere ſervando. Sayrus *ibid. num.* 52.

Quod

Quid ſi votum ex communi conſenſu ſit ab utroque emiſſum.

Quod ſi ambo coniuges poſt matrimonium de communi conſenſu ſimplex votum caſtitatis emittant, cum uterque de petendo & reddendo debito iuri ſuo cedat, votum cenſetur perpetuæ caſtitatis; & in eo ſolus Papa poteſt diſpenſare. Quod ſi periculum eſſet incontinentiæ, & de facili non poſſet patere acceſſus ad ſummum Pontificem; vel ambo coniuges eſſent ita pauperes, ut non haberent quo diſpenſationem acquirerent: tunc poterit Epiſcopus diſpenſare; ut ex Angel. v. *Votum*, Silveſtro v. *Diſpenſatio*, Soto, Navarro in *Manual.* Valentia, Azorio, Sayro *lib. VI. cap.* XI. *num.* 53. Quod intelligi debet non ſolum de voto facto poſt conſummatum matrimonium, ſed etiam quando poſt votum ſimplex contractum ſit & conſummatum; unde in tali conſummatione peccaverunt: ita ut ſi idem periculum incontinentiæ eædemque adſint difficultates, poteſt Epiſcopus diſpenſare ſolummodo ad debitum petendum ac reddendum. Nam in hiſce caſibus non poteſt Epiſcopus ſimpliciter diſpenſare quoad votum ipſum, ſed ſolum quoad uſum matrimonii: ita ut, ſoluto matrimonio per unius coniugis mortem, non liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire. Idemque dicendum putat Sayrus, ſi poſt tale votum mulier contraxerit matrimonium ratum ſolummodo. Nam licet in tali contractu peccaverit; ſi tamen non poteſt induci ut Religionem ingrediatur ad ſuum votum implendum (quod prius tentandum eſt, etiam invito marito) poterit Epiſcopus diſpenſare, ſi adſint ſupradictæ difficultates. Et ita cum eo ſimiliter qui vovit poſt matrimonium ratum, quando is quoque nolit ingredi Religionem. In aliis autem caſibus in quibus locum non habet epicheia, Epiſcopus in voto perpetuæ continentiæ diſpenſare nequit; nec etiam in coniugatis: quia in non coniugatis iam certum eſt, non poſſe Epiſcopum diſpenſare.

Notandum circa votum virginitatis.

Qui virginitatem vovit nihil cogitans de primo ſolo libidinis actu, neque an votum virginitatis differat a voto caſtitatis; tunc per ſe & ex natura ſua cenſetur idem cum voto caſtitatis, ac proinde eius diſpenſatio Papæ reſervatur: ſicut etiam illius qui vovendo virginitatem, intentionem habuit caſtitatem ſimpliciter ſervandi; quia tunc idem eſt cum voto caſtitatis, ideoque in neutro diſpenſare poteſt Epiſcopus, niſi in circumſtantiis quas ſupra notavimus de vovente in ſtatu matrimonii. Si autem talis vovens ſolum animum habuerit ſervandi ſe integrum a primo concubitu: cum tale votum differat a voto caſtitatis perpetuæ, nec hoc reſervatum ſit Papæ; tunc poteſt Epiſcopus in hoc diſpenſare ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 3. *ad* 2. Caietano *ibid.* S. Antonino, Navarro, Valentia, Azorio, Sayro.

In voto ſuſcipiendi ſacros Ordines poteſt diſpenſare Epiſcopus.

Votum ſuſcipiendi ſacros Ordines, licet in ipſo votum ſolemne caſtitatis includatur, non eſt Papæ reſervatum. Ita Navarrus *lib. III. Conſilior.* XXXIII. *alias* XVIII. & Petrus de Arag. Quia ſicuti qui vovit Religionem, non vovit continentiam, priuſquam Religionem profiteatur; atque adeo ex vi illius caſtitatem profitetur: ſic qui vovit ſacros Ordines ſuſcipere, promiſit caſtitatem non præſentem, ſed futuram, ideſt quando ſacros Ordines ſuſcipiet: atque adeo non cenſetur voviſſe votum caſtitatis Papæ reſervatum. Et ſi hic ante ſacri Ordinis ſuſceptionem cum femina rem haberet, non peccaret contra tale votum. Ita Navarrus in *Manual. cap.* XII. Azorius, Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 60. Et in hoc voto Epiſcopus diſpenſare poteſt.

Quid dicendum de votis disiunctive factis.

Votum factum ſub disiunctione, vel ſervandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem, vel ſacros Ordines ſuſcipiendi, ſi ſe determinet ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, & poſtea opinionem mutet pro matrimonio contrahendo; cum hæc pars voti non ſit Papæ reſervata, poteſt Epiſcopus in tali voto diſpenſare. Cum enim in tali voto partes conditionales disiunctivæ ſint, quarum una Papæ non reſervatur; quamdiu pro quacumque in animo indifferens maneat, poteſt pariter Epiſcopus tale votum commutare, vel diſpenſare. Si vero determinet ſe nolle ſuſcipere ſacros Ordines: tunc cum aliæ duæ partes ſint Papæ reſervatæ; ad alterutram ſervandam obligatur, ac proinde cum eo Epiſcopus diſpenſare non valet.

Votum vero de ingredienda arctiore Religione poteſt ab Epiſcopo diſpenſari, ita ut vovens latiorem ingredi valeat. Ita S. Antoninus, Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* III. Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 63. Quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis; cum ſemper ſit eidem vovens ligatus: ſed ſolum in eius modo & qualitate. Poteſt etiam Epiſcopus declarare ex legitima cauſſa in voto ſimplici Religionis executionem eſſe differendam ob maius bonum: ad quam dilationem requiritur ſpiritualis poteſtas; nec ita tuta eſt declaratio alicuius doctoris, ut auctoritativa Epiſcopi.

Votum de non petenda diſpenſatione non eſt Papæ reſervatum; quia non eſt ex quin-

Digitized by Google

que ſupra numeratis: idcirco poteſt Epiſcopus in eo diſpenſare.

Vota perſonalia circa materiam Papæ reſervatam; ut ſi quis voveat, ſi ludat vel tale committat peccatum, ingreſſurum Religionem, vel ſuſcepturum peregrinationem ad loca ſancta: antequam adimpleatur conditio, ideſt priuſquam incurrat pœnam, quia luſit aut tale peccatum commiſit; nullum eſt dubium poſſe Epiſcopum abſolvere. Diſcrepant vero doctores in difficultate reſolvenda, nimirum ad quem ſpectet diſpenſatio huiuſce voti, ad Papam, an ad Epiſcopum, poſtquam impleta ſit conditio. Et horum ſententiæ referuntur præcipue a Sayro *lib. VI. cap.* XI. *num. 68. ad 78.* Verior tamen videtur reſolutio Petri de Arag. relata a Sayro *loc. citat. num.* 78. videlicet ea ſola vota Papæ reſervari quæ proprie & ſimpliciter ſunt Religionis volitæ, caſtitatis deſideratæ, peregrinationis intentæ; cuius generis non ſunt, quando Religio, caſtitas, peregrinatio huiuſmodi in pœnam, & etiam odioſam & non volitam a vovente, promittuntur. Quare docet citatus doctor, quod in huiuſcemodi votis maxime ratio habenda ſit intentionis voventis: an ſcilicet ea fecerit ex affectu & devotione Religionis, caſtitatis, & peregrinationis ad loca ſancta, ſi luſerit vel tale peccatum commiſerit; an ſolum in pœnam. Sic enim diſcernentur, num ſint mere pœnalia, in quibus Epiſcopus etiam poſt impletam conditionem diſpenſare poſſit aut commutare: an vero conditionalia, & tunc Papæ reſervata poſt impletam conditionem.

Non poteſt Archiepiſcopus diſpenſare in votis ſubditorum Suffraganei. Archiepiſcopus non poteſt diſpenſare in votis ſubditum Epiſcopi ſui Suffraganei. Ita S. Antoninus, Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* III. Sotus, Petrus de Arag. Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 79. Quia reſpectu ſubditorum Suffraganei eſt iudex appellationis in foro contentioſo, non vero in cura ordinaria animarum: cum reſpectu illarum nullam habeat ordinariam ſpiritualem iuriſdictionem. Ideo licet in viſitando valeat illos abſolvere a voti fractione; non tamen vota eorum poteſt commutare aut diſpenſare. Aliud enim eſt abſolvere a peccato propter fractionem voti; aliud in ipſo diſpenſare. Confeſſarius poteſt abſolvere a peccato contra votum; non vero in voto diſpenſare; quod poteſt ſolus Papa.

Alii quoque Prælati habentes quaſi epiſcopalem iuriſdictionem, qui aut hanc facultatem legitime præſcripſerunt, aut privilegium obtinuere, commutare poſſunt vota ſuorum ſubditorum, ac in eis diſpenſare. Sic Ricchardus, S. Antoninus, Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* III. Tabiena, Petrus de Arag. Valentia, Navarrus in *Manual. cap.* XII. Azorius, Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 82. Unde Abbates exempti, Commendatarii S. Ioannis, aliique iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes in ſuorum ſubditorum votis tamquam Epiſcopi diſpenſare poſſunt. Ita etiam Innocentius *cap.* Statuimus *de maior. & obed* Panormitanus in *cap.* Significaſti *de for. compet.* Notandum tamen, quod habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem non poſſunt extendere ſuam auctoritatem diſpenſandi in votis ad alia quæ ſpeciali iure conceduntur Epiſcopis in Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *de reform. cap.* VI. niſi ſint Abbates quaſi Epiſcopi, & diœceſim propriam ac proprium territorium habeant: qualis eſt Abbas Caſſinenſis ſacri Monaſterii Montis Caſſini, qui epiſcopalem iuriſdictionem & territorium proprium habet; ideoque poteſt circa ſuos ſubditos id quod poſſunt Epiſcopi circa ſuos.

Capitulum quoque, ſede vacante, poteſt non ſolum diſpenſare in votis, ſed etiam in irregularitatibus ex debito occulto provenientibus: quia ſuccedit in Epiſcopi iuriſdictionem. Ita Silveſter v. *Capitulum ult. quæſt.* II. Panormitanus in *cap.* Cum olim *de maior. & obed.* Tabiena, aliique.

Nemo alius a prædictis, ſalvis ſuperioribus & prælatis Regularium, de quibus mox ſermonem inſtituemus, nec Confeſſarii, nec pœnitentiarii, nec Parochi, neque etiam Archidiaconi habent poteſtatem diſpenſandi in votis iure ſuo, niſi ex aliqua legitima præſcriptione: & tunc ſolum quantum ipſis competit ex conſuetudine legitime præſcripta. Ita S. Antoninus *Part. II. tit.* XI. *cap.* IV. Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* III. Sotus, Navarrus, Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 86.

Quia vero poteſtas diſpenſandi ab iis qui eam tenent de iure ordinario, poteſt aliis delegari: hic notandum occurrit, quod cum poteſtas diſpenſandi ſit iuriſdictionis, non vero ordinis, utpote quæ ſpectat ad externam Eccleſiæ gubernationem, ſicuti abſolvere a cenſuris, indulgentias elargiri; poteſt delegari etiam clerico habenti ſolum primam tonſuram, dummodo tamen non ſit coniugatus. Tunc enim non cenſetur perſona eccleſiaſtica, niſi quoad privilegium canonis vel fori, dummodo certas ſervet conditiones. Unde a ſolo ſummo Pontifice poteſt hic delegari ad diſpenſandum in *Hæc facultas poteſt delegari.*

vo-

votis : cum alii Prælati non poſſint hanc poteſtatem niſi perſonæ eccleſiaſticæ delegare. Bonacina *diſput.* II. *p.* VII. *cap.* IV. *num.* 4. Quare præter Prælatos qui iure ordinario poteſtatem habent diſpenſandi in votis, alii etiam habent talem facultatem delegationis ipſis factæ a ſuperioribus Prælatis, præcipue a ſummo Pontifice per privilegia & bullas: ut ubi eſt in uſu Bulla Cruciatæ, & in iubilæo, in quo fere ſemper talis facultas conceditur, exceptis tamen quinque Papæ reſervatis. Verum quia inter eos qui tali poteſtate fruuntur, præcipue ſunt Regulares; idcirco de iis etiam breviter hic agendum.

Qualiter conveniat Prælatis Regularibus.

Prælati ſuperiores Religionum exemptarum ab Ordinario poſſunt non ſolum irritare, ſed etiam diſpenſare in votis ſuorum ſubditorum, quidquid aliqui in contrarium dicant. Sic Richardus in *IV. diſt.* XXVIII. *quæſt.* II. *art.* 9. Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* III. Caietanus, Tabiena, Navarrus, Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 88. aliique communiter. Immo notat Sotus, verum hoc eſſe non ſolum quoad Generales & Provinciales, ſed etiam quoad Prælatos conventuales; cum ii ſint Antiſtites ordinarii ſuorum ſubditorum. Idemque pariter dicendum quoad eos qui ex iure vel ex Prælatorum auctoritate eorum vice funguntur, cuiuſmodi ſunt Vicepræpoſiti, Viceprovinciales, aliique huiuſmodi in his quæ ſpiritualia ſunt, aliorum locum tenentes. Nec valet, quod aliqui dicant, poſſe tales ſuperiores ſubditorum vota irritare; idcirco opus non eſſe diſpenſatione. Nam licet ſuperior qui licentiam conceſſit ſubdito votum faciendi, non poſſit amplius licite, immo ſecundum aliquos ne valide quidem tale votum irritare; poteſt tamen cum illo valide & licite in tali voto diſpenſare : quia integra manet illius iuriſdictio ſpiritualis. Et hoc verificatur etiam reſpectu Prælati inferioris, qui diſpenſare poteſt cum ſuo ſubdito in votis emiſſis de licentia Prælati ſuperioris. Suarez *lib. VI. de vot. cap.* X. *num.* 17. Non poſſunt tamen Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis in votis Papæ reſervatis, & multo minus in votis ſubſtantialibus Religionis : quia cum eorum iuriſdictio ſit tamquam epiſcopalis, non plus poſſunt in diſpenſando quam poſſint Epiſcopi. Idemque dicendum de votis quæ ſunt in aliquibus Religionibus una cum ſubſtantialibus; ut votum de non edendis carnibus apud Minimos. Licet autem irritare non valeant vota ſuorum Novitiorum, poſſunt tamen in illis diſpenſare : cum habeant iuriſdictionem ſpiritualem ad illos regendos, in qua iuriſdictione fundatur poteſtas diſpenſandi. Azorius *Part. I. Inſtitut. Moral. lib. XI. cap.* XIX. *dub.* XXI. Diſpenſatio Prælatorum Regularium cum ſuis Novitiis verſatur circa vota realia, quæ emiſerunt vel ante ingreſſum in Religionem, vel in Novitiatu : cum a perſonalibus excuſentur a Novitiatu. Nam in profeſſione vota omnia antea emiſſa, ſive perſonalia ſint, ſive realia, extinguuntur : & poſt profeſſionem ad ſummum poteſt occurrere diſpenſatio in votis de licentia ſuperioris emiſſis; cum alia ſint ab ipſo ſuperiore irritabilia. Armilla v. *Votum* XXVIII. Silveſter v. *Votum* V. *quæſt.* VII. *num.* III.

Non valent tamen Abbatiſſæ in votis diſpenſare cum ſuis Monialibus : quia diſpenſandi facultas ſpectat ad iuriſdictionem ſpiritualem, cuius incapaces ſunt feminæ. Ita Sotus in *IV. diſt.* XX. *art.* IV. *p.* 309. & 310. Hoc tamen non valet de Prælato non Sacerdote : quia, ut alias iam dictum eſt, facultas diſpenſandi non eſt Ordinis, ſed iuriſdictionis, cuius eſt capax etiam clericus minoribus initiatus, immo & ſola tonſura inſignitus.

Qualiter Confeſſariis Regularibus, quo ad forum internum.

Prælati, immo etiam Confeſſarii Regulares pollent facultate ex privilegio commutandi ac diſpenſandi omnium ſæcularium vota ad ipſos accedentium, exceptis tamen quinque Papæ reſervatis; ut conſtat ex privilegiis receptis ab Eugenio IV. Leone X. Paulo III. Et ita docent innumeri auctores innixi privilegiis Regularibus factis ab Innocentio VIII. Eugenio IV. & Martino V. Et addunt non pauci doctores ex privilegio Eugenii IV. & Sixti IV. Regulares Confeſſarios deputatos a ſuis ſuperioribus poſſe diſpenſare non ſolum in votis Religioſorum ſui Ordinis, ſed etiam alterius. Roncaglia *tract.* VIII. *de II. Decal. præcept. cap.* IV. *quæſt.* IX. *r.* 2. Sed hæc Confeſſariorum Regularium, ſicut etiam eorum qui ex bulla, privilegio, vel iubilæo diſpenſare poſſunt in votis ſæcularium & Regularium alterius Ordinis, intelligenda eſt in ſolo ſacramento pœnitentiæ, ſcilicet quoad forum internum: nec aliis poſſunt eam delegare. Et in ſacramento pœnitentiæ poſſunt Confeſſarii Regulares communicatione privilegiorum, commiſſione Provincialis, etiam diſpenſare ad debitum petendum cum iis qui poſt matrimonium non ſolum conſummatum, ſed etiam ratum tantum, caſtitatem voverunt, quando ii non poſſint induci ut Religionem ingrediantur : admonendo voventes, ſi vi-

vant poſt alterum coniugem, eos teneri ad caſtitatem ſervandam, nec poſſe ſine Pontificis diſpenſatione contrahere ſecundas nuptias. Silveſter v. *Delegatio*, Sayrus *lib. VI. cap.* XI. *num.* 105.

Qui habet facultatem non ſolum iure ordinario, ſed etiam ex privilegio, bulla, vel iubilæo, diſpenſandi in votis, poteſt etiam ea commutare: quia maius includit minus; unde qui maius poteſt, poteſt etiam & minus ex regula iuris in Sexto. Commutatio enim eſt quid minus diſpenſatione: cum per hanc tollatur omnis obligatio voti; non vero per commutationem, qua uni obligationi altera ſubrogatur. Non poteſt vero diſpenſare in voto qui habet facultatem ad illud commutandum: quia maius non includitur in minore. Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* III. Tabiena, Sotus, Suarez *lib. VI. num.* 9.

Nullus Prælatus eccleſiaſticus, ne Papa quidem, qui cum aliis diſpenſat in votis, poteſt ſecum in propriis votis diſpenſare: eo quia nemo poteſt eſſe iudex in cauſſa propria, nec ſuperior ſibi ipſi: ſed poſſunt diſpenſari a Confeſſario quem Epiſcopi vel etiam Papa ſibi eligunt. Et Confeſſarius non accipit poteſtatem diſpenſandi Epiſcopum vel Papam in ſuis votis ab ipſo Epiſcopo vel a Papa, quam reſpectu ſui non habent: ſed reſpectu Epiſcopi illam accipit ei communicatam a ſuperiore ipſius Epiſcopi, mediante tamen Epiſcopi electione; & Confeſſarius electus a Papa eam accipit a Deo, mediante Papæ electione, ſeu eo ipſo quod ſe ei ſubiicit, prout fit eum abſolvendo a peccatis, quando non tribuit Pontifex Sacerdoti facultatem abſolvendi ſupra ſe ipſum, ſed ſe ipſum conſtituit materiam poteſtatis Sacerdotis, quam Sacerdos accepit a Chriſto Domino in ordinatione, quam etiam ſupra Papam exercere poteſt, eo ipſo quod Papa ſe ipſum materiam eius poteſtati ſubiectam ſe conſtituit. Idem dicendum de aliis etiam Prælatis ac ſuperioribus qui inferiores ſunt Epiſcopis.

§. XIII.

De cauſſa legitima requiſita ad diſpenſationem.

Alterum vero requiſitum præter auctoritatem Eccleſiæ ad diſpenſandum in voto eſt legitima ſeu rationabilis cauſſa, ut cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. communiter ſentiunt Theologi & Canoniſtæ: quia ſicuti Prælati non poſſunt malum præcipere, ita nec bonum impedire. Nam, ut recte advertit D. Thomas, cum ſpiritualis poteſtas Prælatis, ſive Papæ, ſive Epiſcopis, ſive cuicumque dominationi Eccleſiæ, data ſit in ædificationem Chriſtianæ perfectionis, non in eius deſtructionem, ad ſalutem, non ad ruinam animarum; certe illud tollere non poteſt quod gratum eſt Deo & acceptum, niſi ob aliquod aliud quod ipſi gratius ſit & acceptius: alias non ædificaret ſubditos ad pietatem erga Deum; ſed potius eam deſtrueret, & fideles ab eadem pietate retraheret. Quare ſive Pontifex, ſive Epiſcopi aliique Prælati, qui poteſtate pollent diſpenſandi cum aliquo in voto, ſi diſpenſarent abſque legitima cauſſa, non ſolum ipſi peccarent, ſed ille quoque cum quo diſpenſarent, tutus non eſſet in conſcientia. Hoc tamen reſpectu diſpenſati intelligendum eſt, quando nulla adeſt cauſſa ſaltem apparenter iuſta diſpenſandi: quia ſi appareat, communiter ſentiunt doctores cum D. Thoma, quod diſpenſatus ſtare poſſit iudicio ſui Prælati diſpenſantis in voto, illiuſque iudicio ſuum poſtponere. Cauſſas vero diſpenſandi tres præcipue notat Silveſter v. *Votum* v. *quæſt.* VI. cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 10. nempe ſi id quod ſub voto cadit, ſit malum, vel inutile, vel maioris boni impeditivum. Idcirco dicit Angel. in ſua Summa v. *Votum* v. *num.* 12. quod diſpenſans in voto attendere debeat, quod liceat ſecundum æquitatem, quod deceat ſecundum honeſtatem, quod expediat ſecundum utilitatem ſeu neceſſitatem (intellige ſemper ſpiritualem) illius cum quo facienda ſit diſpenſatio. Nam hæc ſemper cedere debet in maiorem ipſius ſpiritualem profectum. Quæ omnia ut facilius dignoſcantur, docet Sotus *de iuſt. & iure quæſt.* IV. *art.* 3. *verſ. Ad iſtorum*, habendam eſſe rationem ad materiam voti, ad voventem, ac ad bonum commune: cum immediate ex hoc triplici capite colligi debeat, an cauſſæ propoſitæ pro diſpenſatione rationabiles ſint & iuſtæ. Reginaldus *lib. XVIII. num.* 341. Tres cauſſæ diſpenſandi.

Et ratione materiæ omnes illæ cauſſæ iuſtæ ſunt ex quibus fit ut maius bonum in diſpenſatione cernatur quam in illius executione, ut ex D. Thoma *loc. cit.* & Caietano v. *Votum cap. ult.* Et hoc maius bonum oriri ſolet, ut addit Caietanus, ex eo quod executio voti reddatur vel illicita, vel inutilis, vel impeditiva maioris boni: quas tres cauſſas ſecundum D. Thomam Silveſter poſuit *loc. cit.* tamquam legitimas ad diſpenſationem. Quin admonet Sotus ex eodem D. Thoma, quod quando ex his cauſſis aperte Quænam cauſſæ iuſtæ reſpectu materiæ.

te conſtet opus non eſſe diſpenſatione, cum votum nullam vim habeat, & per ſe irritum ſit, ita ut vovens hoc clare cognoſcat; poteſt ſe ipſum in eo diſpenſare: & ſi ut tutiorem partem ampleſteretur, recurreret ad ſuperiorem; ſufficeret ſola ſuperioris interpretatio, declarando tale votum nullum eſſe.

Hic inſuper advertendum, quod de materia inutili & impeditiva maioris boni dictum eſt, æque dicendum eſſe de ea quæ poſſit eſſe moraliter cauſa ſpiritualis ruinæ: quia hæc occaſio multum derogat fini voti. Unde removenda eſt per diſpenſationem, ne quod introductum fuit pro caritatis perfectione, vergat in illius diſpendium: ut eſſet in coniugali voto non petendi debitum. Ita Suarez *lib. VI. cap.* XVII. *num.* 9.

Quæ cauſa legitima reſpectu voventis. Ratione vero voventis legitima diſpenſandi cauſa cenſetur ipſius infirmitas ad debite votum implendum, quæ tanta eſſe poteſt, ut non ſolum poſſit ei votum commutari, ſed etiam tolli per diſpenſationem illius obligatio: & cum dari non poſſit certa regula ad eam cognoſcendam quanta ſit, relictum eſt arbitrio ſuperioris definiendum. Ita Sotus *loc. cit.* Navarrus, Caietanus, Reginaldus *lib. XVIII. num.* 343. Additque idem Sotus *ibid.* quando moleſtum eſſet ac perdifficile implere votum, eſt legitima cauſa pro diſpenſatione: dummodo tamen moleſtia & difficultas naſcantur ex ipſa re, quia nimis ardua & impar viribus voventis, ut auſterum ieiunium, longa peregrinatio, & his ſimilia; non vero ex concepta eiuſdem voventis affectione. Nam cum votum inſtituatur ad medendam pravam affectionem; hoc eſſe non poteſt cauſa legitima tollendi voti: ut ſi quis moleſte ferret ieiunium, quia deditus gulæ. Similiter ſi dubitet vovens de ſuo conſenſu in voto; ſi factum ſit ex repentina deliberatione, ut ſolet ex repentinorum malorum timore; ſi factum ſit ex animi levitate, aut ſubita perturbatione, aut facilitate in vovendo (ut ex Panormitano & S. Antonino habet Navarrus *num.* [illegible]) aut metu & dolo extortum ſit, in quibus Eccleſia facile diſpenſat non minus ac in iuramento præſtito de uſuris ſolvendis, aut patrono aut tyranno ad tuendam eorum vexationem. Item quando probabiliter creditur voventem ita affectum eſſe, ut ſæpius votum ſit violaturus, aut oblivioni daturus: talis enim infirmitas animi cenſeri poteſt cauſa ſufficiens, ſicuti infirmitas corporis.

Ratione denique boni communis adeſſe poteſt legitima cauſa diſpenſandi in votis, quando eidem bono hoc adverſetur: ut votum ieiunii in doctore qui propter illud non valet officium concionandi aut docendi utile Reipublicæ exercere; votum continentiæ emiſſum a puella, quo impeditur ne matrimonium inire poſſit ad avertendum grave damnum Reipublicæ, aut ad tollenda ab ea multa ſcandala, quod eſt bonum maius & Deo acceptius quam abſtinere a coniugio. Hinc notat Sotus cum Caietano quod bonum illud propter quod diſpenſatur in voto, eſſe debeat pretioſius, melius, & magis ad Dei gloriam conducens, quam ipſius materia & vinculum ſimul. Quænam reſpectu boni communis.

Ratione quoque boni privati dari poteſt iuſta cauſa diſpenſandi; ideſt ratione eiuſmodi utilitatis, quæ magis ad gloriam Dei conducat quam vinculum voti cum eius materia: & tunc votum cenſetur impeditivum maioris boni. Sic votum patrisfamilias de longa peregrinatione legitime diſpenſari poteſt ob gravem aliquam familiæ neceſſitatem, cui ſubvenire tenetur cum maiore Dei gloria quam in illa peregrinatione. Navarrus.

Notandum reſtat, quod cum diſpenſatio tollat votum ex integro, ideſt quoad materiam, & quoad vinculum; ideo diligenti conſideratione uti debet ſuperior in relaxandis diſpenſationibus. Armilla v. *Votum* XIII. cum Caietano.

§. XIV.

De voti commutatione.

Commutare votum nihil aliud eſt quam mutatio materiæ in aliam, voti vinculo remanente. Unde in hoc diſtinguitur a diſpenſatione, quod per hanc tollatur etiam vinculum voti, ita ut votum per ipſam prorſus extinguatur; idcirco plus eſt diſpenſare quam commutare votum. Commutatio voti vocatur aliquando etiam redemptio, licet iure ſint idem; cum ſolum inter ſe differant a ſpecie materiæ, ut ſit in emptione & permutatione. Dicitur enim commutatio, quando una actio mutatur in aliam: ut quando quis vovit v. g. peregrinationem ad S. Iacobum in Compoſtella; commutatur hæc obligatio ob aliquod impedimentum in aliud opus eiuſdem laboris & expenſæ. Commutatio vero dicitur redemptio, quando votum commutatur in pecuniam, aut in aliud pretio & pecunia æſtimabile: ut ſi ſupradictus vovens ſit impeditus ad exequendam ſuam peregrinationem, ei imponatur dare tantum Quid ſit commutatio.

pro Deo, quantum expendiſſet eundo & redeundo in peregrinatione ad S. Iacobum. Redemptio enim eſſe debet eiuſdem pretii & æqualis, ut ex *cap.* Magnæ *de vot. & vot. redempt.*

Licet autem non omne votum proprie ſit diſpenſabile, quia non omne votum eſt de malo, vel inutili, vel impeditivo maioris boni; omne tamen votum (excepto ſolemni quo perſona Deo conſecratur) eſt commutabile. Silveſter v. *Votum* v. *quæſt.* VII.

Ad voti commutationem ſive etiam redemptionem, ſicuti ad diſpenſationem, duo principaliter requiruntur: ſcilicet eccleſiaſtica poteſtas, & legitima ſive rationabilis cauſſa. Sed cum commutatio fieri poſſit in melius, in æquale, & minus; diſputant doctores, num ad voti commutationem ſemper requiratur eccleſiaſtica auctoritas. Conſentiunt omnes, quod ſi commutatio voti fiat in votum Religionis, vel ſtatus maioris perfectionis, quiſque hanc commutationem propria facere poteſt auctoritate: cum propter dignitatem electionis iura etiam hoc concedant. Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* VII. Similiter etiam ſi Votum ſit manifeſte illicitum ac maioris boni impeditivum. Circa vero omnem aliam votorum commutationem, tenent aliqui, quod ſemper fieri debeat per eccleſiaſticam poteſtatem: quia, dicunt ipſi, cum votum ſit promiſſio Deo facta de eo quod illi ſit gratum & acceptum; ſpectat ad Prælatos ſive Paſtores Eccleſiæ, qui vicem Dei gerunt, declarare quid ſit gratum ipſi Deo & acceptum.

Commutatio aliquando fit propria auctoritate.

Communior tamen ſententia & verior videtur, quod quiſque commutare valeat propria auctoritate ſine Prælati poteſtate ſuum votum, quando commutatio fiat in id quod certo & evidenter eſt melius bonum, gratius Deo, aptius & accommodatius voventi ad finem ſuum conſequendum. Ita Angel. v. *Votum* IV. *quæſt.* II. Caietanus, Sotus, Armilla v. *Votum*, Navarrus, Petrus de Arag. Sayrus *lib. VI. cap.* XII. *num.* 5. aliique: & colligi poteſt ex *cap.* Pervenit *de iureiur.* ubi Gregorius Papa ait: *Non propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat:* ex *cap.* Scripturæ *de vot. & vot. redempt.* & ex *cap.* Sane *de Regular.* Quia cum in tali commutatione reddatur Deo quod eſt melius, ideoque ipſi gratius; eo magis adimpletur promiſſio Deo facta de re ipſi grata: quæ promiſſio eſt tota ratio obligationis voti. Et ita ſenſit etiam D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 12. ubi docet, ideo opus eſſe in voti commutatione ſuperioris auctoritate, ut definiat in perſona Dei, num hoc vel illud Deo ſit acceptum: quod ſupervacaneum eſt, quando certum ſit, gratius eſſe Deo id in quod votum commutatur.

Dixi *Deo gratius, ac voventi aptius & accommodatius ad finem ſuum conſequendum.* Nam in commutatione voti non ſolum attendenda eſt excellentia virtutis & operis, ſed etiam utilitas voventis, & finis in faciendo voto intentus: ut ſi quis vovit v.g. ieiunium ad carnem edomandam, aut eleemoſynam ad avaritiam refrenandam; non poſſunt hæc commutari in orationem aut alia religionis opera, licet ſpectantia ad virtutem nobiliorem. Quia actus harum virtutum non ſunt ita utiles & apti ad finem voti conſequendum: quod in hiſce caſibus utilius eſt voventi; immo ipſi Deo qui bonis noſtris non indiget, nihil eſt ita gratius & acceptius, ſicuti quod melius conducit voventem ad finem in ſuis votis intentum. Et ſic de aliis ſimilibus dicendum. Sayrus *lib. VI. cap.* XII. *num.* VI. Idcirco ad commutationem duo præcipue ſunt attendenda: nimirum quod gratius ſit Deo & acceptius, & quod voventi ſit utilius ad finem ſuum conſequendum. Reginaldus *lib. XVIII. num.* 350. Quando vero certo non conſtat commutationem fieri in bonum melius, immo incertum hoc ſit: quia nemo poteſt eſſe iudex in cauſſa propria, nec uti iuriſdictione in ſe ipſum; tunc requiritur ſuperioris eccleſiaſtici auctoritas, qua ut gerens Dei vices in perſona ipſius Dei declaret ac determinet, num id in quod ſit commutatio, ſit ipſi Deo gratius & acceptius.

Ad voti commutationem in æquale plane neceſſaria eſt Prælati auctoritas, quidquid aliqui in contrarium dicant. Nam cum difficillimum ſit in voti commutatione talem æqualitatem attingere, ita ut ordinarie homines incerti ſint, ac facile poſſint in propria cauſſa alucinari, ut non dent Deo quod ſaltem ei æquivaleat quod commutant: hinc ne decipiantur, recurrendum eſt ad aliorum iudicium, ideſt ſuperiorum Dei vicem gerentium, qui hanc æqualitatem determinent. Ita Covarruvias, Sayrus *loc. cit. num.* [illegible]. Caietanus, Sotus, Suarez, Reginaldus *loc. cit. num.* 349. aliique.

Quando vero commutatio voti facienda ſit in minus bonum, communiter docent Theologi, Canoniſtæ, necnon Summiſtæ, ſemper neceſſariam eſſe Prælati auctoritatem: quia cum in commutatione non totum exigatur quod Deo pro voto debetur, ſed pars

Digitized by Google

pars tantum, & altera remittatur; hinc fit, quod cum aliqua diſpenſatio commiſceatur cum tali commutatione, nonniſi per eccleſiaſtici ſuperioris auctoritatem relaxari queat. Quare advertit Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. quod quando petitur commutatio, ut ſit ſecurior, petatur ſimul diſpenſatio: notando, quod commutatio pura non poteſt fieri in minus, ſed cum æqualitate. Idcirco admonentur Parochi ac Confeſſarii quibus virtute iubilæi conceditur facultas commutandi vota, ne mutent in minus, ſed in maius vel æquale: illi vero qui ex privilegio, ut Prælati & Confeſſarii Regulares, habent commutandi & diſpenſandi facultatem, poſſunt vota omni ex cauſſa in minus commutare, ſcilicet miſcere commutationem cum diſpenſatione; cum ex cauſſa poſſint etiam diſpenſare abſolute.

§. XV.

De iis qui poſſunt vota commutare.

Quando vota non ſint de iis quorum commutatio evidenter fit in melius, ii omnes qui diſpenſare poſſunt, valent etiam commutare: ſive ſint ex iis quibus hoc de iure communi & tamquam ordinario, ſive ex iis quibus competit ex vi privilegiorum ſuorum. Ita communiter. Notandum tamen, quod ſicut ad diſpenſationem ſunt quidam caſus Papæ reſervati; nempe quinque præcipue ſupra recenſiti: ita in commutatione; ut in Extra Sixti IV. quæ incipit *Etſi Dominici gregis* de pœnis & remiſſione inter extrav. commun.

Quid de commutatione votorum vi iubilæi. Facultas quæ impertitur in iubilæo ac pontificiis indulgentiis, extenditur ad vota emiſſa ſive ante, ſive poſt emanatum iubilæum aut indulgentiam; quidquid aliqui in contrarium dicant. Et eſt communior doctorum. Quia ſicuti facultas ibi conceſſa abſolvendi a peccatis reſervatis intelligitur tam de peccatis ante, quam tempore iubilæi commiſſis; ita etiam intelligendum occurrit de votis quoad illorum commutationem, ſive emiſſa ſint ante, ſive tempore iubilæi. Immo ſicuti peccata reſervata oblita in confeſſione tempore iubilæi poſſunt abſolvi a Confeſſario approbato etiam poſt iubilæum; ita vota quorum commutationem quis oblitus ſit petere in confeſſione tempore iubilæi, poſſunt, ipſo tempore expirato, per approbatum Confeſſarium commutari: cum gratia conceſſa a ſummo Pontifice reſpectu talis voti ſine alicuius culpa ſuum effectum non obtinuerit; & talis cenſetur mens ſummi Pontificis, liberandi a tali gravamine per iubilæum eos qui ex iuſtis rationabilibuſque cauſſis talem commutationem petere cupiunt. Ita Sayrus *lib. VI cap.* xii. *num.* 27. Immo ſi pœnitens tempore iubilæi petat commutationem votorum omnium, etiam illorum quorum expreſſe non recordatur, recordetur tamen eſſe talis & talis obiecti; & Confeſſarius dicat, Pro omnibus tuis votis fac hoc aut illud: ita eſt valida talis commutatio, ut ſi poſtea expreſſe & diſtincte numeri recordetur pœnitens, non indigeat alia commutatione; ſicuti qui tali modo confeſſus ſit de peccatis reſervatis quorum non recordabatur, abſolutus fuiſſet & a reſervatione liberatus.

Advertendum, quid liceat ſecundum æqualitatem. In commutatione autem attendere in primis Confeſſarius debet, quid liceat ſecundum æqualitatem. Etenim curandum eſt, quantum fieri poteſt, ut commutatio fiat in æquale. Silvius v. *Votum* iv. *quæſt.* viii. Sotus, Caietanus, Navarrus. Hæc tamen æqualitas non ita ſcrupuloſe accipienda eſt, ut conſiſtat in puncto indiviſibili; ſed ad boni viri arbitrium, ceſſante fraude. Immo cum in bullis vel privilegiis ea ſit Papæ intentio, ut mitius procedatur: hinc, præcipue ſi adſit cauſſa, commutationem quæ fit virtute bullæ iubilæi aut alterius privilegii, fieri poſſe etiam in minus, omnes conſentiunt. Etenim omne privilegium eo modo eſt interpretandum, ut aliquid operetur quod ſtando iuri communi non liceret, quidquid in contrarium dicat Azorius. Ita Petrus de Arag. & Sayrus *lib. VI. cap.* xii. *num.* 19.

Et quid deceat. Item conſiderandum, quid deceat; ne ex tali commutatione ſcandalum aliquod ſequatur: quidve expediat & quoad ipſum voventem, & quoad proximum; ut Panormitanus in *cap.* Magnæ *num.* 3. *de vot. & vot. redempt.* Angel. v. *Votum* iv. *quæſt.* xii.

Necnon verba bullæ. Præterea attendenda ſunt verba bullæ: quia privilegia iuxta eorum tenorem ſunt interpretanda. Unde communiter docent doctores per bullam Cruciatæ vota ſolum poſſe commutari in utilitatem Cruciatæ, & in ſubſidium Regis: ideoque eleemoſynæ in quas votum commutatur, dandæ ſunt quæſtoribus Cruciatæ in expeditionem contra Turcas. Econtra vero ſi commutatio fiat auctoritate Epiſcopi; tunc poſſent commutari in eleemoſynas pauperibus elargiendas: quia tunc commutatio fit auctoritate Epiſcopi, non bullæ Cruciatæ.

Et quoniam in bullis iubilæi datur aliquando facultas commutandi vota in eleemo-

moſynas aut in aliud pium opus ſpecifice; in iſtud ſolum poſſunt commutari: ita ut etiamſi pauper ſit ille cui votum eſt commutandum; dare tamen debet eleemoſynam iuxta vires ſuas. Et is cui datur ſola facultas commutandi votum, non poteſt relaxare pœnas ob violatum votum contractas. Ita Navarrus *Tom. I. Conſil.* XXXV. *alias* XXXII. Sayrus *loc. cit. num.* 19. Azorius.

Item circumſtantiæ voventis. Conſideranda pariter eſt qualitas & conditio voventis, ætas, infirmitas aut robur corporis, officium, ſtatus, inopia, & an ſuis valeat panem ſua arte lucrari. Richardus, Angel. v. *Votum* IV. *quæſt.* XII. Navarrus in *Manual.* Item conſiderandæ ſunt expenſæ quæ eundo & redeundo facturus erat qui vovit, v. g. peregrinationem in voti executione: ſed illæ ſolum quæ, ſi dives ſit, feciſſet cum uno aut altero famulo; non vero eæ quas facere debuiſſet eundo cum pompa, ut dives. Conſiderandus quoque eſt labor itineris, & modus quo erat peregrinaturus: ideſt ſi pedibus ire propoſuiſſet, ut iuxta tale incommodum in aliud æquale incommodum ipſius votum commutetur; ut iter unius diei pedibus in ieiunium unius diei, & ſi non pedibus, iter quatuor vel quinque dierum poteſt commutari in ieiunium unius diei. Item ſi vovit non ſolum peregrinationem, ſed etiam aliquam oblationem Eccleſiæ ad quam vovit peregrinari; hæc quoque oblatio commutanda eſt in oblationem alicui alteri Eccleſiæ indigenti. Ideoque attendendæ ſunt expenſæ faciendæ in voti executione, ut reliquæ, deductis illis quas iam feciſſet domi manendo, commutentur in eleemoſynam pauperibus elargiendam. Oblatio vero, ſi hanc vovit, danda eſt alteri Eccleſiæ indigenti. Labor & incommodum itineris ſecundum ætatem, ſalutem, & robur voventis commutentur; ideſt incommodum quod paſſus fuiſſet in voto exequendo, commutandum in ieiunium, vel orationem, aut in alia exercitia pietatis conditioni ſalutis, ætatis, roboris voventis accommodata. Et ſic dicendum de omni alio voto commutabili. Sed optimum erit ut in tali caſu vovens & Confeſſarius caſum cum aliis doctis peritiſque viris conferant, ne error occurrat in commutatione.

Facta voti commutatione ex iuſta cauſſa (alias non teneret, ut dictum eſt) liberum eſt voventi votum primum ſervare: quia cum commutatio fiat in favorem voventis; ideo facta intelligitur cum tacita conditione, ut vel prius votum ſervet, vel id in quod fuit commutatum, prout ei commodius & ſpiritualiter utilius viſum fuerit.

Quid circa commutationes factas a Papa in votis ſibi reſervatis. Num vero, facta commutatione a Papa in voto ſibi reſervato, id in quod tale votum commutatum fuit, poſſit ab Epiſcopo vel Confeſſario Religioſo ad confeſſiones ab Epiſcopo approbato relaxari, vel in aliud commutari, diſcrepant doctores. Si Papa v. g. commutaverit alicui ex iuſta cauſſa votum caſtitatis in ieiunia vel eleemoſynas; deinde cauſſa ſubſit ut hæc etiam in alia commutentur. Negant aliqui, qui volunt quod ſubrogatum loco prioris voti, ideſt caſtitatis, loco voti prioris ſubſtituatur: ideoque ſicut prius votum, ſit Papæ reſervatum. Alii vero, ut Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* VII. *in fin.* Azorius cum aliis pluribus, rectius docent, quod Epiſcopi aut alii Confeſſarii virtute iubilæi electi poſſint eiuſmodi votum commutare. Quia, ut aiunt, prius votum per commutationem in aliam materiam ſublatum eſt quoad materiam priorem; illud autem in quod eſt commutatum, non eſt Papæ reſervatum: eodem modo quo, ſublata excommunicatione peccato Papæ reſervato, ceſſat in tali peccato reſervatio. Idcirco ſicuti tale peccatum poteſt a quocumque approbato abſolvi: ita cum per commutationem materiæ voti in aliam ſublata ſit huic voto reſervatio; Epiſcopus & quilibet Confeſſarius tempore iubilæi aut alio titulo ad commutandum privilegiato, poteſt iterum ex iuſta cauſſa in aliud commutare. Verum quidem eſt, quod qui obtinuit voti commutationem in aliud, tenetur vi ipſius voti præcedentis illud obſervare in quod commutatum eſt. Sayrus *lib. VI. cap.* XII. *num.* 23.

Obligatio prima voti per commutationem quæ fiat a Papa ipſius materiæ in aliam, prorſus extinguitur, & loco ipſius ſubſtituitur obligatio in illud in quod votum mutatum eſt; ita ut penitus abſolvatur vovens a priore voto, & ad votum ſubſtitutum eiuſque materiam obligetur, ut peccet contra ſecundum, ſi deficiat, non contra primum. Panormitanus in *cap.* I. *num.* I. *de vot.* Silveſter v. *Votum* IV. *quæſt.* III. cum Soto aliiſque. Quia obligatio ſemel extincta non reviviſcit. Hoc tamen ſolum verum eſt, quando commutatio fit ab homine, non a iure. Si quis v. g. vovit peregrinationem ad loca ſancta Hieruſalem, & illud votum facultate quam iura illi concedunt, commutet in votum Religionis; ſi culpa ſua redeat ad ſæculum, votum illud primum adimplere tenetur: quia per ingreſſum in Religionem votum illius erat ſolummodo ſuſpen-

ſum,

ſum, non commutatum. Etenim per ſolam profeſſionem prius votum fit commutatum; cum omnis prioris voti obligatio, ſemel emiſſa profeſſione in Religione approbata, adeo extinguatur, ut etiamſi ab ipſa deficeret, ad illud primum votum non obligaretur.

§. XVI.

De cauſſis ad commutationem requiſitis.

Cauſſa iuſta & rationabilis ad commutandum, niſi ſit in opus certo melius.

Sicuti ad diſpenſationem, ita etiam ad commutationem, quando commutatio non fiat in id quod evidenter eſt melius, ſed in id quod eſt minus aut etiam æquale bonum, requiritur ſemper iuſta & rationabilis cauſſa. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. Richardus, Panormitanus, Angel. v. *Votum* iv. *quæſt.* x. S. Antoninus, Silvius, Tabiena v. *Diſpenſatio quæſt.* x. Caietanus, Sotus, aliique communiter. Quia, ut iam dictum fuit de diſpenſatione, Prælati poteſtatem iuriſdictionemque a Chriſto Domino receperunt in ſpiritualem ædificationem ſuæ Eccleſiæ, non in deſtructionem; ſicuti fieret, ſi abſque iuſta cauſſa tum diſpenſarent in votis, tum vota commutarent. Poteſt quidem irritari votum ſine cauſſa ab iis qui talem habent poteſtatem, ideſt dominativam: quæ etiam æque ac gubernativa datur in ædificationem, non in deſtructionem; cum hæc ex ipſa natura dominii vel quaſi dominii ita detur, ut ſuperior poſſit tamquam dominus ſine cauſſa votum ſubditi irritare. Non poteſt vero gubernativa, niſi ex cauſſa iuſta, diſpenſare vel commutare votum: quia hæc ita datur, ut per eam fiat ſolum facultas ſuperiori gubernandi ſubditos recte & valide in his quæ ſunt rationabilia; alioquin Deus non conſentit, & diſpenſatio ac commutatio non valent.

Peccat commutans ſine iuſta cauſſa.

Et hæc omnia intelligenda ſunt etiam de votis, quæ a Papa diſpenſantur: ita ut ſi Papa cum aliquo ſine iuſta cauſſa diſpenſet, hic ſit reus mortalis culpæ, & diſpenſatus non eſt tutus in conſcientia; cum talis diſpenſatio nulla ſit. Idemque dicendum eſt de commutatione quæ fiat ſine ſua cauſſa. Nam cum ſit de iure divino & naturali, quod vota noſtra Deo reddere debeamus; & cum Papa in his quæ ſunt de iure divino & naturali, ius non habeat, quando nulla ſubſit rationabilis cauſſa: nulla eſt diſpenſatio voti ac commutatio, quæ ſine iuſta cauſſa ſive a Papa, ſive ab aliquo qui talem habet facultatem, facta ſit. Si vero ſaltem talis cauſſa appareat, ita ut ſolum dubitetur, num ex legitima cauſſa ſit conceſſa diſpenſatio vel commutatio: diſpenſatus poteſt acquieſcere iudicio Prælati diſpenſantis aut commutantis, non tamen iudicio proprio. Ita D Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxviii. *art.* 12. *ad* 2. aliique tam Theologi, quam Canoniſtæ unanimiter affirmant.

Cauſſæ hujuſmodi recenſentur.

Cauſſæ autem iuſtæ ac rationabiles ad legitime commutandum eædem ſunt quas adduximus ad diſpenſandum. Scilicet vel ex parte materiæ, quando maius bonum cernitur in commutatione quam in ipſius voti executione, ut quando executio redditur illicita; vel ſpirituali bono voventis eſt inutilis, aut impeditiva boni maioris, ita ut votum non ſit amplius Deo gratum: vel ex parte voventis, puta ob eius infirmitatem & debilitatem ad votum implendum; ſicuti ſæpe accidit in votis ieiuniorum aut eleemoſynarum, quæ ob infirmitatem corporis in uno, diminutionem fortunarum in aliis impleri non poſſunt: item probabile periculum peccandi in vovente; ideſt quando probabiliter creditur voventem ita eſſe affectum, ut ſæpe votum violaturus ſit, aut oblivioni daturus. Sayrus *lib. VI. cap.* xii. *num.* 27. cum aliis ab ipſo citatis. De difficultate vero gravi & moleſta ad votum implendum, num ſufficiens cauſſa ſit ad commutationem, vide ſupra dicta ſuo loco de diſpenſatione.

CAPUT V.

De iuramento.

§. I.

De natura ſeu eſſentia iuramenti.

IUramentum ſeu iuſiurandum, quod non ſecus ac votum actus eſt religionis, ex eo nomen habet, quod ſit quaſi iure introductum ut id quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur, ut declarat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 1. & poſt ipſum Sotus, Covarruvias, & alii: ideoque iurare eſt Deum in teſtimonium invocare ſeu aſſumere (ſecundum D. Auguſtinum in *Serm. de periur.*) non quidem ut hic & nunc miraculo aliquo veritatem teſtetur; hoc enim eſſet tentare Deum. Hinc iuramentum differt ab adiuratione, quæ eſt actus quo quis alterum rogat, vel aliquid per Deum ei præcipit; ut ſcilicet eius timore, reverentia, aut amore cogatur aut moveatur ad aliquid agendum vel non agendum:

dum: ut illud I. ad Theſſal. cap. v. *Adiuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc*. Iuramento enim Deum ſeu nomen eius & auctoritatem in teſtem aſſumimus, ut fides aſſertis præbeatur, atque alius de re iurata firmetur ac certificetur. Unde ait D. Auguſtinus Serm. XVIII. de verb. Apoſt. *Quid eſt iurare per Deum, niſi teſtis eſt mihi Deus?* Et rationem dat Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 1. ex fine ad quem iuramentum ordinatur, qui iuxta Apoſtolum eſt ad finiendas controverſias veritatemque confirmandam, quæ confirmari nequit niſi ratione aut per teſtes. Ratione autem confirmantur veritates neceſſariæ, de quibus eſt ſcientia; veritates autem, quæ ſunt de rebus contingentibus, immutabili & certa ratione nequeunt confirmari: & ſic ſolum ad firmitatem teſtium recurrendum eſt pro earum confirmatione. Teſtimonium vero humanum ad haſce confirmandas veritates propter duo in ſufficiens eſt: tum ob defectum humanæ veritatis, Pſalm. lxi. *Mendaces filii hominum in ſtateris*; tum ob defectum cognitionis, quia non poſſunt futura, vel abſentia, vel abſcondita cordium cognoſci. Quare opus fuit ut ſtatueretur recurſus ad divinum teſtimonium, mediante iuramento: quia Deus nec mentiri, nec falli, nec aliquid ignorare poteſt: quod proteſtatur iurans, dum ipſum Deum adducit in teſtem ad confirmandam veritatem. Hinc iuramentum dicitur a iure, quaſi pro iure introductum, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur. Dicitur etiam iusiurandum, & multoties in divina Scriptura: eo quod veritas iuramento firmata ita firma & ſtabilis debeat eſſe, non ſecus ac ſi iure ipſo eſſet ſtabilita & firmata. Alias ſacramentum in iure canonico appellatur (*cap.* Qui ſacramento XXII. *q.* IV. & alibi) quia iuramentum habet habitudinem ad res ſacras; quatenus eſt conteſtatio quædam facta per aliquid ſacrum, nimirum per divinum teſtimonium. Quare iuramentum eſt actus latriæ quo Deum honoramus, ſecundum D. Hieronymum *ſup. Matth.* In hoc tamen ſenſu iuramentum accipitur ſecundum actum iurandi, non vero ſecundum habitum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 1. Iuramentum vero ſumptum pro habitu varie definitur. Hoſtienſis enim in *Sum. Rubr. de iurament.* ita definit: *Aſſertio vel negatio de aliquo licito poſſibili & honeſto, ſacræ rei atteſtatione firmata*. Cum autem hæc definitio excludat iuramentum pravum, quaſi nullus poſſit male iurare, cum tamen ſæpiſſime contrarium contingat; idcirco non eſt recepta a Theologis & Canoniſtis, qui potius iuramentum ſic definiunt: *Adfirmatio vel negatio alicuius rei factæ vel faciendæ, adducendo tacite vel expreſſe Deum, quantum in ſe eſt, in teſtem, tamquam infallibilem veritatem*. Hæc eſt communis apud omnes. Qui enim iurat & invocat Deum in teſtem (ut II. ad Corinth. cap. 1. *Teſtem invoco Deum in animam meam*) vult & cupit hoc ipſo, quantum in ſe eſt, Deum id manifeſtare quod iuramento firmatur vel negatur, tamquam id quod eſt ab ipſo Deo etiam ſcitum & verum. Et hoc probis ac prudentibus hominibus ſatis eſt ad fidem faciendam; cum non ſit credibile, hominem facile expetere divinum teſtimonium in confirmationem rei falſæ cum tanta divinæ maieſtatis iniuria. Hinc ad iuramentum duo ex communi ſententia principaliter requiruntur. Primo, intentio ſaltem virtualis iurandi, ſeu Deum in teſtem aſſumendi. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 3. *ad* 2. Nam iuramentum, quatenus eſt iuramentum, debet eſſe actus humanus; ac proinde oriri ex intentione iurandi: alioquin qui verba iuramenti recitaret, vel legendo, vel docendo iuraret. Secundo, locutio qua Deus in teſtem advocetur. Quæ locutio ſeu invocatio non fit ſolis verbis, ſed etiam alio quovis ſigno quo Dei invocatio exprimatur, v. g. nutu, contactu Evangelii; elevatione manus, quando talia fiant cum intentione iurandi. Quinimmo hæc locutio poteſt eſſe etiam mere interna; & ita iuramentum eſſe poteſt mere internum. Non eſt igitur iuramentum, niſi tacite vel expreſſe Deus invocetur in teſtem; cum hoc ſit de eſſentia iuramenti. Unde ſimpliciter adfirmans vel negans quæ præſeferunt imaginem teſtimonii aut execrationis, ut *eſt, non eſt; ſic, non; feci, non feci; profecto; certiſſime; neutiquam; vere; in veritate*; hic non iuraret: cum in nulla huiuſcemodi locutionum Deus invocetur. Secus, ſi aliquis diceret, *In veritate Dei* vel *Chriſti*: tametſi enim Deus veritas ſit, non omnis tamen veritas eſt Deus, ſed illa ſolum quæ infallibilis eſt; ac proinde hic Deum invocaret in teſtem, & iuraret qui diceret *In veritate Dei* vel *Chriſti*. Sayrus *lib. V. cap.* 1. Sotus, aliique communiter. Hæ vero locutiones *Deus ſcit*, *coram Deo loquor*, dupliciter intelligi poſſunt & uſurpari. *Invocative* ad confirmandum id quod dicitur, ita ut intelligatur Deus vocari in teſtem eius quod dicitur, ut ſæpe fieri ſolet; & tunc eſt iuramentum: ut Apoſtolus ad Galat. cap. 1. *Ecce coram Deo*, quia

Iuramenti definitio.

Quæ requirantur ad iuramentum.

Eſſentia iuramenti in invocatione Dei tacita vel expreſſa.

quia non mentior : & II. ad Corinth. cap. xi. *Deus ſcit , quod non mentior*. Rurſus poſſunt intelligi ſimpliciter *enuntiative* , quando ſolum proferuntur per modum narrationis ; ut frequenter evenit in illis qui non intendunt iurare ad dicta ſua confirmanda , ſed ſolum ſignificare dici coram Deo ea quæ dicunt , & ea Deum ſcire , ut ſenſus ſit : *Ego ſic aut ſic aio ; ſed tamen verba mea remitto Dei ſcientiæ & iudicio : ipſe enim quod verum ſit , novit* : & ſic non eſt iuramentum ; quia non eſt invocatio Dei in teſtem. Hic vero dicendi modus , *Hoc tam verum eſt , quam Deus exiſtit* , vel *quam Deus eſt in Euchariſtia* , & aliæ huiuſce generis locutiones quæ ſunt fidei articuli , ſunt potius blaſphemiæ quam iuramenta . Item huiuſmodi locutiones *per mortem* , *per ventrem* , *per caput Dei* , ſunt blaſphemiæ potius quam iuramenta : dummodo quis per has locutiones non intenderet Chriſtum in teſtem adducere ; ſicuti etiam iuramenta eſſent in eo qui per tales locutiones intenderet iurare , ac ea aſſeveratione Deum in teſtem adducere . Ita Caietanus , Sayrus *loc. cit.* Sotus , aliique . Itidem formulæ apud homines apud quos ſunt in uſu pro iuramento : immo ille quoque qui erronee putaret talia verba eſſe verum iuramentum , ſi ea proferat cum intentione iurandi , etiam detecto errore , maneret pro tali iuramento obligatus apud Deum : quia in illa intentione , niſi addatur aliquid quod excludat neceſſaria ad iuramentum , cenſetur ea ipſa neceſſaria incluſiſſe . Reginaldus .

In quacumque igitur huiuſcemodi locutione affirmante , vel negante , quæ iuramenti ſpeciem præſeferat , ſpectanda eſt intentio loquentis , circumſtantiæ , & uſus locutionis . Etenim quævis verba vel ſigna adhibeantur cum intentione iurandi , ſunt iuramenta , tametſi verba illa vel ſigna vim non habeant iuramenti ſignificandi : nam per verba illa vel ſigna , quæcumque ſint , hiſce utens vult & intendit Deum in teſtem aſſumere . Ita Suarez , Azorius , & alii . In dubio autem de intentione ſic loquentis , iudicandum eſt ſecundum communem acceptionem verborum vel ſignorum quibus uſus eſt .

Quænam ſit invocatio expreſſa , & quænam tacita .

Ad iuramenti igitur eſſentiam requiritur expreſſa vel tacita Dei invocatio . Expreſſe , v. g. dicendo , *Invoco Deum* , *Chriſtum* , *Sanctiſſimam Trinitatem* , ſeu *Facio Deum teſtem* ; vel dicendo , *Per Deum* , *per Chriſtum* . Tacite vero ſeu implicite invocatur Deus in teſtem dicendo , *Vivit Deus* , *per Deum* . Item cum iuratur per creaturas relative ad Deum ; ideſt quatenus in his relucet divina bonitas , veritas , potentia , ſapientia . Ut cum quis iurat *Per Evangelia* , *per Sanctos* , *per Scripturas* , *per reliquias* , *per vitam* , *per ſalutem Domini ſui* , *per cælum* , *per terram* : perinde eſt ac ſi iuraret per Deum , cuius veritas in evangelio continetur , per ſanctos qui veritatem Evangelii crediderunt , coluerunt , ac prædicarunt ; per ſcripturas ac per reliquias , in quibus divina veritas manifeſtatur . Similiter qui iurat per conſcientiam , atteſtando Deum per eam . In his igitur omnibus Deus tacite invocatur ; & iuramentum maius eſt , quo magis relucet Deus in creaturis . Etenim maius eſt iurare per B. Virginem quam per alios ſanctos , maius per iſtos quam per cælum aut terram . Qui enim iurat per creaturas , ſemper in illis aliquid numinis eſſe profitetur , ſive falſum , ut idololatræ , ſive verum , ut orthodoxi , qui Deum in creaturis exiſtere fatentur : & tam creatura quam Deus qui auctor eſt creaturæ , ut teſtis adducitur . Quod ſi adduceret creaturas in teſtimonium & confirmationem ſui dicti , ſolummodo ut res huius mundi & ad homines pertinentes , & ut res ſimpliciter naturales , nihil amplius intendendo ; non eſſet iuramentum . Sic Ales *Part. II. quæſt.* xxxi. *membr.* 14. Silveſter v. *Iurare* 1. *quæſt.* iv. Sayrus *lib. V. cap.* 1. *num.* 5. & 14. aliique .

Tacita ſufficit .

Non eſt autem neceſſe ad iuramenti naturam ut expreſſe apponatur verbum *Iuro* ; cum ſufficiat , quod etiam tacite Deus in teſtimonium invocetur : quod fieri poteſt ſine prolatione verbi *Iuro* ; ut videre eſt in veteri Teſtamento , ubi ſæpe celebratur illud iuramentum : *Vivit Deus* , *Vivit Dominus* : Ierem. cap. iv. *Teſtis eſt mihi Deus* . Rom. cap. 1. & alibi . Et hæc omnia tamquam iuramenta numerantur ab Innocentio III. Sayrus *loc. cit. num.* 7.

Quod ſi etiam Deus poteſt tacite in teſtem invocari ; ſequitur , nulla verba præciſe neceſſaria eſſe ad ſubſtantiam iuramenti : cum hoc fieri poſſit ſine ulla verborum prolatione . Etenim ex dictis conſtat , ſigna ſolum ſufficere ad hoc ut Deus in teſtimonium invocetur : ut v. g. cum quis rogatus ac iuſſus , crucem aut librum Evangelii manu tangat , intendens & ſignificans ſe iurare . Sic Silveſter v. *Iurare* 11. *quæſt.* 1. Sotus *lib. XVIII. de iuſt. & iur. quæſt.* 1. *num.* 1. Covarruvias in *cap.* Quamvis *in princip. quæſt.* x. *num.* 403. *de pact.* qui citat Gloſſam in *Sum.* 2. 2. *quæſt.* 1. ubi ſic ha-

Signa tantum ſufficiunt .

habet : *Forma iuramenti alia fit ſolo ſermone , alia fit interventu alicuius rei ſacræ : quia ibi eſt tacita Dei invocatio, cuius veritas eſt in Scripturis*. Errant igitur qui contrarium ſentiunt. Nam iuramentum fit Deo qui eſt mentium inſpector. *Can.* Si quid inveniſti XIV. *q.* I. Et omnes doctores ita communiter ſentiunt. Et eo vel maxime hæc veritas patet, quia neque in matrimonii conſenſu neceſſaria ſunt verba, nec de illius eſſentia, nec reſpectu loquentium, nec mutorum : cum exprimi poſſit per ſigna talem conſenſum exterius ſignificantia; alias muti non poſſent nubere. Sayrus *loc. cit.*

Nec huic regulæ officii caput penultimum de iureiurando, ubi videtur Pontifex definire iuramentum ſuper re præſtitum non poſſe tale iuramentum ſimpliciter conſenſu iurantis ad alium caſum extendi, niſi expreſſe fiat : unde ſignificat ac explicat, non ſufficere iurandi mentem, niſi & verba iuramentum ſignificantia fuerint expreſſa. Nam ibi Pontifex non agit de validitate & veritate iuramenti mente concepti, ſed potius de extenſione iuramenti : quod citatus canon negat fieri poſſe ad caſum non contentum ſine novo conſenſu & intentione iterum iurandi. Ita ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 2. *ad* 4. Covarruvias *cap.* Quamvis *num.* 5.

Verum quidem eſt, quod ſi iurans dare centum Petro intra viginti dies, & terminus poſtea ei prorogetur; ſi intra tempus prorogatum non ſolvat, ſecundum Covarruvias in *cap.* Quamvis *in principium*. 6. eſt periurus; quia talis iurans duo communiter promiſit : ſe adſtringere iuramento ad ſolutionem; & ſe ſatisfacturum intra certum diem. Quare licet ei tempus prorogetur : quia ipſa prorogatio eſt etiam temporis determinatio, ita ut iuramentum & eius extenſio ſuper eamdem rem cadant; vi prioris iuramenti, cuius obligatio extenditur etiam ad tempus prorogatum, tenetur ad ſolvendum, ita ut ſi intra talem temporis prorogationem non ſatisfaciat, ſit periurus. Sayrus *lib. V. cap.* I. *num.* II.

Idem eſt iuramentum ſive ſolemne, ſive ſimplex. Non eſt regulariter neceſſarium ad iuramenti rationem, quod fiat contactu libri Evangeliorum aut alicuius ſacræ ſcripturæ, aut rei ſacræ, puta crucis aut reliquiarum : quia ſatis eſt ad iuramentum, quod aliquid promittatur, adfirmetur, vel negetur, adducendo Deum in teſtimonium. Sic Panormitanus in *cap. ult. num.* 3. *de iuram.* Silveſter, Covarruvias. Hæc enim eſt quædam v. 'uti cæreu o.ia inducta ad ſolemnitatem iuramenti, ut meminit Sozomenus *lib. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt.* Dixi *regulariter* : quia reſpective idem eſt iuramentum ſicut votum, ſive ſimpliciter, ſive præſtitum cum ſolemnitate. Quandoque tamen cautius eſt fieri iuramentum, tactis rebus ſacris, ut homines qui talia iuramenta exprimunt, terreantur eo magis, quod maiore pœna puniatur qui violat ſolemne quam qui violat ſimplex iuramentum : & proinde cautius ipſum ſervabitur. Aliquando neceſſarium etiam eſt ut iuramentum præſtetur, tactis ſanctis Evangeliis : alias nullam vim haberet, quantum ad iuris effectum attinet; ut communiter doctores in *Rubr. de iureiurand.* ut Panormitanus aliique, & patet *cap.* Hortamur III. *q.* IX. Notant etiam doctores, quod ſi lex dicat corporaliter iurandum eſſe, ſatis erit quamlibet tangere ſcripturam; at ſi in ſpecie ſanxerit, iuramentum præſtandum erit ſuper Evangelia : alias invalidum erit, ut ex Clement. I. *Porro*, & ibi Gloſſa in v. *Tacta*, Panormitanus, Silveſter v. *Iurare* I. *quæſt.* I. Covarruvias, Sayrus *lib. V. cap.* I. *num.* 12. Immo Epiſcopi quoque & Sacerdotes, qui alioquin non tenentur iurare ſacra tangendo, ſed ſatis eſt ut iurent per ſuam conſecrationem tangendo pectus, in iis gravibus cauſſis in quibus iure expreſſum eſt, debent iuramentum præſtare tangendo ſancta Evangelia; & præcipue in duobus caſibus : ſcilicet in iuramento teſtis, & calumniæ, ut in *cap. Teſtim.* §. *Epiſcop.* §. *Nulli*, Panormitanus in *cap.* Cum in cauſſa *num.* 6. *de iuram.* Covarruvias in *cap.* Quamvis *Part. I.* §. I. *num.* 3. Syrus *loc. cit.*

Qui iurando utitur hiſce formulis, *In conſcientia mea*, *in fide mea*, *per fidem meam*, *per conſcientiam meam*, ex communi ſententia non præſtat verum iuramentum : cum hæ formulæ ordinarie accipiantur pro fidelitate humana, & pro veritatis notitia ex conſcientiæ dictamine; & nemo prudens putat rem eſſe iuramento firmatam ob hanc ſolam locutionem. Item ex communi ſententia ordinarie non ſunt iuramenta hæ aliæ formulæ, *In fide boni viri*, *boni Chriſtiani*, vel *Sacerdotis* : quia, ut ordinarie accipiuntur, ſignificant rem vel adfirmari, vel promitti ea fidelitate & humana veracitate quam habere debet vir probus, Chriſtianus, & Sacerdos. Non enim tunc Deus adducitur in teſtimonium. Ab iis tamen abſtinendum eſt ob ſcandalum. Si autem per hæc verba *In fide mea*, intelligatur fides divina, erit iuramentum. Nam qui dicit

per

per fidem divinam, vel veritatem Dei, cenſetur Deum illius auctorem in teſtem adducere.

Et ita conciliantur oppoſitæ doctorum ſententiæ, quorum alii abſolute adfirmant, alii vero negant haſce formulas rationem habere iuramenti. At melius etiam, meo iudicio, ſolvitur difficultas doctrina S. Bonaventuræ *lib. III. diſt.* XXIX. *in expoſit. litt. ante fin.* quod ſi res quæ adducitur in iuramento, adfirmando, vel negando, ſit ſacra; verum erit iuramentum: ſin autem non ſit ſacra, non erit iuramentum, dummodo tamen ita iurans non utatur hiſce rebus ſacris relative, ita ut per hæc intendat Deum in teſtem adducere.

Dicens *per Deum*, modo communi loquendi, licet proferat expreſsa verba iuramenti, quando non habeat veram intentionem iurandi, non iurat: neque audientes accipiunt talem locutionem pro iuramento; ideſt quod eam protulerit *invocative*, prout ad iuramentum requiritur, ſed ſolum enuntiative. Verba enim ipſa iuramenti, quando iurandi deſit intentio, non ſatis eſse poſsunt, ut ſit verum & formale iuramentum.

§. II.

De iuramenti diviſione.

Iuramentum multipliciter dividitur. Primo, in iuramentum deliberatum, quando quis deliberate aliquid iurat cum intentione illud confirmandi per divinæ auctoritatis teſtimonium: & in indeliberatum, ut ſi quis iurando non attendat quem invocet, aut ad quod invocet, at ex quadam inconſideratione, ut ſæpe accidit in communi ſermone. Secundo, dividitur in materiale, ut quando quis utitur verbis quæ habent formam iuramenti, ſine intentione iurandi: & in formale, quando quis vel profert verba quæ nullam formam habent iuramenti, ſed ea aſſumit cum intentione iurandi; vel cum tali intentione ea profert quæ veram habent formam iuramenti, aut alia æquivalentia. Formam autem iuramenti habere cenſentur illa verba quibus Deus in teſtem vocatur vel explicite, ut iſta, *Per Deum*, *vivit Deus*, *coram Deo loquor;* vel tacite & implicite, ut iſta, *Per crucem Chriſti*, *per Evangelia*, *per Sanctam Virginem*, *per Sanctum Antonium;* vel explicite ſimul & implicite, quibus creaturæ ſanctæ cum Deo coniunguntur, ut I. ad Timoth. cap. v. *Teſtor coram Deo*, *& Chriſto Ieſu*, *& electis Angelis.* Attendendum vero, iuramentum materiale non eſſe niſi nomine iuramentum; cum ad eſſentiam iuramenti neceſſario requiratur intentio vocandi Deum in teſtem. Tertio, dividitur in iuramentum licitum, quando fit cum ſuis conditionibus, ideſt cum veritate, iuſtitia, & iudicio, quæ ſuo loco exponentur: & in illicitum, ideſt quando fit ſine hiſce conditionibus. Non eſt tamen ſervandum iuramentum de re illicita; ſed pro eo pœnitentia agenda: nec talis omiſſio indiget diſpenſatione, ut ex *cap. Quanto perſonam tuam.* Quarto, dividitur in privatum, quod fit in occulto: & in publicum, quod fit publice & coram multis. Utrumque, ſi falſum ſit, eſt peccatum: ſed hoc ſecundum magis enorme ob ſcandalum, & infamem reddit periurum. Quinto, dividitur in iudiciale, quod præſtatur in iudicio, vel in principio litis, ut iuramentum calumniæ; vel in progreſſu litis, ut deciſorium (quod aliquando eſt liberum, quando is cui defertur, habet iuſtam cauſſam recuſandi: ſi hanc vero non habeat, eſt neceſſarium) & in extraiudiciale, quod pars parti extra iudicium defert ſine coactione illud præſtandi. Iuramentum vero iudiciale in principio litis dicitur calumniæ: quia per illud quis iurat ſe bona fide, non animo calumniandi cauſſam moviſſe, vel reſpondere, ſeu aliquid proponere, ut *cap. de iur. calumn. l.* II. §. I. Eſt enim calumnia falſa petitio, vel iniuſta repulſio, facta ſcienter: quod iuramentum non ſolum debet eſſe de præterito, ſed etiam de futuro; & datur aliquando a iudice, quando deficientibus probationibus, habet unum teſtem vel famam pro aliquo, & compellit eum iurare ſuper quo eſt fama. Sayrus *lib. V. cap.* II. *num.* 10. Sexto, dividitur in abſolutum, cui nulla additur conditio: & in conditionatum, cui conditio additur; & hoc non obligat, niſi conditio impleatur. Septimo, dividitur in ſincerum, ideſt præſtitum ſine fuco, fraude, & mendacio: & in doloſum, quod præſtatur ſubdole cum animo decipiendi. Hoc poſtremum pariter duplex eſt: unum quod fit cum mendacio; alterum ſine mendacio, ſed per verba ambigua.

Circa hanc ultimam diviſionem aliqua occurrunt notanda pro interpretatione iuramenti. Primo ſcilicet, quod certum eſt (quomodocumque agat iurans, & cui iuratur, ſive ſincere, ſive doloſe) licet in foro externo iuramentum ſit interpretandum ſecundum verborum proprietatem; in foro tamen conſcientiæ eſſe interpretandum ſecundum in-

intentionem iurantis: ut in *cap.* Humanæ aures 11. *q.* v. ubi dicitur, quod non debeat intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni. Secundo, quod quando in iuramento doloſo dolus contingat ſolummodo ex parte illius qui iurat, vel tantum ex parte illius cui iuratur, ſi iuramentum ſit promiſſorium, interpretandum eſt ſecundum intentionem ſincere agentis, & contra illum qui doloſe agit: ut in *cap.* Humanæ aures *cit.* & in *cap.* Qui peierare iv. *q.* v. Etenim nec fraus prodeſſe ſuo auctori, nec bonæ fidei obeſſe conſentaneum eſt. At ſi iuramentum ſit aſſertorium, ex quacumque parte dolus inveniatur, iuramentum interpretandum eſt iuxta intentionem iurantis, ſaltem in foro conſcientiæ: nam iurans eo modo iurat quo intendit iurare. Quando vero verba ſunt ambigua in materia venditionis, ſunt interpretanda contra venditorem pro emptore: in materia delicti, contra delinquentem: in iudiciis vero, in principio actionis pro actore; in fine pro reo; & in medio pro utroque. Silveſter v. *Iuramentum* III. *quæſt.* 11. Reginaldus *lib. XVIII. cap.* III. *num.* 28.

Octavo, iuramentum dividitur in aſſertorium, quo confirmatur quod aſſeritur, vel negatur; & reſpicit præſens vel præteritum, ut ad Gal. cap. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior*: & in promiſſorium, quo confirmatur id quod promittitur; & reſpicit futurum, ut illud Davidis *III. Reg. cap.* 1. quo iuravit Salomoni ſucceſſionem in regno. Et hoc iuramentum quando eſt de re bona, dicitur promiſſorium abſolute; quando vero de re mala, comminatorium: ut quando David iuravit ſe deleturum omnia quæ erant Nabal. I. *Reg. cap.* xxiii. Cum tamen iuramentum, ſive aſſertorium ſit, ſive promiſſorium, eſſentialiter non differat; opus non eſt aperire in confeſſione quale fuerit. Differunt tamen inter ſe accidentaliter; cum in aſſertorio locum non habeat diſpenſatio, ſicut locum habet aliquando in promiſſorio. Deinde in aſſertorio una tantum eſt obligatio, ideſt quod mens conformetur verbis quibus iurat; in promiſſorio vero per hanc requiritur ut poſtea opere compleatur id quod fuit promiſſum in iuramento (alias promittens eſſet periurus) niſi tamen promiſſum redundet in alterius præiudicium, aut ſi obſervetur, vergat in ruinam ſpiritualis ſalutis. Ex quibus omnibus ſequitur. I. Quod v. g. licet mulier alienationem dotis iuramento confirmet: confirmatio irrita eſt iure civili; in conſcientia tamen valida eſt. II. Non ſervandum eſt iuramentum quo clericus foro eccleſiaſtico renuntiavit: quia hoc non poteſt obſervari ſine gravi inobedientia & totius ordinis clericalis iniuria. III. Iuramentum de re licita, licet metu extortum, ſervandum eſt, licet iure civili nullum ſit. Non eſt vero ſervandum de re illicita, licet cum omnimoda voluntate præſtitum, ut ex regul. iur. lviii. in 6. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum*. IV. Iuramentum quo quis uſuras ſolvere promiſit, eſt ſervandum: quia etſi turpitudinem habeat ex parte recipientis; non tamen ex parte adimplentis ſuum iuramentum.

Promiſſorium porro duplex eſt. Unum, quod privati ſponte inter ſe præſtant ad confirmationem alicuius facti aut contractûs: alterum publicum, quod Principi aut Magiſtratui præſtatur ratione officii, dignitatis, vel beneficii accepti (ex *cap.* Veritatis. *Cap.* Ea te. *Cap.* Nimis *de iureiur.*) ut a vaſallis in fidelitate domino feudi promittenda; ab Epiſcopo in ſua conſecratione pro fide & obedientia ſervanda Pontifici; ab inferioribus Prælatis ratione obedientiæ & dignitatis proprio Epiſcopo. Ita ex cap. *Nullus*.

Nono, iuramentum dividitur in ſimplex, quando Deus ſolum invocatur in teſtem; & hoc iuramentum dicitur etiam conteſtativum: & in exeeratorium ſeu imprecatorium, quo Deus non ſolum advocatur in teſtem, ſed etiam in iudicem & vindicem; ut II. ad Corinth. cap. 1. *Teſtem Deum invoco in animam meam*. Hoc etiam fit in fidei profeſſione, iuxta Concilium Tridentinum, *Spondeo, voveo, iuro, ita me Deus adiuvet*: quæ verba idem ſignificant ac *Alioquin Deus me non adiuvet*. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 1. Et ſic iurans ſignificat, ſe ita abhorrere a mendacio, ut ſi mentiatur, optet ſibi rem horrendam accidere.

Decimo, dividitur iuramentum in liberum, quod ſponte fit: & in coactum, quod per vim & metum extorquetur, ſive iuſte, ut dum iudex cogit ſuum ſubditum, quando ita opus ſit, ut iuret; ſive iniuſte, ut quando extorquetur a privato, qui tale ius non habet. De libero & iuſto iuramento nullum dubium eſt obligare; de iniuſto vero eſt quæſtio.

Undecimo, dividitur in ſolemne ſeu corporale, quod fit ſuper rem ſacram, ut ſuper crucem, Evangelia, reliquias, & alia huiuſmodi, ut ex *Clement.* 1. *de hæret.* §. *Prorſus*: & in non ſolemne ſeu ſimplex, quod fit ſolis verbis ſeu ſignis æquivalentibus,

non

Digitized by Google

non tamen ſuper rem ſacram. Suarez *lib.* I. *cap.* XII. *num.* 6. Alii tamen dicunt, quod ſi lex dicat corporaliter iurandum eſſe, tunc ſatis erit tangere quamlibet ſcripturam: ſi vero in ſpecie ſtatuat iuramentum, tunc fieri debeat tangendo aliquid ſacrum. Tranſgreſſio autem, ſive ſit ſolemniter, ſive ſit ſimpliciter, ſemper coram Deo eſt periurium. Gravius tamen peccatur, quando eſt contra ſolemne, tum propter maius ſcandalum, tum propter maiorem deliberationem, ut advertit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 3. *ad* 2. & Covarruvias ad *cap. Quamvis*.

Tandem iuramentum dividitur in religioſum, quod fit per invocationem divini nominis modo iam expoſito: & in iuramentum quod coniunctam habet impietatem, quod utique variis modis fit. I. Cum de Deo falſa & ab eius maieſtate aliena proferuntur. II. Cum per idola, per falſos Deos, aut per diabolum iuratur: eſt enim diabolus omnis blaſphemiæ, idololatriæ, & periurii auctor.

§. III.

De uſu iuramenti, & de circumſtantiis requiſitis ad hoc ut iuramentum ſit licitum.

Non defuere qui negarint non licere uti iuramento, ut Apoſtolici tempore D. Bernardi, ſicut ex eius *hom.* LXIX. *in Cant.* patet; Cathari eodem tempore, teſte Guidone: Wicleffus, cuius error proſcriptus fuit *ſeſſ.* XLV. a Concilio Conſtantienſi; Anabaptiſtæ; & ita ſenſiſſe videtur etiam Eraſmus in ſuis annotationibus ad *cap.* V. *Matth.* ubi negat licitum eſſe iuramentum in ſæcularibus negotiis. Contra quos omnes ſit.

Iuramentum licitum eſt & honeſtum. De fide ut certum tenendum eſt, iuramentum certis munitum conditionibus bonum eſſe, licitum, & honeſtum, ut Deuteron. cap. VI. *Per nomen illius iurabis*: & Pſalm. LXII. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Et hoc conſtat ex ipſa etiam Traditione & praxi Eccleſiæ. Nam iuramentum eſt actus latriæ, quo iurans tacite proteſtatur Deum habere rerum omnium cognitionem, veracitatem infallibilem, ac rerum omnium humanarum providentiam. Immo adeſt etiam obligatio iurandi: quando nempe a ſuperiore legitimo exigitur iuramentum; aut quando neceſſarium eſt ad proximum ſubveniendum, quia caritas obligat eius neceſſitatibus ſubvenire medio licito præſertim & facili, quale eſt iuramentum. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 2. *ad* 4. Caietanus, Petrus de Arag. S. Bonaventura, Richardus, S. Antoninus, Angel. v. *Iusiurandum* XXI. Silveſter v. *Iuramentum* II. *quæſt.* I. Tabiena, Sotus, Navarrus, aliique communiter.

Nihil autem obſtat, quod quidam obiiciunt ex Matth. cap. V. *Ego autem dico vobis: Nolite iurare omnino neque per cælum, neque per terram, neque per templum*: quaſi vetet Chriſtus omne prorſus iuramentum. Nam ibi Chriſtus non prohibet ſimpliciter iuramentum, ut per ſe malum, ſed iurandi facilitatem quæ multum tunc temporis apud Hebræos inoleverat: cum ex tali facilitate ac frequentia paſſim malum oriatur, ideſt periurium. Necnon prohibuit temeritatem qua illi iurabant, ideſt ſine veritate, iuſtitia, & iudicio: quæ omnia neceſſario attendenda ſunt in iuramento. Immo eo loco voluit Chriſtus refellere etiam errorem Iudæorum, qui exiſtimabant non eſſe iuramentum, ſi fieret per creaturas, ſed ſolum per Deum: quia audierant a Scriptura: *Redde Domino iusiurandum tuum.* Ceteroquin iuramentum bonum eſt & licitum, ac eſt actus latriæ quo Deus honoratur; dummodo attendantur circumſtantiæ quæ licitum aut illicitum reddere poſſunt iuramentum. Hæ autem ſunt *Quis, cui, quid, per quod, ad quid, cur, quomodo, quando*; necnon conditiones a quibus honeſtas iuramenti dependet.

Prima Quis. In quolibet iuramento (ut notat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXX. *art* 10.) duo principaliter reſpicienda ſunt: unum ex parte Dei, cuius teſtimonium adducitur; alterum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur. Et hic notatur per circumſtantiam *Quis*, quantum conferat ad iuramentum perſona iurantis, ut per talem actum reddatur Deo debitus honor & reverentia; & ſic licitum ſit iuramentum. Quare licet, inſpecto iure naturali, ad licite iurandum ſatis ſit ut rationis uſum quis habeat, gravitatemque iuramenti non ignoret: ad iurandum tamen in iudicio, ut removeatur periculum ne in tali iuramento deficiat reverentia erga Deum, appoſita ſunt a iure ſua requiſita, unde a tali iuramento plures excluduntur. Idcirco pueri ante pubertatem cogi non poſſunt a iudice ad præſtandum iuramentum in iudicio: quia ante uſum perfectum rationis qui in ipſis non cenſetur adeſſe, non habent quo poſſint cum debita reverentia iuramenta præſtare. Ita communiter ex *cap. Parvuli*; & *can.* Pueri XXII. *q.* V. & *can. Honeſtum*. Silveſter v. *Iuramentum* II. *quæſt.* III. Valentia, S. Antoninus, Sotus, Petrus de

de Arag. aliique. Diſcrepant vero doctores, an admitti debeant pueri ad iuramentum, ſi doli ſint capaces. Et verior eſt affirmativa: cum canones ſolum prohibeant ne cogantur, non quod non admittantur, ſi velint, & doli ſint capaces. Contraria autem ſententia ſolum vera eſt, ſi conſuetudo & praxis attendatur. Et quod dicitur de parvulis, valet etiam de pupillis infantiæ proximis, de furioſis & mente captis: eo quod careant iudicio quo fieri debet iuramentum. Extra iudicium vero iurare poſſunt, & peierare: & ſi extra iudicium peierent, & ſint doli capaces, peccant mortaliter, vel venialiter, ſecundum qualitatem periurii. Omnia hæc reſpiciunt iuramentum aſſertorium. Nam inquantum ad promiſſorium, ſi doli ſint capaces, certum eſt quod iuramentum poſſit obligare, quod valeat coram Deo & in iudicio, & quod poſſint de tali iuramento conveniri, ut Gloſſa in *cit. can.* Parvuli XXII. *q.* V. *arg. l. ultim. in fin.* §. *de lib. cauſ.* Sayrus *lib. V. cap.* III. *num.* 8. 9. & 10.

Item ex defectu irreverentiæ repellendi ſunt a iuramento periuri, ſive convicti in iudicio, ſive de facto notorii & publici, etiamſi ſe offerant ad iurandum: quia ex retroactis præſumitur, quod debitam non præſtent reverentiam, iuxta regulam iuris in 6. *Malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali*. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 10. Richardus, S. Antoninus, Silveſter v. *Iuramentum* II. *quæſt.* III. Petrus de Arag. Valentia. Unde talis non eſt admittendus ut teſtis in iudicio ad iurandum, neque in contractibus, nec in lite, nec de calumnia. *Arg. Cap.* Semel *in Gloſſ.* Sayrus *lib. V. cap.* III *num.* 9. & 10. Item ex ipſa iuris diſpoſitione excluduntur etiam a tali iuramento ii omnes qui non poſſunt eſſe teſtes; ut infideles, Iudæi, hæretici non tolerati, infames ſive ratione artis quam exercent, ſive ratione criminum quibus ſunt convicti: & ii etiam qui oſtiatim victum mendicant; quia ob paupertatem qua laborant, facile inducuntur ad periurium.

Ex parte vero hominis cuius iuramento dictum confirmatur, vetitum eſt clericis Sacerdotibus iurare in iudicio; nec ab illis exigi debet a iudicibus ſæcularibus iuramentum, ſicuti ab aliis: quia hoc derogat dignitati eccleſiaſticorum, quaſi dubitetur de eorum veracitate, ut ſicut alii homines dicere valeant mendacium, vel promiſſum non ſervent. In magna quidem neceſſitate, & gravi urgentique cauſſa, & præcipue pro negotiis ſpiritualibus, eis iurare licebit; & exigi ab eis iuramentum poterit in iudicio. Ex *cap.* Si quis Presbyter II. *q.* V. *per tot.* & ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 10. Richardus, S. Antoninus, Silveſter v. *Iuramentum* II. *quæſt.* III Sotus, Petrus de Arag. Valentia. Cauſſæ vero huiuſmodi, in quibus liceat eccleſiaſticis iurare, recenſentur a Sayro *lib. V. cap.* III. *num.* II.

Circumſtantia *Cui* denotat perſonam apud quam præſtandum ſit iuramentum. Et hoc præſtare quilibet homo poteſt cuicumque extra iudicium, in iudicio vero ſolummodo iudici competenti. Sayrus *ibid. num.* 12. Altera Cui.

Cauſſa vero iurandi quam ſignat circumſtantia *Quid*, eſt res omnis licita & honeſta: nam iuramentum factum pro re turpi & illicita nullum eſt. Arg. *c. fin. de Pact.* Angel. v. *Iuramentum* III. *num.* 4. Silveſter *loc. cit.* Hinc non valet iuramentum de peccato mortali vel veniali contra Eccleſiæ libertatem, vel in damnum ipſius, vel in regni diminutionem, de non cohabitando cum coniuge, de faciendo quod eſt contra ſalutem animæ vel corporis, vel de eo ſine quo hæc ſalus, ſive etiam unius, reparari vel conſervari nequit. Sayrus *ibid. num.* 13. Tertia Quod.

Cum autem iuramentum fiat per alicuius invocationem; hoc denotatur per circumſtantiam *Per quod*, ideſt quid ſit invocandum: & cum iuramentum ſit actus latriæ; per ſolum verum Deum, ſeu per ſolam ipſius invocationem eſt iurandum, ita ut non liceat iurare per creaturas, niſi relative ad Deum, i. eſt quatenus in eis divina veritas relucet. Idcirco qui iurando aliquam creaturam ſecundum ſe in teſtem vocaret, maximam Deo inferret iniuriam; cum attribueret in tali caſu creaturæ id quod ſoli Deo debetur. Et hoc eſt iuramentum quod Chriſtus Dominus *Matth. cap.* V. prohibuit Iudæis; quia in tali ſenſu conſtituitur creatura ut finis, iuramenti vis in ipſa conſtituitur, ac ei exhibetur reverentia debita ſoli Deo; ideoque tale iuramentum ſpeciem habet idololatriæ ac blaſphemiæ, licet fiat cum veritate. Quid proſtat circumſtantia Per quod.

Sed tametſi iuramentum fieri debeat per Deum tamquam omnium conditorem & cognitorem, primamque & infallibilem veritatem; non eſt tamen illicitum, ſi fiat etiam per creaturas, ideſt per Evangelia, per B. Virginem, per Sanctos, prout nomen eius, maieſtas, veritaſque in eis exiſtit, ſeu quatenus a Deo creatæ ſunt, & in eis divina ipſius veritas elucet (Sayrus *ibid. num.* 14)

ſive

Digitized by Google

ſive fiat per modum ſimplicis atteſtationis; ut quando quis iurat per Evangelia: ſive per modum execrationis, oppignorando creatum Deo, illudque eius iudicio ſubdendo, ut ſi res aliter ſe habeat quam dicitur, Deus in illa creatura ulciſcatur periurium noſtrum; ut Apoſtolus II. ad Corinth. cap 1. *Ego teſtem Deum invoco in animam meam*. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 3. S. Auguſtinus *ſerm.* xxviii. *de verb. Dom.* S. Antoninus, Angel. v. *Iuramentum* 1. *num.* 2. Silveſter *ibid. quæſt.* 1. & iv. Tabiena, Sotus, Petrus de Arag. Covarruvias, Navarrus, Valentia, aliique.

Iurare per membra honeſta Chriſti vel Sanctorum, ut per caput, manus, pedes, regulariter loquendo licitum eſt; dummodo non ſit contemptus: & nimia conſuetudo, non erit peccatum mortale, ſed ſolum veniale. Etenim eſt aliqualis irreverentia ita inter membra diſtinguere, ex Angel. v. *Iuramentum* iii. *num.* 12. S. Antoninus, Covarruvias, & Valentia. Si vero fiat tale iuramentum cum debita reverentia, & aliis requiſitis ad iuramentum, aliquando nullum erit peccatum; ut ſi quis iuraret per caput Chriſti, & ſancta oſſa Sanctorum: quia ita nulla inferretur iniuria Chriſto, nec Sanctis. S. Antoninus, Sanchez, Valentia, Silvius, Sayrus *lib. V. cap.* iii. *num.* 15. Eſſet tamen irreverentia contra Chriſtum & Sanctos; idcirco mortale peccatum: immo blaſphemia eſſet iurare per membra inhoneſta Chriſti & Sanctorum. Nam licet ii pariter, ſicuti alii homines, habeant hæc membra; tamen iurans per talia membra, hæc nominat in dedecus ac ignominiam Chriſti & Sanctorum, volens ex ipſo iurandi modo eſſe in Chriſto ac Sanctis aliquid ignominioſum. Sayrus *ibid. num.* 15. Iurare pariter per membra Dei, quaſi membra ille habeat, illicitum eſt & blaſphemia; maxime ſi membra aliqua impudentia nominarentur.

Num liceat iurare per falſos Deos. Item illicitum eſt & mortale peccatum Iurare per falſos Deos, ſive verum, ſive falſum. Etenim eſt blaſphemia, ac etiam idololatria, falſis numinibus tribuere quod ſoli convenit vero Deo. Nam, ſicuti iam alias dictum eſt, iuramentum eſt actus latriæ & religionis, quo Deum veritatem infallibilem profitemur. Idcirco communiter ſtatuitur, maius peccatum eſſe iurare verum per falſos Deos, quam falſum per verum Deum: quia blaſphemia & idololatria eſt gravius peccatum quam periurium; cum illa opponatur confeſſioni fidei, quæ eſt totius Chriſtianitatis fundamentum. Præterquam quod qui iurat falſum per verum Deum, detrahit ſolum veritati dictorum divinorum: qui autem verum iurat per falſos Deos, ipſi divinæ eſſentiæ iniuriam infert; cum illam, quantum in ſe eſt, communicet creaturis quas pro Deo colit. Ita Ales, Arrag. Sotus, Covarruvias, Sayrus *lib. V. cap.* xiii. *num.* 17.

Nec obſtat huic ſententiæ teſtimonium D. Auguſtini *Epiſt.* cliv. *ad Public.* ubi hæc habet: *Sine ulla dubitatione minus malum eſt per Deum falſum iurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter*. Quia in iuramento per falſos Deos duo ſunt conſideranda: unum, quod eſt veritas & falſitas; aliud, idololatria quæ involvitur, ut diximus, in hoc iuramento. Idcirco ex parte periurii, in quo ſtat veritas & falſitas, minus malum eſt iurare verum per falſos Deos, quam falſum per verum Deum. Et hoc ſolum conſideravit S. Auguſtinus: ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 1. *ad* 2. At ſi conſideretur id per quod iuratur; nempe in uno per Deum verum, in alio per falſum: patet, quod huic tribuitur quod vero Deo convenit, & ideo incurritur in idololatriam, iuxta D. Ioannem Cryſoſtomum hom. xvi. oper. imperfect. *Idololatriam*, ait, *ſe facit omnis qui per falſum Deum iurat*. Simpliciter igitur dicendum, quod ex hoc capite peius ſit iurare verum per falſos Deos, quam falſum per verum Deum. Hinc ſequitur, quod ſine neceſſitate & gravi utilitate peti a Gentili determinate non poteſt abſque gravi culpa, ut iuret per falſos Deos. Ita communiter. Tunc enim peteretur actus malus, qui nec peti, nec conſuli poteſt ſine gravi culpa. Quod autem in neceſſitate & gravi utilitate iuramentum a Gentili peti poſſit, licet certe prævideatur per falſa numina iuraturus; non unum habetur exemplum in Scriptura (ut *Geneſ. cap.* xxxi.) quando interceſſerunt iuramenta inter Abraham & Abimelech, inter Iacob & Laban; cum Abimelech & Laban per falſos Deos iurarint. Præterquam quod petens iuramentum non intendit, quod per falſos Deos iuret, ſed per verum Deum: quem cum nemo Gentilium invincibiliter ignoret, poteſt (ſi velint) per ipſum iurare; ideoque tota cauſſa peccati & malitiæ ipſius iuranti per falſos Deos tribuenda eſt. Ita ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxviii. *art.* 4. & *quæſt.* xcviii. *art.* 4. Ales, S. Bonaventura, Soto, Valentia, Caietano, Silveſtro v. *Maleficium quæſt* viii.

Tametſi vero iuramentum factum per falſos Deos revera in ſe non ſit iuramentum; quod fieri non poteſt niſi per verum Deum: eſt ta-

tamen iuramentum ratione conſcientiæ erroneæ iurantis qui putat iurare per Deos veros. Idcirco hic peccat peccato periurii, ſi falſum dicat, aut promiſſum per tale iuramentum non ſervet. Ita Ales, D. Antoninus, Sotus, Covarruvias, Sayrus *lib. V. cap.* III. *num.* 21. Et in tali ſenſu intelligendus eſt S. Auguſtinus in *cap.* Ecce dico XXII. *q.* V. dicens, *Periurum eum eſſe qui ſuper lapidem falſum iurat:* ideſt qui ad Iovem lapidem falſum iurat. Nam licet res ſancta non ſit, tamen iurans putat eſſe ſanctam. Et falſum iurando bis peccat: & iurando per id per quod iurare non debet; & iurando falſum per rem quam in conſcientia ſua erronea ſanctam eſſe putat & divinam.

Iuramentum in ſe ſpectatum certo gravius eſt, ſi falſum ſit, factum per Deum quam per creaturam, ut ex S. Auguſtino relato in *can.* Monete XXII. *q.* I. *in fin.* Quia iuramentum tanto fortius eſt & magis obligat, quanto maius eſt id per quod iuratur. Ceterum ex modo iurandi poteſt magis obligare iuramentum factum per creaturas quam per Deum, puta per ſancta Dei Evangelia (ut fieri ſolet in iudicio) cum quadam deliberatione & ſolemnitate. Nam quo magis creſcunt ſolemnitates, eo maius eſt iuramentum: non propter reverentiam eius per quod iuratur, cum multo magis hæc Deo debeatur; ſed propter ſolemnitatem. Hinc Eccleſia ad terrorem ſtatuit ut per creaturas nonniſi cum ſolemnitate iuretur. Ita ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 10. Ales, Soto, Sayro *loc. cit. num.* 22. Hinc etiam periurus cum deliberatione & ſolemnitate infamis eſt & irregularis; non autem qui ſimpliciter periurus eſt per Deum. Nam infamia non ſemper ſequitur quantitatem culpæ, ſed crimen publicum.

Quid nocet circumſtantia Ad Quid. Finis pariter propter quem iuratur, & ſignatur per circumſtantiam *Ad quid*, reddit iuramentum, ſive aſſertorium ſit, ſive promiſſorium, licitum aut illicitum, prout bonum finem habet aut malum: quia licitum & bonum eſt iuramentum, ſi eius finis bonus ſit; illicitum vero & malum, ſi eius finis ſit malus, ut docent Angel. v. *Iuramentum* III. §. VI. Silveſter *ibid.* II. *quæſt.* IV. Covarruvias in *cap.* Quamvis *P.* I. §. VI. *art.* 3. Aſſertorium vero ex octo finibus vitiari poteſt, iuxta octo genera mendacii poſita a S. Auguſtino: ideſt cum quis iurat falſum contra fidem, & ſapit hæreſim; cum quis falſum contra proximum iurat ut eum lædat ſui aut alterius utilitate, ut cum proximo falſum imponit in iudicio, aut falſum contra illum teſtificatur in aliqua re; cum falſum iurat ut proſit alicui alterum lædendo, v. g. cum teſtis in cauſa pecuniaria producitur ut amicum liberet a debito, & alium iniuſte condemnari faciat. cum falſum iurat ſola delectatione mentiendi; cum iurat falſum complacendi cauſa, ſine alterius tamen præiudicio; cum falſum iurat ut proſit alicui ſine alterius læſione; cum falſum iurat ut multum proſit alteri, puta ut homicidium excuſet ne ſuſpendatur; cum falſum iurat ut ſe ipſum a malo liberet. Iuramentum autem promiſſorium illicitum redditur, quando quis aliquid licite promittit ob malum finem; v. g. puellæ ut ei conſentiat.

Quid importet circumſtantia Cur. Cauſſæ pariter concomitantes iuramentum, quæ ſignantur circumſtantia *Cur*, illud licitum reddunt vel illicitum, prout bonæ ſunt vel pravæ: ut iuramentum Herodis propter ſaltationem puellæ. Et huiuſcemodi ſunt iuramenta eorum qui iurant adinvicem ſocietatem alicuius delicti: ut qui iurant ad conſpirationem, coniurationem, hiſque ſimilia perpetranda. *Arg. cap. fin. de pact.* & *cap.* I. *de ſentent. & re iudic.* & *Can. Coniurat. & conſpirat.* XI. *q.* V. Silveſter v. *Iuramentum* II. *quæſt.* IV. aliique.

Quid circumſtantia Quomodo. Modus pariter, quem explicat circumſtantia *Quomodo*, poteſt reddere iuramentum licitum aut illicitum, ideſt ſi iuretur vi, aut timore, aut ex inconſulto iracundiæ calore. Sed de his fuſius, cum de obligatione iuramenti. Cum autem iurare, ut alias dictum fuit, ſit actus latriæ quo Deus adducitur in teſtimonium; fieri debet magna cum reverentia. Ideoque aliquando, non alias ac ad Euchariſtiæ ſacramentum, ſive ex præcepto hoc eſſet, ſive ex conſilio, ieiuni accedebant ad iuramentum; ut habetur in *can.* Honeſtum XXII. *q.* V. Immo aliis etiam circumſtantiis iuramentum exornabant: ſcilicet ratione loci, ut nemo niſi in templo & ſuper altare, tacto Evangeliorum libro quem Sacerdos in manibus tenebat, iuraret, ut ex D. Ioanne Chryſoſtomo *homil.* XV. *ad popul. Antioch.* Ac huiuſce cæremoniæ meminerunt etiam D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 10. Sotus, Valentia, Angel. v. *Iuramentum* III. §. XIII. Silveſter *loc. cit.* Sayrus *loc. cit. num.* 25.

Circumſtantia Quando. Tempus quoque, notatum per circumſtantiam *Quando*, aliquando reddere poterat iuramentum licitum vel illicitum. Nam (ut habetur in *can.* Decrevit XXII. *q.* V.) a tempore Septuageſimæ uſque ad octavam Paſchæ, a Dominica prima Adventus uſque

ad

ad Epiphaniam, diebus ieiunii quatuor Temporum, diebus Rogationum, & diebus Dominicis vetitum fuit ne quis ſuper Evangelia iuraret, niſi de concordia aut pacificatione. At huic decreto, ut ibi notat Gloſſa, per contrariam conſuetudinem præſcriptam derogatum eſt. In Dominicis tamen & ſolemnioribus diebus, niſi ex neceſſitate, aut pro cauſſa pia, aut pro Eccleſia & pace, non licet ſolemne iuramentum præſtare: cum illis diebus ſit rebus ſpiritualibus vacandum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 10. *in corp.* Angel. v. *Iuramentum* III. §. XIII. Silveſter *loc. cit.* Sayrus *lib. V. cap.* III. *num.* 26.

§. IV.

De conditionibus requiſitis ad hoc ut iuramentum licite fiat: veritate ſcilicet, iudicio, & iuſtitia.

Iuramentum, ſicuti iam vidimus, ex natura, ſeu ex obiecto & genere, ut aiunt Theologi, licitum eſt. Ut tamen undique ſit licitum, certæ conditiones concurrere debent: ideſt & ex parte illius qui iurat; & ex parte illius per quod iuratur; & ex parte modi iurandi, ad quem modum ſpectat etiam materia iuramenti. Quoad duas priores, iam antea actum eſt. Unde reſtant hic examinandæ conditiones requiſitæ ex parte modi & materiæ iuramenti. Iure igitur naturali & divino, ut iuramentum licite fiat, neceſſariæ ſunt tres conditiones, quæ ſint iuramenti comites: nempe *veritas*, *iudicium*, & *iuſtitia*. Ita communiter ex Ierem. cap. IV. *Iurabis: Vivit Dominus: in veritate, in iudicio, & in iuſtitia:* quarum ſi alterutra deſit, cum gravi irreverentia Dei nomen in vanum aſſumitur, dum invocatur ad id confirmandum quod vel non extat, vel ita confirmari non indiget.

Veritas exigit ut iurans prudenter & certo iudicet verum eſſe id quod dicit, & moraliter certus ſit ſe vere effecturum id quod promittit: iudicium, ut cum diſcretione, prudentia, conſideratione, maturo examine veritatis, ac reverentia, nec ſine neceſſitate & gravi cauſſa iuret: iuſtitia demum exigit ut iuramentum promiſſorium vel aſſertorium de futuro ſit de re licita & honeſta. Veritas iuramenti eſt triplex. Prima, quando obiectum iuramenti conformatur & menti, & rei: & tunc, ſi aliunde intervenerint alia requiſita ad iuramentum, nullum incurri poteſt peccatum. Secunda, quando obiectum iuramenti conformatur menti, ſed non rei: & in hoc caſu, ſi non fuit adhibita debita diligentia pro veritate ſcienda, eſt peccatum mortale. Tertia, quando obiectum iuramenti conformatur rei, ſed non menti: & tunc pariter eſt peccatum mortale & periurium, licet dicatur veritas; quia iuratur contra propriæ dictamen conſcientiæ.

Veritas iuramenti triplex.

Veritas requiſita ad iuramentum exigit ut qui iurat, prudenter credat ſe certo non errare, dum non ex levibus coniecturis, ſed rebus omnibus ſedulo & accurate perpenſis, ex gravibus momentis inde deductis iudicat ac dicit rem ita ſe habere; ideſt moralem habeat certitudinem de eo quod affirmat vel negat, ac ſe vere effecturum id quod promittit. Dicitur *credat*: quia ſi bona fide exiſtimet verum eſſe quod iurat, licet a parte rei ſit falſum, modo prævie debitam adhibuerit diligentiam ad rei veritatem inquirendam, non eſt periurus. Erit tamen, ſi iuret ut verum id quod tametſi verum ſit, ex errore falſum credit: hic enim, ſpectato eius conceptu, formaliter iurat falſum, ac ideo mentitur; eo quod contra mentem loquatur, & intendat Deum in teſtem falſitatis adducere. Dicitur *certo*: unde qui iurat ut certam rem de cuius veritate dubitat, ſeu certus non eſt de tali veritate, aut rationem habet ſolum probabilem de rei veritate, ſemper peccat peccato periurii. Nam præterquam quod ſe exponit periculo periurii, falſo iurat in actu exercito, dum iurat ſe ſcire id de quo dubitat: mentitur enim aſſerens ut certum id de quo non eſt certus, & in tali incertitudine putat non eſſe tale, aut quod nonniſi probabiliter cognovit eſſe tale. Qui iurat quod verum eſt, & tale putat & credit, ſed ductus ad ita iudicandum & credendum ex levibus coniecturis, peccat, ut docet Catechiſmus Romanus. Quare ad evitandum periurium & omne eius periculum, certum ut certum, dubium ut dubium, probabile ut probabile iurandum eſt. Credit tamen P. Henno ſufficere *extra iudicium* talem certitudinem moralem, ut homo prudens & timoratus nullatenus de contrario ſuſpicetur.

Quid Veritas exigat in iuramento.

Dixi *extra iudicium*: quia in iudicialibus requiritur notitia viſus, ſeu præſentia; vel iurans certe debet addere ſe ab aliquo audiviſſe. Idcirco Callixtus Pontifex *cap.* XV. III. *q.* IX. iubet teſtes de iis ſolis quæ in eorum præſentia geſta ſunt, teſtificari. Quocirca peierat qui in iudicio iurat aliquid eſſe quod fieri non viderit, dum ibi requiritur iuramentum eius qui viderit: quia iurat

Digitized by Google

rat ſine certitudine requiſita. Item qui in iudicio interrogatus iurat ſe non feciſse id quod per alium fecit: cum cenſeatur communiter & dicatur per ſe ipſum feciſse illud quod per alium fecit. Ex *l.* xv. §. *de iniuriis*.

Certitudo veritatis ad licitum iuramentum quænam.

Quare ad licite iurandum requiritur certitudo veritatis tum ex parte rei iuratæ, tum ex parte iurantis, ut communiter docent Theologi. Certitudo veritatis ex parte rei iuratæ ſufficiens ad licitum iuramentum habetur, ſi res ſecundum ſenſum humanum, communem acceptionem, & conſuetudinem ſumpta, ita ſe habeat, ſicut iuratur: ut ſi quis Parochus iuret ſuum clericum frequentaſse toto anni tempore Eccleſiam, quamvis aliquoties intermiſerit; eo quod parum pro nihilo reputetur. Idemque dicendum de atteſtationibus iuratis quæ apud Familias Regulares concedi ſolent, quod lectores per tot integros annos legerint, & ſtudentes ſcholas frequentarint, omniaque ſcholaſtica munia laudabiliter obiverint: quamvis iuxta conſuetudinem nonniſi per ſeptem vel octo integros menſes ſingulis annis id perſolverint, & aliquoties etiam defecerint, ſeu non ſemper ita laudabiliter peregerint. Certitudo autem veritatis ex parte perſonæ iurantis ſufficiens ad iuramentum licitum habetur, ſi iurans ſit certus phyſice vel moraliter iuxta diverſitatem materiæ, de veritate rei quam iurat. Unde in odioſis, puta in contractibus & negotiationibus humani commercii, ac in ſententiis iudicialibus ferendis, quoties eſt periculum damni proximi, ad abſolute iurandum rem ita eſse vel non eſse, requiritur certitudo ſcientifica, ſeu phyſica & experimentalis, ut antea dictum fuit. *Cap.* XVIII. *q.* IX. Iudex enim in illis iuridice interrogans intendit interrogare non de quacumque certitudine, ſed de certitudine ſufficienti ad faciendam cognitionem: ad quod non ſufficit certitudo moralis unius teſtis cuiuſvis fide digni ex auditu; ſed requiritur certitudo ſcientifica, ſeu phyſica & experimentalis. In favorabilibus vero in quibus nullum adeſt damnum & præiudicium tertii, ad abſolute iurandum ſufficit certitudo moralis, ſeu credulitas. *Arg. cap.* Ex parte I. *de ſcrut. in ord. faciend.* ubi Innocentius III. definit quod Archidiaconus teſtificans Epiſcopo clericum promovendum eſse dignum Ordine non peccat: quamvis non phyſice certo ſciat, ſed ſolum quantum humana fragilitas noſse ſinit, ſeu ex indiciis probabilibus; quod eſt teſtimonium de credulitate reddita hac ratione, nempe illum quem indignum eſse non novit, dignum debeat æſtimare. Hinc quando petitur informatio alicuius perſonæ, v. g. de vita, fama, & ſimilibus, ſufficit ad iurandum in eius favorem certitudo moralis ex auditu: quia certitudo de viſu, ſeu phyſica & omnimoda de iſtis haberi nequit.

Quoad conditionem veritatis in iuramento promiſsorio, ut licitum ſit, neceſse eſt ut iurans diſpoſitus ſit ad præſtandum id quod iuramento promittit. Hinc mortalis periurii damnatur communiter ille qui aliquid iuramento promittit ſine animo & voluntate implendi. Qui enim iurat ſe aliquid facturum, iurat ſe habere firmam voluntatem faciendi, ac proinde ſi non habeat, mentitur. Item ſi iuret ſe facturum id quod ſcit ſibi eſse impoſſibile; cum nequeat habere propoſitum efficax adimplendi: nam propoſitum non eſt de re impoſſibili, cognita ut tali. Item ſi dubitet, an poſſit aut debeat præſtare quod promittit: hic enim peierat, vel ſaltem ſe periculo exponit peierandi. Et in his omnibus deficit certa veritas de præſenti, quam ſemper in re qualibet debet habere iuramentum promiſsorium, & quæ exigit ut qui promittit, habeat animum firmum & certum faciendi ſeu adimplendi quod promittit. Sed de hoc enucleatius infra.

In periurio ſem. per lethalis culpa.

Porro defectus veritatis in iuramento eſt peccatum mortale, ita ut nec materiæ iuratæ parvitas, nec finis ſanctiſſimus, nec extrema neceſſitas poſſint illud reddere veniale: quia cum Deo ſummæ veritati repugnet infinite quæcumque falſitas, gravem ei facit iniuriam qui tentat illum in falſitatis teſtem adducere. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem, quæ eſt num. 24. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem*.

Altera conditio iuramenti, iudicium.

Iudicium, quod eſt ſecunda iuramenti conditio, ut licitum ſit, exigit ut iuramentum fiat cum diſcretione iudicii, prudenti intellectus conſideratione; maturo examine veritatis, ac pia & reverenti voluntatis affectione, non ſine neceſſitate & gravi cauſſa aut utilitate. Si hoc deſit ſeu iuramentum defectu iudicii ſi vitioſum, licet abſolute loquendo Theologi dicant eſſe tantum veniale, revera tamen eſt ſemper mortale, ſi defectus conſiderationis ſit circa ipſum iuramentum, vel circa veritatem, ob periculum periurii: ut ſi deliberate quis iuret ſine prudenti iudicio de veritate, vel ſine

con-

conſideratione ad hoc requiſita; tametſi contingat eſſe verum quod iurat. Nam ſe exponit periculo periurii ſeu falſum iurandi. Idcirco peccant mortaliter qui factum quod auditu tantum vel aliis ſignis omnino certis cognoverunt, tamquam certo cognitum cum iuramento affirmant. Item qui iurantes de alicuius peritia iudicium ferunt ſine ſufficienti illius notitia ac certitudine quam de illa tenere deberent. Quod ſi defectus conſiderationis ſit ſolummodo circa rei gravitatem & neceſſitatem, ſentiunt communiter Theologi eſſe tantum peccatum veniale, ſecluſo contemptu, ſcandalo, & periculo iurandi falſum; ut cum quis certus de veritate non ſatis conſiderat, an ſit cauſſa ſufficiens iurandi: quia in tali iuramento non cenſetur gravis irreverentia.

Dixi *ſecluſo contemptu*: quia ratione contemptus venialia peccata fieri ſolent mortalia, ut dictum eſt agendo de peccatis. Talis enim contemptus in ipſum Deum per quem iuratur, directe cadit. Contemptus vero Dei, ut per ſe patet, eſt graviſſima illius iniuria. Ita ex D. Antonino *Part. I. tit.* XIV. *cap.* IV. Dixi *& ſcandalo*: nam gravis peccati rei ſunt qui quod in religione eſt ſanctiſſimum, ut Chriſti mors, ſanguis, nomenque, ſive per iram ſive per iocum indiſcriminatim illud pronuntiant. Item verba quæ in laicis leviora ſunt, in Religioſis & Sacerdotibus ſcandalum parere ſolent. Dixi *& periculo iurandi falſum*: quia letaliter peccat qui ſe exponit periculo letaliter peccandi, ut Eccli. cap. III. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Huic autem periculo, ſcilicet iurandi falſum, profecto ſe exponit qui ſine iudicio frequenter iurat: quod, ut videbimus, mortalem habet reatum.

Quid de iis qui ex prava con ſuetudine iurant. Hinc colligitur, quid de iis ſentiendum ſit qui ex prava iurandi conſuetudine ſæpe iurant. Et primo, qui frequenter iurant ex conſuetudine, ſi non aſſueſcant mentiri, ſed confirmandæ veritatis gratia iuramenta applicent, ſine tamen neceſſitate vel utilitate, ſecluſo contemptu & ſcandalo: ii profecto, ſi in tali frequenti uſu iurandi ſoleant ſemper advertere ad rei iurandæ veritatem, ne falſum aut certe non moraliter prorſus certum pro certo confirment, non peccant niſi venialiter. Secus vero frequentia iurandi ex conſuetudine ſine neceſſitate & utilitate, tametſi hoc fieri ſoleat ad confirmandam veritatem, non ita facile immunis eſt a culpa mortali. Nam qui ſic iurant ex conſuetudine, propter nimiam facilitatem per eam contractam leviter ac temere iurant; ſuntque in periculo morali iurandi ſine iudicio prudenti de veritate, atque adeo peierandi. Quapropter admonet Deus Eccli. cap. XXIII. *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa*. Qui vero, ut ſæpius contingit, iurant promiſcue & indifferenter ſive verum, ſive falſum, nihil curando cuinam propoſitæ rei confirmandæ utantur iuramento; nec ullam adhibent ſollicitudinem ad tam pravam conſuetudinem tollendam: ii procul dubio, ſi adſit in eorum frequentibus iuramentis ſufficiens advertentia, non vacant culpa mortali. Huiuſcemodi ſunt ii etiam qui iuramento adfirmant id ad quod non facile attendunt, vel ita ex animo aliquid promittunt, ut ſi melius attenderent, facile perciperent non ſervaturos eſſe promiſſum: ſic mercator fere ſtatim iurat ſe merces pretio viliore non eſſe traditurum, qui paulo poſt eodem pretio ſibi exhibito & oſtenſo eas tradit. Hos omnes graviter obiurgant divinæ Scripturæ, præcipue Eccli. cap. XXIII. *Vir multum iurans implebitur iniquitate*: & de iis ait Salvianus, quod habent nomen Dei non ut ſacramentum, ſed ut ſermonem.

Dixi, *ſi adſit advertentia*. Nam ſi inadvertentia ſit invincibilis, qualis cenſetur in eo qui iurandi conſuetudinem retractavit, & de ea ſerio doluit; ab omni peccato excuſatur. Si inadvertentia ſit culpabilis, ſed leviter; excuſat quidem a peccato mortali, non vero a veniali. Quod ſi inadvertentia ſit craſſa ac penitus voluntaria, proindeque graviter culpabilis, qualis eſt in iis qui iurandi conſuetudinem non retractant, in qua advertunt ſeu advertere poſſunt ſe multa miſcere periuria; nullatenus a mortali excuſantur, ac proinde iis qui illa detinentur, negandum eſt beneficium abſolutionis, niſi ſolliciti ſint pro viribus ut pravam conſuetudinem a ſe tollant. Aptiora autem remedia quibus fieri poteſt ut quis deponat inveteratam iurandi conſuetudinem, ſunt ex parte iurantis frequens confeſſio, eleemoſyna, oratio brevis pro ſingulis iuramentis quæ temere prolata fuerunt; ex parte vero Confeſſarii prudens abſolutionis dilatio.

Iurare verum ſine neceſſitate vel magna utilitate non caret culpa ſaltem veniali. Hoc conſtat ex divina Scriptura. Etenim *Matth. cap.* v. hæc habentur: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino .... Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt, Non, Non*. Et Iacob cap. v. *Nolite iurare quodcumque iu-*

ramentum .... ut non ſub iudicio decidatis. Nam eſt ſemper irreverentia contra ſummam Dei maieſtatem, quod interponatur eius auctoritas, & ipſe adducatur in teſtem ſine neceſſitate vel magna utilitate, aut ad res vanas ac leves confirmandas. Sic defectu neceſſitatis & gravitatis rei, illicita ſunt iuramenta urbanitatis gratia emiſſa; ut non ingrediendi, vel egrediendi prius. Non videtur autem ea violari, ſi iurans præcedat ex nimia urgentia quam ab altero recipit & patitur: quia talia iuramenta adiunctam habent hanc tacitam conditionem, *Si non nimium repugnaveris, non præcedam*; tum quia illud iuramentum cedens in honorem alterius remittitur ab eo qui contendit ut iurans prior præcedat.

Tertia condit.o, iuſtitia. Quod attinet autem ad iuſtitiam iuramenti, quæ in eo conſiſtit, quod res de qua iuratur, licita ſit & honeſta, ideſt quod id quod promittitur vel aſſeritur, licitum ſit & honeſtum: certum eſt, iuramentum cui hæc deſit conditio, eſſe mortale. Sed pro clariore intelligentia hæc notanda ſunt. Iuramentum de re mala vel eſt aſſertorium; ut ſi iuretur, Caium fornicaſſe, mentitum aut furatum fuiſſe: vel promiſſorium; ut ſi quis iuret ſe fornicaturum, mentiturum, hiſque ſimilia patraturum. Utrumque inſuper vel eſt de re mala venialiter; ut iuramentum circa mendacium leve: vel de re mala mortaliter; ut iuramentum circa adulterium vel aliam gravem iniuriam proximo inferendam. Promiſſorium vel ſit cum animo rem malam implendi, vel ſine eo animo.

Ex defectu iuſtitiæ in iuramento fieri poteſt primo, quod iurans ſe facturum rem illicitam, etiam venialem, ſine animo eam faciendi, mortaliter peccet: quia firmando ſuum iuramentum cum mendacio, vocat Deum in teſtem falſi; ac ideo eſt graviter periurus. Secundo, iurans ſe rem mortaliter malam facturum, ſive animum habeat, ſive non eam implendi, duplex grave peccatum committit: unum, quod velit rem graviter malam; alterum, contra religionem ob gravem irreverentiam & contemptum, quo maior fingi non poteſt, in Deum, cuius teſtimonio & auctoritate abutitur ad ſe firmandum in propoſito Deum graviter offendendi. Tertio, peius eſt iurare de re venialiter mala patranda, quam de re indifferenti vel honeſta ſine cauſſa. Communius tamen cenſent Theologi, hoc eſſe ſolum veniale grave: putant enim non eſſe gravem irreverentiam, dummodo non fiat cum quadam contumelia, vel verbis quæ blaſphemiam ſonent, vel adſit periculum periurii. Quarto, confirmare iuramento iniuriam mortalem, puta gravem detractionem veram, vel contumelioſam, eſt mortale contra religionem: gravis enim Deo infertur iniuria, aſſumendo ipſius ſanctum nomen tamquam inſtrumentum ad gravem iniuriam proximo irrogandam, ac proinde ad Deum graviter offendendum. Num vero cum iactantia & delectatione adfirmare iuramento propriam mortalem culpam præteritam, ſit etiam peccatum mortale contra religionem, diſcrepant Theologi. Alii (quorum probabilior eſt ſententia) negant: eo quod iuramentum per ſe non cadat in illam aſſertionem ut malam, ſed ut veram.

Porro ſi ad iuramentum concurrant omnes dictæ conditiones, non ſolum nullum eſt omnino peccatum; immo eſt potius actus virtutis religionis, ſive latriæ: ut cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 4. tenent docentque communiter Theologi & Canoniſtæ; & clare habetur ex Deuter. cap. vi. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis*. Si vero aliqua deſit ex iis circumſtantiis, ut iam vidimus, dummodo non deſit veritas, non eſt mortale. Nam ſi veritas deſit, vel putetur deeſſe, vel dubia ſit iuranti; profecto eſt periurium, & ſemper mortalis culpa: quia Deus adduci nequit in teſtem falſitatis ſine gravi eius iniuria, ſive ſit in re magna, ſive in re parva, ſive iocoſa. Per hoc enim datur intelligi, vel quod Deus veritatem non cognoſcat, vel quod falſitatem teſtari velit (ut ait D. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 2.) quod eſt valde Deo iniurioſum: alioquin non eſſet ſumme verax, nec proinde Deus; cum etiam vel leviſſima falſitas ſummæ ac infinitæ veracitati repugnet. Circa vero iudicium vel iuſtitiam, ſi alterutra deſit, ſecundum circumſtantiarum diverſitatem, ut iam dictum eſt, aliquando mortale eſt, aliquando veniale.

Iuramentum quatuor modis fieri poteſt: mente, nutu, facto, & verbo. Mente fit iuramentum, quando intra animum aliquid adfirmatur vel negatur, Deuſque in confirmationem vocatur teſtis. Nutu, quando in iuramento alicui dicitur, *Iura per Deum*, & ipſe oculis vel capite annuit. Facto, dum aliquis ſibi oblatum Evangelium tangit. Verbo, quando aliquis dicit, vel ſcribit, v. g. *Iuro*: in iis tamen circumſtantiis in quibus ſic intelligitur Deus vocatus in teſtem. Quot modis iurare quis poteſt.

§. V.

§. V.

De iuramento aſſertorio, cui deeſt veritas.

Aſſerto-rium ex veritatis defectu letale eſt. Iuramento aſſertorio, quo ſine ulla promiſſione adfirmatur aliquid vel negatur, ſi deſit veritas quæ eſt præcipua conditio ad licitum & iuſtum iuramentum, ſemper ac in omni materia eſt peccatum mortale, quod ſolummodo excuſari poteſt ac evitari per inadvertentiam. Hæc eſt doctrina D. Auguſtini qui *ſerm.* clxxx. *alias* xxviii. *de verb. Apoſt.* ait: *Periurium peccatum eſſe, & grande peccatum, nemo dubitat.... Tantum mali habet iuratio, ut qui lapides colunt, timeant falſum iurare per lapides.* Hoc etiam clariſſime comprobant graviſſimæ pœnæ ſancitæ contra periuros. Et revera, ſi periurium eſſet aliquando peccatum ſimpliciter veniale; hoc maxime contingeret ob materiæ levitatem. Sed, deficiente veritate in iuramento, non excuſat levitas materiæ:cum ob defectum talis conditionis ſit ſemper gravis iniuria & contemptus in Deum; & omnis Dei contemptus efficiat ut id quod in genere ſuo veniale eſt; mortale fiat. Ex hoc ergo ſequitur evidenter, tale periurium ſemper eſſe mortale; cum Dei contemptus ſit ſemper omnino inexcuſabile, ac ideo gravis reatus: ut definivit Innocentius XI. in damnatione propoſitionis vigeſimæ quartæ ſupra relatæ.

Dixi, *ſolummodo excuſari & evitari per inadvertentiam.* Nam hæc minuere poteſt notabiliter (non ſecus ac in aliis peccatis) etiam peccatum periurii, ut extra limites venialis culpæ non exeat. Quotuplex vero ſit inadvertentia, quæ, & quando peccatum in toto vel in parte tantum imminuat, iam ſuo loco explicavimus.

Quænam certitudo requiratur. Ut autem iuramentum aſſertorium fiat cum veritate, neceſſe eſt ut iurans prudenter & ſecundum iudicium rationi conſentaneum arbitretur rem ita ſe habere, ſicut iurat, ſive poſtea a parte rei ita ſe habeat, ſive non. Nimirum non requiritur ſemper in iuramento certitudo ſeu notitia mathematica & omnino evidens; ſed neceſſaria eſt certitudo moralis quæ omnem prudentem dubitationem excludat. Hæc autem certitudo moralis haudquaquam inducitur per coniecturas & rationes probabiles ac veroſimiles, ut volunt Probabiliſtæ: quoniam rationes probabiles non auferunt omnem dubitationem. Neceſſaria ergo ſunt fundamenta graviſſima & rationes, quæ nos certos reddant de re circa quam iurare debemus. Hoc quippe nos docere voluit Concilii Tridentini Catechiſmus *Part. III.* §. xviii. cum dixit: *Primum itaque in iureiurando locum veritas habet, nimirum ut quod aſſeritur, idipſum verum ſit, & qui iurat, id ita eſſe arbitretur, non quidem temere aut levi coniectura adductus, ſed certiſſimis argumentis.*

Non requiritur æqualis diligentia in omni materia ad perſcrutandam veritatem rei iuratæ; ſed ſecundum rei conditionem maior vel minor adhibenda eſt, ideſt in rebus maioris ponderis maior certe eſt adhibenda quam in rebus minoris momenti. Verum aliquando res eſſe poteſt ita clara, ut abſque ulla diſcuſſione poſſit iuramento adfirmari. Si tamen, attenta rei dignitate, debita in inquirenda eius veritate diligentia non eſt adhibita, peccatum erit mortale vel veniale, iuxta gradus negligentiæ in veritatis inquiſitione. Idcirco ſi aliqua appoſita eſt diligentia, & non levis, ſed non ſufficiens; erit veniale: ſi magna & notabilis negligentia eſt habita; erit mortale (etiamſi per accidens contingat verum eſſe quod eſt adfirmatum) quia tali pacto ſe gerere, eſt ſe exponere peierandi periculo. Diligentia quænam.

Unde dici poteſt, ſufficere ut quis abſolute & ut certam rem illam iuret quam audivit a perſona ita fide digna, ut moraliter certus ſit rem ita ſe habere; & ut res videatur certa moraliter ob teſtimonium perſonæ fide dignæ. Quod tamen intelligendum in iuramento extra iudicium. Nam in iudicio requiritur veritas non de auditu, ſed de viſu: alias reddi debet ratio notitiæ; nempe ſe ita dicere, quia hoc ab aliis audivit. Nam in iudicio teſtis ex ſolo auditu nonniſi ſemiplene probat, ut antea iam dictum eſt.

Remedia quibus fieri poteſt ut ad ſua iuramenta advertant qui identidem ob defectum veritatis in periurium incidunt, ſunt eadem quæ paulo ante tradidimus, cum ageremus de remediis quibus periuri conſuetudinarii corrigi poſſunt & emendari.

Pœnæ quæ ſtatutæ ſunt in iure canonico contra periuros, ſunt primo, quod qui peieravit aut alios in peiurium induxit, pœnitere debeat *per quadraginta dies in pane & aqua, & ſeptem annos, & numquam eſſe ſine pœnitentia.* Ita *can. ult.* xxii. *q.* v. Secundo, periurus privari debet beneficio quod poſſidet, & ab Eccleſia excludi: ſeu ipſe prohibetur ne ullum amplius beneficium recipiat, & ad illud inhabilis iudicatur. Ita *cap.* iv. & xi. *de iureiur.* Hæc capita ſunt de periurio promiſſorio; & pœna in his conten- Pœnæ canonicæ contra periuros.

Digitized by Google

tenta non incurritur ante ſententiam iudicis: ut apud Gloſſam docent Theologi. Tertio, periurus ne poſt peractam quidem pœnitentiam admittitur ad ferendum teſtimonium; licet admittatur qui in aliam pœnam inciderit, ſi de ipſa egerit pœnitentiam. Ita *cap.* LIV. *de teſtib. & atteſtat.* Quarto, periurus incurrit infamiam, ſi crimen eius ſit notorium. Debet autem notorium eſſe notorietate iuris, ut pariat irregularitatem & inhabilitatem ad beneficia: ceteroquin ſola notorietas facti magnam apud probos omnes parit infamiam, quæ ſufficit ut quis a dignitatibus excludatur.

§. VI.

De iuramento promiſſorio quoad defectum veritatis & iuſtitiæ.

Nota I. duplicem veritatem requiri in iuramento promiſſorio. Alia quæ eſt primaria, ſeu de præſenti, ſcilicet animus ſeu intentio rem iuratam præſtandi, ſeu exequendi quod promittitur; altera de futuro, quæ eſt ſecundaria, ſeu futura ſuo tempore promiſſionis executio.

Nota II. tribus modis peccari contra iuramentum promiſſorium. Primo, ſi abſit intentio iurandi, tametſi exterius proferatur iuramentum. Secundo, ſi iurans non habeat actu, dum iurat, intentionem implendi id quod promittit, ita ut ficte promittat. Tertio, ſi intentionem quidem habeat de facto, ſed eam poſtea adimplere nolit, mutando ſcilicet priorem voluntatem.

Defectus veritatis de præſenti in iuramento promiſſorio eſt ſemper mortale peccatum, nimirum ſi vox externa non concordet cum animo interiore, ſive res ſit gravis, ſive levis; ſive licita, ſive illicita; ſive parva, ſive magna: quia hoc ipſo Deus teſtis falſitatis adducitur; in quo conſiſtit ratio ſeu eſſentia periurii, ut iam notatum eſt de aſſertorio. Et iuramentum ipſum promiſſorium, quoad hanc veritatem primariam, eſt etiam aſſertorium: quia eſt quaſi iuramento adfirmare, ſe habere animum rem promiſſam implendi. Unde in hoc iuramento, inquantum ad defectum veritatis, non habet locum materiæ parvitas.

Iurare ſine animo iurandi, ſemper eſt mortale. Et quoad primum modum iurandi, ideſt ſine animo iurandi, quidquid ſit de doctorum controverſia (num ſcilicet hic vere iuraret, ut vult Iuvenin; an ſecus, ut communius ac verius ſuſtinent alii cum D. Thoma in *IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* I. *ad* 2. ubi loquens de voto ait: *Promiſſio quandoque fit ore, & non corde; & talis quoad Deum non eſt votum*) certum tamen eſt, ita iurantem mortaliter peccare: quia eſt gravis irreverentia contra Deum, & ideo grave peccatum, quod quis utatur eius nomine ad alios decipiendos, & Deum ſaltem exterius in mendacii teſtem adducendum. Unde merito Innocentius XI. hanc damnavit propoſitionem, quæ eſt num. 25. *Cum cauſſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi: ſive res ſit levis, ſive gravis*. Et hoc verum eſt, ſive iuramentum iuſte poſtuletur, ſive non: quia ſemper verum eſt, quod Deus exterius vocetur in teſtimonium falſitatis. Si quis vero dum non habet intentionem iurandi, haberet intentionem implendi id quod ſpeciatim videtur iurare; mortaliter peccaret, ſi ita ſe gereret coram iudice iuramentum ab eo legitime exigente: quia eſſet in re gravi inobediens poteſtati a Deo conſtitutæ; ac proinde iuſtitiam ſimulque religionem læderet.

Non conveniunt tamen Theologi, an ille a quo illegitime exigitur iuramentum, ſive a iudice, ſive a privato, & ſine intentione iurandi verum aſſerit per verba iuramenti, peccet mortaliter, an ſecus. Negant enim aliqui; quia tunc nemini infertur gravis iniuria: ideſt non Deo, qui nec interius, nec exterius adducitur in teſtem falſitatis; non proximo, utpote qui iniuſte iuramentum exigat. Ita Sotus & Suarez. Alii econtra in hoc mortale peccatum agnoſcunt: quia, aiunt, tunc occurrit quædam divini nominis illuſio, cui videtur grave peccatum coniungi. Verum ſolutio huius difficultatis mihi videtur repetenda a motivo quod ii haberent iurandi ſine intentione iurandi. Nam ſi quis ita ſe gereret, quia non auderet id homini denegare; & aliunde ob aliquem Dei metum non auderet verum facere iuramentum, quod revera quibuſdam meticuloſis contingere poteſt: & tunc non ita facile crederem eſſe mortale. Ceterum eſt ſemper quædam ratio mendacii: quia dum quis dicit, *Iuro*, revera iurat. Quoad ſecundam vero partem, certum eſt, quod qui iurat cum animo non implendi illud quod iuramento implere ſpondet, mentitur & periurus eſt, ſive materia ſit gravis, ſive ſit levis: ac ideo mortaliter peccat; quia vocat Deum in teſtimonium mendacii. Item peccat mortaliter ille qui, ut propoſitum fuit in tertia parte, non implet quod, interpoſito iuramento, promiſit: ſive illud ſit magni momenti, quod iam ab omnibus conceditur; ſive levis, quod ab aliquibus, ut a Navarro, Soto, Suarez, nega-

gatur. Peccat hic in utroque caſu mortaliter: quia, quantum in ſe eſt, facit Deum auctorem falſitatis: quod æque contingit, ſive ſit in materia gravi, ſive in levi. Nam Deus, quantum fuit in volumtate iurantis, iam teſtatus eſt hoc aliquando eſſe implendum.

Quando materia efficiat peccatum leve.

Nota, tunc ſolum materiam levem efficere ut peccatum ſit leve, quando materia ipſa per ſe & immediate eſt obiectum peccati. Sic ideo levis intemperantia in cibo vel potu eſt leve peccatum, quia cibus & potus ſunt immediata intemperantiæ materia, in quibus ſi levis exceſſus contingat, nonniſi leviter læditur temperantia. At materia promiſſionis non eſt materia actus iuramenti; ſed honor Dei, qui ſervari debet. Igitur gravitas vel levitas periurii cuiuſcumque non eſt metienda ex qualitate materiæ promiſſæ; ſed ex honore Dei læſo. Honor vero Dei qui ſic læditur, ut Deus fiat teſtis falſitatis, quantum eſt in homine, non poteſt niſi graviſſime lædi. Igitur in omni iuramento promiſſorio, quantumvis ſit de re levi, non poteſt eſſe niſi grave peccatum. Ita Leſſius, Valentia, Bonacina, aliique communiter.

Circa vero defectum iuſtitiæ in iuramento promiſſorio, certiſſimum eſt, illicitum ex natura ſua & grave peccatum eſſe, aliquid improbum ſub iuramento promittere. Non ſemper tamen in hoc capite in actu exercito eſt letale peccatum; ſed ad hoc inſpicienda eſt qualitas rei pravæ ſub iuramento promiſſæ, ut gravitas iuramenti inde menſuretur. Unde ſi promiſſum ſub iuramento ſit aliquid letaliter grave; erit mortale iuramentum contra religionem ob defectum iuſtitiæ: & erit duplex peccatum, etiamſi animo adimplendi promiſerit. Sin minus, erit unum dumtaxat graviſſimum periurium, defectu iuſtitiæ & veritatis qualificatum. Ut ſi quis ſub iuramento iuret ſe occiſurum hominem, animo adimplendi quod promiſit; duplex committit peccatum, homicidii ſcilicet & periurii, ex defectu iuſtitiæ: quia auctoritate & teſtimonio divino ſe firmat in propoſito peccandi mortaliter; & quia eſt magna Dei iniuria, Deum afferre in teſtem contra eius legem. Si tamen res promiſſa ſit ſolum venialis; non erit niſi peccatum veniale, ſi animo adimplendi iuret; & duplex peccatum veniale: unum ob propoſitum pravum; aliud ob iuramentum male præſtitum. Non erit tamen mortale: quia non eſt gravis irreverentia Dei. Similiter erit tantum veniale, ſi quis iuraret ſe aliquid facturum contra conſilia evangelica: ut non daturum eleemoſynam, non ingreſſurum Religionem. Quare nullum eſt tale iuramentum, nec ullam inducit obligationem: eſt tamen peccatum veniale; quia levem Deo irrogat irreverentiam qui utitur iuramento ad non ſervanda conſilia quæ Deus non præcipit obſervanda. Et hoc idem intelligendum eſt de iuramento præſtito circa rem indifferentem, ob defectum iuſtitiæ; cum res indifferens, ut talis, non ſit apta materia iuramenti.

§. VII.

De obligatione iuramenti comminatorii.

Iuramentum comminatorium, quia idem eſt cum promiſſorio, vel ſaltem promiſſorio æquivalet, & ſolum ab eo diſtinguitur a pœnæ comminatione quam fert ſecum; ideo eodem modo ac de illo, de iſto quoque eſt diſcurrendum quantum ad iuſtitiam & veritatem. Idcirco ex defectu iuſtitiæ comminatorium erit mortale, ſi graviſſimam pœnam alteri quis iniuſte comminaretur etiam animo non implendi. Nam tunc eſſet periurium ex defectu veritatis. Et ſi iuraret animo implendi, duplex eſſet grave peccatum: aliud ob iniuſtitiam & gravamen proximo iniuſte comminatum, aliud ob iniuſtitiam iuramenti. In ceteris vero eodem modo ac de iuramento promiſſorio eſt diſcurrendum: & ſolum claritatis gratia aliqua ad huiuſmodi iuramentum ſpectantia adiicienda.

Quando obliget.

Qui iuramentum emiſit de pœna alicui infligenda, illud implere tenetur, ſi pœna iuſta ſit, nec ſit impeditiva maioris boni, aut non ſit ablata cauſſa ob quam erat implenda. Obligat enim iuramentum comminatorium, ne Deus in teſtem falſitatis adduci videatur; & ut ei fides promiſſi ſervetur, ne illius auctoritas quam ad confirmandum promiſſum adduximus, habeatur contemptui. Unde ſi gravis fuerit materia, erit peccatum mortale: veniale, ſi levis. Et ſic parentes vel domini comminantes filiis vel ſervis aliquas pœnas ad correctionem, tenentur illas exequi, ſi cauſſa ſubſiſtat puniendi. Ita Caietanus, Silveſter, aliique plures. Quare ſi punitio iurata per iuramentum comminatorium multum ad Dei obſequium expediret, procul dubio dicendum eſſet, etiam eius executionem debitam eſſe ſub mortali.

Excuſatur tamen aliquando ſic iurans a iuramento implendo, ac ideo a mortali reatu. Primo, ceſſante cauſſa emiſſi iuramenti, vel quoties occurrat ratio non multandi

di filium vel ſervum: puta ſi ex hoc turbetur pax domus; ſi non ſit opus illius medicinalis pœnæ, vel ſi alio modo filius vel ſervus ſatisfaciat; ſi demiſſe veniam precentur, aut amicus pro iiſdem condonationem pœnæ impetret; vel ob aliquam aliam rationem, qui hoc iuravit, aliter iudicet expedire. Etenim iurans ſe talem pœnam inflicturum, ſemper cenſetur ſub tali conditione iuraſſe: dummodo cauſſa vel neceſſitas medicinalis punitionis non ceſſet. Ita Caietanus & Silveſter cum aliis. Secundo, ſi tale comminatorium iuramentum oriatur ex paſſione, ex ira, vel animo inordinatæ vindictæ. Et tunc cenſetur iuramentum comminatorium naſci ex ira, dum quis pœnam alicui minatur cui non minaretur ob talem defectum, depoſita ira. Caietanus, Bonacina, aliique. Tertio, excuſatur a mortali talis iuramenti tranſgreſſio ob parvitatem materiæ: quæ tamen non eſt penſanda iuxta pœnæ gravitatem; ſed iuxta convenientiam quam pœna habet ad finem correctionis aliumve pium intentum. Quarto, excuſatur a periurio iurans ſe filios vel ſervos occiſurum, caput fracturum, aliaque huiuſmodi patraturum, tametſi animum non habeat tantum malum inferendi; dummodo animum habeat graviter illos puniendi: quia non ſerio, ſed per quamdam exaggerationem & in ſenſu hyperbolico loquitur. Excuſantur tandem a periurio pueri iurantes, ſe accuſaturos alios pueros coram parentibus aut magiſtris, tranſgrediendo tale iuramentum: vel quia ob ſumendam vindictam, non ſerio communiter iurant; vel quia etiamſi cauſſa correctionis iurent accuſare, omittunt cauſſa melioris boni, vel vitandi inter ſe rixas, vel ratione parvitatis materiæ.

§ VIII.

De cauſſis, materia, & effectibus iuramenti, ac præſertim de eius obligatione.

Iuramenti cauſſa duplex.

Circa iuramenti cauſſas exiguam res ipſa dicendi copiam ſuppeditat. Et primo, certum eſt iuramenti cauſſam finalem eſſe tum Dei cultum, quia iurans per Deum profitetur, Dei teſtimonium omni teſtimonio maius eſſe ac potius; quia cedit in Dei honorem: tum veritatis confirmationem, dicitur enim Hebr. cap. VI. *Omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt iuramentum*. Certum pariter eſt, iuramenti cauſſam efficientem eſſe tum Deum, qui quoniam neminem habuit maiorem per quem iuraret, iuravit per ſemetipſum: tum Chriſtum Dominum, qui (iuraverit, vel non) poterat & ut Deus, & ut Homo iurare qui Patrem in teſtimonium veritatis poterat appellare. Angeli boni *Apocal. cap.* X. iuraverunt per viventem in ſæcula: Angeli vero mali, licet hoc facere exterius videantur ad decipiendos homines, non tamen reipſa iurant; cum Dei nomen non aſſumant niſi ad blaſphemandum.

Iurare poſſunt homines, ut experientia iam conſtat. Athei tamen, ſi qui ſunt, & Pagani ratione ſtatus in quo ſunt, non iurant: utpote qui veri Dei nomen invocare nequeunt. Unde vere periuri non ſunt, niſi ratione conſcientiæ erroneæ.

Ad iuramentum ex natura rei nec verba, nec ſpeciales ritus certe requiruntur: quia hæc neceſſaria non ſunt neque in ordine ad Deum qui internæ mentis eſt inſpector; neque in ordine ad hominem cui ſufficiunt ſigna verbis æquivalentia.

Circa vero materiam iuramenti certum eſt, eſſe aliquid contingens, & non manifeſtum. Nam veritates neceſſarias quæ per diſcurſum deprehendi poſſunt, velle per teſtes confirmare, certe ridiculum eſſet. Unde ſupervacaneum utique foret, ea de quibus nemini dubium aliquod occurrit, divini nominis invocatione atteſtari. Certum pariter eſt, materiam iuramenti non ſecus ac voti eſſe debere res poſſibiles, honeſtas, bonas, immo meliores: alias nullum eſſet tale iuramentum; cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis. Quod ſupereſt in re hac non levis etiam momenti, eſt de præcipuo effectu iuramenti quod ſit hominibus: qui effectus eſt obligatio quam pure habet iuramentum. Non enim hic agitur de iuramento aſſertorio, quod eſt de præſenti ſolum, & de præterito non obligat niſi ad dicendam veritatem; ſed de promiſſorio, circa quod examinandum occurrit I. ex quanam virtute obliget? II. In qua materia? III. An etiam obliget, quando fit ex metu, errore, aut dolo? IV. An obliget eum qui iuravit ſine intentione ſe obligandi, vel rem iuratam exequendi? V. An obligatio iuramenti ſit mere perſonalis? Sed antequam de ſingulis ſermo inſtituatur, nonnulla ſunt in anteceſſum prænotanda.

Materia quænam.

Illius effectus eſt obligatio.

Nota igitur I. iuramentum promiſſorium duplex eſſe: unum dictum *confirmatorium*, ſeu abſolute & ſimpliciter *promiſſorium*; alterum vero dictum *per ſe ſtans*, ſeu introductorium obligationis, & aliquando *aſſertorium*. Primum ſupponit aliquam obliga-

tio-

Digitized by Google

tionem præviam; ut cum quis iuramento confirmat ſe impleturum votum quod emiſit: ſecundum nullam præviam obligationem ſupponit; ut qui iurat ſe executurum quod ſimpliciter propoſuit, aut id ad quod aliunde non tenetur, ſe v. g. ſoluturum uſuras, aut pœnam quam alteri comminatus eſt, eidem illaturum.

Nota II. materiam tripliciter hic diſtingui: ſcilicet in malam, bonam, & indifferentem.

Nota III. metum iuſte vel iniuſte incuti; & errorem eſſe vel circa rei ſubſtantiam, vel circa accidentia.

Nota IV. triplicem intentionem diſtingui in iuramento promiſſorio. Prima eſt iurandi; ſecunda ſe obligandi; tertia implendi promiſſa.

Hiſce notatis, in iuramento per ſe ſtante, unica tantum obligatio continetur: quia non obligat niſi ex ſola virtute religionis, & nullatenus ex quovis alio capite. Nam hic nulla alia anterior ſupponitur obligatio. In aliis vero iuramentis, nempe in confirmatorio & ſimpliciter promiſſorio, duplex & etiam aliquando triplex continetur obligatio, ut antea iam dictum fuit; & hæc iuramenta ſupponunt aliquam præviam obligationem. Cum enim iuramentum confirmatorium obliget ad actum ad quem homo iam obligatus erat vel ratione voti, vel ratione pacti & voti (ut quando quis confirmat iuramento votum quod fecit de reddenda cras pecunia quam debet Petro) ſequitur quod in hoc iuramento, vel potius in actu de quo iuratum eſt, multiplex occurrat obligatio: una ſcilicet ex virtute iuſtitiæ; duplex ex virtute religionis, ratione ſcilicet voti & iuramenti.

§. IX.

De obligatione iuramenti ex parte materiæ.

Iuramentum ex parte materiæ, quando materia ipſius bona ſit & honeſta, ſemper obligat: ſecus vero, ſi materia mala ſit & vitioſa. In indifferenti vero obligat ſolummodo, ſi hæc cedat in commodum tertii. Ita communiter. Et quoad primum ita res eſt manifeſta, ut ſupervacaneum ſit immorari in congerendis rationibus quæ id probent. Nam ſi iuramentum obligat, profecto obligat in materia bona; ac proinde numquam in materia non bona ſeu mala obligat.

Iuramentum de re bona ſemper obligat.

Sola difficultas eſt, an materiam bonam quam quis iuramento promiſit, poſſit pro libito in meliorem commutare? Et in hoc cum Suarez advertendum, num iuramentum cadat in promiſſionem factam Deo, an in promiſſionem factam homini. Si primum: cum iuramentum cadens in promiſſionem ſeu votum factum Deo ſequi debeat naturam voti; materia huius iuramenti mutari poteſt in meliorem. Contractus enim ſequi debet naturam contractus cui iungitur, ut ex *cap.* XXV. *de iureiur.* Unde cum votum mutari poſſit in quid melius; ita & iuramentum: maxime autem hoc fieri poteſt, quia merito præſumitur, Deum prioris voti & iuramenti obligationem relaxare, ut gratius ſibi aliquid & melius præſtetur. Quod ſi promiſſio iurata cedat in gratiam vel commodum tertii, & ſit acceeptata; mutari nequit in melius, nonniſi de conſenſu promiſſarii: quia promiſſio ſimplex, eo ipſo quod eſt acceptata, ita obligat, ut ſine peccato violari nequeat. Igitur multo magis obligabit, ſi iuramento fuerit firmata. Quocirca qui iuramento alicui ſpopondit ſe illi, certam pecuniæ ſummam daturum, non poteſt hanc pecuniæ ſummam ei cui iurata eſt, negare ut eamdem pauperibus conferat; licet hoc in ſe melius ſit: quia iam alteri ita ſtricte debita eſt, ut ſine iniuſtitia & periurio ei denegari nequeat.

Excipitur tamen caſus, in quo quis iuraſset, ſe cum aliqua matrimonium contracturum. Nam is, non obſtante iuramento quo etiam firmaſset ſponſalia, poteſt ſe retrahere a tali contractu cauſa ingrediendi Religionem: quia hic eſt communis Eccleſiæ ſenſus, ineſse in tali promiſſione tacitam hanc conditionem, Niſi vocet me Deus ad perfectiorem Religionis ſtatum (*cap.* Commiſsum *de ſponſalib.*) vel quia contrarium non decernit, ut probat Suarez; vel ob graves difficultates ob quas pariter non fuit in Eccleſia receptum.

Si vero promiſſio iurata acceptata non fuerit; tunc in nullo contractu iuramentum obligat; cum iuramentum eaſdem patiatur exceptiones quas res ipſa quæ iuramento confirmatur: & promiſſio ſemper fieri ſupponitur ſub hac conditione, Si acceptetur. Igitur dum promiſſio non eſt acceptata, minime obligat; ac proinde nec iuramentum eidem ſuperadditum. Nec obſtat quod dici ſolet, iuramentum valere, quando non ſit contra bonos mores: quia non eſt verum, ſi iuramentum additum ſit rei quæ pendet a conditione non impleta.

Quoad alteram vero partem, videlicet non obligare iuramentum quod fit de re mala & De re mala non obligat.

& illicita, conſtat ex *cap.* XVII. *de iure iur.* ubi dicitur : *Iuramentum, non ut eſſet iniquitatis vinculum* (fuiſſe) *inſtitutum* & ex reg. LVIII. de relig. iur. in 6. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum*. Nam iuramentum factum homini includit obligationem religionis iuramenti; & obligationem iuſtitiæ & fidelitatis ad hominem. Hoc tamen ſemper intelligitur, dummodo non ſit de re illicita & peccaminoſa, cuius impletio ſit cum diſpendio æternæ ſalutis : ita ut donec perſiſtat in conditione rei illicitæ & peccaminoſæ, nullo modo tale iuramentum obligat; alias iuramentum vinculum eſſet iniquitatis.

Non eſſet obſervandum iuramentum quod eſſet de re mala & peccaminoſa etiam venialiter, quando ſine ipſo impleri non poſſet. Cum enim veniale vergat aliquo modo in diſpendium æternæ ſalutis; quia, ut ante dictum eſt, iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis : proinde non eſt obligatorium contra bonos mores.

Hinc promiſſio prodiga quoad exceſſum ſecundum quem prodiga cenſetur, iuramento firmata non obligaret ob eaſdem rationes. Cum enim iuramentum non ſit vinculum iniquitatis; non obligat impleri & exequi promiſſionem, quæ etiam leviter ſit mala : qualis eſſet prodigæ promiſſionis executio, ſaltem quoad exceſſum, ut hic ſupponitur. Non enim exuitur hæc intrinſeca ſua malitia per hoc quod iungatur cum iuramento; ſicuti mendacium, quia malum ex ſe, nullo modo intrinſeca ſua malitia denudatur.

Obiici hic poteſt. Iuramentum a Ioſue factum in fœdere inito cum Gabaonitis erat de re mala & a Domino vetita, Deuteron. cap. VIII. *Non inibis cum eis fœdus* : & tamen exiſtimavit Ioſue ſe eo iuramento teneri. Igitur iuramenta etiam de re mala ſunt obligatoria. Reſp. primo, hoc iuramento, utpote per dolum & errorem extorto, reipſa obſtrictum non fuiſſe. Voluit tamen illud obſervare, ut oſtenderet ſuam & Iſraelitarum in ſervandis pactis & conventionibus fidelitatem. Reſp. ſecundo, iuramentum hoc non fuiſſe de re illicita. Non enim vetitum erat Iſraelitis omne fœdus cum Gentibus; ſed cum iis tantum quæ pertinaciter populo Dei reſiſtebant. Tales autem non erant Gabaonitæ, qui ad Dei cultum parati erant. Ita Suarez. Sic etiam ſolvitur argumentum quod aliqui efformant ex illo Iſraelitarum iuramento *Iudic. cap. ult.* quo ſe obligarunt ad non dandas filias ſuas in uxores filiis Beniamin. Etenim dici poteſt, vel iuramentum hoc fuiſſe de re licita, ut volunt multi : vel ſi de re illicita, ut videtur Abulenſi, graviter peccaſſe eos qui illud emiſerunt; nec reipſa, ſed ſolum ex erronea conſcientia ad illud implendum fuiſſe obligatos.

Obiicies rurſus. Ea tantum iuramenta non obligant quæ ſunt in diſpendium æternæ ſalutis, ut *cap.* Si vero *de iureiur.* Unde cum veniale peccatum periculum non inducat æternæ ſalutis, iuramentum de re veniali mala implendum eſt : quia ſi quis tale iuramentum non ſervat, peccat mortaliter, eo quod periurus ſit. Reſp. neg. mai. Nam iura quæ vetant iuramenta vergentia in diſpendium æternæ ſalutis, illa etiam vetant quæ vergunt in peiorem exitum, & eſſent iniquitatis vinculum; ut eſt iuramentum de peccato veniali faciendo. Ad confirmationem vero dico, eum ſolummodo in præſenti materia eſſe ſtricte periurum qui iurat id quod facere non vult; vel ſaltem quod ſine peccato mortali facere nequit. Unde minus malum eſt iurare de peccato veniali cum propoſito venialiter peccandi, quam ſine eodem propoſito : quia alias committeretur periurium formale; quod multo magis cavendum eſt quam peccatum veniale quod in tali propoſito includitur. Qui vero rem malam iuratam non exequitur, nec peccat, nec peccare poteſt; quia non contemnit divinam auctoritatem, quæ rei malæ numquam interponitur. Ita Suarez.

Ex his colliges primo, non eſſe obligatum iuramento eum qui promiſiſſet latroni, ſe illum iudici non denunciaturum, ſi denunciatio eſſet præcepta : quia non denunciare furem quem lex iuſſa denunciari iubet, verum eſt peccatum. Secundo, qui iuramentum faceret oppoſitum voto aut iuramento præcedenti : niſi ſecundum melius eſſet priore; ideoque Deo gratius. Tertio, qui iuraſſet contra leges quæ ad publicum bonum ſunt conſtitutæ, ut illæ ſunt quæ vetant ne arma ad hoſtes deferantur. Aliter tamen dicendum, ſi lex ordinata non eſſet niſi ad favorem privatorum; cum quiſquis cedere valeat iis quæ in gratiam ſui ſunt conſtituta. Hinc licet mulier quæ pro alio fideiubet, non obligetur; obligabitur tamen, ſi fideiuſſionem ſuam iuramento confirmaverit. *Illationes deducuntur ex præcedenti doctrina.*

Ex dictis aperitur via ad alias variaſque difficultates ſolvendas. Si v. g. duo concubinarii ſibi invicem, vel alter alteri fideli- *Nonnulli caſus expenduntur.*

tatem

tatem iuramento promitteret, ſcilicet nullam aliam perſonam illicite ſeu carnaliter cognoſcendi, multi contra Dianam (qui ratione præcipue pravi finis quem habet hæc promiſſio, nempe turpis amicitiæ conſervationem, quod idem eſt ac iurare permanentiam in occaſione peccandi, & quod reddit iuramentum vinculum iniquitatis, negat hoc iuramentum obligare) affirmant, & melius, validum eſſe. Nam ad obligationem iuramenti facti in favorem alterius non attenditur, quod promiſſum per illud male & illicite ſit promiſſum: ſed quod, ſuppoſita promiſſione prava, impleri poſſit abſque peccato; ſicuti fieri poteſt in iuramento de quo hic loquimur. Hoc enim impleri poteſt non accedendo ad aliam fornicarie: quod non eſt neceſſe ut ob finem conſervandæ prioris periculoſæ amicitiæ executioni mandetur. Præterea licet turpitudo induxerit ad promittendum; promiſſio illa ſe habet ut ſtipendium præteriti uſus corporis. Quare ſicut tenetur implere promiſſum, qui ut ſtipendium & mercedem mulieri pecuniam vel nuptias promitteret; ſic in præſenti caſu. Unde quamvis impletio talis promiſſionis occaſio eſſet peccandi; hoc eſt per accidens. Nam per ſe loquendo, ſuppoſito peccato in promittendo, poteſt & debet promiſſio ſine peccato impleri.

Si quis iuravit redire ad carcerem in quo detinebatur, ſive iuſte, ſive iniuſte detentus eſſet, redire teneretur: immo etiamſi timeret mortem prorſus iniuſtam ſubire (& hæc eſt probabilior Theologorum ſententia) ut fidelitas & veracitas iuramenti ſervetur. Nam, ſuppoſita promiſſione, hoc eſt opus virtutis fidelitatis, veracitatis, & fortitudinis, quod exerceri poteſt ſine præiudicio æternæ ſalutis. Igitur tale iuramentum obligat: quia licet ſe occidere, ſit intrinſece malum, & ſubinde ſemper illicitum, non effugere mortis periculum; hic tamen cenſetur ex iuſta cauſſa ſe exponere periculo mortis. Et confirmatur veritas huius ſententiæ ex D. Thoma, qui in *IV. diſt.* xxxviii. *quæſt.* ii. *art.* 4. *ad* 3. ait, quod pro quocumque actu virtutis unuſquiſque ſe exponere poteſt periculo vitæ. Igitur etiam pro ſervanda fidelitate iuramenti. Igitur tenetur ita iurans obſervare iuramentum: quia adſtringitur religione iuramenti, dum abſque peccato rem promiſſam poteſt executioni mandare. Ita tenent Caietanus, Angel. Silveſter cum aliis quamplurimis.

Ille qui iuramento promiſit ſe accepturum puellam in matrimonium, tenetur illam uxorem ducere: nec poteſt in cœlibatu manere, nec tranſire ad ſacros Ordines, niſi illa cedat iuri ſuo. Poteſt tamen Religionem ingredi ex ſpeciali iuris canonici diſpoſitione. Nam ſi matrimonium ratum (non ſic conſummatum) hoc non impedit in primo bimeſtri: nec impediet iuramentum de matrimonio ineundo; cum ſit quid minus.

Item qui iuravit puellæ ſe daturum illi certam pecuniæ ſummam, ſi faciat ſibi copiam ſui corporis; habita copula, tenetur implere promiſſum: cum poſſit rem iuratam exequi ſine peccato, quamvis antea peccaverit.

Iurans pariter ſe ſoluturum uſuras, tenetur eas ſolvere: quia licet non teneatur ratione promiſſionis, quæ iure naturali eſt irrita; tenetur tamen ratione iuramenti. Et ita habetur *cap.* Debitores *de iureiur.* Similiter tenetur ad ſolutionem pecuniæ in luſu alearum deperditæ; ſi de ſolvenda tali pecunia iuramentum interceſſerit: & hoc, non obſtante lege huiuſmodi promiſſiones in favorem perdentis annullante. Aliud enim eſſet, ſi lex etiam iuramentum actui ac promiſſioni adnexum irritaret. Sic ex Tridentino Concilio *ſeſſ.* xxv. *cap.* xvi. *de Regularib.* irrita eſt renuntiatio Novitii, etiam iurata; niſi adſint certæ conditiones. Ita irrita ſunt ex iure poſitivo matrimonium & ſolemnis religioſa profeſſio (idemque dicendum de quolibet voto) licet ſint iurata, ſi ex metu gravi & iniuſto ad id incuſſo fuerint extorta.

§. X.

De vi iuramenti ad firmandos contractus iure poſitivo nullos aut reſcindibiles.

Agitur hic de contractu quem lex poſitiva invalidat, num per iuramentum poſſit ita firmari, ut iurantem obliget ad executionem, non tantum ex virtute religionis ratione ipſius iuramenti; ſed ex virtute etiam iuſtitiæ, quaſi iuramentum afferret valorem huic contractui alias invalido? Dixi, *quem lex poſitiva invalidat*: quia, ut omnes communiſſime conveniunt, contractus iure naturali irriti iuramento firmari nequeunt.

Supponendum I. quod lex aliquando habet principaliter & immediate pro fine ſuo bonum publicum. Et tunc omne iuramentum legi contrarium illicitum eſt & invalidum; cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis, nec Deus acceptet id quod eſt in præiudicium tertii vel integræ communita-

Digitized by Google

nitatis. Unde clericus non poteſt renunciare privilegio fori, inducto in generalem favorem ſtatus clericalis. Aliquando lex principaliter & immediate reſpicit bonum privatum. Et huic renuntiari poteſt per iuramentum: alioquin lex cederet in odium & gravamen privati. Quocirca primogenitus renuntiare poteſt iuri primogenituræ vel maioratus per legem inducti.

Supponendum II. quod leges poſitivæ quæ invalidant certos contractus, non reddant omnes illos illicitos; ſed aliquos irritos & illicitos ſimul, & aliquos irritos tantum. Sic lex irritans matrimonium inter affines, facit illud irritum & illicitum: lex vero invalidans teſtamentum ſine ſolemnitatibus, reddit quidem illud irritum, ſed non illicitum. Hic agitur ſolummodo de legibus irritantibus tantum, non de aliis. Certum enim eſt, iuramentum firmare non poſſe contractum illicitum; cum eſſe nequeat vinculum iniquitatis.

Supponendum III. hic non agi de ſolis contractibus utrimque oneroſis; ut ſunt emptiones & venditiones: ſed etiam de non utrimque oneroſis, ut ſunt donationes & promiſſiones.

Supponendum IV. per contractum reſcindibilem hic intelligi contractum validum quidem, ſed debiliter: quia lex dat actionem contrahenti ad illius reſciſſionem petendam.

Ad quid obliget iuramentum, additum contractui invalido. Hiſce ſuppoſitis, ſuſtinet P. Henno ut probabilius, quod iuramentum additum contractui invalido, illud non firmet; ideoque tantum obliget iuramentum ex virtute religionis ad illius executionem. Et hoc probat auctoritate Innocentii III. *cap.* XXVIII. *de iureiur.* ubi nullam declarat renuntiationem rei dotalis cui concurrat mulier cum iuramento: *Quod etſi mulieris* (ita ibi ait Pontifex) *conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundum legitimas ſanctiones*; *ne tali prætextu viam contingat periuriis aperiri*, *mulieres ipſæ ſervare debent huiuſmodi iuramenta*. Unde ex ſententia Innocentii iure irrita eſt renuntiatio dotalis cui conſentit mulier, non obſtante iuramento: & ipſa ſolum tenetur vi iuramenti, non autem vi contractus ad non repetendum.

Et revera ſi iuramentum firmaret contractum invalidum, hoc faceret vel ratione ſui, vel diſpoſitione iuris. Non primum: quia vinculum religionis præciſe, quale eſt iuramentum, non poteſt per ſe inducere ligamen iuſtitiæ. Unde contractus cui additur iuramentum, talis remanet in ſua natura, ſive validus ſit, ſive invalidus, quali eſſet, ſi illud non adderetur. Non item ſecundum: quia iura ſtatuentia ut illi contractus inviolabiliter ſerventur, tantum volunt id fieri debere ex virtute religionis; non iuſtitiæ. Hinc ſæpe addunt, *propter reverentiam iuramenti*, *ob periculum periurii*.

Verum quidem eſt, iura aliter loqui de iuramentis gravi metu extortis, aliter de ſponte factis & contractui invalido additis: cum dicant, prima ſervari debere, ſaltem momentanea ſolutione, ob reverentiam ſacramenti; alia vero omnino & inviolabiliter. Sed ita loquuntur, non quia volunt his potius quam illis ineſſe vinculum iuſtitiæ; ſed quia priora continent in ſe cauſſam, cur coactus ſtatim poſſit pecuniam ſuam repetere, & alter reddere teneatur; nempe iniuriam per metum factam (& ideo dicitur ſolutio momentanea; ut quando quis iurat ſe daturum pecuniam latroni ad iuramentum cogenti) poſteriora vero nullam continent in ſe cauſſam, cur alienatum poſſit repeti; cum iuramenta illa libera fuerint & ſpontanea. Et ideo, niſi obtineatur relaxatio propter cauſſam aliunde quærendam, debent omnino & inviolabiliter ſervari; ut cum quis renuntiat futuræ ſucceſſioni, alienat fundum dotale, & idem dic de aliis huiuſcemodi contractibus qui lege poſitiva ſunt irriti.

Hinc ex iis ſequitur, quod is qui aliquid recepit ratione iuramenti contractui invalido additi, tenetur ad reſtitutionem; cum contractus ſupponatur nullus, nulloque titulo iuſtitiæ illud poſſideat. Iurans autem poteſt recipere: quia licet iuraverit non repetere; non tamen iuravit oblatum non recipere.

Item qui ſuæ promiſſioni, donationi, aut alteri contractui per legem irritato addit iuramenti relaxatione, ad nihil tenetur: aut ſi deberi poteſt repetere.

Sic heredes iurantis ad nihil tenentur, etiam non obtenta relaxatione iuramenti additi promiſſioni iure invalidæ. Non enim tenentur ex vinculo iuſtitiæ; cum nec tali vinculo teneretur ipſemet iurans: nec etiam tenentur ex vinculo religionis; quia nullam quis contrahit obligationem ex vi iuramenti, niſi habuerit intentionem iurandi, quam non habuit heres aut ſucceſſor. Et ideo non tenetur filius ſolvere uſuras a patre defuncto iuramento promiſſas: quia hic tantum tenebatur vi iuramenti; & ideo obligatio iuramenti dicitur præciſe perſonalis.

Adverte, nunc nos loqui de iuramentis ſoli

ſoli homini facis. Nam certum eſt, quod iuramenta realia facta Deo obligent heredes non ex virtute religionis, ſed iuſtitiæ: quia nempe Deus illa acceptavit; & quia ius canonicum & civile ſtatuit ut nullus adeat hereditatem, niſi ſub conditione adimplendi vota & iuramenta realia defuncti.

§. XI.

De obligatione iuramenti emiſſi non amplius ludendi.

Iuramentum quo quis ſe obligat non amplius ludere (& eſt iuramentum quod ordinarie fit Deo, induitque rationem voti) non leves involvit difficultates: cum non ita facile diſcerni queat, an voluerit pœnitens ſibi interdicere per tale iuramentum omnem omnino luſum; an vero tantum periculoſum & immoderatum, cauſſam præbentem rixis, blaſphemiis, iuramentis, iacturæ bonorum & temporis. Si enim tali iuramento hoc ſecundum expreſſe intellexiſſet iurans; nulla eſſet difficultas, tale iuramentum obligare, utpote quod ſic ſit de re licita & honeſta. Verum de hoc non loquimur, ſed de iuramento aut voto non ludendi: ſive abſolute, ita ut comprehendat per modum unius tam ludum immoderatum & inhoneſtum, quam moderatum & honeſtum; ſive expreſſe nullo ludo incumbendi, etiam honeſto & honeſtæ recreationis cauſſa aſſumpto. Et ut meliore quo fieri poteſt modo res dilucidetur, ſit.

Quid de iurante abſtinentiam a ludo. Quando conſtet, iurantem ſibi interdicere voluiſſe omnem ludum, ſive moderatum, ſive immoderatum, ſive abſolute, ſive expreſſe, etiam recreationis cauſſa, & mortificationis intuitu, utque utilius utatur tempore: tenetur ab omni ludo ſe prorſus abſtinere, ita ut quoties ludit, etiam ludo honeſto, toties peccet graviter, vel leviter iuxta materiæ quantitatem. Nam licet ludus moderatus ſit bonus; quia tamen eius abſtinentia eſt melior, poteſt eſſe materia iuramenti & voti: ſicuti eſt de facto abſtinentia a matrimonio, licet matrimonium, utpote ſaramentum, ſit bonum. Si autem dubium ſit, an iurans intenderit in ſuo iuramento ſe obligare ad abſtinendum ab omni ludo, vel tantum ab immoderato: colligi debet ex fine propter quem ſe induxerit ad ſe ita ligandum iuramento. Unde ſi iuravit, ut diſcordias, blaſphemias, ſubſtantiæ diſſipationem vitaret: tunc præſumi poteſt, eius iuramentum reſpicere ſolummodo ludum immoderatum; cum illa accidere non ſoleant in luſu moderato, honeſto, & ſolum recreationis cauſſa aſſumpto. Si autem iuravit, ut commodius Deo rebuſque familiaribus vacare poſſit: dicendum eſt, illi eſſe vetitum omnem ludum tam moderatum, quam immoderatum. Hoc eſt contra aliquos, qui volunt iuramentum abſtinendi a ludo honeſto eſſe nullum, eo quod luſus honeſtus & moderatus pertineat ad virtutem eutrapeliæ.

Finis iurantis inſpiciendus. Materiæ gravitas vel levitas in ludo, ut tranſgreſſio iuramenti vel voti de illo gravis vel levis cenſenda ſit, menſuranda eſt ex fine iurantis. Nam ſi finis iuramenti fuit ſe privare illa ludi delectatione pro peccato, vel ut mens aptior eſſet rebus divinis: ad hoc ut violatio mortalis ſit, non eſt attendenda quantitas pecuniæ ludo expoſitæ; ſed ex recreationis in ludo perceptæ duratione menſuranda eſt. Unde ſi modico tempore ludo detineatur; erit leve peccatum, etiam magna quantitate expoſita: dummodo non ſit periculum ut de uno in aliud multum in ludo detineatur. Si autem multo tempore; etiamſi parva vel nulla ſit expoſita quantitas, erit mortale. Idemque dicendum, quando finis fuit vitare temporis iacturam in ludo conſumpti, ut Deo, vel ſtudio, vel rebus familiaribus vacaret, ideſt ſi multum temporis inſumeret. Si vero finis iuramenti fuerit vitare pecuniæ iacturam, ſubſtantiarumque dilapidationem ex quantitate pecuniæ expoſitæ: tunc menſuranda eſt gravitas tranſgreſſionis iuramenti non ex duratione temporis in ludo; ſed ex quantitate pecuniæ. Unde, magna pecuniæ quantitate expoſita, licet brevi temporis duratione fiat, erit mortale: parva, quamvis multo tempore ludus perduret, erit venialé; ſecluſo tamen periculo ultro in quantitate progrediendi. Si tandem finis iuramenti fuerit vitare rixas, blaſphemias, iuramenta: tunc ex occaſione aut periculo in ludo recepto ad hæc deveniendi, penſanda eſt gravitas vel levitas culpæ. Et hæc omnia docet Sanchez.

Necnon aliquæ circumſtantiæ penſandæ. Qui iuravit; ſe non luſurum cum tali perſona, in tali loco, tali ludo, ſi ob iuſtum finem id fecerit, v. g. quia locus eſt pernicioſus, perſona iracunda, ludus rixis expoſitus; ſtat iuramentum, ac iurans tenetur illud obſervare. Quod ſi id fecerit ſine fine honeſto, ſed ex vindicta contra ludentem, aut quia ſuperſtitioſe credit ſe fortunatum in tali domo, in tali ludo, cum tali perſona: nullum eſt iuramentum; quia eſt de re mala.

Qui ſimpliciter iuravit ſe non luſurum, intendens ſolum ſibi exercitium ludi interdicere, ludere poteſt per alium: quia vere ac proprie loquendo non ludit, ſed alius pro ipſo. Unde ſecundum hominum exiſtimationem non mentitur, ſi dicat, *Non luſi*.

Dixi *intendens ſolum ſibi interdicere exercitium ludi*: quia ſi voveat abſtinentiam a ludo, v. g. ne bona diſſipet; nec per ſe, nec per alium ludere poteſt. Nam cum ludus per alium ſeu moralis ſit æqualiter bona diſſipaturus; cenſetur vovens & illum ſibi interdixiſſe: & eo magis, quod dum ludit per alium & diſſipat bona domeſtica, idem ſit ac per ſe ipſum ludat & diſſipet, iuxta commune effatum: *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*. Poteſt hic tamen ludere pro alio: quia hic voluit tantum abſtinere a ludo, prout ſuorum bonorum diſſipativo; quod non accidit, dum ludit ære alieno. Si tamen ludens pro alio ſe exponeret iiſdem incommodis propter quæ iuravit, ut iurgiis, iacturæ temporis, periuriis: nec pro ſe, nec pro alio ludere poſſet.

An obliget de re indifferenti. Iuramentum tandem de re pure ac ſimpliciter indifferenti non obligat: quia iuramentum de re indifferenti, ut vult Suarez, ideſt quæ bonum & honeſtum finem non habet, eſt eo ipſo iuramentum de re mala, ut probabilior docet opinio; & iuramentum de re mala, ut iam dictum eſt, minime obligat. Nam cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis; ſic nec vinculum erit rerum vanarum & inutilium: nec certe velle poteſt Deus ob reverentiam ſancti ſui nominis eas fieri.

Quod ſi forſan res indifferens bona eſſet ratione finis; tunc qui eam iuraſſet, teneretur implere. Sic qui iuraſset ſe domum alterius non ingreſſurum ne in eadem peccare poſſit, vi iuramenti ligaretur. Idemque dicendum eſt, ſi res indifferens cedat in favorem tertii. Ut ſi quis iuraret ſe non empturum niſi a Titio; teneretur propoſitum ac iuramentum ſervare: quia honeſta res eſt, ſervare promiſſionem factam proximo cui utilis ſit & grata; & iuramentum de opere honeſto, cum ſit de re bona, eſt obligatorium.

§. XII.

De validitate iuramenti circa obiectum ſecundum ſe quidem licitum, quando oppoſitum ſit vel evadat de meliore bono.

Si quis iuramento ſe obliget ad aliquid ceteroquin licitum, ſed evidenter minus bonum quam ſit eius oppoſitum; vel ſi ab initio melius, & poſtea minus bonum evadit: cum iuramentum quo quis ad aliquid faciendum vel omittendum ſe obligat, non ſecus ac votum, eſſe debeat de meliore bono; in neutro caſu validum eſſet, nec obligatorium tale iuramentum. Hoc tamen intellige, niſi cederet in damnum tertii. Unde ſi quis iuraret non facturum eleemoſynam, non ingreſſurum Religionem, vel aliquid huiuſcemodi; non teneret tale iuramentum: immo qui hoc iuraret, eſſet periurus, ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 2. *ad* 2. ubi ait: *Ille qui iurat ſe non intraturum Religionem, vel non daturum eleemoſynam, vel aliquid huiuſmodi, iurando periurium committit propter defectum iudicii. Et ideo quando facit id quod melius eſt, non eſt periurium, ſed periurio contrarium. Contrarium enim eius quod facit, ſub iuramento cadere non poteſt*. Et ratio eſt, quia Deus neminem obligat ad ſibi procurandam minorem gloriam. In tali vero caſu ne oriatur ſcandalum, aut ne amor proprius facile contingat maius bonum, recurrendum eſt ad iudicium prudentis Confeſſarii: & ſi opus ſit, poſtulanda commutatio iuramenti ab eo qui pollet facultate commutandi vota & iuramenta.

§. XIII.

De validitate iuramenti non mutuandi, non commodandi, vel fideiubendi.

Si quis iuret ſe non mutuaturum, commodaturum, fideiuſſurum, & habeat pro ſolo fine præcavere damnum uxoris v. g. aut liberorum, vel frenare propriam levitatem animi facile cedentis cuiuſvis poſtulatis: cum obſervatio regularum prudentiæ ſpectet ad morales virtutes, præbet etiam materiam liciti iuramenti & obligatorii. Quod ſi finis præcipuus talis iuramenti fuerit inordinata tenacitas: tunc iuramentum eſt illicitum omnino & invalidum; cum Deus non acceptet obligationem quæ tendit ad prava. At ſi forte iurans incertus ſit & dubius de principali fine ſeu motivo huiuſce iuramenti: tunc conſulere tenetur Confeſſarium, qui tale dubium explicare nequit niſi ſecundum id quod eſt melius intra fines honeſtatis.

§. XIV.

De iuramento facto ex errore & dolo.

Iuramentum factum ex dolo vel errore verſante circa ſubſtantiam rei iuratæ eſt
pror-

Digitized by Google

prorſus irritum; quia deeſt ſubſtantialis conſenſus, qui eſt omnino neceſſarius ad iuramentum: ut ſi quis iuraret dare alteri rem quam putabat eſſe vitream, quando eſt gemma pretioſa; hoc cognito, abſque ulla cuiuſpiam relaxatione ſolutum eſt iuramentum. Silveſter, Azorius, Sanchez, aliique. Huic ſententiæ favet *cap.* Cum contingat *tit. de iureiur.* Et hoc verum eſt, ſive error ſit antecedens, quo ſublato, non iuraret; ſive concomitans, quo etiam ſublato, iuraret: quia uterque error tollit voluntarium conſenſum & actualem.

Iuramentum vero ex errore vel dolo verſante ſolummodo circa qualitates aut circumſtantias rei promiſſæ eſt validum; ſicuti validus eſt contractus qui fit cum tali dolo & errore: dummodo dolus aut error non det cauſſam contractui; vel ſi tantum verſetur circa aliqua accidentalia non magni momenti, neque notabiliter ſuperantia exiſtimationem iurantis. Eſt autem invalidum, ſi det cauſſam contractui ſeu promiſſioni; aut ſi verſetur circa quædam principalia, quæ nullo modo voluiſſet iurans promittere, ſi dolus & error abſuiſſet. Nam in priore caſu invenitur ſufficiens conſenſus in rem primo ac principaliter iuramento promiſſam; non in poſteriore. Item dolus & error circa circumſtantiam irritaret iuramentum, ſi talis circumſtantia intenderetur a iurante per modum intrinſeci. Hinc licet divitiæ & virginitas ſint circumſtantiæ quarum defectus non irritat matrimonium contractum: ſi quis tamen eas circumſtantias intenderet, ut nollet, iis ſublatis, valere contractum; reipſa non ſtaret talis contractus, etiam iuramento firmatus.

Quando vero error ſive ignorantia ſit mere negativa (quando ſcilicet iurans non penetrat omnes rei difficultates; non habeat tamen ullum poſitivum errorem circa ſubſtantiam aut præcipuas rei promiſſæ qualitates) iuramentum validum eſt & ſervandum: quia eiuſmodi conditio non facit ut non voluntarie iuraverit. Sic multi non contraxiſſent matrimonium, ſi prævidiſſent omnia eius incommoda: at nihilominus voluntarii fuerunt in contrahendo, quia talis conditio non affecit voluntatem eo tempore quo factus eſt contractus; & per conſequens non afficit eo tempore quo fit iuramentum.

§. XV.

De iuramento dolo, vel metu ac vi extorto.

Quinam dolus irritet iuramentum.

Iuramentum dolo extortum prorſus invalidum eſt ac nullum, ſi dolus det totam cauſſam iuramento, ita ut expreſſe iuretur propter id in quo quis decipitur: ſive interim dolus verſetur circa ſubſtantiam; ſive circa qualitatem rei iuratæ. Et eſt communis ex Innocentio III. *cap.* XXVIII. *de iureiur.* ubi aſſerit, mulieres cum iuramento dotem alienantes debere ſervare iuramentum, ſi illud ſine vi & dolo ſponte præſtiterint. Igitur Pontifex cenſet non fore ſervandum, ſi cum tali dolo fuiſſet extortum. Et ſane nullum eſt iuramenti vinculum, ubi nullus eſt conſenſus. Unde cum, ſtante dolo, nullus ſit iurantis conſenſus; quia non ſubſiſtit id in quo conſentit: ſequitur, nullum eſſe & invalidum tale iuramentum. Sic nullum eſt iuramentum & contractus, dum volens quis emere vinum vetus, & iurat cum tali ſuppoſitione vinum ſibi exhibitum empturum, ſi a venditore doloſe decipiatur, dando ei vinum novum pro veteri: cum enim hoc emens non deprehendat, non ſtat iuramentum; quia qualitas dat cauſſam iuramento. Si dolus tamen verſetur ſolummodo circa accidentia quæ non dant cauſſam iuramento (idem dic, ut ſupra, de iuramento ex errore & dolo in quem iurans ex propria, non ex alterius deceptione verſabatur) tunc tenet ac validum eſt iuramentum.

Ex vi & metu eſt validum.

Iuramentum extortum vi & metu communiter ſentiunt doctores validum eſſe & obligatorium; ideoque implendum. Nam Alexander III. *can.* Debitores *de iureiur.* reſpondit, eos qui ſe obligaverant (promiſſione videlicet ſimplici) ad ſolvendas uſuras, cogi non debere: ſi vero de ipſarum ſolutione iurarint; cogendos eſſe ratione iuramenti. Ita Cœleſtinus III. *cap.* Verum *eod. tit.* interrogatus de illis qui inviti pro vita rebuſque ſervandis iurarunt, reſpondit eſſe abſolvendos. Unde patet, quod antequam abſolverentur, erant obligati: alias non fuiſſet locus abſolutioni. Ita Innocentius III. in *cap.* Ad audientiam *eod. tit.* Et hoc ratio ipſa confirmat: quia nempe huiuſcemodi iuramenta facta ſunt cum iudicio & iuſtitia, neque vergunt in deteriorem exitum. Igitur, niſi per Eccleſiam relaxentur, ſervanda ſunt. Rationem hanc dat D. Thomas. Unde 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7.

Digitized by Google

ad 3. docet, quod quamvis obligatio quæ naſcitur ex ſola promiſſione homini facta, tollatur per coactionem; quia ille qui vim intulit, meretur ut ei non ſervetur promiſſum: ea tamen obligatio qua quis Deo obligatur ut hoc impleat quod per eius nomen promiſit, in foro conſcientiæ non tollitur; & propterea debet potius damnum temporale ſuſtinere, quam violare iuramentum. Poteſt tamen quod tradidit, in iudicio repetere; vel ante traditionem poſtulare relaxationem. Silveſter & Henno.

§. XVI.

De obligatione iuramenti facti ſine intentione iurandi.

Non obligat per ſe.

Iuramentum ſine intentione iurandi non obligat per ſe: obligat vero, ſi adſit intentio iurandi; licet abſit intentio ſe non obligandi, vel implendi quod iuratum eſt. Et quoad primam partem, hoc ex eo probatur, ut antea diximus, quia iuramentum ſine intentione iurandi non eſt verum iuramentum, ſed fictio ac imago ſolum iuramenti. Igitur reipſa per ſe non obligat: non ſecus ac non obligat promiſſio quæ Deo fit ore tantum, neutiquam animo; quia talis promiſſio apud Deum non eſt votum iuxta D. Thomam in *IV. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I.

Sed per accidens.

Dixi, *non obligat per ſe*, & virtute religionis: quia plerumque obligat ex alio capite; nimirum ut vitetur iniuſtitia & ſcandalum. Etenim quiſque tenetur cavere & impedire ne ex ſua actione hæc oriantur. Valentia tamen vult tale iuramentum implendum eſſe etiam ex virtute religionis in hoc ſenſu: quod per naturale præceptum religionis obligetur homo ad defenſionem & ſtudium divini honoris, non ſolum verum efficiendo id in cuius confirmationem reipſa Dei nomen fuit invocatum; ſed & illud quoque quod rationabiliter cenſeri poteſt divino confirmatum fuiſſe teſtimonio.

Quoad ſecundam vero partem, illa ex eo probatur, quod qui cauſſam applicare vult, effectum eius neceſſario vult, quando effectum impedire non valeat. Sic qui vult ignem applicare ſegeti, eo ipſo vult ſegetem comburere. Etenim iurans cum intentione vera iurandi, eo ipſo Deum in teſtem ſuæ aſſertionis de futuro adducit; ac proinde vera incumbit neceſſitas & obligatio faciendi veram hanc aſſertionem. Igitur nemo ab hac obligatione diſpenſari poteſt per quamcumque intentionem quam eliciat ſe non obligandi: nam hæc intentio nequit eſſe fortior & efficacior ad non obligandum quam ipſamet lex naturalis ad obligandum. Unde cum lex naturalis obliget ad efficiendum verum illud in cuius confirmationem vere & ex animo adducta fuit divina auctoritas; ſequitur, quod nulla humana voluntas hanc obligationem ſolvere ſeu tollere valeat.

§. XVII.

De ſubiecto obligationis iuramenti.

Nota, quod in iuramento promiſſorio de quo nunc agitur, duo diſtingui poſsunt. Primo, ipſa promiſſio alicui facta: ſecundo, divini nominis invocatio ad faciendam fidem. Idcirco duplex in eo iuramento continetur obligatio. Una quæ exſurgit ex rei promiſſione facta in iuramento: & hæc eſt obligatio realis iuramenti, quæ ligat ex iuſtitia. Altera ex ipſa iuratione, quæ cum ſuſcepta ſit propria voluntate, eſt perſonalis, ideſt vinculum perſonale: & cum hoc vinculum contrahat iurans ex invocatione quam facit in tali actione divini nominis in teſtem; obligat ex religione. Prima obligatio, ſi orta ſit ex promiſſione rei licitæ, dummodo promiſſio non fuerit iniuſte extorta, immo fuerit acceptata, cum ſit obligatio realis & iuſtitiæ, tranſit etiam ad iurantis heredes: qui ſicut tenentur ex iuſtitia implere omnia realia onera quæ non fuerint per iniuriam extorta, ita etiam iuramenta realia defuncti; utpote qui ſuccedunt in omnia iura ipſius defuncti, qui per promiſſionem iuramento firmatam contraxit onus & debitum reale, quod idcirco tranſit ad heredes. Et econverſo implere tenentur etiam promiſsarii id quod ad ipſos ſpectat erga heredes defuncti; quia in omnes ipſius actiones & iura ſuccedunt. Vinculum vero perſonale defuncti non tranſit ad heredes: ita ut ſi heredes iurata defuncti pacta non ſervent, erunt quidem iniuſti, ſed non periuri. Ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 2.

Poteſt fieri etiam per procuratorem.

Iuramentum fieri poteſt etiam per procuratorem. Primo, quia quiſque poteſt per alium quod per ſe ipſum poteſt; niſi tamen lex obſiſtat, quæ nulla hic obſiſtit. Secundo, quia ſi matrimonium celebrari poteſt per procuratorem; ita etiam iuramentum: cum non minus una quam altera ſit obligatio perſonalis.

Porro notandum eſt, procuratorem iurare non poſse ſine ſpeciali mandato. Ex *cap.* III. *de iurament. calumn. in* 6. Nec iurare poſset, ſi mandatum hoc revocatum fuiſset.

Co-

Digitized by Google

Ceterum procurator periurus non erit, ſi ille cuius nomine iuratum eſt, non ſervet iuramentum. Excipe, niſi procurator particeps ſit doli: quia tunc cooperat periurio.

Item iurans obedientiam alteri ratione officii vel dignitatis, puta Epiſcopo, tenetur vi iuramenti obedire eius ſucceſſoribus omnibus in eo officio & dignitate (ut ex *cap.* XIV. *de iureiur.*) quia cenſetur iurare obedientiam cuicumque qui in tali conſtitutus ſit dignitate & officio, quod eſt cauſa & ratio iurandi.

Nota, per præceptum, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, non ſolum prohiberi omnia iuramenta contra honorem Dei facta; ſed quamlibet quoque eius nominis uſurpationem.

§. XVIII.

De quibuſdam particularibus iuramentis: ſeu explicatur, qualiter obligent iuramenta ſervandi ſtatuta Reipublicæ, Collegii, Univerſitatis, aut Societatis cuiuslibet.

Ut facilius dignoſcatur, quando qualitercumque obligent iuramenta quæ præſtari ſolent ſervandi ſtatuta alicuius Reipublicæ, Univerſitatis, Collegii, aut cuiuſlibet Societatis; quatuor a Theologis aſſignantur regulæ. Prima igitur eſt, quod iuramentum abſolute præſtitum huiuſcemodi ſervandi ſtatuta, reſpicit ſolummodo ſtatuta edita, uſque ad illud tempus quo iuramentum præſtatur; non quæ in poſterum edi poſſunt (niſi iurans ſe ad futura expreſſe obligare voluerit) cum iuramentum ob periculum periurii, ratione oneris quod ſecum affert, potius reſtringi debeat quam extendi: ac proinde eſt ſemper ſtricte interpretandum, ita ut non comprehendat quod verba late ſumpta ſignificare poſſunt. Ita Suarez & Sanchez cum aliis. Teneretur tamen iurans ad novi ſtatuti obſervantiam, ſi innovatum fuiſſet ſtatutum non ad aliqua nova capita novaſque leges addendas; ſed ſolummodo ad ſolius veritatis præteritorum declarationem, vel ad implicita & tacita in veteri ſtatuto commentaria exponenda: quod revera tunc novum non foret ſtatutum, ſed idem prorſus cum veteri.

Circa hoc quatuor aſſignantur regulæ.

Secunda regula eſt, talia iuramenta intelligenda eſſe ita obligare, quatenus res iurata ſervanda continetur in ſtatutis. Nimirum ſi ſtatutum ſit tanti momenti, ut obliget ad mortale vi præſtiti iuramenti de eo prout ſtat obſervando; adeo obligabit iuramentum ſub mortali ad integram eius obſervantiam, ut duplex mortale peccatum committeretur in tranſgreſſione: & contra ſtatutum quod, etiam ſecluſo iuramento, obligat ſub mortali, & contra iuramentum quo promiſſa fuit eiuſdem ſtatuti obſervantia. Si autem ſtatutum levis ſit momenti, & obliget tantum ſub veniali; ſtatuti tranſgreſſio non erit niſi venialis. Et ratio eſt, quia iurans non promiſit præciſe rem illam ſervare quam continent ſtatuta; ſed ſervare ſtatuta prout ſtatuta ſunt: ſeu res illas contentas in ſtatutis non ſecundum ſe, ſed prout in ſtatutis continentur. Igitur obligatio iuramenti, ac proinde culpa ex eius violatione metienda eſt iuxta ſtatuti obligationem. Ita citati doctores.

Tertia quæ iam ſequitur ex præcedenti, eſt huiuſmodi. Ex vi talis iuramenti non tenetur iurans ad ea ſtatuta quæ aliqua ratione non obligant: ut ſi non ſint licita nec poſſibilia; ſi non communiter recepta; vel in deſuetudinem abierint. Iuramentum enim eſt ſolummodo de obſervandis ſtatutis, quatenus obligant. Igitur quando ex aliqua ratione deſinunt obligare, nec etiam iuramentum obligabit, ut tenent Suarez, Bonacina, Navarrus, Azorius. Idemque dicendum, ſi certo modo ſint recepta talia ſtatuta & in uſu, aut quoad partem ſint recepta, non quoad totum: quia eo ſolum modo obligat iuramentum quo ſtatuta ſunt in vigore obligandi. Unde ſi ſtatutum revocetur ab eo qui facultatem habet illud revocandi; iuramentum de illo ceſſat: quia non eſt amplius ſtatutum. Ita citati doctores. Et hoc etiam verum eſt, non ſolum quando in generali iuramentum præſtatur ſervandi ſtatuta; ſed etiam in particulari quoad aliquod eius particulare caput: quo ceſſante, ſive quia abrogatum ſit, ſive uſu non receptum, ſive etiam antea ob haſce rationes non amplius vigeret, iuramentum de illo obſervando non obligat. Iuramentum enim non præſtatur de re implenda abſolute, ſecluſo ſtatuto; ſed ſervandi illud ſtatutum, ſeu aliquod particulare eius caput, prout ſtatutum vel tale eius caput iuratum obligat.

Quarta regula eſt, quod quando Iuramentum non obſervetur a maiore parte Civitatis, Univerſitatis, aut Societatis cuiuslibet, non obligat reliquos: quia dum maior pars communitatis illud non obſervat, non eſt iudicandum, reliquos ſe voluiſſe obligare. Nam licet illud ſtatutum ſervetur in ea communitate aut congregatione; non tamen dicitur ſtatutum in communitate obſervari, ma-

maiore illius parte non obſervante. Sanchez, Azorius, aliique.

Hæ regulæ quo modo intelligendæ. Sed quæ in hiſce regulis ſunt tradita, intelligenda ſunt, niſi iurans vellet ſcienter & expreſſe ſe obligare ad rem illam ſtatuto contentam, independenter a ſtatuto, etiamſi ſtatutum nullo modo obliget. Quia ſecundum intentionem iurantis extenſum eſt ipſum iuramentum ad rem ipſam ſecundum ſe, independenter a ſtatuto. Sed præſumendum non eſt, talem eſſe iurantis intentionem, niſi de ea conſtet expreſſe; ſed ſolummodo iurandi ſtatutum, prout viget ac vim habet obligandi. Sic laudati auctores.

Nota, Communitates, Univerſitates, Collegia, & alias quaslibet Societates, non poſſe revocare ſtatutum ſuum iuratum ſine periurio, ſi iuramentum ſit non revocandi ſtatuta; niſi tamen deficiat cauſſa finalis. Abſque hoc tamen, ſi ſtatutum iuratum ſit a perſonis illius communitatis obſervandum ut perſonæ ſingulares ſunt; ut quando decernitur, neminem noctu domo egredi debere: tunc illud revocare poteſt communitas; cum natura ſtatuti ſit, ut revocari poſſit quod ſequitur iuramentum, ita ut in revocatione non committatur periurium. Sed ſi ſtatutum iuratum ſit non implendum a ſingulis perſonis; ſed ab omnibus coniunctim nomine Univerſitatis; puta, ſi decernat non admittendas ad eam Congregationem perſonas, niſi cum talibus conditionibus & qualitatibus, & nonniſi intra talem numerum: tunc Univerſitas, etiam ut Univerſitas, ſtatutum illud revocare nequit (ut ex *cap.* Dilecto *de præben.*) quia tale ſtatutum communitates ſancientes, illudque iurantes, per ſtatutum una cum iuramento a ſe ipſis poteſtatem abſtulerunt aliquid in contrarium agendi. Covarruvias *de pact. Part. II. §. 2. num. 5.* Quando vero Univerſitas ſtatutum ſuum revocare poteſt, ſatis eſt ut cenſeatur illud revocare, ſi ſtatuentes, vel eorum ſucceſſores ſcienter & collegialiter, etiam unico actu, contra ſtatutum agant: nec tunc erunt periuri contraveniendo ſtatuto; quia tunc eo ipſo ſtatutum revocatum eſt, & ſic ceſſat iuramentum. Silveſter, Sanchez, Salmanticenſes.

§. XIX.

De iuramento quod faciunt ſcribæ, procuratores, aliique publici miniſtri, ſervandi taxam a lege præſcriptam: de eo quod præſtant ſenatores, præſides, ſeu locorum gubernatores, de procurando publico bono civitatis vel oppidi.

Communis mos eſt, ut ſcribæ, procuratores, aliique miniſtri in ingreſſu ſui officii iuramento adſtringantur, ſervandi taxas a lege præſcriptas, non petendo, non exigendo, nec recipiendo maius ſtipendium quam in lege eſt taxatum. Cum autem quotidie conquerantur tale ſtipendium eſſe inſufficiens & iniuſtum, eo quia pretia neceſſariorum ad victum & veſtitum multum nunc excreverint; hinc oritur difficultas: an, dato tale ſtipendium eſſe inſufficiens, teneantur miniſtri vi iuramenti obſervare quod lege eſt taxatum. Salmanticenſes docent cum Sanchez aliiſque, quod ſi vere ſtipendium ſit inſufficiens & iniuſtum, non obliget iuramentum ad eam laboris taxam obſervandam quæ iniuſta eſt, quando, omnibus ſerio inſpectis, ob varietatem temporum a doctis viris prudenter iniuſta iudicatur: quia iuramentum ſervandi ſtatutum intelligitur, quando ſtatutum iuſtum eſt & obligatorium, & prout uſu & conſuetudine receptum eſt.

Neque vero obſtat, ſi dicas, eum qui iuravit dare latroni pecuniam ut ab eius extorſionibus liberaretur, teneri pecuniam promiſſam tradere ob iuramenti religionem, tametſi iniuſtum ſit quod a latrone petitur. Diſpar enim eſt ratio in utroque caſu. Nam hic iuravit dare latroni pecunias, quamvis indebitas & iniuſtas: at in noſtro caſu miniſter non iuravit niſi ſervare taxam legis, quatenus iuſta & obligatoria, uſuque & conſuetudine recepta eſt. Ad hoc tamen ut Confeſſarius dignoſcat veritatem inſufficientiæ ac iniuſtitiæ in huiuſcemodi taxis, prudenter attendere debet, quod hæc penſanda eſt non iuxta conditionem & indigentiam miniſtri pro alenda ſua familia; ſed iuxta opus & obſequium quod Reipublicæ præſtatur.

Quoad alios vero publicos miniſtros, nimirum quoad præſides, ſenatores, ſeu urbium locorumque gubernatores, qui pariter, cum ad talia deputantur officia, iurant ſe proſpecturos publico urbium locorumque bono: an vi iuramenti teneantur in publica peccata, in concubinatum v. g. & publicas ludi menſas, inquirere, aliaque ſimu-

ſimilia mala pro viribus removere; non conveniunt Theologi in hoc definiendo. Salmanticenſes cum Sanchez aliiſque ſentiunt, eos ad hoc non teneri ex vi iuramenti in officio aſſumendo præſtiti; ſed prout ſolummodo lex correctionis quemcumque alium proximum obligat: ac proinde contra iuramentum non delinquere in hoc negligentes. Quia ſicuti deſignantur rectores locorum in rebus politicis; ſic ex vi præſtiti iuramenti non tenentur proſpicere niſi in rebus politicis, pro temporali urbium locorumque bono, & hoc pro viribus curare: puta de proviſione populorum, de pretiis rerum venalium, de conſervandis defendendiſque civitatibus, perſonis, rebus, reditibus, de eis legitime expendendis, de annona providenda; curare ut oppida civitateſque in pace conſerventur, ut homines violenti, publicæ quietis perturbatores, latrones publici puniantur, ut viæ ab eorum incurſibus ſint liberæ; ſi alicubi ſit peſtis, civitatem cuſtodire; ac ſi ipſa civitas ſit peſte infecta, curare ut ægris medicina adhibeatur, & incolumitati urbis attendere, ne miniſtri publici civibus iniuriam irrogent, ſuiſque miniſteriis abutantur; hiſque ſimilia præſtare debent. Ad hoc enim obligantur ex vi legum & iuramenti, & ob id oculi & patres dicuntur Reipublicæ: nimirum ad proſpiciendum pro bono regimine eiuſque damnis cavendis.

Verum attendendæ ſunt in hoc leges regnorum ac Reipublicæ. Etenim ubi leges ſint regni vel Reipublicæ, ut in iis etiam quæ ſpectant ad decus Chriſtianæ religionis, debeant ipſarum rectores gubernatoreſque urbium proſpicere ac mederi: cum ii in aſſumendo officio harum quoque legum executionem iurent; hinc pro illis pariter quæ decori Chriſtianæ Reipublicæ adverſantur, proſpicere debent, ac proinde tenentur, quantum fieri poſſit, publica peccata amovere.

§. XX.

De iuramento ſervandi ſecretum eorum quæ in congregationibus tractantur: & qualiter obliget.

Iuramentum præſtitum a publicis miniſtris de ſecreto ſervando in iis quæ in conventibus ſeu congregationibus pertractantur, ut dignoſcatur qualiter obliget, mortaliter ne, an vero venialiter, qualitas materiæ eſt attendenda. Si igitur ea de quorum ſecreto a miniſtris vel membris conventus aut congregationis exigitur iuramentum, ſint magni momenti; ita ut ſi revelata ſint, notabiliter præiudicent bono communi, vel alicuius tertii: eorum manifeſtatio erit mortale. Si autem levis ſint momenti, aut leve detrimentum ex eorum manifeſtatione timeatur: erit peccatum tantum veniale. Iuramentum enim obligat ad inſtar præcepti ſervandi ſecretum; & ſolum addit novam circumſtantiam ſacrilegii, ſi non obſervetur. Unde cum præceptum non iubeat ſervare ſecretum niſi iuxta gravitatem materiæ; ſimiliter & iuramentum. Ita Sanchez, Navarrus, omneſque alii qui iam cum communiore ſentiunt, tranſgreſſionem iuramenti promiſſorii in materia levi eſſe ſolum venialem, ut antea iam diximus. Addunt iidem auctores; hoc verum eſſe quod diximus, etiamſi iuramentum non ſolum ſit generaliter factum ſervandi ſecretum; ſed etiam ſi aliquid ſpeciale ſe ſervaturum ſub iuramento promiſerit: quod ſi non ſit materia gravis; eius tranſgreſſio erit peccatum ſolum veniale.

§. XXI.

De iuramento præſtito a Medicis, monendi infirmos ut confiteantur: qualiter obliget.

Pro clariore huius difficultatis elucidatione advertendum eſt, Innocentium III. in *cap.* Cum infirmis *de pœnitent. & remiſſion.* Medicis ſtricte iubere ut vocati ad infirmum in lecto iacentem, eum ante omnia inducant ut ſacramento pœnitentiæ animam ſuam curet & muniat. Et hoc innovavit S. Pius V. in quodam Brevi motu proprio edito anno MDLVI. incipiente *Super gregem Domini*: additque præceptum Medicis ne ultra tertiam diem infirmum viſitent, niſi certiorentur de infirmi confeſſione per Confeſſarii reſcriptum, niſi aliud iudicet Confeſſarius expedire; & Univerſitatibus, Collegiis, ac quibuslibet Societatibus præcipit ut ſine iuramento hoc ſervandi illis doctoratus gradum non conferant. Et communiter ſentiunt doctores, hæc præcepta, ubi uſu recepta ſunt & non abrogata, obligare ſub mortali; cum ſub graviſſimis pœnis ſummi Pontifices hoc præcipiant: tametſi gravis inter eos controverſia verſetur, num hoc intelligendum ſit de omni infirmitate, aut de ſolis periculoſis. Et utraque pars ſuos habet patronos. Nam aliqui ſentiunt, quod ubi etiam leges illæ ſunt uſu receptæ, intelligi hoc debeat de ſolis morbis vitæ periculum indicantibus: quod periculum exponunt tunc contingere, quando æger ra-

tione eiuſdem periculi tenetur divino præcepto confeſſionis; quia ſic in praxi eſt apud omnes Medicos, & exigere ab eis aliquid maius, nimis durum eſſet & periculoſum. Ita Rodriguez & Navarrus. Alii vero (& hæc ſententia videtur verior) dicunt ex oppoſito, intelligendum eſſe de quocumque morbo; quia Pontifices loquuntur generaliter de morbis: ideſt non ſolum de periculoſis; ſed de infirmitatibus gravibus quæ obligant in lecto iacere, vel in quibus prudenter iudicatur eſſe morale periculum ut morbus fiat gravis. Quia Pontifices imponunt Medicis novum præceptum, ex quo diſtincta exſurgit obligatio ab ea quam tenent ex iure divino & naturali: quæ eſt infirmum per ſe aut per alium monendi ut confiteatur, quando ipſe infirmus ex tali divino iure & naturali confiteri tenetur.

Tale iuramentum præſtitum exequendi decretum S. Pii V. non obligat niſi in locis, ubi uſu & conſuetudine eſt receptum, nec contrario uſu abrogatum. In hiſce vero locis Medici obſervare tenentur circa infirmorum admonitionem id ad quod ex iure divino & naturali obligantur: non alias ſub iuramento; quia iuramentum non fuit de illo obſervando præcepto. Idcirco non erunt periuri, ſi tale præceptum naturale non ſervent. Sanchez.

Reſtat hic ſolum exponendum, qualiter iure naturali & divino teneantur Medici ad hanc admonitionem, quam ſecundum Silveſtrum, Navarrum, Sanchez, ſi prævideant in infirmo probabile mortis periculum, & probabiliter credant, aut ſaltem timeant eſſe in mortali, & neceſſarium eſſe ut de rebus ſuis temporalibus diſponat ad ſolvenda debita, tollendas lites, hiſque ſimilia adimplenda, tenentur ſub mortali per ſe vel per alium præſtare ut ſacramenta infirmus ſuſcipiat, & de ſuis rebus diſponat: quia lege caritatis ad hoc adſtringuntur; non ſecus ac quiſque tenetur eadem lege damno proximo imminenti, dum poteſt, occurrere. Quod ſi Medicus certus ſit moraliter, infirmum tali monitione non indigere, quia, & in ſpiritualibus videat illum diſpoſitum, & nil habeat quod in temporalibus componat: tametſi melius faciat admonendo, quia conſcii periculi mortis melius ſe præparant; tamen dicunt aliqui doctores, non peccare mortaliter, ſi prætermittat admonitionem. Nec tenentur Medici infirmum admonere, quando ita male eſt affectus, ut moraliter credatur per talem admonitionem in peius iturum; ſicuti præceptum fraternæ correctionis non obligat, quando nullatenus creditur profutura. Et cum ad talem monitionem ſolum ex caritate teneantur (nec teneantur ex officio triſtia infirmis nuntiare, ut eſt mortis periculum; ſed potius læta, ut eſt ſpes ſalutis) ſecundum Caietanum, ſi hanc prætermitterent monitionem, quando tenentur, non ſunt obligati reſarcire damna ex omiſſione monitionis ſecuta: quia ſolum ad reſtitutionem tenentur qui deficiunt in debito cui tenentur ex iuſtitia. Caietanus, Sanchez, aliique.

§. XXII.

De iuramento hyperbolico, amphibologico, doloſo, & æquivoco, ideſt cum æquivocatione & reſtrictione.

Hyperbole eſt figurata locutio, qua idea ſeu conceptus rei de qua eſt ſermo, ultra veritatis, immo & probabilitatis fines augetur vel minuitur: ut ſi dicas, aliquem v. g. velocius currere quam ventum, vel tardius teſtudine ambulare. Circa hyperbolem non ſatis compertum eſt apud doctores, num iurans per hyperbolem aliquid, quod ut ſonat, verum non eſt, ſit periurus, ac proinde letaliter peccet. Permulta enim habentur in divinis Scripturis expoſita per figuratas & hyperbolicas locutiones: nec huiuſmodi locutiones adhibitæ apud homines ac iuramento firmatæ improbantur a D. Auguſtino & D. Thoma, qui etiam 2. 2. *quæſt.* CXI. *art.* 1. plura in hanc rem divinæ Scripturæ dicta recenſet, quæ per figuratam locutionem exponit. Idcirco volunt aliqui, letaliter non peccare eos qui haſce locutiones iuramento confirmant. Et revera ex hoc capite res ita ſe habere videtur: quia iurans non intendit huiuſcemodi locutionibus uti, niſi in ſenſu figurato, ſicut fert earum natura. Proinde dici non poteſt, quod ipſe mentiatur, utpote qui rem quoad ſignificationem exterius explicat, ſicuti eam habet in mente: nec audiens decipitur, dum communiter locutiones huiuſmodi accipiuntur non ſecundum naturalem earum ſenſum, ſed ſecundum figuratam locutionem, nempe quatenus adhibentur ad exprimendam magnam rei amplificationem. Ad ſummum igitur cenſeri poteſt culpabilis qui talibus utitur locutionibus, ob abuſum iuramenti: quia illo in re adeo levi utitur; cum conceſſum ſit ut eſt ſtricti iuris, ſicut notat Angelicus, per modum medicinæ, ac proinde adhibendum nonniſi gravi exigente neceſſi- Hyperbole quid ſit.

Digitized by Google

ceſſitate. Quare talia iuramenta ſobrie & caute ſunt adhibenda.

Iuramentum amphibologicum ſeu æquivocum fit, quando iurans verbis utitur æquivocis & amphibologicis, ut proximum decipiat, accipiendo verba iuramenti in ſenſu quem ipſe vult, non in ſenſu quo ab auditoribus percipiuntur. Et pro faciliore difficultatum exponendarum modo, ſupponendum eſt, amphibologiam, ſi vocis originem attendamus, nihil aliud importare quam duorum ſermonis ſenſum, qui vulgo æquivocatio appellatur. Contingit autem dubietas huiuſmodi ex eo quod verba exterius prolata diverſa ſignificant, & audientem dubium relinquunt circa ſenſum in quo loquens ea profert, num videlicet in hoc, an in illo ſenſu poſita ſit ſententia. Et hoc quadrupliciter fieri poteſt. Primo, quando verba in communi uſitata acceptione habent duplicem ſenſum, & utrumque ex æquo ſignificant: ut ſi diceres *Hic liber eſt Petri*; ſine ulla verborum violentia vel translatione poteſt hoc ſignificare, vel Petrum eſſe auctorem libri, vel dominum. Secundo, quando verba referunt unum ſenſum magis communem, & alium minus communem: vel quando verba duo ſignificant, ſed non æqualiter; ut unum habeant ſignificare per ſe & veluti ad litteram, aliud autem non tam ad litteram, quam ad ſpiritum. In hac v. g. propoſitione: *Elias es tu?* ſecundum litteram intelligitur de Elia ſecundum perſonam; myſtice vero de Elia ſecundum ſpiritum. Et in hoc ſecundo ſenſu Chriſtus dixit, Ioannem eſſe Eliam. Tertio, contingit, quando verba ex ſe non habent diverſos ſenſus, ſed ad unum prorſus determinantur; & tamen ex modo loquentis & interrogantis, aut ex aliis adiunctis circumſtantiis (temporis v. g. vel perſonæ quæ loquitur) ad alium ſenſum detorquentur, & ſic oritur æquivocatio. Si v. g. pœnitens interrogatus a Confeſſario, an hoc peccatum fecerit? reſpondeat, *Non feci*, quod tamen fecerat, ſed in alia confeſſione accuſaverat; verum diceret. Nam Confeſſarii interrogatio refertur ad peccata non confeſſa. Hinc de iis verbis ait D. Auguſtinus lib. cont. mendac. cap. x. *Putantur mendacia, quoniam non ea quæ vere ſignificantur, dicta intelliguntur, ſed ea quæ falſa ſunt, dicta eſſe creduntur.* Quarto tandem contingit amphibologia, quando verba ex ſe determinata ad verum ſenſum, & ex circumſtantiis ad alium ſenſum non reſtricta, ex intentione loquentis trahuntur per ſolam reſtrictionem mentalem, ad unum ſenſum diverſum, quem audiens percipere non valet: ut ſi a Petro pecuniam mutuo quis petat, illeque reſpondeat, *ſe non habere pecuniam*, intelligendo intra mentem ſuam, *ad ei dandam*. Et hæc dicitur reſtrictio tacita ſeu mentalis.

Amphibologia quid, & quotuplex.

Reſtrictio igitur tacita ſeu mentalis eſt mentis conceptus, quo verba exterius prolata ad aliud, vel ad alium ſenſum quem per ſe non habent, ab ipſo loquente reſtringuntur, iuxta exemplum allatum de eo a quo mutua pecunia petitur.

Quid ſit reſtrictio mentalis.

Reſtrictio mentalis duplex eſt. Una ſtricte & pure mentalis; altera late & non pure mentalis. Prima ea eſt, quæ ita reſidet in ſola mente, ut nec verbis, nec ſignis, nec aliis circumſtantiis exterius manifeſtetur; ſecunda, quæ vel ex modo loquendi, vel ex circumſtantiis, vel ex conſuetudine cognoſci ab audiente ac percipi poteſt.

Duplex.

Iam in confeſſo eſt apud omnes, ſemper illicitum eſſe ſine iuſta & rationabili cauſſa uti reſtrictione etiam late & non pure mentali; & a fortiori multo magis cum iuramento: hoc enim nocet humanæ ſocietati, politicæ, ac civili, quæ ſervari non poſſet, ſi homo abſque iuſta cauſſa poſſet loqui ac iurare in diverſo ſenſu ac ab auditoribus intelligeretur. Non enim ita poſſent homines convivere, nec ſibi invicem credere; quod ad convictum humanum & ſocietatem eſt prorſus neceſſarium: ſiquidem neſcirent, quo ſenſu alter loqueretur, & omnia calliditatibus fallaciiſque eſſent expoſita. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* x. *art.* 3. *ad* 1. Nocet etiam fini ad quem verborum ſignificatio & ipſa locutio inſtituta fuit; cum homines accipere ſoleant verba ſecundum quod ſonant, quando non adſint aliqua quibus ea aliter accipiantur ſeu intelligantur, iuxta illud D. Gregorii lib. XXVI. Moral. cap. 7. *Apud homines cor ex verbis; apud Deum vero verba penſantur ex corde.* Iuſta autem & rationabilis cauſſa utendi aliqua ex dictis æquivocationibus, ſeu lata & non pure mentali reſtrictione (cum ſtricta & pura numquam, ut iam notavimus, uti licitum ſit) prima eſt, quoties id neceſſarium aut utile rationabiliter iudicatur, ad ſalutem & indemnitatem corporis, ad honorem aut res familiares ſervandas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut occultatio veritatis cenſeatur hic & nunc expediens ad aliquem finem honeſtum. Ita Sanchez, Valentia, Bonacina. Advertendum autem cum S. Vincentio Ferrerio, quod hæc cauſſa maior eſſe debet, quo verba maiorem præbent occa-

Quænam licita, & quando.

Digitized by Google

occaſionem errandi. Immo utens reſtrictione, antequam loquatur, ſcire debet propoſitionem ſuam in circumſtantiis occurrentibus habere verum ſenſum: alias convincitur velle ſignificare falſum, adeoque velle mentiri, & peierare, ſi adſit iuramentum. Altera cauſſa iuſta & rationabilis, prout iudicant citati doctores, cohoneſtans æquivocam locutionem in iuramento, ſeu iurare cum lata reſtrictione mentali, eſt importuna & iniuſta alterius interrogatio. Quocirca pro clariore intelligentia advertendum, quod dupliciter quis requiri poteſt. Et iuridice, iuſte ac rationabiliter, nempe ab eo qui ius habet requirendi, & ſaltem non irrationabiliter requirit: & tunc locum non habet ulla æquivocatio ſeu mentalis reſtrictio in iuramento; cum in hoc caſu iurans nullum ius habeat utendi reſtrictione. Et non iuridice, iniuſte ac irrationabiliter: & tunc ita requiſitus poteſt uti verbis amphibologicis cum reſtrictione late mentali, qua verba verum ſenſum generant ſecundum mentem iurantis, quamvis falſum ſecundum intelligentiam alterius; qui ſibi imputare debet, ſi decipiatur, cum ſine cauſſa ac irrationabiliter alterum ad iurandum impulerit.

Pure mentalis ſem. per illicita. Hiſce prænotatis, dico uſum reſtrictionis pure ac ſtricte mentalis ſemper illicitum eſſe, ſive in iudicio, ſive extra iudicium, ſive iuſte, ſive etiam iniuſte inducatur quis ad iurandum, ita ut illa utens cum iuramento ſemper ſit periurus. Sic communiter doctores. Et hoc conſtat ex Scriptura, ex Patribus, ex iudicio ſanctæ Sedis, & ex ratione. Ex Scriptura quidem: quia hæc excludit a regno cælorum eos qui ita iurant; ut Pſalm. XIV. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* ſubiungit regius Pſaltes: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo ... qui iurat proximo ſuo, & non decipit*: & *Pſalm.* XXIII. hæc habentur: *Quis aſcendet in montem Domini? .... Qui non iuravit in dolo proximo ſuo.* Cum autem iurans æquivoce cum reſtrictione pure mentali proximum decipiat, & iuret in dolo; ſequitur, quod ſit periurus: eo quia periurium eſt *decipere credentem*, ex *can.* I. XXII. *q.* II. Conſtat hoc etiam ex Patribus. Tertullianus enim *lib.* IV. *contr. Marcion. cap.* XXXVIII. ait: *Iuſta & digna præſcriptio eſt, in omni quæſtione ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſenſum reſponſionis. Ceterum aliud conſulenti, aliud reſpondere, dementia eſt.* Item S. Auguſtinus Epiſt. CXXV. alias CCXXIV. *Periuri ſunt*, inquit, *qui ſervatis verbis, expectationem eorum quibus iurandum eſt, deceperint.* Et ſimilia habet aliis in locis. Hanc autem expectationem decipiunt qui ita ambigue iurant, ut aliud ſentiant, aliud ab aliis intelligi velint. Conſtat præterea id ex iudicio ſanctæ Sedis, in proſcriptione theſis reprobatæ ab Innocentio XI. quæ ordine eſt 26. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine, iuret ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit; intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum: revera non mentitur, nec eſt periurus.* Conſtat tandem ex ratione. Nam quod eſt intrinſece malum, ut eſt mendacium, ſemper eſt illicitum. Unde cum reſtrictiones pure mentales vera ſint mendacia; hinc ſemper ſunt illicitæ. Verum mendacium (ex D. Auguſtino *lib. de mendac. cap.* III.) eſt, quando loquens aliud habet in mente, aliud in verbis: *Ille*, ait ſanctus Doctor, *mentitur qui aliud habet in mente, aliud in verbis.* Porro tales ſunt reſtrictiones pure mentales: quia utens eiſdem aliud habet in animo, aliud verbis enuntiat; immo non aliter utitur reſtrictionibus mentalibus, niſi ut audiens decipiatur, ſeu ut ex verbis aliud concipiat quam ipſemet concipit. Igitur tales reſtrictiones mentales ſunt verum & eſſentiale mendacium; & hiſce utens mendax eſt & periurus. Nam reſtrictio mentalis, etſi corrigat conceptum loquentis, non corrigit tamen externum ſermonem; ac proinde ſi non mentitur ſibi, mentitur audienti: idcirco reſtrictio mentalis efficere nequit ut qui loquitur, non ſit mendax reſpectu audientis. Mentitur audienti loquens cum reſtrictione mentali: quia v. g. non minus decipit audientem qui requiſitus de pecunia, reſpondet ſimpliciter ſe pecuniam non habere, dum eam habet, ac ille qui addit interius, *Ut tibi dem*; quia hic conceptus interior non variat ſignificationem verborum, quibus cum eam non dederit, ſic nec eam mutare poteſt. Igitur ſicuti verba enuntiant falſum ſine reſtrictione; ſic etiam cum illa.

Obiicies I. aliquos divinæ Scripturæ textus in favorem reſtrictionum mentalium. Solvuntur obiecta. Abraham *Geneſ. cap.* XII. Ægyptiis dixit de Sarai quæ erat eius uxor: *Soror mea eſt.* Certe prævidit Abraham, eius verba non alio ſenſu fore intelligenda ab Ægyptiis, quam quo ab ipſo proferebantur: nec ſolum hoc prævidebat; ſed etiam optabat & intendebat, ne ab Ægyptiis occideretur. Et tamen tam longe fuit ut Deus improbaret

hunc

hunc ſervi ſui modum agendi, ut potius econtra large ei benediceret: quod comprobatur ex eo, quia *flagellavit Pharaonem plagis maximis & domum eius, propter Sarai uxorem Abraham*. Unde etiam S. Auguſtinus *lib. XXII. cont. Fauſt.* negat Abraham mentitum fuiſſe. Item *Gen. cap.* XXVII. Iacob mentitus videtur, cum ſe Eſau ſimulavit, ut paternam aſſequeretur benedictionem. Interrogatus enim a Patre: *Quis es tu, fili mi?* reſpondit: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*. Hic autem nonniſi media æquivocatione & mentali reſtrictione poteſt excuſari. Item Chriſtus interrogatus a diſcipulis *Marc. cap.* XIII. de die iudicii, reſpondit: *De die autem illo vel hora nemo ſcit .... neque Filius, niſi Pater*. Item *Io. cap.* VII. dixit diſcipulis ſe non aſcenſurum ad diem feſtum: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc; ego autem non aſcendo .... Ut autem aſcenderunt fratres eius; tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſte, ſed quaſi in occulto*. Quæ omnia reſtrictionibus mentalibus favere videntur.

Reſp. ex facto Abrahæ & Iacob nihil firmi poſſe concludi. Non enim certum eſt, eos aliquo modo, ideſt ſaltem venialiter, non peccaſſe: quia licet aliqui Patres (ut S. Auguſtinus) contendant, nihil mali hos Patriarchas commiſiſſe; non deſunt tamen (ut Origenes, S. Ioannes Chryſoſtomus, S. Ambroſius) qui cenſent eos mentitos fuiſſe. Quidam vero reſpondent, ex rebus ita ſublimibus & prophetice geſtis nihil pariter concludi poſſe in favorem eorum quæ ſolent contingere in quotidiano uſu & commercio civili.

Quoad textus vero Evangelii tum Marci, tum Ioannis de Chriſto, reſpondeo illos minime favere amphibologiis & reſtrictionibus pure mentalibus. Nam quod dicit Marcus de Chriſto diem iudicii ignorante, intelligunt de Chriſto inſpecto ſecundum humanitatem ut præciſam a divinitate. Sed dicendum cum communi Patrum, dici ibi Chriſtum neſcire diem iudicii, quia non expediebat ut eam diſcipulis manifeſtaret. In hoc autem nulla interceſſit reſtrictio mentalis; cum Apoſtoli quibus iam compertum erat nihil eſſe quod Chriſtum lateret, ſtatim intelligere debuerint ſenſum verborum. Ad illud autem Ioannis reſpondent, Chriſtum intellexiſſe publice. Et hoc intelligere poterant diſcipuli: cum, ut iam patet, eorum interrogatio eſſet de aſcenſione publica.

Obicies II. Licet uti æquivocatione. Ergo & reſtrictione pure mentali.

Reſp. diſparitatem eſſe inter verba æquivoca & ambigua, quæ habent unum ſenſum verum; & verba utentis tali reſtrictione, quæ ſenſum nullum habent verum.

Obicies III. Sententia quæ reſtrictionem pure mentalem excludit ac improbat, exponit hominem innumeris incommodis. Nam Confeſſarius interrogatus de crimine audito in confeſſione mentiretur, ſi diceret nihil de tali re ſe audiviſſe. Ita femina nobilis mendacium diceret, quæ nolens illos recipere qui ipſam quærunt adire, famulis iubet ut dicant eam domo exiiſſe, intelligendo mane vel heri. Similiter innocens morte damnandus non poſſet negare ſe fuiſſe in tali loco, ubi erat cadaver tali noctis hora, ſubintelligendo ſe non fuiſſe ut occideret.

Reſp. Multo maioribus incommodis hominem liberat ſententia quæ vetat mendacia officioſa: idcirco talia mendacia non ſunt admittenda. Incommoda vero propoſita in obiecto, obviam habent ſolutionem. Confeſſarius igitur vel interrogatur a prudenti & Chriſtiano viro ſecundum ſenſum catholicum, ideſt ſalvo ſigillo confeſſionis: & tunc Confeſſarius negare poteſt ac debet, ſe quidquam audiviſſe de tali crimine. Neque id negando mendax eſt: quia ſicuti interrogatio, ita & reſponſio non referuntur ad ea quæ ſola ſacramentali confeſſione ſunt Confeſſario manifeſta. Vel interrogatur ab homine ita impio, ut audeat exquirere de iis etiam quæ Confeſſario fuerunt revelata in confeſſione: & tunc reſpondere poteſt, impium eſſe de huiuſmodi rebus interrogare, & reipſa ſe non poſſe de hiſce quidquam reſpondere; tametſi tale crimen de quo interrogatur, pœnitens confeſſus fuiſſet. Non poſſet tamen ſine mendacio & periurio, ſi iuramento adfirmaret ſe illud non audiviſſe: ſed (quod conſultius eſt) aſſerere poſſet ad exemplum Chriſti Domini de die iudicii, ſe quidquam neſcire; intra ſe ſubiungendo, ut revelet. Quæ ſane reſponſio ſpectaret ad reſtrictionem late mentalem, cuius internum ſenſum facile deprehendere poſſet interrogans.

Quoad illud vero de femina nobili reſpondeo, nunc receptum eſſe uſu communi & omnibus noto inter viros probos, ut hæc verba, *Dominus vel domina domi non adſunt*, tametſi adſint, hoc ſolum ſignificent, eos actu nunc videri non poſſe. Quod ſi forte hoc non eſſet uſu receptum; mendaces eſſent tum domini, tum famuli qui dominos adeſſe negant.

De

De homine verò innocente reſpondeo, debere potius mori quam mentiri. Unde cum negare non poſſet ſe in tali loco non adfuiſſe ſine mendacio; quia uteretur reſtrictione pure mentali, quam iudex ex nulla circumſtantia deprehendere poſſet: hinc eadem uti nequit ut non mentiatur, ne ad effugiendam quidem mortem, quam innocens alias ſubire debet. Et idem dic de aliis huiuſce generis.

§. XXIII.

De reſtrictionibus late ſeu non pure mentalibus.

Circumſtantiæ attendi debeat.

Circa reſtrictiones vero non pure mentales, ſecundum ſententiam doctorum etiam ſtrictiorum, non omnes ſunt illicitæ. Dico *non omnes*: quia in his attendi debent circumſtantiæ, in quibus huiuſcemodi reſtrictionibus iureiurando quis uritur; videlicet num offerat iuramentum, vel rogetur ut iuret, ſive a iudice ſecundum iuris ordinem procedente, vel ab alio iuridice & rationabiliter ad iuramentum compellatur. Quare qui ſponte offert iuramentum, vel rogatur a iudice ſecundum iuris ordinem procedente, ſive ab alio, peccat mortaliter, ut periurus, ſi alio ſenſu iurat quam verba iuxta communem ſenſum ſignificent; quia tenetur iurare ad eius mentem cui iurat, neque dolus debet ei patrocinari. Silvius. Quando vero quis non iuridice & irrationabiliter ad iuramentum compellitur, & iuſta cauſſa adſit; uti poteſt verbis ambiguis & reſtrictione non pure mentali, ſcilicet accipere verba alio ſenſu quam accipit is cui iuratur, dummodo ea verba ex uſu & modo loquendi plures habeant ſenſus: ſive interim utrumque ſenſum habeant æque primario; ſive unum primario, & alterum ſecundario; ſive unum in ſenſu litterali, & alium in ſpirituali. Attamen omnes illi ſenſus debent uſu eſſe recepti, & per circumſtantias vel per aliud ſignum exterius conſignificare illud quod in mente proferentis retinetur. Dantur enim quædam circumſtantiæ & ſigna externa, quæ ex ſe habent verba limitare & conſignificare cum illis: cum locutio non fiat ſolis verbis, ſed etiam compleatur circumſtantiis perſonæ, loci, temporis, ex negotiis de quibus agitur, ac ex ſignis externis; ut proinde locutio poſſit ſecundum ſe eſſe falſa, ſed quatenus cum externis circumſtantiis conſignificat, poſſit eſſe vera. Huiuſce generis fuerunt locutiones Chriſti Domini Io. cap. VII. *Ego autem non aſcendam ad diem feſtum hunc*. Et illæ *Marc. cap.* XIII. de ignorantia diei iudicii.

Quod ſit licita talis reſtrictio, eſt communis.

Et hæc ſententia quæ licitum ſtatuit uſum verborum æquivocorum & reſtrictionum late & non pure mentalium, in circumſtantia quod iuſta cauſſa concurrat hiſce utendi, nec iurans ſponte ſe obtulerit ad iurandum, nec iuridice & rationabiliter interrogetur, eſt communis, ut dicunt Salmanticenſes (prout etiam obſervavit P. Henno cap. II. de iuram. punct. VII. §. III. *Omnes doctores*, inquit, *illam docent, neque aliquem ex Catholicis reperimus illam negantem*) immo paulo poſt addunt, omnes doctores convenire in eo, quod Chriſtus in tribus relatis acceptionibus uti potuerit verbis amphibologicis. Hanc pariter propugnant Cabaſſutius, Silvius, aliique non obſcuræ notæ recentiores: immo ait P. Henno: *Crediderim omnium Theologorum cœtum, qui ſua ſcripta ediderunt, ita ſentire. Nam qui damnant ſimpliciter reſtrictionem mentalem, ſatis indicant ſe loqui de pure mentali, ut Iuvenin, dum damnat ſolam malitioſam & doloſam*.

Natalis Alexander eos reprobat qui aliud volunt quam verba ſignificent ſecundum ſe, & ſecundum loquendi morem, & perſonarum ac negotiorum circumſtantiis. Unde conſtat ab ipſo non improbari late & non pure mentalem reſtrictionem. Et ſane, quod tales reſtrictiones quæ in rei veritate non ſunt reſtrictiones niſi nomine tenus, licitæ ſint, comprobatur ex Chriſti exemplo, qui (ut patet ex textibus ſupra relatis *Marc. cap.* XXII. & Io. *cap.* VII.) iiſdem uſus eſt. Clara etiam eſt S. Auguſtini ſententia, qui excuſat a mendacio Iacob dicentem patri, ſe eſſe Eſau; Ioſeph aſſerentem fratribus, ſe pollere ſcientia augurandi; & Iudith loquentem cum Holoferne: de quibus plurima leguntur quæ, ſecluſo mendacio, explicari nequeunt ſine reſtrictione ſeu occultatione veri, quam ſanctus Doctor *lib. cont. mendac. cap.* X. a mendacio diſtinguit. Quamvis enim omnis qui mentitur, velit celare quod verum eſt; non tamen omnis qui vult celare quod verum eſt, mentitur. Et D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CX. *art.* 3. *ad* 4. hæc habet: *Non eſt licitum mendacium dicere . . . licet tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione*. Qui autem utitur reſtrictione late mentali, nihil aliud facit quam veritatem prudenter occultare: quandoquidem in circumſtantiis occurrentibus verum dicat; ſed ob iuſtam cauſſam obſcurius. *Et nemo*, ait Du-Hamel, *eiuſmodi ſilentium, aut ſi ma-*

malis, *reſtrictionem mentis merito reprehenderit*, *cum aliquis non tenetur nec debet ad mentem interrogantis reſpondere*: ac ſi reſponſa ſua ita libret ut nil falſi admiſceat, atque in eo culpa ſit qui non intelligit; tunc nec mendacii, nec periurii eſt accuſandus.

Ratio quoque idipſum comprobat. Nam primo iuramentum factum ex iuſta cauſſa cum reſtrictione late mentali, aut cum terminis æquivocis (dummodo ita reſponſum libret, ut nil falſi contineat) eſt verum: quia licet verba nude ſumpta non ſint conformia intentioni iurantis; attentis tamen circumſtantiis materiæ, loci, temporis, modi interrogandi, perſonæ interrogatæ aut interrogantis, exprimunt ſenſum illum quem loquens intendit, & hunc ſenſum deprehendere poteſt ac debet interrogans. Secundo, eſt iuſtum; cum ſupponatur de re iuſta & licita. Tertio, eſt etiam prudens; cum iurans in ſenſu concluſionis habeat iuſtiſſimam cauſſam obſcurius reſpondendi, ſeu non ita aperte ſuum conceptum aperiendi.

Item non eſt minus perniciosum ſocietati humanæ ſecretum revelare, quam dicere mendacium, ut per ſe iam conſtat. Nullum vero eſſet medium, ſecluſa hac concluſione, quo quis poſſet importune interrogantem ſua celare ſecreta. Nam alia media ad hoc aſſignabilia, ut ſunt tacere, vel reiicere ut ridiculam ſine reſponſo interrogationem, ex hominum conſtitutione efficiunt ut credat interrogans, rem ita eſſe, ſicuti iam quæſivit.

Tandem ſi hoc non liceret, & valere deberet oppoſita ſententia; daretur locus multis ac valde gravibus incommodis. Nam primo ex hoc ſequeretur quod uxor deberet vel manifeſtare maritum quæſitum ab hoſtibus ad mortem; vel ipſi moriendum eſset, caſu quo ipſi intentaretur mors, niſi manifeſtaret. Secundo, mulierem, alias fidelem & caſtam, ſed ſemel ex fragilitate lapſam, teneri manifeſtare crimen marito, illud diſtricto gladio iniuſte ac irrationabiliter extorquenti. Et ſic de aliis quamplurimis caſibus, in quibus etiamſi iuridice ac rationabiliter aliquis non interrogaretur, patefacere deberet talia, ex quibus ſibi vel proximo graviſſima ſequerentur incommoda.

Nec opus eſt diutius hic immorari in iis diluendis quæ obiici poſsunt contra hanc ſententiam, cum omnia intelligenda ſint de reſtrictione ſtricte mentali (ut patet ex propoſitione 27. damnata ab Innocentio XI. quæ iam intelligenda eſt de reſtrictione pure mentali) vel de iis de quibus iuſte, iuridice, & rationabiliter interrogantur, quando locum non habet reſtrictio ne late quidem mentalis.

§. XXIV.

De conditionibus, ut quis licite poſſit uti iurando reſtrictione late & non pure mentali.

Præter iuſtam, rationabilem, notabilemque cauſſam, ut evitatio mortis, perpetui carceris, publicæ flagellationis, iacturæ bonorum & famæ, ad hoc ut quis uti valeat reſtrictione late mentali; aliæ etiam requiruntur conditiones. Et primo, ut vere & realiter aliquæ adſint exteriores circumſtantiæ, ex quibus prudenter colligere poſſit interrogans, quod non nude mentem ſuam interrogatus aperiat. Unde patet, quod immerito doceat quidam recentior, admittens licitum eſse uſum reſtrictionum pure mentalium ex iuſta cauſsa, idem eſse ac ſentire cum iis qui ſtatuunt ex iuſta cauſsa licitum eſse uti reſtrictionibus late mentalibus: cum in his ſemper concurrant exteriores circumſtantiæ, quæ rationem mendacii ab iſtis removent; numquam vero in illis, alias non eſsent pure mentales. Requiritur ſecundo, ut cum cauſſa notabili adſit etiam neceſſitas illis urendi; & quidem talis, ut ſit unicum medium ad evitandum in ſe vel in alio grave damnum. Nam ſi aliud eſſet medium obvium quo interrogatus malum impedire poſset; non præſumeretur, nec debet præſumi, interrogantem vel audientem uti tali medio, nempe reſtrictione quam propter talem neceſſitatem natura ſuggeſſit. Hinc non poſset reus iniuſte & non iuridice interrogatus illa uti, ſi aliter effugere queat: nempe vel non reſpondendo, vel recurrendo ad iudicem ſuperiorem. Item ſi fatis eſse poſſit in tali neceſſitate æquivocario: potius ad hanc quam ad reſtrictionem eſt recurrendum. Tertio requiritur ut qui uti vult illis reſtrictionibus, ſciat, antequam loquatur, ſuam propoſitionem qua reſpondere ſtatuit, in circumſtantiis occurrentibus verum continere ſenſum: alias evinceretur velle falſum ſignificare, ac ideo velle mentiri, & peierare, ſi concurrat iuramentum: vel ſaltem ad hoc eſse diſpoſitum, quando ex oppoſito tenetur quantum in ſe eſt contendere ut audiens ſuæ locutionis verum ſenſum deprehendat.

Sa-

Digitized by Google

Satisfit quibuſdam quæſtiunculis quæ relationem habent ad præſentem materiam.

Nota I. utentem verbis æquivocis ſine cauſſa, ſi eorum ſenſus ſecundum quem loquitur ſit receptus & uſitatus, licet alter magis ſit obvius, non eſſe mendacem, nec periurum, ſi addat iuramentum: quia verba hic de facto exprimunt exterius quod loquens cogitat interius. Peccat tamen contra virtutem veracitatis, quæ non tantum vetat mendacium; ſed inſuper iubet ut dum loquimur, veritatem nude & ſimpliciter manifeſtemus, niſi aliter agere cogat iuſta neceſſitas ex parte reſpondentis. Hinc D. Ambroſius lib. III. Officior. cap. XII. *Unuſquiſque*, ait, *ſimplicem ſermonem proferat, nec ſuum fratrem circumſcriptione verborum illudat.* Dixi, *ſi ſenſus ſit receptus & uſitatus.* Et hoc intellige in loco ubi proferuntur. Nam licet eſſet uſitatus alibi, ideſt in alio regno & provincia, non eſſet tamen immunis a mendacio & periurio, qui iiſdem uteretur in loco ubi receptus non eſſet nec uſitatus huiuſcemodi verborum ſenſus. Dixi, *peccat tamen contra virtutem veracitatis*. Et id graviter vel leviter, ſecundum iniuriam & detrimentum quod inferret proximo per doloſam reſponſionem. Immo ſi iuramentum adhibeat, peccat mortaliter; cum Dei teſtimonium aſſumat tamquam inſtrumentum ad facilius decipiendum proximum. Hoc autem, ut antea iam dictum eſt, maxime eſt Deo iniurioſum: & quamvis non ſit periurium ſtricte, cum ſupponatur adeſſe veritas; eſt tamen periurium late ex defectu iuſtitiæ, de quo periurio loquitur S. Auguſtinus *Epiſt.* CCXXIV. ubi ait: *Periuri ſunt qui, ſervatis verbis* (ideſt ſelectis) *expectationem eorum quibus iuratum eſt, deceperunt.*

Nota II. Si iuramentum ab aliquo exigeretur de non adhibenda reſtrictione, ait P. Henno, quod ſi deberet denegare conſtanter iuramentum: quia nullus homo tenetur rationem reddere de internis; ſive in iudicio, ſive extra, ſive legitime, ſive illegitime interrogetur. Si tamen diſtricto gladio ad id cogeretur in caſibus in quibus ei liceret reſtrictio late mentalis; iurare poſſet etiam cum alia reſtrictione, propter eaſdem rationes propter quas ipſi iurare liceret cum prima.

Nota III. Deum quandoque uſum fuiſſe in Scriptura verbis ſenſus ambigui. Primo, ne forte intellecta a plebeiis apud eos vileſcerent: ſecundo, ut homines magis venerarentur Eccleſiæ Prælatos & Doctores, ad quos pro vero Scripturæ ſenſu cognoſcendo recurrere deberent: tertio, ne ab infidelibus, ſecundum carnem & ſanguinem ſapientibus, certa Chriſtianæ religionis myſteria irriderentur: quarto, ut in percurrendis ſacris Scripturis eſſemus magis frequentes.

§. XXV.

De petitione iuramenti ab eo qui prævidetur falſo iuraturus ſeu peieraturus.

Non conveniunt Theologi in ſtatuendo, num privati poſſint exigere iuramentum ab eo quem prævident falſo iuraturum. Nam alii volunt, quod quando iuſta adſit cauſſa, hoc fieri poſſit etiam per privatam perſonam. Verum, ut ſecurius in re tanti momenti, ſicut eſt ſalus ſpiritualis proximi, procedatur, ita diſtinguendum videtur: videlicet num ſolummodo dubitetur, quod ſit peieraturus; vel certo prævideatur peieraturus. Si primum: tunc, iuſta cauſſa interveniente, licebit ab ipſo iuramentum exigere, ſi ſpes aliqua (ut ait hic Du-Hamel) ſit ut is non peieret qui ad iuramentum adſtringitur. Si igitur magni tua interſit, aut ſi ex eius reſponſione facti alicuius circumſtantiæ ſint explorandæ, vel fraus detegenda, ac ius tuum obtinendum: non auſim dicere peccatum eſſe vel tuo, vel nomine alterius cuius es procurator, iusiurandum exigere; ſed, ut ait Auguſtinus, *humana tentatio eſt*. Qui tamen alterius cauſſam agit, officii ſui ratio plerumque id poſtulat ut iuramentum exigat, ne ipſe prævaricari videatur: & eo vel maxime licet in tali caſu iuramentum exigere, quia in dubio nemo præſumitur malus & peccaturus; & hoc poteſt eſſe utile ad recuperandum id quod tibi debetur, nec aliter potes illud recuperare. Si vero certo creditur eſſe peieraturus, communis eſt cum D. Thoma, quod privata perſona ne ex iuſta quidem & gravi cauſſa ab eo exigere poſſit iuramentum. Ait enim Angelicus: *Si autem* (loquendo de privata perſona) *ſcit eum feciſſe contrarium eius quod iurat, & cogit eum iurare; homicida eſt.* Et ſic habetur *cap.* Clericos *de cohabitat. clericor.* & *cap.* Ille qui XXII. *q.* V. Ita etiam ſentit D. Auguſtinus *ſerm.* II. *de decol. S. Io. Bapt.* nunc *ſerm.* XI *de Sanct.* & S. Bonaventura in *III. diſt.* XXXIX. *q.* III. Et ratio præcipua eſt, quia tenemur ex caritate impedire peccatum proximi, ſaltem cum facile poſſumus. Facile autem tunc poſſumus: quia tunc nulla aſſignari poteſt iuſta cauſſa & neceſſitas huius iuramenti exigendi. To-

Num liceat iuramentum petere a peieraturo.

ta

Digitized by Google

ta enim iuſta cauſſa & neceſſitas eſſet, ut aiunt adverſarii, maxime tuitio proprii iuris, recuperatio propriæ rei, firmatio veritatis, pacti, & huiuſmodi. Verum cum nil horum per tale iuramentum quod certo falſum futurum prævidetur, obtineri poſſit; immo contrarium potius reſultet: ideo tale iuramentum exigi non poteſt. Nam ſtatim ac alius cum falſitate iurat non competere tibi tale ius, tuam non eſſe talem rem, tibi non debere quod dicis, hiſque ſimilia: non tueris ius tuum, rem tuam non recuperas, ſed potius prorſus perdis; & quod peius eſt, ſine ulla utilitate perdis tuam & proximi animam.

Dicitur ſignanter nulla privata perſona. Nam perſona publica ut publica, puta iudex, licite poteſt, iuſta interveniente cauſſa & neceſſitate, exigere iuramentum ab eo quem certo ſcit peieraturum. Et eſt communis. Quia iudex iuramentum illud ex iuris ordine exigit; & ius publicum ac communis utilitas prævalet cuilibet iuri privatæ perſonæ. Et quamvis non prodeſſet iudex privatæ perſonæ læſæ per recuperationem rei prætenſæ ut vere & realiter ſuæ; prodeſſet tamen communitati, & Reipublicæ: quia ſi non poſſet iudex licite exigere iuramentum ab iis quos certo ſcit peieraturos, poſſent perverſi fingere ſe certo peieraturos, ut ſic a iudicis interrogatione eximerentur; quod cederet in maximum Reipublicæ detrimentum. Idcirco ex hoc quod poteſt etiam in tali caſu iuramentum exigere, fit ut aliorum exemplo alii deterreantur ne in damnationem propriæ animæ ad talia iuramenta inducantur, utque ſic ſe abſtineant a plurimis malis cum maximo Reipublicæ bono. Item quia iudex tenetur ſequi præſcriptum iuris, adhibendo ea media quibus ſolet elici veritas, quando aut lex aliqua in particulari decernit ut aliqua controverſia iuramento finiatur, aut ut una pars in defectu probationum iuramentum iuſte poſſit ab altera parte exigere: alias ſe ſuſpectum redderet, & daret iuſtam occaſionem ſcandali; quod magis eſt illi cavendum quam peccatum privati.

§. XXVI.

De petitione iuramenti execratorii, num licita ſit.

Non decet partibus deferre iuramentum execratorium, niſi in cauſſis graviſſimis: & quidem ſolum ſuper articulo plano, non implexo variis circumſtantiis inæqualis certitudinis. Et ratio eſt: quia circa materias non adeo gravis momenti facilius ſolent peierare homines; adeoque ſi forte committant periurium, exponuntur ſine ſufficienti neceſſitate graviſſimæ maledictioni divinæ. Certe S. Auguſtinus in *Pſalm.* VII. ad illa verba: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*, ait: *Iurare per execrationem, eſt graviſſimum iuriſiurandi genus*. Idcirco in cauſſis tantummodo graviſſimi momenti adhibendum eſt.

§. XXVII.

De interpretatione iuramenti dubii.

Ut in re hac elucidanda facilior via aperiatur, præmittendæ ſunt quatuor præcipuæ regulæ, quæ a Doctoribus traduntur. *Quatuor regulæ circa hoc.* Primo nempe, *in dubio obligationis, quod, ſervata proprietate verborum, & intentione obligantis, minus ſtringit, tenendum eſt*. Excipitur tamen iuramentum ſolemne, v. g. militare, vel religioſum: quia ibi principalis obligans ille eſt qui defert & acceptat iuramentum; in cuius proinde favorem exponendum eſt iuramentum. Unde ſi filius patri longum aggredienti iter ad eius poſtulationem iuret ſe non luſurum, donec domum revertatur: ſi forte moriatur pater in itinere, liberatur filius a iuramento. Secundo, *iuramentum ſequitur naturam actus cui adiicitur*. Hinc ſi promiſſio vel contractus includat tacitas conditiones; conditiones eaſdem aſſumit iuramentum. Unde ſi quis Ioanni enſem ſpopondit, & viciſſim ei Ioannes pecuniam: ſi Ioannes non ſervet ſuam promiſſionem, non tenetur alter ſuam ſervare, dando Ioanni enſem. Itidem qui ſuo iuramento alicui puellæ diviti ac ſanæ nuptias promiſit, non tenetur iuramento, ſi puella poſtea incidat in paupertatem, vel gravem incurrat ſalutis defectum. Sic iurans ſe non amplius allaturum iniuriam inimico, non violat iuramentum, ſi ex nova occaſione vel cauſſa ſuperveniente iterum ei iniuriam inferat. Similiter iurans ſe ſtatuta ſervaturum communitatis alicuius, non eſt periurus, ſi quædam minima non ſervet: quia non cenſetur ſe obligaſſe ſub culpa ad leges quaſvis pœnales. In his enim omnibus aliiſque ſimilibus contractibus & obligationibus inſunt tacitæ conditiones, ex contrahentium ſeu ſpondentium intentione per ius vel conſuetudinem explicatæ. Tertio, *iuramenti obligatio perſeverat, perſeverante eodem obiecto in eodem ſtatu; non autem perſeverat, obiecto notabiliter recedente ab intentione*

tione iurantis. Ita colligitur ex *cap.* Brevi *de iureiur.* & ex *cap.* Petitio *eod. tit.* Idcirco iurans ſe reſidere velle in Eccleſia, ab eadem pro utilitate ac neceſſitate Eccleſiæ licite ſe abſentat: ut ex *cap.* Ex parte *de clerie. non reſident.* Item iurans bona Eccleſiæ ſe non alienaturum ſine Pontificis vel ſuperioris auctoritate, ea alienare poſſet, ſi nequiret Pontificem aut ſuperiorem adire. Similiter iurans ſe non petiturum beneficium quod reſignavit, poteſt illud acceptare, ſi iterum ipſi conferatur. Quarto, *iuramentum factum in præiudicium tertii ſemper reſtringendum eſt*. Quocirca qui iuravit ſe ſervaturum ſecretum aliquod, illud ſervare non tenetur, quando ſit alteri nocivum: ut ex *cap.* Hac videtur XXII. *q.* V.

Quid agendum in dubio. Iuramentum in dubio, nimirum num ſit emiſſum, vel an licite emiſſum, necne, ſi dubitatur dubio ſtricte dicto, ita ut in neutram partem inclinet potius iudicium, an emiſſum fuerit iuramentum; vel non ſtricte: tunc eſt interpretandum, nullam extare obligationem illud ſervandi. Et ita eſt interpretandum, tum propter gravem quam in ſe continet obligationem; tum propter periculum periurii; tum etiam quia præſumitur non dari factum extraordinarium, niſi reddatur veroſimilius aut credibilius. Et ſecundum iura illud quod palam verbis expreſſum non eſt, cenſetur omiſſum: l. *Quidquid adſtringenda* de verbor. ſignif. *Quidquid adſtringenda obligationis cauſſa dictum eſt, id niſi palam verbis exprimatur, omiſſum eſſe intelligendum eſt, aut certe ſecundum promiſſorem interpretandum eſt.* Ubi enim agitur de inducenda obligatione, utpote quid odioſum, debet fieri ſtricta interpretatio: cap. *Odia* XV. de regul. iur. in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.*

Si vero conſtet de emiſſo oretenus iuramento; ſed dubitetur de interna intentione iurandi: tunc datur obligatio ſervandi iuramentum. Sic communiter doctores. Quia præſumitur, ineſſe vel coniungi actui ea quæ regulariter inſunt & coniunguntur. Intentio porro interna regulariter coniungitur & conformatur actui externo, dummodo forma iurandi talis non fuiſſet, cum qua coniungi non ſoleret intentio.

Quod ſi dubium ſit, num iuramentum emiſſum licitum ſit: tunc iurans conſulere debet Confeſſarium, vel alium doctum virum: quia cum agatur cauſſa particularis ſe inter & Deum qui iuramentum acceptavit; non poteſt eſſe iudex in cauſſa propria, ſtante dubio ſtricte tali, niſi pro ſe probabiliorem rationem teneat.

§. XXVIII.

De interpretatione iuramenti generaliter præſtiti bona fide ſine dolo.

Iuramentum generaliter præſtitum bona fide ſine dolo, interpretandum eſt ſecundum intentionem iurantis: nec extendi debet ad incogitata, ſive ad ea de quibus iurans in ſpecie non cogitavit; immo ſi hæc advertiſſet, veroſimiliter non promiſiſſet, ſed excepiſſet, ut ex *cap.* Veniens XVI. *de iureiur.* ubi definivit Innocentius III. *Non ſervandum eſſe quoddam iuramentum: quia iurans nequaquam taliter iuraſſet, ſi mandatum illud ſibi contrarium præſciviſſet.* Et ita docet Gloſſa *ibid.* v. *Præſciviſſet*. Et D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 2. *ad* 3. ubi docet, quod ſi quis v. g. iuraſſet ſe alteri in omnibus obtemperaturum, tale iuramentum ita eſſet interpretandum; dummodo licita, importabilia, ac ſtatui ſuo contraria ei non præcipiat. Ita in *cap.* Contingit I. §. *fin. de iureiur. in 6.* Quia in generali promiſſione non veniunt ea quæ quis veroſimiliter non promiſit: ut in *cap.* In generali LXXXI. *de regul. iur. in 6.* ubi hæc habentur: *In generali conceſſione non veniunt ea quæ quis veroſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus.* Interpretandum iuxta intentionem iurantis.

Quod ſi iurans doloſe præſtitit iuramentum ſub verbis æquivocis ad decipiendum eum cui iuravit; iuramentum eſt interpretandum & obligat, iuxta intentionem recipientis, ideſt ſecundum intellectum illius cui iuratur: ut ex *cap.* Quacumque IX. XXII. *q.* V. Et ita cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXIX. *art.* 7. *ad* 4. tenent doctores: quia *fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

Iuramentum præſtitum circa materiam iuris (ideſt circa illa de quibus ius ipſum aliquid diſponit) interpretandum eſt ſecundum iuris diſpoſitionem, nec ultra eſt extendendum: ut ex *cap.* Ad noſtram XXI. *de iureiur.* Et ratio eſt: quia in quolibet iuramento promiſſorio tacite ſubintelligitur atque ipſo iure ineſt illa conditio, Salvo iure & auctoritate ſuperioris, ſcilicet ſupremi legiſlatoris; ut in *cap.* Veniens XIX. *de iureiur.* Quid ſi verſetur in materia iuris.

Hinc in omni iuramento promiſſorio, tametſi abſolute facto, quædam ſubintelliguntur tacitæ conditiones: ut docet Gloſſa in *cap.* Quemadmodum XXI. *de iureiur.* v. *Conditio*. Abbas *ibid.* aliique. Et harum prima con-

conditio, quæ in iuramento promiſſorio tacite ac ipſo iure ſubintelligitur, eſt *Si potero*: quia ex *cap.* Nemo vi. *de regul. iur. in* 6. nemo poteſt ad impoſſibile obligari. Et hoc extenditur non ſolum ad impoſſibile phyſice, ideſt quod naturaliter fieri nequit; ſed etiam ad impoſſibile moraliter, ideſt quod licite fieri nequit: cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis. Secunda eſt, *Salvo iure & auctoritate ſuperioris*: ut ex *cap.* Veniens xix. *de iureiur.* ubi hæc habentur: *Cum prædictum iuramentum vos excuſare non poſſit, in quo debet intelligi ius ſuperioris exceptum.* Tertia eſt, *Niſi is in cuius favorem iuratum eſt, ſponte remiſerit*: quia quilibet poteſt rem iuramento ſibi debitam alteri remittere & condonare; cum quilibet ſuo iuri renuntiare poſſit. *Cap.* Si diligenti xii. *de for. compet.* & alibi in iure canonico. Quarta eſt, *Si res in eodem ſtatu permanſerint*, ideſt non fuerint notabiliter mutatæ, iuxta tertiam regulam ſupra expoſitam: quia non eſt veroſimile, iurantem habuiſſe intentionem ſe obligandi ad rem adeo difficilem, vel etiam indecentem; qualis contingere ſolet, ubi notabiliter rei mutatio ſuperveniat. Idcirco eius iuramentum eſt interpretandum, quod ad caſum adeo repentinum & incogitatum ſe non extendat: ut ex *cap.* Veniens *cit.* & alibi. Quinta conditio maxime in pacto vel contractu etiam iurato ſubintellecta eſt, *Si & altera pars fidem ſervaverit*, ideſt pacto ſeu promiſſis ſteterit, iuxta regulam ſecundam ſupra traditam: quia ex *cap.* Fruſtra lxxv. *de regul. iur. in* 6. dicitur: *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat.*

§. XXIX.

De ceſſatione obligationis iuramenti.

Cum iuramentum fieri poſſit ſoli Deo, ſoli homini, & utrique ſimul; operæ pretium eſt ut de ceſſatione illius obligationis ſub hoc triplici reſpectu agatur. Verum quia obligatio iuramenti facti Deo in materia libera relaxari nequit per diſpenſationem ab eccleſiaſtica poteſtate; hinc ſermo de hoc infra redibit, ubi agemus de diſpenſatione: ac proinde duo tantum poſteriora iuramenti genera nunc ſigillatim examinabimus.

Obligatio iuramenti facti ſoli homini poteſt multipliciter ceſſare. I. Per materiæ notabilem mutationem: II. per iuramenti irritationem a ſuperiore: III. per condonationem & relaxationem, ſeu remiſſionem illius in cuius favorem factum fuit iuramentum.

Ceſſat per notabilem mutationem materiæ. Primo videlicet, ſi res iurata facta ſit phyſice vel moraliter impoſſibilis: quia non cenſetur iurans ſe ad impoſſibile ſive moraliter, ſive phyſice ſe obligare. Idcirco intelligitur in iuramento tacita conditio, *Si res ſit poſſibilis*. Secundo, ſi res ſit notabiliter mutata. Non enim ſufficit quælibet mutatio: alias vix aliquid obligaret in mundo; cum promiſſiones, immo præcepta ipſa ſecundum aliquam circumſtantiam ſint mutationi expoſita. Res autem notabiliter mutata non cenſetur eadem moraliter, ſed diverſa; & qui unam iuravit, non iuravit diverſam. Mutatio vero notabiliter adeſſe cenſetur, quando vel ex communi omnium ſenſu, vel ex conſuetudine, vel ex aliqua regula iuris res reputatur alia ab ea quæ iurata eſt, vel etiam ſi ponatur in ea conſtitutione in qua leges divinæ non obligant. Unde ſi quis iuravit executionem alicuius operis quod implere nequit ſine periculo honoris, vitæ, aut notabilis bonorum iacturæ, ad nihil tenetur. In dubio autem, an materia iurata ſit notabiliter mutata, necne; tutior pars eſt eligenda. Non ſufficit autem illa mutatio, quam ſi iurans prævidiſſet, non iuraſſet. Nam promiſſio facta illi quem poſtea deprehendis eſſe prodigum, impium, tibi adverſum, ſecundum omnes obligat, quamvis ſi id ab initio ſciviſſes, non promiſiſſes: quia obligatio iuramenti ſumi debet ex promiſſione quæ facta eſt, non ex ea quæ facta fuiſſet. Tertio, ceſſat ex parte materiæ, ſi res iurata fiat illicita ob ſuperioris prohibitionem. Nam (ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 2. *ad* 3.) cum aliquis iurat, vel promittit ſe facturum voluntatem alterius, intelligenda eſt debita conditio, *Si videlicet id quod ei mandatur, licitum ſit & honeſtum*. Non poteſt autem eſſe licitum id quod adverſatur ſuperioris mandato. Quarto, ceſſat ex parte materiæ, ſi finis motivus rei iuratæ ceſset totaliter & pro ſemper, vel res prorſus reddatur inutilis ad intentum finem, vel noxia ei cui promiſſa eſt: quia res iurata non obligat niſi ut intenta a iurante. Quocirca, ceſſante motivo adæquato propter quod iurata eſt, non eſt amplius materia intenta a iurante; cum non amplius ſubſiſtat finis propter quem ſolummodo ab eo intenta fuit.

Tollitur materiæ mutatione.

Dixi I. *ſi finis ceſſet totaliter*: nam ſi res iurata ſit diviſibilis, ut finis ceſset ſecundum unam partem tantum; tenetur iurans ſe-

ſecundum aliam. Unde ſi iuraſti alicui te aggreſſurum v. g. aliquod iter propter duos fines, licet unus ceſſet, adhuc teneris propter alium: niſi tamen aliter in iurando intenderis. Dixi II. *pro ſemper*: quia ſi ſolum ceſſet ad tempus, non tollitur, ſed ſuſpenditur obligatio;& reviviſcit, ſi finis reviviſcat. Dixi III. *ſi finis ſit motivus, non impulſivus*: nam licet hic impellat ad iurandum; materia tamen iurata non intenditur propter illum, ſed propter finem motivum. Idcirco, hoc perſeverante, perdurat iuramenti obligatio, tametſi evaneſcat finis impulſivus. Dixi tandem IV. *ſi reddatur inutilis ad finem intentum, vel noxia ei cui promiſſa fuit*. Et quoad primum: quia ſemper in iuramento intenditur conditio, *Niſi res iurata inutilis ſit*. Quoad ſecundum vero: quia res promiſſa ſemper intelligitur favorabilis perſonæ cui promittitur. Iuramentum enim non eſt vinculum rerum vanarum & otioſarum; nec Deus vult illas fieri ob nominis ſui reverentiam.

§. XXX.

De ceſſatione eiuſdem obligationis per irritationem iuramenti factam a ſuperiore.

Tollitur irritatione.

Quicumque pollet ſuperiore dominio, irritare poteſt quæcumque ſuorum ſubditorum iuramenta, homini facta & Deo, in materia ſecundum quam ſibi ſubiiciuntur: ut doctores tenent communiter cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 9. *ad* 3. ubi ſic ait: *Ad unumquemque pertinet irritare iuramentum quod a ſibi ſubditis ſit factum, circa ea quæ eius poteſtati ſubduntur*. Quia omnes contractus, promiſſiones, donationes, & quaslibet alienationes a ſubditis factas in materia ſibi ſubiecta, poſſunt ſuperiores pro libito reſcindere, & etiam ſine cauſa; quia fieri cenſentur cum hac conditione, *Niſi contradicat ſuperior*: & illis ſic reſciſſis, poſſunt & iuramenti obligationem relaxare; quod ſimiliter fuit tacite conditionatum.

Quinam poſſint irritare.

Quare ſummus Pontifex tollere poteſt obligationem iuramenti in omnibus ſpectantibus ad rerum eccleſiaſticarum diſpoſitionem, puta officiorum, beneficiorum, diſtributionum, commutationum, reſignationum, rerum Eccleſiæ alienationum, Canonicorum, aliorumque ſimilium: quia in illis poteſtatem habet, ob quam ſemper intelligitur conditio hæc, *Niſi Papa aliter decernat*.

Item parentes irritare poſſunt huiuſmodi iuramenta filiorum qui adhuc eorum ſubiiciuntur poteſtati, tutores pupillorum, mariti uxorum, domini ſervorum, ſuperiores Religioſorum. Curatores vero licet poſſint irritare vota puberum ſibi ſubditorum; non tamen eorum iuramenta contractum firmantia.

Dixi, *ſi ſint de materia ſibi ſubiecta*. Quocirca non poteſt maritus contractum iuratum uxoris irritare, ſi ſit ex bonis paraphernalibus; ſicut nec pater filii, ſi ſit ex bonis caſtrenſibus: cum ii liberam habeant huiuſcemodi bonorum diſpoſitionem.

Quæri hic ſolet, an ſuperior irritare poſſit iuramenta ab ipſo primitus approbata? Et reſpondent doctores, quod hoc facere valeat, ſi nova cauſa exſurgat; ſecus vero irritare nequeat quod ſemel approbavit. Et quoad primum, iam patet: quia, ſuperveniente nova cauſa, mutatur materia iuramenti, ita ut fieri incipiat præiudicioſa ſuperiori, ac proinde iuſte & licite illud irritare poſſit. Quoad ſecundum vero, res ipſa conſtat ex auctoritate divinæ Scripturæ *Numer. cap.* xxx. ubi ſic habetur: *Mulier ſi ſe conſtrinxerit iuramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari; ſi cognoverit pater iuramentum quo obligavit animam ſuam, & tacuerit.... quidquid iuravit, opere complebit*.

Lex quoque civilis poteſt irritare indirecte iuramenta appoſita contractibus, irritando contractus, quovis modo initos; non autem directe. Nam, corruente principali, corruit etiam iuramentum quod eſt acceſſorium: quando tamen ipſum principale opponatur bono publico.

§. XXXI.

De ceſſatione iuramenti facti ſoli homini per illius remiſſionem.

Iuramenta facta in favorem ſolius hominis irritari ſeu relaxari poſſunt per condonationem ſeu remiſſionem illius in cuius favorem præſtita fuerunt, ob materiæ ſubtractionem. Nam hoc ipſo quod promiſſarius renuntiat promiſſioni, materiam tollit iuramenti; quod proinde non amplius obligat: & cum iurans non intendat compellere invitum ad beneficium acceptandum, iurare cenſetur conditionate, idest ſi ille in cuius favorem iuratum eſt, velit ſibi præſtari beneficium. Remiſſio etiam tacita ſufficit; dummodo non fuerit iniuſte extorta, & conſtet de intentione ſeu conſenſu remittentis. Quod ſi duo aliquid ſibi viciſſim iuramento promiſerint, ex mutua utriuſque condonatio-

Factum homini ceſſat per relaxationem.

Digitized by Google

tione ſeu remiſſione ceſſat iuramenti obligatio; cum videatur ratio eadem prorſus in utroque militare. Non habet tamen locum remiſſio, ſi id quod iuratum eſt, cedat in damnum tertii: ut ſi duo mercatores mutuo iuraverint ſe tantum lucri in eleemoſynam daturos, non poſſunt eam obligationem ſibi remittere.

Nota, ne Papam quidem poſſe diſpenſare in iuramento in favorem hominis præſtito, niſi bonum commune id exigat, aut interceſſerit gravis culpa ex parte illius in cuius favorem iuratum eſt. Ita P. Henno *Concl.* III.

§. XXXII.

De ceſſatione obligationis iuramenti facti in honorem Dei, & ſimul in utilitatem hominis, per remiſſionem.

Nota. Promiſſio iurata alicui in honorem Dei & hominis utilitatem, & poteſt eſſe principaliter in honorem Dei, & ſecundario in hominis utilitatem; & primario in hominis utilitatem, & ſecundario ſeu occaſionaliter in Dei honorem.

In utilitatem hominis principaliter, per eſt remiſſio: ſecus ſi ſit principaliter in honorem Dei.

Si promiſſio iurata ſit principaliter in utilitatem hominis; tunc poteſt promiſſarius remittere iuramenti obligationem: quia tunc iurans cenſetur velle tantum honorare Deum per actum gratificativum & proficuum tali perſonæ, v. g. Petro pauperi. Unde ſi Petrus nollet gratificationem & beneficium accipere; eximitur iurans ab omni onere. Si vero ex oppoſito promiſſio iurata ſit principaliter in honorem Dei, & ſecundario in hominis utilitatem; tunc iuramenti obligatio tolli nequit per remiſſionem ab homine cui iurata res eſt: quia licet homo remittere poſſit ſeu condonare ius ſuum; nequit tamen remittere ius Dei, cum ad hoc nullam receperit poteſtatem. In tali autem caſu, iuſta interveniente & gravi cauſa, ſolummodo poteſt ſuperior vi poteſtatis ſibi divinitus traditæ ius Dei per diſpenſationem relaxare: quod tamen efficere nequit ſuperior, ſi obligatio cedat principaliter in utilitatem proximi, niſi bonum commune id exigat, vel interceſſerit gravis culpa ex parte illius cui iuratam eſt; quia promiſſarius vi iuramenti acquirit ius ad rem promiſſam, quo ſine cauſa iuſta invitus ſpoliari nequit.

Dixi, *niſi bonum commune id exigat*: quia ubi ſervari nequit iuramentum ſine gravi boni publici detrimento, poteſt ſuperior illud relaxare. Bonum enim publicum debet prævalere bono privati; cum quilibet privatus non tantum promiſſa, ſed etiam acquiſita pro communi bono exponere teneatur. Unde iuramentum quo quis promittit ſe daturum alteri certam pecuniæ ſummam, ſi non accuſet & denuntiet Caium, relaxari poteſt & debet a ſuperiore, ſi bono publico inter ſit ut Caius denuntietur: & ſic in aliis huiuſcemodi eventibus.

Dixi pariter, *aut interceſſerit gravis culpa ex parte promiſſarii*: ideſt quia iuramentum extortum ſit per vim, metum, aut dolum. Item iuramentum præſtitum uſurario de uſuris ſibi ſolvendis, ſive quodlibet aliud crimen commiſerit promiſſarius. Unde tali iure ſibi acquiſito meretur exſpoliari: nam ſi privari poteſt ob hanc rationem bonis poſſeſſis, æque etiam poſſidendis.

Nota, quod ſi promiſſio iurata ſit principaliter in honorem Dei, ſed cum limitatione ſeu determinatione ad talem perſonam vel locum; iuramentum ceſſat obligare, ſi promiſſionis executio his non placuerit: ut ſi iurans promittat ſe daturum in Dei honorem altare marmoreum tali Eccleſiæ, aut decem aureos alicui pauperi, ita ut intentio dandi ad tales circumſcribatur; liberatur iurans a tali onere, ſi pauper vel talis Eccleſiæ patroni accipere renuant talem gratificationem. Aliter tamen dicendum, ſi denominatio perſonæ aut loci tantum occaſionaliter ſe haberet: ut ſi quis cogitans dare certam eleemoſynam pauperi indeterminate, iuret ſe daturum illam Ioanni, quia ipſi occurrit, vel quia audit eum extreme indigere. Nam tunc, Ioanne remittente, tenetur alteri eam dare: quia eius intentio limitata non fuit principaliter ad Ioannem, ſed ſecundario tantum & occaſionaliter.

Hinc qui iam iuravit ingredi Religionem indeterminatam, vel largiturum pauperi indeterminato eleemoſynam, cum promiſſio facta non ſit alicui particulari, talis obligatio ei remitti non poteſt ab una particulari Religione, ipſum ad eamdem non admittendo, nec ab uno paupere, eleemoſynam renuendo: ſed (niſi a legitimo ſuperiore ſuper tali iuramento diſpenſetur) tenetur tot pauperibus offerre, donec unus illam acceptet, ſicut & ſe tot Monaſteriis præſentare, donec in uno aliquo admittatur.

Si vero duo viciſſim iuraverint recitationem roſarii, aut alicuius dati numeri pſalmorum, & intentio iurantium fuerit mutuus profectus procedens ex illis precibus; poſſunt ſibi mutuo obligationem remittere: quia

quia iurantes ſunt promiſſarii, qui ſibi mutuo remittere poſſunt. Si autem per talem mutuam promiſſionem intenderint ſeſe viciſſim excitare ad Deum colendum; nequeunt ſibi mutuo hanc obligationem condonare: quia in tali caſu non tam illi ſunt promiſſarii, quam Deus.

§. XXXIII.

De ceſſatione obligationis iuramenti facti ſoli Deo per diſpenſationem.

Hactenus egimus de ceſſatione obligationis iuramenti facti vel ſoli homini, vel homini ſimul & Deo. Licet autem, ſicut vidimus, poſſit homo ſolvere iurantem ab obligatione cuiuſvis iuramenti facti a perſona ſibi ſubdita, prout illi ſubiicitur, per irritationem; aut iuramenti ſibi facti, immo ſibi & Deo ſimul, ſi ſibi ſeu in ſui favorem principaliter, per remiſſionem ſeu condonationem: obligatio tamen iuramenti facti ſoli Deo, vel etiam homini ſimul, ſed Deo principaliter a perſona libera in libera materia, non poteſt tolli ab homine, niſi divina ad hoc poteſtas ſit ei deſuper conceſſa; ſicut revera factum fuit cum Eccleſia, dum Chriſtus Dominus D. Petro, aliis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ſpiritualem iurisdictionem tribuit, eiſdem largiendo poteſtatem ligandi atque ſolvendi Matth. cap. XVI. *Quodcumque, ſolveris*, dixit Petro, *ſuper terram, ſolutum erit & in cælis*: & cap. XVIII. *Quæcumque ſolveritis*, inquit Apoſtolis, *ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Nec alias tollitur ab Eccleſia obligatio contracta apud Deum in iuramento, in quo iurans vocavit ipſum Deum in teſtem; ſicut fit inter homines per Irritationem factam a ſuperiore reſpectu perſonæ & rei ſibi ſubditæ, nullum efficiendo iuramentum etiam ſine cauſſa, vel per remiſſionem ſeu condonationem a promiſſario, ideſt ab illo cui iuramento aliquid promiſſum fuit: ſed per diſpenſationem proprie loquendo potius quam iuramentum tollitur obligatio iuramenti, poſtquam hoc vim habuit obligandi reſpectu alicuius perſonæ, condonando ei qui iuravit, quaſi ex perſona Dei illa quæ iuramento pollicitus eſt. Et hoc fieri poteſt ab eccleſiaſtica poteſtate, iuſta cauſſa interveniente. Eatenus enim Prælatus diſpenſat, quatenus declarat rem quæ promiſſa fuit, non eſſe ſaltem nunc, etſi fuerit antea, materiam iuramento ſubiectam. Nam fieri poteſt ut id quod ſecundum ſe & in terminis generalibus erat licitum ac utile, propter aliquem particularem eventum fiat illicitum & nocivum: quod autem tale eſt, repugnat his quæ ſunt attendenda in iuramento. Quocirca omnis diſpenſatio ſimul habet naturam declarationis, & iurisdictionis. Nam quoad primum, declarat Prælatus, obligationem iuramenti eſſe dubiam, aut eius materiam non eſſe de maiore bono, ſed æquali vel minore quam eius oppoſitum. Quoad ſecundum vero, authentice determinat in æquali dubio, vel in æquali bonitate duorum oppoſitorum eligendam eſſe hanc potius quam illam partem oppoſiti, niſi ſit in præiudicium tertii anticipatum ac prævium ad iuramentum. Huic enim iuri anticipato non poteſt præiudicare diſpenſans. Unde ſupervacanea eſt quæſtio aliquorum auctorum, an in talibus iuramentis damnoſis tertio diſpenſatio petenda ſit a ſuperiore iurantis, vel eius in cuius favorem iuratum eſt.

Cauſſæ diſpenſandi. Nota I. varias eſſe iuſtas cauſſas diſpenſandi in iuramentis: quæ tamen cum proportionandæ ſint iuramento pro quo petitur diſpenſatio; hinc quo gravius præcipue ratione materiæ eſt iuramentum, eo graviorem pro ſui diſpenſatione cauſſam poſtulat. Credibile enim non eſt, Deum non remittere iuramenti obligationem, niſi ob gravem cauſſam, ac proinde debitæ materiæ proportionatam. Unde ad evitandum in hac parte omnem ſcrupulum, conſultius eſt, quando non conſtet dari ſufficientem cauſſam, diſpenſationi admiſcere aliquam commutationem, ut ſic quod de cauſſa deeſt, ſuppleatur. Cauſſæ vero legitime relaxandi iuramenta ſunt triplicis generis. *Cauſſæ relaxandi.* Prima ſe tenet ex parte exigentiæ boni: ſecunda ex parte modi iurandi: tertia ex parte materiæ iuratæ. Prior cauſſa locum habet, quando iuramenti obſervatio adverſatur bono communi: puta ſi quis iuraſſet ſe non denunciaturum perſonam, rem pernicioſam aut valde periculoſam communitati, vel ſe non teſtificaturum veritatem; vel ſi iuraſſet ſe obſervaturum pacta inita in contractu notorie turpi: Secunda cauſſa ſe tenet ex parte modi iurandi. Ut ſi iuramentum violentia, fraude, vel iniquitate, adeoque metu ſit extortum, ſuppoſito quod non eſſet invalidum ipſo iure, ſicuti ut plurimum in actibus ex huiuſcemodi cauſſis eliciti contingit; in tali caſu opus non eſt diſpenſatione: ſecus autem ſi iuratum ſit ex paſſione, ex repentino conſilio, ex ignorantia alicuius cauſſæ impulſivæ. Nam cum certa ſpes non adſit, ita iurantem cum certa prom-

Ceſſat diſpenſatione.

ptitudine & amore iuramentum executurum; idcirco expedire videtur ut & tentitatur, ne cedat in ipſius animæ ruinam. Tertia cauſſa ſe tenet ex parte materiæ iuratæ; ut dubietas, num obligatio iuramenti ſit de meliore aut æquali bono, vel an id quod iuramento promiſſum eſt, ſit licitum vel illicitum, utile an noxium. Nam de eo quod eſt manifeſte bonum vel utile, neque occurrit eventus quo reddatur noxium & illicitum, licet ſolum petere commutationem in melius; & ſolummodo diſpenſationem, quando extet aliqua rationabilis cauſſa: veluti ſi res iurata ſit valde ardua, ſive ante, ſive poſt factum iuramentum; ſi aliquid melius occurrat faciendum; ſi ea res quæ prius videbatur magnam utilitatem afferre, nunc nullam afferat vel exiguam; ſi ſtante vinculo iuramenti, varia ſint pericula peccati, quæ expediat ut tollantur; itemque ſi dubium ſit, utrum materia iuramenti ſit ſufficiens ad irritationem. Sic autem intelligendum eſt, requiri cauſſam pro diſpenſatione iuramenti, ut alioquin diſpenſatio vim non habeat, & iurantem non liberet in foro conſcientiæ.

Diſpenſatio ubi habeat locum.

Nota II. Diſpenſatio cadit non ſupra formam iuramenti, quæ eſt veritas conſiſtens in eo ut iuretur quod verum eſt; ſcilicet non cadit ſupra iuramentum, quod iure naturali & divino ſervandum eſt: ſed ſuper materiam, quæ refertur ad iudicium & iuſtitiam iuramenti; eo quia in hoc contingere poteſt error vel mutatio. Hinc locum non habet diſpenſatio niſi in iuramento promiſſorio, & neutiquam in aſſertorio. Nam materia iuramenti aſſertorii, quod eſt de actu præterito vel præſenti, iam tranſit in quamdam neceſſitatem, & immutabilis fit: quandoquidem vel ſtatim fuit verum vel falſum iuramentum, propter veritatem vel falſitatem actus iam præteriti. Unde cum fieri non poſſit ut non ſit vel fuerit, ita per diſpenſationem mutari nequit. Diſpenſatio enim nequit efficere ut actus iurandi qui iam eſt vel fuit verus, non ſit aut non fuerit verus: ſic namque non ad materiam, ſed ad ipſum actum iuramenti referretur; taliſque diſpenſatio eſſet contra ius naturale & divinum, iuxta quod tenemur Deum in teſtem veritatis adducere. In iuramento autem promiſſorio duplex eſt veritas. Una de præſenti, in hoc conſiſtens ut iurans verum dicat iurando, ideſt intentionem habeat ſervandi quod promittit: qui actus iurandi coincidit cum actu iuramenti aſſertorii, ac proinde etiam indiſpenſabili; cum diſpenſari nequeat ut falſum in iuramento dicatur. Altera veritas eſt de futuro, ideſt ut quod iurans promiſit iurando, verum faciat adimplendo promiſſum: quod variari poteſt, ita ſcilicet quod in aliquo eventu poſſit eſſe illicitum & nocivum, & per conſequens non debita iuramenti materia. Ideo in tali iuramento promiſſorio diſpenſari poteſt: quia diſpenſatio reſpicit materiam iuramenti, & ſuper eam, non ſuper actum iurandi cadit relaxatio: ſcilicet fit ut ſicut prius per iuramenti promiſſionem iurans illud obſervare tenebatur, per auctoritatem diſpenſantis, declarando talem materiam non eſſe amplius materiam iuramento proportionatam, ab illa obligatione liberetur. Unde effectus abſolutionis & diſpenſationis eſt, ut id quod cadebat ſub iuramento, ſub illo amplius ex iuſta cauſſa non cadat. Saytus *lib. V. cap.* VIII. *num.* 3.

§. XXXIV.

De iis qui diſpenſare poſſunt in iuramentis.

Certiſſimum eſt apud omnes, ſolis Prælatis eccleſiaſticis, nec aliis quibuſvis competere ordinariam poteſtatem diſpenſandi ſuper iuramenta; ex delegatione vero vel commiſſione etiam clericis prima ſolummodo tonſura inſignitis: dummodo non ſint coniugati; quia in hoc ex ſola ſummi Pontificis delegatione. Summus itaque Pontifex poteſt primo diſpenſare ſuper omnia iuramenta; ac proinde ipſe ſolus poteſt diſpenſare ſuper iuramenta quæ ſunt de re manifeſte licita & utili: quia, ut notat D. Thomas hic citatus a Silvio, in tali iuramento non videtur, quod diſpenſatio vel commutatio habeat locum, niſi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum; quod maxime videtur pertinere ad Papæ poteſtatem. Ita Silvius, qui etiam ſubiungit, D. Thomam nil aliud innuere voluiſſe his verbis, quam huiuſmodi votorum diſpenſationem maxime pertinere ad ſummum Pontificem; non autem negare, quin etiam Epiſcopis competat. Quando vero dubium oriatur, an id quod ſub iuramento eſt promiſſum, licitum ſit vel illicitum, proficuum vel nocivum, ſive ſimpliciter, ſive in caſu occurrente, poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare cum ſuis ſubditis.

Verum, quando iuramento promiſſum eſt id quod evidenter eſt bonum & utile, Epiſcopus poteſt diſpenſare in omnibus illis iu-

Digitized by Google

ramentis Deo factis quorum materia ſi voveretur, poſſet ex rationabili cauſſa ab eo diſpenſari in votis. Econtra vero omnia illa iuramenta Papæ ſunt reſervata quorum materia ſi voveretur, vota eſſent ei reſervata. Ita Caietanus, Sotus, Azorius, aliique communiter. Quocirca ſi quis iuraret peregrinationem ad limina Apoſtolorum, ad ſepulcrum Domini in Ieruſalem, aut ad S. Iacobum Compoſtellæ, vel ſe ingreſſurum Religionem, ſervaturum caſtitatem: talia iuramenta a ſolo ſummo Pontifice poſſunt diſpenſari.

Poteſt autem Epiſcopus diſpenſare etiam in iuramentis homini factis, ſi contineant turpitudinem vel ex parte iurantis, vel ex parte eius cui iuratur: ut ſi ſit iuramentum de ſolvendis uſuris; ſi metu, vi, aut dolo ſit extortum; ſi unus contrahentium, ſit graviter læſus, puta ultra dimidium iuſti pretii.

Iuramenta ſuper ſtatutis Eccleſiarum, ſuper bonis eccleſiaſticis, & quæ vel a magnis perſonis, ut Regibus, Principibus, & Epiſcopis, vel de rebus valde arduis præſtantur, ſolent a ſolo Papa diſpenſari, iuxta Sotum & Azorium hic a Silvio citatos.

Quivis tamen ſuperior qui ſit inferior Epiſcopo, nec polleat iuriſdictione tamquam epiſcopali, tametſi valeat irritare iuramenta ſuorum ſubditorum in materia ſecundum quam ſunt ſibi ſubiecti; non poteſt tamen cum iis diſpenſare ſuper iuramenta: ut Silveſter, Azorius, Silvius.

Cum autem diſpenſatio fiat per declarationem, qua nempe declarat Prælatus, rem quæ promiſſa fuit, non eſſe materiam iuramento ſubiectam: quando de re licita & meliore iuratum fuit, vix locum habet diſpenſatio, niſi per commutationem in melius bonum, vel certe in id quod eſt æque bonum. Quare etiam de commutatione breviter nunc differendum occurrit.

§. XXXV.

De iuramenti commutatione.

Commutatio quid ſit.

Commutatio iuramenti eſt relaxatio unius obligationis cum ſubſtitutione alterius: quod contingit, quando cauſſa diſpenſandi non eſt adeo manifeſta, ut conſultius ſit potius commutare quam diſpenſare. Et in hoc differt ac diſtinguitur commutatio ab irritatione & diſpenſatione: quod irritatio iuramenti, ſicut & voti, tollit obligationem abſque ulla cauſſa, ſed ex ſola auctoritate ſuperioris recognoſcentis materiam ſibi ſubiectam promitti non potuiſſe Deo ſine ſuo conſenſu; diſpenſatio vero obligationem tollit, ſed non ſine iuſta cauſſa; commutatio demum non omnino obligationem tollit, ſed ſub eodem iuramenti vinculo unam pro alia materiam ſubrogat. Dixi, *ſub eodem iuramenti vinculo*: cum per commutationem non extinguatur iuramentum, ſed ſimpliciter mutetur. Unde qui conſentit commutationi ſponſalium v. g. in dotem, vult obligationem tam firmam remanere quam antea. Et hoc tribus modis fieri poteſt. Primo, ſi obligatio ſubſtituta ſit de re meliore. Et tunc fere communiter conveniunt omnes, quod talis commutatio fieri poſſit ſola iurantis voluntate: cum nequeat ille impediri quin faciat quod Deo gratius eſt; ut eſt ſubſtituere rem iuratam meliorem. Secundo, ſi ſit de re æqualiter bona. Et in hoc non conveniunt doctores, num iurans hoc efficere poſſit propria voluntate, an vero impetrare debeat a ſuperiore: & hoc ſecundum mihi videtur probabilius. Tertio, ſi ſit de re inferiore. Et in hoc conſtans eſt omnium ſententia, quod talis commutatio fieri poſſit ab eo ſolum qui legitimam ad id habet facultatem, ideſt a Prælato eccleſiaſtico, vel ab eo qui ad hoc eſt delegatus. Dixi, *qui ad hoc eſt delegatus*. Nam qui habet poteſtatem delegatam commutandi vota, non eo ipſo habet poteſtatem commutandi etiam iuramenta: cum ſecundum ſtilum Curiæ Romanæ privilegium diſpenſandi in votis diſtinguatur a privilegio commutandi iuramenta. Ita Navarrus, Azorius, Leſſius, aliique.

Quinam poſſint commutare.

Commutatio iuramenti in æquale vel minus bonum fieri nequit ſine auctoritate Prælati, vel alterius habentis ad hoc poteſtatem. In tali enim commutatione admiſcetur quædam diſpenſatio; cum non exigatur id de quo iuratum eſt, ſed pars quædam ipſius: ad diſpenſationem vero ſemper requiritur auctoritas ſuperioris. Commutatio vero iuramenti in id quod evidenter eſt melius bonum eiuſdem rationis, ab unoquoque, ut communior tenet ſententia, pro arbitrio ſuo fieri poteſt. Et ratio eſt: quia qui commutat in melius, ſatisfacit iuramento prius emiſſo, immo aliquid amplius facit quam promiſit, & aliquid gratius & acceptius Deo; quod melius eſt. Sayrus *lib. V. cap. v. num. 15.*

Quid ſi fiat propria auctoritate.

Dixi, *in id quod evidenter eſt melius bonum eiuſdem rationis*: quia facultas commutandi iuramenta in aliquid æqualis bonitatis, aut etiam in aliquid meluis diverſæ ratio-

tio-

Digitized by Google

tionis, tolleret vim obligatoriam, & religionem iuramentorum gentibus omnibus ſanctam & inviolabilem. Facile enim eſt humanæ propenſioni invenire æquales bonitates, aut etiam melioritates diverſæ rationis. Et cum huiuſmodi commutationis factæ propria auctoritate nullum inveniatur in ſacra Scriptura aut in eccleſiaſtica hiſtoria exemplum; cenſendum eſt pugnare contra ſenſum univerſalem generis humani. Certe reprehenditur ſeveriſſime Saul *lib. I. Reg.* quod rem voluntate divina præceptam, nempe demolitionem rerum omnium, etiam pecorum, commutaverit in rem ſua opinione meliorem: nempe in ſolemnes victimas ad maiorem, ut prætendebat, Dei gloriam.

Quid ſi fiat ab Epiſcopo. Commutatio iungitur cum omni iuramentorum diſpenſatione quæ fit per Epiſcopum: quia ſive habeat ſuam poteſtatem immediate a Chriſto, ſive a Papa, neuter cenſetur committere univerſaliter tot Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi ſemper ſine commutatione, ſaltem in cauſſis gravis momenti, ubi materia iuramenti importat notabilem cultum divinum, aut profectum animarum. Summus vero Pontifex non tenetur ſubſtituere obligationi per diſpenſationem ſublatæ aliam æqualis aut magni valoris: utpote qui immediate agat nomine Dei. Quando vero talem poteſtatem alteri delegat, delegato committit ut cum diſpenſatione commutationem coniungat. Unde hanc formulam addit in diplomate quo delegat diſpenſandi facultatem: *Diſpenſare commutando, & commutare diſpenſando*. Hæc tamen commutatio non debet eſſe adeo rigoroſa, ſed magis & minus, pro diverſa congruentia motivorum & circumſtantiarum.

Nota. Iuramentum, ſicuti etiam votum, factum in favorem tertii, & ab eo acceptatum non poteſt ſine eius conſenſu nec relaxari per diſpenſationem, nec commutari etiam in melius a ſuperiore: cum alter per acceptationem illius ius ad rem acquiſierit. Attamen tres caſus excipiuntur. Primo, ob commune bonum, quod præferendum eſt privato. Quare ſi quis promiſerit alteri ſui beneficii reſignationem, Epiſcopus iudicans alium multo digniorem aptioremque, poteſt illum ſolvere ab obligatione iuramenti. Secundo, in pœnam alicuius criminis; in materia tamen quæ ſuperioris iuriſdictioni ſit ſubiecta. Tertio, ratione iniuriæ illatæ: puta ſi dolo, vi, aut metu extortum fuit iuramentum. Silvius aliique communiter.

§. XXXVI.

De uſitatioribus modis quibus male iurando letaliter delinquitur.

Sicuti licitum eſt, immo etiam valde laudabile, divinum nomen fidei faciendæ cauſſa invocare, dummodo debitis conditionibus ac circumſtantiis id fiat; ut Pſalm. lxii. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*: ita quandoque ex conditionum circumſtantiarumque convenientium defectu idipſum facere malum eſt ac illicitum, ideoque ſub graviſſimis pœnis vetitum (ut *Exod. cap.* xx.) quia gravem iniuriam Deo quis infert, dum in teſtem falſi eum invocat. Varii autem ſunt modi quibus hoc malum, ideſt periurii crimen committi poteſt. Variis modis committitur periurium. Et primo, letaliter periurii rei ſunt qui ſcienter, etiamſi ioco, metu, coactione, vel etiam lapſu linguæ, falſum iurant, dummodo advertenter id faciant. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 3. *ad* 2. cum aliis communiter. Secundo, qui certo adfirmat eſſe verum quod ita eſſe certo ignorat; immo in animo dubius eſt: cum dicere teneatur quod ſcit ac ſentit. Tertio, qui id iurat quod verum exiſtimat; & tamen revera falſum eſt: niſi quantum potuit, curam diligentiamque adhibuerit ut rem totam compertam exploratamque haberet. Ita Silvius, Caietanus, Navarrus, S.Antoninus, aliique communiter. Quarto, qui alicui iurat aliquid ſic eſſe, intendens verba in diverſo ſenſu ac ſonant; dummodo legitime requiſitus ſit ab aliquo & interrogatus: quia verba debent concordare in ſuo ſignificatu menti eius cui ex legitima cauſſa fit iuramentum. Ita communis doctorum. Secus vero, ſi non iuridice ac legitime ſit interrogatus. Quinto, qui per falſos Deos iurat, puta per Mahumetem, per Solem, per Iovem; ut Exod. cap. xxiii. *Per nomen externorum Deorum non iurabis*: & *can.* Monet xxii. *q.* 1. Nil enim magis alienum eſt a veritate (ut notatur in Catechiſmo Romano *num.* 26. *in Expoſit. II. præcept.*) quam mendaces & fictitios Deos tamquam verum Deum teſtari: & eſt blaſphemia quædam, ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* xiii. *art.* 1. *ad* 3. Et ſic etiam peccat qui alios inducit ad ita iurandum. Non peccat tamen qui ex iuſta cauſſa talia iuramenta per falſos Deos recipit ab infideli; dummodo tamen ad ita iurandum illum non inducat. Ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxviii. *art.* 4. Sexto, peccat mortaliter qui ſcienter (dummodo ex officio non te-

neatur, ut iudex & magiſtratus) privata auctoritate inducit alios ad falſo iurandum per verum Deum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcviii. *art.* 4. & alii communiter. Septimo, qui cum iuramento promittit ſe aliquid licitum facturum, dum non habuerit in animo promiſſum implere; vel ſi habuerit, reipſa non adimplet quod promiſit: dummodo promiſſarius ante tempus ad adimplendum in iuramento ſtatutum ius ſuum non relaxet. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. S. Antoninus, Navarrus, aliique. Octavo, qui iurat ſe aliquid illicitum facturum, ut occidere, furari, mœchari; licet ſerio & ex animo hoc iuret: cum teneatur contrarium facere. Ita D. Thomas *loc. cit. ad* 2. Caietanus, Angel. Silvius, Navarrus, & alii communiter. Nono, qui iurat ſe non obtemperaturum conſiliis evangelicis, cuiuſmodi ſunt quæ ad cælibatum & paupertatem hortantur. Nam licet nemo ea neceſſario ſequi debeat; ſi quis tamen iuret nolle ſe ea obſervare, is eo iureiurando divina conſilia contemnit & violat. Ita D. Thomas *loc. cit.* Sed ſecundum Catechiſmum Romanum hoc erit ſolum veniale. Decimo, peccat qui id quod verum eſt, iurat: idque ita ſe habere exiſtimat, levibus quibuſdam innixus conіecturis. Tametſi tale iuramentum veritas comitetur; ſubeſt tamen aliquo modo falſum, ob periculum grave in quo verſatur qui ita negligenter iurat: ut ex Catechiſmo Romano in *Expoſit. II. præcept.* Quando id mortale ſit vel veniale, ex ſupradictis facile colligi poteſt. Undecimo, mortaliter peccat qui dum iuravit ſecretum ſibi commiſſum fideliter ſervaturum, cum advertentia & ex propoſito illud revelat; dummodo tamen tale ſecretum res fuerit quæ tuta conſcientia ſecreta ſervari potuerit. Idemque dicendum de eo qui inducit ſcienter & doloſe ad tale ſecretum revelandum; ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxx. *art.* 1. *ad* 2. aliiſque communiter. Nam ſervare ſecretum in rebus licitis eſt de iure naturali: ac proinde, accedente iuramento, mortale eſt illud revelare.

Quamvis autem aliis variis modis iusiurandum malum ac illicitum eſſe poſſit; hæc tantum ſpecialiter hic collecta & notata expoſuimus: cum iiſdem modis frequentius homines peccare ſoleant.

§. XXXVII.

De gravitate peccati periurii, & de pœnis contra periuros.

Nota, periurium dupliciter conſiderari poſſe, ſeu eſſe duplicis generis. Unum nempe dicitur latius ſumptum: & eſt iuramentum deſtitutum uno ex tribus ad iuramentum requiſitis; veritate videlicet, iuſtitia, aut iudicio, ut ex D. Hieronymo ſup. cap. iv. Ierem. *Si iſta defuerint, nequaquam erit iuramentum, ſed periurium.* Alterum ſtricte dictum vocatur: & eſt mendacium iuramento firmatum, ut ex eodem ſancto Doctore, qui ait loc. cit. *Mentiendo iurare, quid eſt aliud quam peierare?* Et de hoc poſtremo præcipue loquimur. Periurium duplex.

Periurium (ait S. Auguſtinus ſerm. xxviii. cap. 1. de verb. Apoſt.) *peccatum eſſe, & grande peccatum, nemo dubitat.* Immo eſt ita grave, ut ex D. Thoma gravius ſit homicidio & quolibet alio peccato contra iuſtitiam commiſſo; quia directe tendit contra divinum honorem: immo gravius eſt illa blaſphemia qua quis verum per Deum falſum iurare conſuevit. Et hanc ipſam rationem reddit D. Thomas citatus. Eſt peccatum graviſſimum.

Pœnæ vero tum a iure civili, tum a canonico periuriis inflictæ, ſunt ſequentes. Prima eſt infamia: quam tamen non incurrunt niſi qui ſolemniter iurando peieraverint, ac de periurio condemnati ſint in iudicio. Secunda eſt excluſio a teſtificando (*cap.* xiv. xxii. *q.* ix.) utpote qui præſumitur peieraturus eo ipſo quod alias, etiamſi ſemel, peieraverit. Tertia, ſi clericus ſit qui falſum teſtimonium in iudicio dixerit, eſt depoſitio ab Ordine, & detruſio in Monaſterium; nunc vero in carcerem: ſi autem laicus ſit qui falſum teſtificatus eſt in iudicio contra reum, eadem pœna puniendus eſt qua reus convictus puniretur. Quarta, ſi clericus eſt beneficiatus, quod beneficio privetur: intellige tamen poſt ſententiam iudicis. Quinta, ut collatio beneficii facta ipſi periuro nulla ſit ipſo iure, utpote qui eſt infamis. Pœnæ in periuros.

Confeſſario neceſſario incumbit ut in periurio habituatis, aut periurio expoſitis, quia modo verum, modo falſum iurant, ſi digni ſint abſolutione, pœnitentiam medicinalem imponat, quoties iuraverint. Nam experientia docet vix aut numquam pravam illam conſuetudinem eradicari, niſi per eiuſmodi pœnitentias: ſicuti multos ex oppoſito illa medicina ſanari conſtat, inquantum

tum

tum huius occaſione timore ſalutari concutiuntur & quaſi refrenantur. Et hoc advertit S. Auguſtinus edoctus beneficio quod ex tali medicina in ſe ipſo expertus eſt.

CAPUT VI.

De Adiuratione.

§. UNICUS.

De ratione adiurationis.

Quia iuramento affinis eſt adiuratio, hic ſtatim ipſi iuramento ſubſtituitur. Non ſumitur hic tamen adiuratio, prout importat ad iurandum inducere; nam in tali caſu convenit, & coincidit cum iuramento: ſed prout eſt conteſtatio ſeu invocatio divini nominis ad aliquid faciendum vel omittendum; ita ut adiurare hic ſecundum uſum frequentiorem ſcriptorum eccleſiaſticorum idem ſit ac quempiam ſub divini nominis obteſtatione & invocatione, ſive expreſſa, ſive implicita, ac per Sanctorum invocationem, ſanctos interponendo eorumque merita, in quibus divinum nomen implicite relucet, urgere petendo aut imperando ad aliquid faciendum vel ab aliquo deſiſtendum. Et in hac ſignificatione æquivalet verbo Græco *exorcizare*: ideſt *exorciſmus* idem ſonat ac *adiuratio*; & *exorciſta* idem ac *adiurator*. Unde a D. Thoma 2. 2. *quæſt.* xc. *art.* 1. ſic definitur. *Adiuratio eſt conteſtatio rei ſacræ, per quam adiuratus imperio aut obſecratione inducitur ad aliquid faciendum vel omittendum*. Ab aliis vero definitur: *Actus religionis, quo per interpoſitionem divini nominis aut alicuius rei ſacræ quempiam ad aliquid præſtandum vel omittendum impellimus*. Dicitur primo, *conteſtatio* ſeu interpoſitio divini nominis, non adducendo Deum veluti præſentem, ſicuti fit in iuramento ad veritatem confirmandam, fidem faciendo; cum hic non adducatur Deus in teſtem: ſed ut ſit obiectum amoris, reverentiæ, aut timoris reſpectu illius quem adiuramus, ideſt ut adiuratus ipſius Dei reverentia, amore, aut timore permoveatur ad faciendum vel omittendum quod intendimus, & ab eodem petimus. Dicitur ſecundo, *rei ſacræ*, tum ad denotandum quod ſub iis verbis non ſolum comprehenditur Deus, ſed etiam alia divina & ſacra, ut ſunt ſanguis Chriſti, crux, paſſio: & tunc adiuratio eſt actus latriæ (aliquando adiuratio fit per B. Virginem; & eſt actus hyperduliæ: aliquando per Angelos aut bonos ſanctoſque homines, qui plurimum apud Deum valent; & eſt actus duliæ) tum ad excludendas res humanas & profanas, quacumque dignitate & excellentia polleant: quia eorum conteſtatio numquam erit adiuratio; cum non ſit actus religionis, ſicut eſt adiuratio, quæ idcirco in hoc convenit cum iuramento. Nam per adiurationem exhibetur Deo ſummus honor, qui eſt actus proprius religionis, dum eius auctoritatem tamquam valde potentem apud homines interponimus ad poſtulata conſequenda.

Definitio adiurationis. (margin)

Adiuratio multiplex eſt. Nam ſecundum D. Thomam *loc. cit.* primo dividitur in deprecativam & imperativam. Deprecativa eſt, quando per deprecationem aliquid conteſtamur: & hoc genere adiurationis utitur Eccleſia, quando in litaniis & orationibus conteſtatur merita Chriſti & Sanctorum, ut Deus poſtulata concedat. Imperativa eſt ea qua per divini numinis conteſtationem ſubditis imperamus, ut D. Paulus ad Theſſal. cap. III. *Adiuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc*. Secundo, dividitur in ſolemnem & privatam. Solemnis eſt ea quæ fit modo ab Eccleſia tradito, & per miniſtros ab ea ſpecialiter deſtinatos & conſecratos: privata vero quæ prædicta ſolemnitate caret. Tertio, in propriam & impropriam. Propria ea eſt qua conteſtamur Deum & Sanctos, prout ad Deum dicunt relationem iuxta ſanctitatem ab eo receptam: impropria vero, quando Sanctos ſecundum ſe aut ſecundum propria merita & excellentiam conteſtamur. Prima habet ſummam vim ad impetrandum; ſecus vero altera. Ita communiter doctores. *Adiuratio multiplex.*

Ad hoc ut adiuratio, quæ eſt quædam ſpecies iuramenti, rite fiat ac licita ſit, requiruntur, ſicut ad iuramentum, tres conditiones ſeu comites: veritas nempe, iuſtitia, & iudicium. Veritas adiurationis in eo conſiſtit, primo ut fiat per Deum, aut per rem quæ revera ſit ſacra, non per Iovem aut Cererem: ſecundo, ut fiat animo obtinendi quod petitur aut imperatur, & non cum fictione: tertio, ut cauſſa ſeu motivum propter quod fit adiuratio, ſit verum, & non fictum, ita ut peccaret qui per fictam paupertatem adiuraret ut eleemoſynam conſequeretur. Defectu horum duorum, adiuratio ordinarie eſſet tantum culpa levis, quatenus leviter hinc offenditur religio; licet ex alio capite poſſit eſſe gravis, ut ſi adeſſet contemptus aut circumſtantia alterius gravioris peccati: defectu vero primi, culpa eſſet gravis; nam inde religio gra- *Quid requiratur ut ſit licita.*

graviter læderetur. Iudicium in eo ſiſtit, ut non fiat adiuratio ſine aliqua utilitate, cauſſa, aut neceſſitate; utque fiat cum debita reverentia & conſideratione. Non enim temere & paſſim merita Dei & Sanctorum conteſtanda ſunt. Iuſtitia tandem in eo ſita eſt, ut adiuratio non interponatur pro re iniuſta & illicita. Quocirca ſi interponeretur pro re turpi, inhoneſta, & valde illicita; eſſet culpa gravis contra religionem, & valde Deo iniurioſa: cum per eam indicaret adiurans, quod res pravæ Domino placerent.

Quinam poſſint adiurare. Quoad illos vero qui adiurare poſſint, conveniunt communiter doctores, quod adiuratione privata ſeu non ſolemni tam Deus, quam creatura rationalis poſſit alios adiurare: quia tum Deus per conteſtationem ſui amoris adducere poteſt creaturas ad aliquid agendum vel omittendum; tum Angeli boni & mali, necnon homines Dei nomen & Sanctorum poſſuntaliis proponere, ut eius amore & timore moveantur aut compellantur ad exequenda poſtulata, quod proprie eſt adiurare. Adiuratione tamen publica ſeu ſolemni, ſive deprecativa, ſive imperativa, certum eſt, non omnem rationalem creaturam, ſed miniſtros Eccleſiæ tantum uti poſſe; immo ſi intelligatur de imperativa quæ in energumenos imperium exercet, non omnes miniſtros, ſed ſolum ab Eccleſia ad id deſtinatos, qui ſunt exorciſtæ. Nam licet quilibet exorciſtatus Ordine initiatus habeat ad hoc Ordinis poteſtatem: ſicuti vi Ordinis Presbyteratus omnes æqualem habent facultatem conſecrandi; non poſſunt tamen uti poteſtate iuriſdictionis, quam Eccleſia ſolet conferre aliquibus peritioribus, & ut ita dicam, etiam iis in quibus videtur ineſſe gratia gratis data ad tale munus vi efficaciore exercendum. Et revera videmus in praxi, quamplures maiore & efficaciore præ aliis exorciſtis pollere virtute ad dæmones ab obſeſſis arcendos.

Quinam adiurari. Adiuratione vero deprecativa omnes adiurare poſſumus Deum, B. Virginem, Angelos, & ſanctos: quia adiuratio deprecativa nil aliud eſt quam quædam obſecratio & fervida petitio, quam ut facilius impetremus, Chriſti ſanguinem eiuſque merita interponimus; ſicut Eccleſia preces ſuas per Chriſtum Dominum concludit, quod totum ſanctum eſt & religioſum. Adiurare poſſumus etiam homines: ſuperiores quidem & æquales, deprecative; inferiores vero, etiam imperative, iuxta Apoſtolum I. ad Theſſal. cap. V. *Adiuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc:* & Rom. cap. XII. *Obſecro vos per miſericordiam Dei*. Circa vero creaturas irrationales, an adiurari poſſint, necne? diſtinguendum eſt. Nempe vel hæ ſpectantur ſecundum ſe: & ſic nequeunt adiurari; cum ſint incapaces imperii exequendi, ac deprecationis ſuſcipiendæ. Vel ſpectantur quatenus referuntur ad Deum a quo moventur & aguntur: & tunc adiurari poſſunt, dirigendo adiurationem noſtram ad creaturam intellectualem quæ illis præſidet, vel quæ illis uti & abuti poteſt. Huiuſcemodi adiurationes reperiuntur in benedictionibus ſalis, panis, aquæ, domus novæ, thalami, fructuum. Item aliquando adiurantur locuſtæ, mures & alia animalia, ne ſegetes devaſtent. Tandem adiurari poſſunt dæmones: modo tamen certæ conditiones adhibeantur. Et eſt de fide. Patet enim tum ex variis Scripturæ locis, & præſertim Marc. cap. XVI. *In nomine meo dæmonia eiicient*; tum ex praxi antiquiſſima Eccleſiæ; tum etiam ex Sanctis Patribus, Cypriano præſertim, Tertulliano, aliiſque. Ita enim habetur apud Tertullianu : *Dæmones, ideſt genios, adiurare conſuevimus, ut illos de hominibus eiiciamus*.

Ad dæmones adiurandos, quatuor conditiones requiruntur. Dixi, *modo adſint certæ conditiones:* quarum prima eſt ut ſit in adiurante ſolemniter legitima poteſtas, quam habet exorciſta. Unde peccant ſaltem venialiter, qui ſine exorciſtatus Ordine hoc munus obire præſumunt. Dixi, *in adiurante ſolemniter:* ideſt ſecundum formulas quas Eccleſia adhibere ſolet. Poſſunt enim laici, præſertim dum dæmonum infeſtationibus moleſtantur ſive per terrores, ſive per ſpectra, ſive per immundas ſuggeſtiones, illos privatim adiurare his aut ſimilibus verbis: *Ecce crucem Domini* (crucis ſignum formando) *fugite partes adverſæ:* vel *In nomine Domini, diſcedite tenebrarum poteſtates*.

Secunda conditio eſt, ut qui adiurare vult dæmonem, ad eum ex humano corpore expellendum, ſciat vere hominem a dæmone poſſideri. Hoc autem dignoſci poterit, ſi obſeſſus faciat ea quæ non didicerit, & naturaliter ſcire nequeat: ut ſi loquatur ignoto idiomate; ſi diſtantia & vere occulta manifeſtet; ſi ſcribat vel loquatur de iis quæ antea prorſus ignorabat. Signa vero extraordinaria in corpore, puta contorſiones, motus violenti membrorum, ſævi dolores, clamoreſque ſunt notæ nimis incertæ: cum aliquando videantur etiam in furioſis ac phreneticis.

Tertia conditio eſt, ut dæmon adiuretur non

Digitized by Google

non per modum deprecationis aut inductionis; cum talis modus pertineat ad quamdam ſocietatem ac amicitiam quam nobis non licet habere cum dæmone, & enervet poteſtatem quam Chriſtus Dominus contulit fidelibus in dæmonem, ad eum ipſius nomine proſternendum: ſed per modum imperii & increpationis, dicendo v. g. *Tace, immunde ſpiritus, obmuteſce, exi, fac, dic.*

Quarta conditio eſt, ut finis unicus adiurantis ſit ut dæmon eiiciatur & nocere ac lædere deſinat. Et circa ea tantummodo quæ prudenter viderit ad hunc finem conducentia, poterit exemplo Chriſti dæmonem corpus humanum obſidentem interrogare, puta inquirendo nomen eius, tempus, & cauſſam ſui ingreſsus in corpus: an ſolus ſit, an cum aliis corpus illud obſideat? Licebit quidem in dæmonis contemptum nomen ipſius ſcriptum comburere, in obſeſsum ſpuere, leviter percutere: quia ſi graviter, læderetur caritas; & cum dæmon tales corporales percuſſiones utpote prorſus incorporeus non ſentiat, nil aliunde facerent ad eius expulſionem. Poterit potius exorciſta ad deprimendam maligni ſpiritus ſuperbiam ipſi imperare ut ſtet, genuflectat, maneat detectus, ſileat, ſigna præbeat ſui egreſsus candelam extinguendo, vitrum alicuius feneſtræ frangendo, hiſque ſimilia peragendo.

Advertat tamen exorciſta, ut dum aliquid ex dictis a dæmone inquirit cum auctoritate, illud inquirat adiurando, & per adiurationem compellendo dæmonem ut non loquatur niſi quod verum eſt: nec facile deſiſtat, licet renuat dæmon reſpondere; ſed poſtquam cœpit de aliquo interrogare, proſequatur exorciſmis extorquere (ſi Deo placuerit) obedientiam, ne malignus ſpiritus reddatur contra Chriſti miniſtrum protervior.

Caveat exorciſta ne adiuret dæmonem per modum compulſionis ad aliquid ab eo diſcendum, vel aliquid ab ipſo obtinendum extra finem liberationis obſeſſi; niſi forte ex ſpeciali Dei inſtinctu & revelatione. Peccaret enim qui peteret vana & curioſa, ſive ediſcenda, ſive facienda: puta cognitionem occultorum, ſive futurorum, ſive præteritorum, ſive præſentium. Itidem ſi peteret, quod dæmon eradicet arborem, elevet dæmoniacum a terra, ac ſimilia operetur: quia hæc eſset quædam ſpecies commercii & familiaritatis cum dæmone.

Tandem nullam fidem adhibeat exorciſta accuſationibus a dæmone factis. Idcirco turpiter errant iudices illi qui ita in dæmonum fallaciis fidunt, ut qui ab ipſis accuſantur, eos apprehendant ac examini ſubiiciant: dum meminiſse deberent, dæmonem patrem eſse auctoremque mendacii, qui per ſimilia quærit tantum odia, diſſidia, æmulationes, contentioneſque inter homines commovere..

Quare neutiquam pariter attendendus eſt dæmon, quantumvis ſuggerat etiam pia, ſancta, ac religioſa, quæ ad ſpiritualem profectum æternamque ſalutem conducere videantur. Nam hæc nonniſi ut decipiat, nec alias ut edoceat, prædicat inimicus noſtræ ſempiternæ ſalutis.

CAPUT VII.

De peccatis religioni oppoſitis.

Quia non minus ac aliæ virtutes morales religio quoque in medio conſiſtit; hinc non minus quam illæ religio pariter, quæ eſt virtus præſcribens verum cultum Deo ipſiuſque ſingulari eſſentiæ convenientem, habet ſua oppoſita vitia. Vitia vero religioni oppoſita illa ſunt quæ cultui Deo debito ob infinitam eius dignitatem, vel venerationi qua Sanctos aut res ſacras proſequi tenemur, adverſantur. Et hæc oppoſitio dupliciter contingere poteſt: per exceſſum videlicet, quod vitium appellari ſolet communi nomine ſuperſtitio; aut per defectum, & hoc vocabulo irreligioſitates explicantur. Hæc duobus capitibus abſolvemus. Primum igitur ſermonem inſtituemus de illis quæ per exceſſum, poſtea de aliis quæ per defectum ſunt contraria religioni.

§. I.

De ſuperſtitione.

Superſtitionis nomen ſumunt Latini pro falſi Dei cultu, vel pro falſa religione; apud Theologos vero iuxta D. Auguſtinum *lib. II. de doctr. Chriſt. cap.* XVIII. accipitur pro cultu falſorum Deorum, & pro exceſſu ſeu inordinato cultu veri Dei, ſeu eſt divinus cultus, qui vel tribuitur cui non debetur, vel modo indebito cui debetur. Hinc duplex eſt ſuperſtitio. Una ex parte rei quæ colitur; altera ex parte modi quo res digna cultu, nempe verus Deus, colitur. Unde duos actus, & ambos malos ac vetitos, habet ſuperſtitio: nimirum, quod cultus Deo debitus creaturæ accommodetur; & quod Deo quidem cultus detur, ſed modo indebito. Et circa hunc ſecundum actum contingere poteſt, quod Deus indebite colatur, vel quia fal-

Digitized by Google

Tripliciter committitur ſuperſtitio.

falſo, vel quia vane colatur. Quare modus cultum Deo ſuperſtitioſe ſeu inordinate reddendi triplex eſt; ideſt falſus, turpis ſeu indecens, & ſimpliciter ſuperfluus.

Falſus eſt primo ratione rei ſignificatæ: ut ſi quis velit colere Deum cæremoniis Moſaicis aut Maumethicis, puta circumciſione aut peregrinatione ad tumulum Maumethis. Hoc enim eſſet declarare ſectas illas veras, dum omnino ſunt falſæ. Idem cultus eſt falſas reliquias adorationi fidelium exponere; prædicare falſa miracula, ſive hæc ſcriptis mandare, & ſic verorum miraculorum fidem enervare; in ſignum falſi miraculi vel beneficii accepti oblationem imagini alicuius Sancti apponere; falſas revelationes fingere; vel cum auctoritate propria proponere aliquod tamquam inſtitutum a Deo vel ab Eccleſia, quod reipſa non eſt; vel adhibere cæremonias veteris legis, quæ ſunt a Deo repudiatæ. Itidem falſum cultum Deo offerri contingit, cum laicus Deum colit tamquam publicus miniſter Eccleſiæ: ut ſi Miſſam celebret & ſacrificium offerat. Tunc enim offerret quod non eſt tale. Quod ſi eſſet vere Sacerdos, ſed depoſitus: hic verum quidem ſacrificium offerret; ſed non tamen nomine Eccleſiæ a qua eſſet exciſus, ac proinde ſicut non Sacerdos redderet Deo falſum cultum ex parte colentis. Tandem ſi laicus utatur exorciſmis Eccleſiæ contra tempeſtates, dæmones, maleficia: Vel ſi clericus adhibeat ſacrum chriſma per preces Eccleſiæ ad hunc finem non ordinatas. *Sicut enim* (ait D. Thomas 2. 2. quæſt. XCIII. art. 1.) *falſarius eſſet qui aliqua proponeret*, (v. g. teſtimoniales litteras falſas quaſi ab Epiſcopo aut Papa ſcriptas & ſignatas) *ex parte alicuius, quæ non eſſent ei commiſſa: ita vitium falſitatis incurrit qui ex parte* (hoc eſt nomine) *Eccleſiæ cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Eccleſia conſtitutum & in Eccleſia conſuetum*. Hæc ſuperſtitionis ſpecies ex genere ſuo eſt mortale: quia gravem irreverentiam iniuriamque Deo infert, & religionem fundat in falſitatibus. Graviter enim repugnat eius honori ac cultui, qui ſola veritate nititur. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Io. cap. IV. Interdum tamen in aliquibus excuſare poſſet ignorantia & ſimplicitas. Sic doctores communiter.

Turpis & indecens eſt Deum colere certis verbis & rebus ad eius offenſam potius quam ad eius gloriam inſervientibus: ut ſi quis homines Deo immolet, ſi muſica, organa, aliaque inſtrumenta quæ in divino officio adhiberi ſolent, profana ſint laſciviamque ſapiant.

Simpliciter ſuperfluus eſt modus veri Dei colendi præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionem aut communem Eccleſiæ uſum, ac inutilis ad honorem Dei & ad ſpiritus devotionem excitandam, vel domandas concupiſcentias: ut eſſet addere in officio vel Miſſa ex indiſcreta devotione certas preces, novaſque intermiſcere cæremonias præter Eccleſiæ conſuetudinem, dicendo v. g. *Alleluia*, aut *Credo*, quando ſecundum Eccleſiæ rubricam dicenda non ſunt. Item mutare materiam ſacramentorum: orare adhibito certo numero, ſitu, colore cereorum: non ſuere tali die, puta ſabbato, in honorem alicuius Sancti; interim alia ſervilia opera exercere. Huiuſmodi ſuperſtitio, ſicut etiam illa ſecundi modi, iuxta communem ſententiam, eſt ſolummodo venialis: modo actiones illæ non ſint aliqua lege vetitæ, & abſit ſcandalum, & contemptus cæremoniarum Eccleſiæ ac communis fidelium uſus. Nam & materia levis eſt, & irreverentia non cenſetur gravis ob ſimplicitatem. Secus tamen, ſi fiant poſt prohibitionem ſuperioris. Sic ſi in Miſſa vel ſacramentorum adminiſtratione, relictis rubricis, aliæ cæremoniæ, etiam pro ſua devotione & ſecluſo contemptu, adhiberentur, videtur non poſſe excuſari a mortali ob materiæ gravitatem, & periculum grave, & gravem præſumptionem. Ita P. Antoine.

Cultus etiam dicitur ſuperfluus ratione certitudinis vanæ, ideſt non nixæ promiſſione divina: ut cum quis certo credit ſe a tali morbo vel periculo liberandum, geſtando imaginem vel reliquias Sanctorum, vel verba Scripturæ. Quia licet hæc pia ſint; nullus tamen infallibilis effectus a talibus expectari poteſt: cum nullam habeant virtutem naturalem, nec divinam abſolutam promiſſionem. Multa in his & ſimilibus tum ex miniſtrorum avaritia, tum ex iſtorum & populi ignorantia, tum ex indiſcreta ipſius populi devotione ſuperſtitioſa irrepſiſſe conſtat. Quare tenentur Parochi, ubi talia fieri contingant, admonere ac informare de omnibus ſuos Epiſcopos: & niſi ii poſt diligens examen ſuper huiuſcemodi cæremonias, haſce approbaverint; quantumvis conclamet vulgus, illas exterminare debent.

Quid ſit ſuperſtitio.

Quare ſuperſtitio ita definitur a D. Thoma 2. 2. quæſt. XCII. art. 1. *Superſtitio eſt vitium religioni oppoſitum, ſecundum exceſ-*

Digitized by Google

ceſſum : non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio; ſed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. Dicitur *ſecundum exceſſum :* non quia Deus umquam nimium coli poſſit. Dignus eſt enim omni laude, immo laude infinita; ita ut in Dei cultu nequeat eſſe aliquid ſuperfluum ſecundum quantitatem abſolutam quidquid enim impendamus, ſemper eſt munus quod illi debemus ſed bene ſecundum quantitatem proportionis: quia fieri in Dei cultu poteſt quod ad finem ipſius nihil conducit; nempe ut homo mente & corpore ſe Deo ſubiiciat, qui eſt finis divini cultus. Quare quod ad nihil illorum valet; aut ad illa quidem deſtinatur, ſed ab homine contra Dei inſtitutionem ac Eccleſiæ conſuetudinem: id omne velut ſuperfluum & ſuperſtitioſum reputandum eſt, ut in ſupra allatis exemplis. Ita Silvius.

Variæ ſuperſtitionis ſpecies. Circa primum ſuperſtitionis actum, quo cultus Deo debitus creaturæ accommodatur, notandum eſt, tripliciter hoc fieri poſſe, iuxta tres diverſos fines quos in actibus ſuperſtitioſis quis ſibi præſcribere valet. Proinde tres ſunt primæ ſuperſtitionis ſpecies, ut ex D. Thoma *loc. cit. art.* 2. Prima, nempe ſi talis cultus erga creaturam exerceatur, ut reverentia & honore pro vero Deo colatur. Et (ut ſapienter advertit Caietanus 2. 2. *quæſt.* xcii. *art.* 1.) tria ſunt divinorum genera, quibus ſolus Deus eſt colendus: templa ſcilicet, altaria, ſacrificia, ut oblationes, decimæ, vota, & huiuſmodi quæ directe in ſolius Dei reverentiam ordinari poſſunt. Et hæc ſpecies ſuperſtitionis eſt idololatria, quæ divinam reverentiam & honorem exhibet indebite alicui creaturæ. Secunda, ſi divinus cultus ad creaturam referatur, ut ab ea tamquam a ſupremo numine inſtruamur ac doceamur: quod fit, quando eam veneramur orationibus ac devotione, ut occulta & præcipue futura nobis revelet. Et hæc dicitur divinatio. Tertia, ſi divinus cultus tribuatur creaturæ, ut ab ipſa dirigamur in noſtris actionibus, mediis improportionatis, ut exterior effectus qui intenditur, aſſequatur. Et hæc tertia ſpecies ſuperſtitionis appellatur vana obſervantia. Unde quinque ſunt ſuperſtitionis ſpecies, ex parte obiecti quod colitur, ſeu cultus falſi numinis: nimirum idololatria, divinatio, vana obſervantia, ad quam revocatur maleficium & magia.

§. II.

De idololatria.

Docent communiter de fide Theologi, cultum ac adorationem latriæ illum eſſe honorem qui ſoli Deo debetur; ita ut eidem ſoli, nec ulli omnino alteri tribui poſſit: ſicuti præcipitur in primo Decalogi mandato. Unde ſi alteri exhibeatur, committitur illud immane facinus quod *idololatria* appellatur, a Græco homine εἴδωλον, quod latine ſignificat imaginem, & λατρεία, quod importat *ſervire*. Tribuitur quidem hoc vocabulum, generaliter ſeu late ſumptum, aliis quoque mortalibus peccatis: eo quod per ea a Deo recedimus, & alicui inhærentes, creaturæ quam pro Deo æſtimamus, eam hoc ipſo nobis Deum facimus, dum in ea interpretative ſaltem ultimum finem noſtrum ſtatuimus. Hinc Apoſtolus avaritiæ crimen idolorum ſervitutem appellavit. Hæc tamen acceptio eſt impropria & potius metaphorica: cum omnis mortaliter peccans cultum Deo proprium creaturæ, aut alicui alteri quam Deo, revera non impendat; ſed id quod agit, ſolum habet ſimilitudinem huiuſmodi cultus.

Quare idololatria ſtricte ſumpta & proprie, ſi vocis etymologia ſpectetur, ſignificat cultum idoli ſive ſimulacri, id eſt cultum Deo debitum creaturis tributum. Unde ii a D. Auguſtino *lib. I. de Trinit.* idololatræ dicuntur qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent quæ Deo debetur. Idolum autem eſt ficta ſimilitudo eius quod non eſt.

Idololatria igitur eſt ſupremus ac divinus cultus creaturæ exhibitus, ſive eſt actus quo cultus ſupremus ſeu adoratio quæ ſoli Deo debetur, ut oblatio ſacrificii, vota, genuflexio, ſuffitus, tribuitur creaturæ tamquam Deo habenti in ſe divinam vim opitulandi ex ſua natura independenter ab alio. Definitur idololatria. Hic eſt proprius character Deorum Gentilium, Geniorum nempe, Heroum, ac variorum ſpirituum quos coluerunt, tamquam virtute aliqua divina præditos qui poſſent auxiliari hominibus propria poteſtate, auctoritate, ac voluntate, independenter a nutu ſupremi numinis, quem Iovem eſſe credebant. Quamvis enim pleroſque Deos ab aliis Diis procreatos finxerint, & multos etiam homines, v. g. Eſculapium ac Imperatores, in numerum Deorum retulerint: in illis tamen crediderunt ineſſe naturam divinam per propagationem naturæ divinæ,

ſicut

ſicut natura propagatur humana; & in his putarunt ineſſe quamdam divinam vim per proprietatem. Hinc patet idololatriam eſſe maximum ſcelus; dum per illam honor ſoli vero Deo debitus tribuitur creaturæ, unde graviſſima iniuria Deo infertur: non ſecus ac in Republica maximum eſt crimen, ſubditum pro Rege agnoſcere, eique honorem deferre. Quare a S. Gregorio Nazianzeno *orat.* XXXVIII. idololatria vocatur *extremum & primum malorum*; & a Tertulliano lib. de idolol. cap. I. *principale crimen generis humani*. Quando autem & quibus de cauſſis ſerpere cœperit maxima hæc impietas, a nobis iam explicatum fuit, dum ageremus de vitiis contra fidem.

Peccatum eſt graviſſimum.

§. III.

De divinatione.

Secunda ſuperſtitionis ſpecies ratione rei cultæ eſt divinatio, quæ in lata eius ſignificatione nihil aliud eſt iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* XCV. *art.* I. quam quædam prænuntiatio futurorum. Stricte vero ſumpta, & ut de ea hic loquimur, eſt indebita uſurpatio modis indebitis alicuius divini, earum ſcilicet rerum cognitionis quæ ad ſolum Deum ſpectat, nec ratione naturali poteſt acquiri, qualis eſt cognitio rerum contingentium, ſive futurorum, ſive præſentium occultorum, cuiuſmodi ſunt cogitationes cordium, & facta occulta hominum. Etenim cum ſit Dei proprium, ventura ac occulta, & præcipue quæ ab hominum pendent voluntate, ſcire ac prænuntiare; qui hæc modo indebito prænuntiat, dicitur divinare, ſeu divina agere: & ideo divinatio accipitur prout eſt idem ac divina actio ſeu notio.

Pro clariore tamen intelligentia notandum eſt I. ex S. Thoma *loc. cit.* futura dupliciter præcognoſci poſſe: uno modo in ſuis cauſſis; alio modo in ſe ipſis. Cauſſæ autem in quibus futura præcognoſci poſſunt, aliæ neceſſario & ſemper producunt ſuos effectus: & hi effectus futuri ex ſuis cauſſis certo præcognoſci poſſunt; quomodo aſtrologi futuram Solis ac Lunæ eclipſim prænuntiant. Aliæ non neceſſario nec ſemper, ſed tamen ut plurimum producunt ſuos effectus, & raro deficiunt. Tales enim effectus futuri præſciri poſſunt, etſi non certo probabiliter, tamen per conſiderationem ſtellarum: ſicut aſtrologi multa prænuntiant de coniunctione earumdem ſtellarum aut de pluviis ac ſiccitatibus; & Medici multa præſciunt de ſanitate, vel morte. Ideo qui cognoſceret cauſſas neceſſarias, poſſet etiam naturaliter & licite prænuntiare certo effectus neceſſarios. Aliæ tandem cauſſæ ſunt quæ ſecundum ſe conſideratæ ad utrumlibet ſe habent indifferenter, ut potentiæ rationales, quæ non magis ad unum quam ad aliud ſunt determinatæ: & huiuſmodi effectus, aut etiam alii qui ut in paucioribus caſu accidunt, ex cauſſa naturali per ſe conſiderata præſciri nequeunt. Idcirco harum cauſſarum effectus tantum in ſe ipſis naturaliter cognoſci poſſunt: ac proinde ſi cognoſci poſſunt in ſe ipſis, dum ſunt præſentes; cognitio tamen huiuſmodi effectus, antequam fiat, eſt ſolius Dei cui omnia ſunt in ſua æternitate præſentia, iuxta illud Iſ. cap. XLI. *Annuntiate nobis quæ ventura ſunt; & dicemus, quia Dii eſtis*. Non conſiſtit igitur divinatio in eo quod qui prænuntiat ea quæ ex neceſſitate eveniunt, vel ut in plurimis quæ humana ratione prænoſci poſſunt; neque in eo quod quis futura contingentia ex Dei revelatione cognoſcat (nam tunc non ipſe divinat, id eſt quod divinum eſt facit; ſed magis quod divinum eſt, ſuſcipit) ſed in eo quod quis ſibi uſurpat futurorum eventuum prænuntiationem ſeu revelationem. Divinatio fieri poteſt vel inſtinctu divino; & dicitur prophetia: vel ex obſervantia creaturarum; & tunc appropriato nomine appellatur divinatio, de qua hic. Definitur autem divinatio quod ſit *prænuntiatio futurorum eventuum, vel rerum occultarum manifeſtatio ex obſervatione creaturarum*. Pro diverſitate vero creaturarum ex quarum obſervatione fit, divinatio diverſa ſortitur nomina: ut aſtrologia, ſi ex obſervatione aſtrorum; auſpicium, ſi ex avium volatu aut aliorum animalium motu; augurium, ſi ex avium garritu futura prædicuntur; & alia de quibus infra ſuo loco agendum erit.

Notandum eſt II. dupliciter futura poſſe revelari, aut occulta manifeſtari, ex creaturarum obſervatione. Nimirum modo debito; ut quando ex connexione naturali quam futura & occulta cum ipſis creaturis habent, eadem coniiciuntur: ut cum ex aſpectu aſtrorum coniiciuntur temporum mutationes; ex ſignis faciei naturales hominis inclinationes, hiſque ſimilia. Hæc autem divinatio, ſi modo debito fiat, eſt licita. Et modo indebito; ut quando, nulla intercedente inter ipſas creaturas & futura aut occulta connexione, prænuntiantur futura, & occul-

Digitized by Google

occulta manifeſtantur: ut cum ex aſtris futura libera prædicuntur per aſtrologiam quæ dicitur iudiciaria, tantopere a ſacris legibus damnatam; cum per cadaverum inſpectionem futuri aut occulti effectus prædicuntur; & ſic de ceteris. Et hæc continet invocationem & ſocietatem, ſaltem implicitam, cum dæmone; & eſt omnino illicita.

Definitio divinationis. Divinatio, in hoc ſecundo & proprio ſenſu accepta, ita definiri poteſt: *Divinatio eſt prænuntiatio inordinata, ope dæmonis facta, futurorum eventuum:* vel *Divinatio eſt ſignificatio aut inquiſitio occultorum ope dæmonis expreſſe vel tacite invocati*, ut eam definit P. Antoine. Dicitur *prænuntiatio:* quia non ſolum verbis, ſed etiam ſignis perficitur. Additur *inordinata:* quia ope & auxilio dæmonis fit; & non a Deo, aut alio modo debito. Unde ſi quis curioſe cognitionem futurorum non a dæmone, ſed a Deo expoſtulet, peccabit: ſed non erit ſuperſtitio. Dicitur *futurorum eventuum:* ad denotandam ſpeciem. Nam licet attingat præterita quoque, non ſecus ac prophetia; præcipue tamen verſatur circa futura. Subiungitur tandem *occultorum*: ideſt eorum quæ ab homine propria induſtria cognoſci nequeunt. Quod ſi res illæ a ſolo Deo cognoſci poſſunt, ut ſunt ſecreta cordis & futura libera; involvitur tacita idololatria: quia dæmoni tribuitur honor divinus, dum ei quod Dei proprium eſt tribuitur, ac ab eo attenditur quod a ſolo Deo haberi poteſt. Quod ſi econtra tales ſint, ut eas etiam dæmones ſcire valeant, cuiuſmodi ſunt externi actus præteriti & futuri; nihilominus eſt letale peccatum, eo quia includit implicitam ſaltem invocationem dæmonis ac ſocietatem cum tam infenſo Dei hoſte: quod habet quemdam receſſum a Deo, & gravem in eum irreverentiam.

Illicita ex duplici capite. Porro divinatio ex duplici capite poteſt eſſe ſuperſtitioſa & illicita: nempe ex parte pacti cum dæmone; & ex parte medii quo fit hæc divinatio. Divinatio ex parte pacti ſeu invocationis dæmonis pariter duplex eſt: alia expreſſa; alia tacita & implicita. Expreſſa, quando quis verbis dæmonem invocat, vel aliquid uſurpat per quod putat dæmonem cooperari. Tacita vero & implicita, quando ad occultorum notitiam obtinendam adhibentur media vana & improportionata. Nam tunc talis notitia non poteſt expectari niſi a dæmone: dum iam conſtat, eiuſmodi ſigna vana non eſſe inſtituta a Deo, nec ab Angelis bonis exhiberi, nec habere naturalem connexionem cum illa: ut dum quis cupit furem cognoſcere cribri inverſione, aut quorumdam prolatione verborum. Divinatio vero ex parte medii pariter multiplex eſt: videlicet præſtigium, necromantia, chiromantia, haruſpicium, auſpicium, augurium, aſtrologia iudiciaria, ſors divinatoria, divinatio per ſomnia vel ſigna in aere, aqua, igne, corporibus terreſtribus apparentia, quæ ſingula in ſua propria ſpecie aperientur.

Quatuor vero ſunt præcipua genera divinationis, quorum ſingula multas ſpecies in ſe continent. Primum ſpectat ad expreſſam dæmonis invocationem, quæ generatim dicitur necromantia: alia tria ad tacitam; & ſunt divinationes per aſtra aliaſque naturales res, per ſomnia, per ſortilegia ſeu per ſortes.

Necromancia quid. Necromantia eſt genus divinationis, qua inquiritur per manifeſtum pactum cum dæmone ſeu per explicitam eius invocationem: quando ſcilicet invocatur dæmon, ut quidpiam patefaciat. Huius generis diverſæ oriuntur ſpecies ex diverſis modis quibus dæmon invocatur ſeu conſulitur. Et prima eſt præſtigium quo oculi hominum vel aures præſtinguntur, quando præſtigioſis quibuſdam apparitionibus, ideſt fictis & apparentibus figuris, dæmon ſe ingerit ipſorum aſpectui vel auditui, ad prænuntianda futura, aut alia occulta manifeſtanda. Altera vocatur ſpecialiter necromantia, qua quibuſdam precationibus, ac etiam adhibito ſanguine, dæmon rogatur ut mortuum aliquem ſuſcitet; & quaſi ſuſcitati mortui videntur divinare, & ad interrogata reſpondere. Tertia dicitur per pythones, ſeu ventriloquos, quando dæmon alicuius viri aut feminæ corpus occupans, voceſque per ipſius ventrem formans, futura prænuntiat, ſeu occulta aperit. De Pythoniſſis frequens ſermo eſt in ſacris Litteris. *Levit. cap.* XX. *Deuteron. cap.* XVIII. *I. Paralip. cap.* XV. collato cum *I. Reg. cap.* XXVIII. *Act.* denique *cap.* XVI. Quarta dicitur haruſpicium, quando ſcilicet dæmon interrogatus reſpondet per ſigna quædam ſenſibilia quæ in extis animalium occiſorum, præſertimque idolis immolatorum apparere facit. Quinta vocatur oraculum, & eſt quando conſultus dæmon per preces in idolis, per idola reſpondet. Aliquando reſpondet conſultus per ſigna apparentia in aqua; & hæc dicitur hydromantia: aliquando per ſigna in terra; & hæc eſt geomantia: aliquando in aere; & eſt aereomantia: quandoque per ſigna in igne; & dicitur pyromantia. Advertendum

dum, quod hæc omnia (nempe hæ ſpecies omnes divinationis) non ſolum ſunt enormia crimina, ſed etiam vetita ab Eccleſia ſub pœna anathematis.

Aſtrologia quid, & quotuplex.

Secundum genus divinationis eſt per aſtra aliaque naturalia. Et hoc per tacitam ſeu implicitam dæmonis invocationem: quatenus ad cognoſcenda quædam futura & occulta, aliqua conſiderat homo in diſpoſitionibus ſeu concurſu contingenti aſtrorum aliarumque rerum naturalium vel humanarum actionum, quæ ad eam cognitionem quam inquirit, nihil valent. Et huius generis divinationis prima ſpecies eſt, ſi quis ex conſideratione ſitus aut motus ſiderum futura cognoſcere ac prænuntiare conetur: & hæc vocatur aſtrologia iudiciaria.

Pro clariore tamen inteligentia eorum quæ ſunt dicenda, notandum eſt I. aliquos naturales effectus, puta ſiccitatem, pluviam, tempeſtates, coniicere licet ex avium aliorumque animalium motu, garritu, volatu: cum hæc non ſint hominis cognitioni ſaltem probabili improportionata.

Notandum eſt II. aſtrologiam, vi cuius ſutura prædici ſolent, ſecundum communem doctorum, duplicem agnoſci ac ſtatui; aliam ſcilicet naturalem; aliam iudiciariam. Aſtrologia naturalis eſt ea quæ ex ſitu, motu, colore, ſcintillatione, ortu, & occaſu planetarum & aſtrorum, ea quæ naturaliter eveniunt, conjecturat: puta eclipſes, pluvias, ventos, grandines, tempeſtates, & ſimilia ex cælorum motu pendentia. Et hæc non eſt illicita & ſuperſtitioſa, iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* xcv. *art.* 5. ubi ſic ait: *Si quis utatur conſideratione aſtrorum, ad præcognoſcenda futura quæ ex cæleſtibus cauſſantur corporibus, puta ſiccitates, & pluvias, aliaque huiuſmodi, non erit illicita & ſuperſtitioſa divinatio*. Tales enim ſunt effectus qui optime poſſunt cognoſci per ſuas cauſſas: & huiuſmodi cognitio maxime conducit agriculturæ, medicinæ, navigationi. Cum tamen virtus aſtrorum ſit valde obſcura, quia ab aliis cauſſis, v. g. ventis, vaporibus, frigore, impediri poſſunt; & quia cognoſcere omnes aſtrorum virtutes eorumque variationes ſecundum diverſos eorum aſpectus, trigoni, hexagoni, & ſimilium, & in qualibet regione ac temperamento, humanam excedit facultatem: hinc merito doctores docent nonniſi coniecturaliter poſſe dictas prædictiones inſtitui; ita ut ſi quis tamquam certas illas adfirmaret vel crederet, in hoc genere quoque prædictionis in culpam incideret per exceſſum. Sed ex hoc capite eſſet ſolum levitatis, temeritatis, & imprudentiæ levis culpa. Aſtrologia iudiciaria ea eſt quæ ex aſtrorum curſu, ſtellarum coniunctionibus, planetarum aſpectibus & conſtellationibus futuros eventus fortuitos, & actiones ex libera hominum voluntate pendentes, aut præterita vel præſentia prædicit. Et hæc aſtrologiæ ſpecies in plures dividitur partes. Prima eſt eadem ac naturalis, iam explicata. Altera dicitur genethliaca, quæ prænuntiat omnia quæ homini decurſu vitæ eventura ſunt, v. g. hanc vel illam mortem certo die & loco ſubiturum; uxorem pulchram, divitem, deformem, aut pauperem ducturum; hanc vel illam dignitatem conſecuturum. Tertia dicitur electionum, prædicens quid in omni negotio utiliter eſt agendum vel omittendum, quando domo egrediendum, ut fauſti eventus reſpondeant. Quarta eſt imaginum fabricatarum: & in eo conſiſtit, quod aſtrologi quaſdam figuras, numeros, characteres perficiunt, quos ex ſimpathia vel figuris quæ in cælis reperiri comminiſcuntur, dicunt habere virtutem ad quoſdam effectus producendos. Et hæc divinatio ſi fiat per lineamenta apparentia in manibus, dicitur chiromantia, quæ eſt quinta ſpecies huius aſtrologiæ. Sexta, ſi fiat ex quibuſdam ſignis in ſpatula alicuius animalis apparentibus, ſpatulamantia appellatur. Septima, augurium, cum eadem quæruntur ex motibus vel vocibus avium & quorumcumque animalium, aut ex hominum ſternutationibus. Octava, auſpicium, cum fit ex avium volatu, vel ex alio quorumcumque animalium motu. Nona, omen, cum aliquid prædicitur ex hominum verbis aut vocibus præter intentionem prolatis.

Hiſce notatis, dico ſecundam cum omnibus aliis ſpeciebus aſtrologiæ iudiciariæ ſuperſtitioſam eſſe & illicitam. Et hoc ex ipſa ratione ſatis manifeſte conſtat. Nam huiuſcemodi ratio prænuntiandi omnes effectus fortuitos, aliaque futura ac occulta ab hominum arbitrio pendentia, ut matrimonia, ſtatum, liberos, mortem, divitias, inimicitias, prælia, ad naturales cauſſas reducit: quod falſum eſt ac impium. Corpora enim cæleſtia, animalia, & huiuſce generis alia nullam vim in hominum voluntatem habere poſſunt. Præterquam quod furta, homicidia, aliaque facinora ad aſtrorum animaliumque influxum reducerentur; non vero ad hominum libertatem & malitiam: ac ideo peccata non eſſent. Igitur talis divinatio prorſus falſa eſt ac ſuperſtitioſa.

Rur-

Digitized by Google

Rurſus hæc aſtrologia fatum, hoc eſt immutabilem omnium diſpoſitionem, a ſtellis vel ab alia naturali re extra agenrem liberum dependentem ſtatuit: quod omnes Catholici improbant ac damnant, ut ex Euſebio *Præparat. Evangel. lib. VI. cap.* VIII. & IX. conſtat. Inſuper vel aſtra aliaque ex quibus deducitur prædictio, influunt per virtutem naturalem in prædictos effectus: & ſic, cum hæc ſint neceſſaria, tollerent libertatem ad illa peragenda. Vel concurrunt ut ſigna naturalia, non ſecus ac iris ſignificat ſerenitatem. Sed hoc modo nequeunt aſtra & aliæ naturales res agenti exteriores concurrere; utpote quæ nullam habent connexionem cum eventibus futuris. Igitur nequeunt eſſe cauſſæ influentes, nec ſigna naturalia horum effectuum. Nec etiam concurrere poſſunt ut ſigna ad placitum Dei vel Angeli boni: quia nec Deus nec Angelus bonus poſſunt eſſe cauſſa malorum operum, quæ in orbe fiunt, & ab aſtrologis prænuntiantur. Sequitur ergo, quod ſint ſigna ad placitum dæmonis, vi pacti impliciti cum eo initi; ac ideo ſuperſtitioſa. Et hæc ratio ſtat etiam pro effectibus cauſſalibus qui cum non habeanr cauſſam per ſe; nonniſi ex dæmonis doctrina cognoſci poſſunt & prædici. Hinc aſtrologia iudiciaria, quoad ſupradictas ſpecies, graviter a Scriptura, Patribus, Conciliis, & a Sixto V. *Conſtit.* XVII. incipiente *Cœli & terræ*, necnon ab Urbano VIII. ſua Conſtitutione quæ incipit *Inſcrutabilis*, damnatur.

§. IV.

De interrogatione occultorum, abſentium, vel futurorum, ſaltem per exorciſmos facta dæmoni.

Licet per exorciſmos interrogare obſeſſos a dæmone ſolummodo de iis omnibus in quibus hæc tria concurrunt. Primo, ut concernant perſonalem ſtatum obſeſſi & obſidentis: ſecundo, ut ſint ad deſtruendam poteſtatem dæmonis, & ad fidelium utilitatem: tertio, ut tales ſint, quæ dæmon nonniſi compulſus diceret. Et hoc docet exemplum Chriſti Domini, Apoſtolorum, & Sanctorum, qui nullos umquam interſeruere curioſos ac inutiles ſermones, a dictis finibus omnino alienos, nec aliud docuerunt ac commendarunt. Et ratio ipſa hunc agendi morem nos docet. Nam in primis dæmones non habent ſcientiam rerum contingentium in mundo, quæ remote vel proxime dependent ab aliqua interveniente Dei, Angelorum, vel hominum libera actione. Quocirca interrogare dæmonem de rebus quæ reſpiciunt ipſum dæmonis obſidentis individuum, nihil aliud eſt quam inquirere figmenta ac mendacia. Interrogare pariter dæmonem de iis quæ tametſi dæmon ſcire valeat, non tamen pertinent ad ſtatum obſeſſi, ad facilius poteſtatem dæmonis evertendam, fideliumque faciliorem inſtitutionem, ita ut appareat dæmonem nonniſi coactum ea aperiturum; vana inordinataque curioſitas eſt, quæ ſæpe ſæpius multatur a Deo per dæmonum illuſiones irriſioneſque. Ita enim docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcv. *art.* 4. *ad* 1. ubi ad illud quod ſibi obiicit de Chriſto Domino qui dæmonem interrogavit de eius nomine (Marc. cap. v. *Quod eſt tibi nomen?*) ſic ait: *Non velut inſcius Dominus inquirit, ſed ut, confeſſa peſte quam tolerabat, virtus curantis gravior emicaret. Aliud autem eſt, inquirere aliquid a dæmone ſponte occurrente; quod quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando divina virtute poteſt compelli ad vera dicenda: aliud eſt, dæmonem invocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipſo.* Ita etiam docent Ritualia, præcipue Romanum, ubi regulæ traduntur de modo tenendi circa interrogationes a dæmone in exorcizandis ab ipſo obſeſſis.

§. V.

De divinatione per ſomnia, Græce oniromantia.

Nota ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XIV. *art.* 6. quatuor eſſe ſomniorum cauſſas: duas corporales; & duas ſpirituales. Tam corporalium, quam ſpiritualium una eſt interior ſeu intrinſeca; altera exterior ſeu extrinſeca. Corporalis interior eſt interna diſpoſitio, v. g. humor aliquis ex quo ſubinde formantur motus in phantaſia: & ſomnia accidunt tali humori & diſpoſitioni conſentanea, iuxta D. Thomam laudatum. Nam ex calore exundante fiunt ſomnia de rebus diverſiſſimis abſque ordine: ex atra bile ſomnia triſtia; ex abundantia ſpermatis ea quæ pertinent ad libidinem; ex abundantia ſanguinis ſomniantur roſæ punicæ, crocus, choreæ, convivia, & quidquid cor lætificare poteſt: & ſic de aliis. Hæc ſomnia obſervare ut inde corporis diſpoſitio coniectetur, tum ea quæ nunc eſt, tum quæ ex proximo impendet, peritis Medicis licet. Corporalis exterior eſt vel aer ambiens, vel corpus cæleſte, iuxta D. Thomam

Quatuor ſomniorum cauſſæ.

mam *loc. cit.* Nam ſi quis dormiet v. g. in cubiculo valde calefacto, longe alia erunt eius ſomnia, ob aerem circumſtantem & reſpiratione attractum, qui commovet ſpiritus animales in quibus phantaſmata rerum inſident. Ex ſomniis a tali cauſſa provenientibus nihil de futuro divinare licet; de præſenti vero, qualis fuerit noctu corporis diſpoſitio, licet. Cauſſa ſpiritualis interior eſt animalis, ſic dicta, quia naſcitur ex animæ paſſionibus, & per eam occurrunt hominis phantaſiæ in dormiendo ea quibus, dum vigilaret, cogitatio fuit implicata: ſive, ut Silvius docet, cogitatio aliqua præcedens, ex qua fit ut inter dormiendum in phantaſia ſeu imaginatione ea volvantur in quibus vigilantis cogitatio diu fuerit immorata. Et hæc cauſſa eſt naturalis; ſed ad futuros eventus nullum habet ordinem: idcirco ſuperſtitioſum foret divinare de futuris per huiuſmodi ſomnia. Cauſſa vero ſpiritualis exterior eſt quandoque ſpiritus bonus, nempe aliquis Angelus bonus, cuius miniſterio quandoque aliqua in ſomnis revelat Deus hominibus, vel oſtendendo imagines quæ metaphorice ſignificant; ut *Geneſ. cap.* XXXVII. de ſomniis Ioſeph manipulorum, Solis, Lunæ, ac ſtellarum, & *ibid. cap.* XLI. Pharaonis de ſeptem bobus & ſpicis: vel expreſſe aliquas imagines formando in phantaſia dormientis eodem modo ac ſi per auditum corporis eas audiret, ut Deus *Numer. cap.* XII. promiſit; & ita *Gen. cap.* XX. locutus eſt Dominus Abimelech, *ibid. cap.* XXVIII. Iacob, & *Matth. cap.* I. S. Patriarchæ Ioſepho. Quandoque vero cauſſa ſomniorum eſt ſpiritus malus ſeu dæmon, qui ſua operatione, ſic Deo permittente, non ſolum ſæpe humores corporis dormientium commovet, eos ad iram v. g. aut libidinem concitando; ſed etiam ex eadem dæmonis operatione aliqua dormientium phantaſiæ apparent ex quibus eis aliquando occulta aliqua manifeſtat. Divinare per ſomnia divinitus immiſſa, aut ex naturali cauſſa provenientia, quoad ea ad quæ illa naturalis cauſſa poteſt ſe extendere, non eſt illicitum, ut D. Thomas *loc. cit.* docet. Quoad ſomnia autem divinitus immiſſa, erit peccatum eis fidem denegare, quando certo aut probabilius conſtat eſſe a Deo: quia Deo loquenti fides eſt habenda; & quia prædicta ſomnia a Deo immituntur, ut nos corrigat, doceat, & inſtruat. Et licet ea tunc non percipiamus; poſtea forte eorum ſenſum intelligemus, ut contigit D. Petro, qui a ſomno excitatus exclamavit dicens Act. cap. XII. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum*. Et de huiuſcemodi revelationibus a Deo factis aliquibus in ſomnis quampluria habentur exempla in divinis Scripturis. Sciendum vero eſt, dæmonem revelationes per ſomnia iis facere qui cum illo habent pactum ſive ſocietatis, ſive ſubiectionis, tacitum vel expreſſum. Expreſſum pactum cum dæmone habent qui ipſum invocant, ut talia ipſis revelet; tacitum autem illi habent qui ex ſuis ſomniis ſcire cupiunt ea quæ naturaliter ex ſomniis ſcire nequeunt.

Porro cum difficile ſit iudicare quæ ſomnia a Deo immittantur, pariter difficile eſt ſcire quo virtus ex qua forte proveniunt, ſe extendat: ideo non eſt facile ex ſomniis aliqua prænuntiare, niſi Confeſſarii aut alterius prudentis viri iudicium habeatur, quod ea ſomnia a Deo ſeu ab eius bono ſpiritu ſint immiſſa. Eſt aliquod ſignum ſomnii a Deo immiſſi, ſi in eo res bona proponatur abſque obſcuritate; & ſomnians remanſerit poſtea quietus & tranquillus, & ad humilitatem devotionemque diſpoſitus. Quod ſi propoſita ſit res aliqua turpis & inhoneſta, ex præcedenti aliqua cauſſa non proveniens; & ſomnium inquietum relinquat hominem, confuſum, & ad bona ſegniorem; ſi fuerit obſcurum, vanitatemque aut curioſitatem foveat, vel ducat ad malum: a dæmone procuratum eſt. Ita Silvius. Dicendum igitur divinationem quæ fit per ſomnia divinitus immiſſa, aut ex cauſſa naturali provenientia quoad ea ad quæ illa naturalis cauſſa poteſt ſe extendere, eſſe licitam: illam autem quæ fit per ſomnia a dæmone excitata, aut ex cauſſa naturali orta ad divinanda ea ad quæ naturalis cauſſæ virtus non poteſt ſe extendere, eſſe prorſus illicitam. Idcirco ſi quis hiſce ſomniis utatur quaſi certis regulis ad cognoſcendum, vel omittendum aliquid circa vitæ Chriſtianæ aut civilis officia, aut circa futura libera, mortaliter peccaret. Hoc enim graviter prohibetur in divinis Scripturis, præcipue Levit. cap. XIX. *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia:* & Deuter. cap. XVIII. *Nec inveniatur in te qui obſervet ſomnia*.

Difficile diſcernuntur, unde ſint.

§. VI.

De divinatione per ſortes, quæ dicitur ſortilegium.

Quarta ac ultima ſpecies divinationis ſuperſtitioſæ, per tacitam dæmonis invoca-

tio-

tionem, eſt ſortilegium ſeu divinatio per ſortes. Hæc conſiſtit in actibus humanis conſulto factis; ſeu tum ſortes proprie dicuntur, quando aliquid fit ut, eius eventu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat: v. g. quid huic vel illi competere debeat. Ad has ſortes, ut ex ſe conſtat, requiritur vel quod ſit conventio inter partes, vel quod ſecum conveniat homo ſortes emittens ut ex eis aliquid ſibi occultum innoteſcat. Et hæc divinatio per ſortes fit pluribus modis: vel per iactum & numerum taxillorum; vel per figurarum quæ formantur ex plumbo liquefacto in aquam proiecto, conſiderationem; vel per quaſdam ſchedulas ſcriptas & non ſcriptas ſimul immixtas, & in occulto poſitas, eas ſigillatim extrahendo; vel per conſiderationem feſtucæ quam quis eligit ex duabus oblatis, æqualibus, aut inæqualibus; vel per conſiderationem eius quod librum fortuito aperienti primo occurrit. Ita D. Thomas *loc. cit.* Dum enim ex iſtis futurorum cognitio inquiritur, eſt implicita divinatio, ac dæmonum invocatio. Et generali nomine vocatur ſortilegium ſeu divinatio per ſortes.

Sortilegium quid ſit.

Pro clariore tamen intelligentia notandum eſt cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* xcv. *art.* 8. ſortes proprie dici, quando aliquid ſerio ab homine fit ut, eius eventu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat. Sors autem in rebus neceſſariis locum non habet, neque in his quæ ut plurimum contingunt (nemo enim ſortibus inquirit, an Deus ſit, an duo & duo faciant quatuor, an æſtas calida, frigida hyems) ſed ſolum in rebus humanis quæ ad nos vel ad amicos noſtros pertinent, quæ per propriam induſtriam & prudentiam cognoſcere & ad effectum perducere nequimus. Quia vero res ad humanam vitam pertinentes tribus modis accommodari poſſunt (vel primo, ut ſollicitentur homines ut ea qualitercumque habeant; vel ſecundo, ut habitis utantur; vel tertio, ut futurum eventum cognoſcant) ideo iuxta hæc tria triplex conſtitui ſolet ab auctoribus ratio ſortium. Nempe aliæ ſunt diviſoriæ; aliæ conſultoriæ; aliæ divinatoriæ.

Tria ſortium genera.

Tres igitur ſunt ſortium ſpecies, nempe diviſoriæ, conſultoriæ, divinatoriæ. Diviſoria, quando quæritur quid unicuique ſit exhibendum, ſive ſit dignitas, honor, pœna, præmium, aut actio ſeu ius aliquod. Conſultoria, ſi a divina voluntate inquiratur per ſortes, quid in hoc aut illo arduo negotio agendum ſit, quidve cavere, quidve aggredi debeamus. Divinatoria, quando quæritur, quid ſit futurum, vel ut occultum reveletur. Et quidem ſi quis utatur ſortibus, quaſi actus humani qui adhibentur, ſuum effectum ſortiantur ex ſtellarum diſpoſitione; talis ſortium divinatio ſuperſtitioſa eſt & illicita: quia actus humani non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum. Si autem effectus aliunde & ſi attendatur; videndum a quo expectetur, ut definiri poſſit, quando licita ſit, quando non. Sors diviſoria in multis licita eſt: modo eventus non expectetur a dæmone vel a fortuna tamquam ab aliquo numine, ſed ſimpliciter a Deo; & modo nemini fiat iniuſtitia; neve quidpiam agatur contra bonum publicum. Cavendum etiam eſt ne talis diviſoria ſors adhibeatur in electionibus eccleſiaſticis, immo nec in ſæcularibus, ſine neceſſitate: quia beneficia & officia eccleſiaſtica, immo & ſæcularia, dignioribus ſunt conferenda, qui non ſorte, ſed diligenti rationis inveſtigatione dignoſci debent. Item ne divina oracula convertantur ad terrena negotia: veluti utendo libro Evangeliorum ad ſortiendum. Licite tamen ſors diviſoria adhibetur ſive ad hæreditatis diviſionem, ſive ad litis compoſitionem, quando ius utriuſque partis appareat æquale, & utraque pars in ſortitionem conſentit. Item quoties non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo vel incommodo debeat præferri: ut Proverb. cap. xviii. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat.* Non ſunt enim ſuperſtitioſæ; quia non aſſumuntur ad inveſtigandum aliquid occultum: nec iniuſtæ; cum ordinentur ad quemdam contractum in quo æqualis eſt contrahentium conditio, ut res vel exemptio ab incommodo ſit illius cui ſors obtigerit. Unde ſi tempore peſtis aut perſecutionis ſit diſceptatio inter Medicos aut Dei miniſtros, quinam ad corporum animarumque curam manere debeant; ſi aliter determinari nequeat, ſorte dirimenda eſſet: ut S. Auguſtinus *Epiſt.* clxxx. & D. Thomas *loc. cit. art.* 8. quos ſequuntur Catholici omnes. Uti ſorte diviſoria, eventum expectando nec ab aſtris, nec a dæmone, nec a fortuna tamquam a numine, neque expreſſe a Deo; ſed tamquam a caſu fortuito: non videtur habere vitium niſi vanitatis, ex eo quod ſit actus otioſus ſine neceſſitate vel utilitate.

Diviſoria quando licita.

In dignitatibus officiiſque ſæcularibus conferendis, eo quod illa ſolum ordinentur ad temporalia diſpenſanda, poteſt haberi re-

curſus ad ſortes: cum hac tamen conditione, Si aliter concors electio eſſe non poſſit. In caſu ergo paritatis competitorum, qui omnes æque idonei ſunt, licebit difficultatem ſorte dirimere; alias autem prudenti electione conferenda ſunt officia etiam ſæcularia. In eccleſiaſticis vero beneficiis, dignitatibus, aliiſque ſpiritualibus officiis, vetitum eſt in iure canonico *cap.* Eccleſia *de ſortileg.* ubi Honorius III. ſortis uſum in talibus electionibus perpetua prohibitione damnavit: ita ut ſi duo ad beneficium aliquod pari ſuffragiorum numero eſſent electi, non liceret electionem terminare ſortibus; ſed tum ſuffragia repetenda ſorent, tum ſuperior adeundus qui præſcriberet eis terminum, quo elapſo, electio ad eum devolveretur. Ad terminandam vero litem de beneficio, an liceat uti ſortibus, ambigitur. Veroſimile eſt, quod poſſit, quando nequit inveniri cui potius debeat competere: modo interveniat auctoritas iudicis eccleſiaſtici, & utraque pars conſentiat. Non enim eſt mens Eccleſiæ, ut lites maneant interminatæ: & per iudicis auctoritatem tollitur periculum pravi ingreſſus in beneficium; quod alioquin contingere poſſet. Ita Silvius hic cum aliis.

Conſultoriæ num ſint licitæ.

Sortes conſultoriæ, quibus inquiritur quid in aliqua re obſcura ſit agendum, ſunt illicitæ, niſi fiant ex divina inſpiratione; quia continent tentationem Dei, & periculum diabolicæ deceptionis: immo ſunt ſuperſtitioſæ, ſi cognitio a dæmone expectetur. Unde *cap.* Sortes XXVI. *q.* V. ſub anathematis pœna prohibentur. Licitæ ſolummodo ſunt, ſi ex ſpeciali divino impulſu aſſumantur: ut factum legitur *Ioſ. cap.* VII. in detinendo Achan; & *Act. cap.* I. in electione Matthiæ, ubi Apoſtoli, poſtquam duos ſtatuerunt, ad dirimendam paritatem inter eos, uſi ſunt ſorte. Licitus etiam earum uſus videtur in caſu magnæ neceſſitatis, quando ſuper re neceſſario agenda humanum iudicium non ſufficit: dummodo tamen adhibeatur debita reverentia ad Deum, ſervatis modis proportionatis, non utendo v. g. ſacris reliquiis ac Evangeliis ad lucra temporalia; nec fiat ſortitio, ut alias notavimus, pro officiis aut beneficiis eccleſiaſticis, quæ ſunt conferenda per electionem. Extra hoſce caſus illicitum eſt uti ſortibus conſultoriis. Deus enim non vult indagari ſortibus ſuam voluntatem; ſed ex Eccleſiæ ac Sanctorum doctrina, petendo conſilium a prudentibus.

Item divinatoriæ

Sortes divinatoriæ, quibus nimirum exquiritur notitia eventus futuri contingentis, aut alicuius rei occultæ, ut ſi quis ex aliquo modo divinandi per ſortes divinet quis obtenturus ſit dignitatem, beneficium, victoriam; extra caſus iam explicatos ſunt ſuperſtitioſæ & illicitæ: cum per tales divinationes inquiratur præter debitum ordinem notitia futurorum & occultorum. Nam tales ſortes neque ex natura rei, neque ex Dei vel Eccleſiæ inſtituto inſerviunt ad rem occultam vel futuram agnoſcendam: idcirco ſunt media vana & improportionata ad hunc effectum aſſequendum; ac proinde intervenit in iis tacita dæmonis invocatio. Hinc graviter multis prohibentur canonibus *c.* XXVI. *q.* V.

De uſu ſortium ollæ.

Inquiri hic poteſt, an ille uſus ſortium qui dicitur lotriæ ſeu ollæ, ſcilicet quo ex olla vel ex alio aliquo vaſe ſortiuntur, quis pro ſua quam inſert pecunia, multum accipiat, quis parum, quis nihil. Tametſi quibuſdam videatur illicitus; verior tamen ſententia eſt, licitum eſſe: ut quondam docuerunt Lovanii, Ioannes Briaret *quodlibet.* V. & poſt eum Delrio *Diſquiſit. magic. Part. II. lib. IV. cap.* IV. dummodo tamen hæ conditiones concurrant. Primo, quod ſi is qui proponit præmia, in privatam ſuam commoditatem inſtituat lotriam; non plus notabiliter lucretur, quam lucraretur, ſi alio quovis contractu licito ſuas merces diſtraheret. Si autem in publicam & communem utilitatem inſtituatur, cum auctoritate Principis; civitas vel communitas quæ præmia proponit, poteſt nonnihil excedere in lucro inde expectato, prout arbitrio prudentum ad publicam ſublevandam neceſſitatem, vel ad publicam cauſſam pie promovendam viſum fuerit decernere, quantum quiſque ſortientium ſortiri debeat. Secunda conditio eſt, ut abſit omnis fraus, tam ex parte eorum qui ſortes conſerunt, quam ex parte illorum qui præmia proponunt, eorumque miniſtrorum; & ideo non permutentur, nec imminuantur præmia; non alterentur ſchedæ per quas fit ſortitio; non exponantur oculis tamquam præmia, quæ nec præmia ſunt, nec poſſunt per ullam ſortem auferri; ac per conſequens tunc accipiantur ſortes, quando omnia præmia ſint occupata. Nam hoc eſſet decipere ſortientes, qui putant per ſuam ſortem poſſe lucrari, ſicut poſſunt perdere. Hiſce enim rite ac recte ſervatis, unuſquiſque iuſte accipit præmium ſibi obveniens etiam per unicam ſortem quantumvis magnam; ſicut altera pars iuſte retinet ſortes eorum quibus nihil obtingit: quia tale eſt pactum

inter ſortientes, & eos qui præmia proponunt. Unde iſte luſus licitus eſt, utpote qui neque per leges eſt vetitus, neque opponitur iuſtitiæ, neque caritati: continet enim pactum mutuum, & omnino ſpontaneum. Scienti autem & volenti nulla fit iniuria. Quocirca cum nemo cogatur pecuniam in ſortem conferre; nihil committitur in tali ludo contra caritatem. Quod ſi contingat aliquem induci ex hoc ad peccatum, puta avaritiæ aut cupiditatis: hoc fit per accidens; neque aliquod opus in publicam & communem utilitatem eſt prætermittendum, eo quod quidam ex eo occaſionem ſumant peccandi.

Inſuper quæri poteſt, num certationes quæ ſæpe inter homines fiunt, propoſito lucro vel damno quod certantibus ſit obventurum, licitæ ſint. Et reſpondet Silvius eſſe licitas, ac inducere obligationem talem, qualem mutua promiſſio. Sed facile poſſunt admiſceri peccata ſuperbiæ, inanis gloriæ, & ſuperſtitionis. Et quando certatur de rebus quæ non pendent a certantibus, poſſunt occurrere aliqua bonis moribus contraria: velut ſi dum hoſtilis civitas a Rege obſidetur, Regis ſubditi certent eam non recuperandam intra certum tale tempus; agunt contra officium boni ſubditi, & ſpeciem mali præbent, ac ideo puniri poſſunt.

§. VII.

De vana obſervantia.

Tertia ſuperſtitionis ſpecies eſt vana obſervantia, quæ in hoc differt a divinatiotione, quod divinatio primario & per ſe verſetur circa cognitionem ſpeculativam rerum occultarum vel futurarum, modo indebito conſequendam; obſervantia vero vana & ſuperſtitioſa totaliter verſatur circa cognitionem practicam, pro aliquo externo opere agendo vel omittendo. Et in eo conſiſtit, ut aliquis adhibeat media inutilia, vana, & improportionata ad aliquem effectum obtinendum, commoditates nempe, variaſque corporum immutationes, puta ſanitatem, vitæ dilationem, ſcientiam rerum univerſalium, aut nocumenta iis commoditatibus contraria, alteri inferenda: ad quos effectus illa media nec a Deo, nec a natura vim habent, nec ab Eccleſia ad id ſunt ordinata; ac proinde ex ſola dæmonis cooperatione ad eum finem idonea. Unde ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVI. *art.* 1. ita definiri poteſt. *Vana obſervantia eſt ſuperſtitio, qua mediis inutilibus, nec a Deo, nec a natura conſtitutis aliquis exterior effectus intenditur.* Hæc autem vetita eſt in iure canonico, necnon in ſacris Litteris, locis iiſdem quibus divinatio. Obſervantiæ nomine intelligitur etiam magia, veneficium, maleficium, & ſimilia. Et ſicut datur divinatio reſpectu pacti cum dæmone explicita & implicita; ita etiam vana obſervantia. Vana obſervantia explicita eſt, quando explicite invocatur dæmon, ut doceat aliquos effectus per media aliqua quæ vel homini ſunt incognita, vel per quæ dæmon tamquam per inſtrumenta effectus illos principaliter producit. Item ſi effectus intentus naturalem vim cauſſæ quæ adhibetur, excedat, & etiam facultatem naturalem dæmonis; qualis eſt infuſio ſcientiæ, aut aliorum benevolentiæ conciliatio, quæ dæmon naturaliter præſtare nequit: eſt expreſſa ſuperſtitio; dum ſuperſtitioſe expectatur a dæmone quod ſolius Dei eſt. Sin autem effectus intentus non excedat naturalem dæmones facultatem, ut ſunt ſanitas & quævis corporis immutatio (excipe reſurrectionem corporis, aut reſtitutionem viſus, & alia huiuſmodi quæ naturali alicuius creaturæ virtute operari nequeunt) tunc licet graviſſimum peccatum foret propter commercium cum dæmone; non eſſet tamen proprie ſuperſtitio, ut notant Valentia & Sayrus: Quia tunc non uſurpatur, nec expectatur a dæmone quod eſt ſolius Dei. Nam dæmon poteſt multa facere, applicando activa paſſivis, quæ nobis ignota ſunt; utpote qui ignoramus naturales rerum cauſſas, quæ tamen dæmoni ſunt manifeſtæ. Implicita vero vana obſervantia eſt, quando quis ea adhibeat media ad effectus aliquos ad quos nullam habent illa virtutem, ignorans dæmonem eum eſſe qui illos effectus operari ſolet: & ita licet ignorans hiſce utatur. Nam ſi ſcienter huiuſcemodi media vana adhibeantur, eo ipſo licet non verbo, facto tamen expreſſe dæmon invocatur.

Quid ſit vana obſervantia.

Huiuſce obſervantiæ vanæ iuxta diverſitatem effectuum qui intenduntur, tres ſunt ſpecies (iuxta D. Thomam *loc. cit.*) nempe ars notoria, obſervantia ſanitatum & incantationis, & obſervantia futurorum: ad quas omnes vanæ obſervationes reducuntur. Hæ autem omnes ſuperſtitiones dividuntur in hæreticales, quando intervenit invocatio dæmonis per preces & ſacrificia; & in non hæreticales, quando non intervenit talis invocatio.

Ars notoria.

Ars notoria eſt ſuperſtitio, qua quis poſtulat ali-

quorumdam ignotorum verborum, prolationem, per certas preces & ieiunia, per certa aliqua ſigna, aut per alia huiuſmodi media ex parte naturæ & Dei prorſus inutilia, ſed tantum ex cooperatione dæmonis idonea ad intentum effectum, qui expectatur: ſcilicet ad ſcientiam aliquam acquirendam abſque ullo ſtudio, & ad rerum notitiam ſine ullo labore conſequendam. Talem artem exercent qui pueris vel puellis promittunt infuſam ſcientiam rerum addiſcendarum per media improportionata, vel qui promittunt hominibus notitiam furis qui illis furatus eſt, vel ſagæ quæ poſuit maleficium. Et hæc obſervantia eſt mortale peccatum, ob tacitum cum dæmone commercium: & eſt prorſus illicita. Utitur enim huiuſmodi inſpectionibus figurarum, & prolationibus verborum, ut ſignis: cum hæc non ſint divinitus ad hoc inſtituta; ac proinde vana, ſupervacanea, ac prorſus inefficacia ad talem ſcientiam acquirendam. Ex hiſce enim acquiri nequit ſcientia naturalis; dum ſolius Dei eſt eam alicui infundere, nec ad dæmones ſpectat illuminare intellectum.

Obſer. vantia ſanitatum.

Obſervantia ſanitatum & incantationis eſt ſuperſtitio, qua media inania & inutilia adhibentur tamquam ſigna ad ſanitatem hominum vel brutorum conſervandam vel recuperandam; ad ſiſtendum motum in brutis vel homine, aut curſum ventorum & nubium; ad mitigandos dolores, aut effluxum ſanguinis impediendum; aliaque huiuſmodi incommoda propulſanda: ac proinde talis ſuperſtitio eſt letale peccatum; cum talia ſigna pertineant ad pacta ſignificanda inita cum dæmone. Dixi, *adhibeantur tamquam ſigna:* quia quando media adhibita ad hos intentos effectus non valeant vi ſua tales effectus naturaliter cauſare, non poſſunt adhiberi ut cauſſæ; ſed adhibentur ſolum tamquam ſigna quæ vi dæmonis operantur: cum a Deo non ſint ad tales effectus producendos conſtituta. Hinc huius ſuperſtitionis rei efficiuntur qui certa ignota nomina, certa determinata verba, certos characteres, certas ſcripturas, certaque involucra, certa ſigna, certum numerum crucium & orationum, aliaque huiuſmodi inutilia adhibent & applicant ad ſanandos morbos, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad ſiſtendum ſanguinem, ad ſe alioſve reddendos impenetrabiles telis, enſibus, gladiorum ictibus, ut immunes ſint ab hoſtium læſionibus, ac ab omni infortunio & qualibet infirmitate liberi. Hæc enim omnia neque ex vi naturæ, nec ex Dei aut Eccleſiæ inſtituto vim ullam ad hos effectus habent: & conſequenter ſi interdum id eveniat ad quod obtinendum adhibentur; nonniſi a dæmone per tacitam eius invocationem evenire cenſetur. Immo rei ſunt huiuſcemodi ſuperſtitionis illi quoque qui res ſacras geſtant, puta reliquias, cruces benedictas, agnos Dei, Evangelium S. Ioannis, ſeu pias preces aut ſacræ Scripturæ verſus recitant; ſi ab illis ſanitatem aut alium huiuſmodi effectum infallibiliter expectent: quia cum præter ſacramenta & ſacramentalia, nihil ſit ex ſacris rebus & verbis quod effectum habeat infallibiliter; qui illum ſic expectant, nonniſi a dæmone per tacitam eius invocationem expectare cenſendi ſunt. Sic Sayrus & Salmanticenſes cum aliis communiter. Non improbandum quidem eſt, ſi huiuſcemodi devotis piiſque rebus quis utatur, & illos effectus cum fiducia, non vero cum infallibilitate expoſceret. Tunc enim eſſet res pia, & non ſuperſtitioſa. Et plurima habentur in libris aſceticis exempla illorum qui a ſimilibus verbis rebuſque ſacris præſervati fuere a vulneribus, liberati a doloribus, ſanati ab infirmitatibus.

Obſer. vantia futurorum event.

Obſervantia futurorum eventuum eſt ſuperſtitio, qua quidam ex quorumdam impertinentium obſervatione mala ſibi vel aliis futura coniiciunt: obſervantes tempora, loca, aut verba audita, vel occurſus hominum & animalium, aliaque huiuſmodi. Hæ omnes obſervationes cum ſine ratione & arte ſint, nec ex auctoritate Dei vel Eccleſiæ introductæ, ſed ex vanitate humana, cooperante dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum huiuſmodi vanitatibus implicare; vanæ ſunt & ſuperſtitioſæ, ut docent cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVI. *art.* 3. S. Antoninus, Valentia, Silvius, aliique communiter. Unde huius ſuperſtitionis rei fiunt qui in ludo mutant locum ad mali ludi evitandam fortunam; qui lignum particulare ferunt ad lucrandum in ludo; qui nolunt adire convivium in quo interveniant tredecim, eo quod certo credatur unus brevi moriturus, ſicut e tredecim convivis in ultima cœna mortuus eſt Chriſtus vel Iudas; qui in nocte S. Ioannis Baptiſtæ orant ut in ſomno appareant illi quibus nubere debeant; qui cum gallina cantat adinſtar galli, malum credunt imminere.

Huc ſpectat uſus virgæ corylaceæ ſeu ex plantis parvarum nucum, quæ vulgo etiam dicitur divinatoria, qua quidam utuntur ad detegendos theſauros, vel loca ubi extat a-

qua

qua pro puteis effodiendis: ita ut ubi virga inclinat, ibi credunt eſſe theſaurum vel aquam quam inquirunt. Nam ſi daretur naturalis inclinatio huius virgæ ad hoc genus metallorum, ſive ſit aurum, ſive argentum, ſive cuprum, & ad aquam indicandam: deberet etiam inclinari ad fruſta ideſt parvulas partes eiuſmodi metallicas, & ad aquam in maiore propinquitate & in conſpectu poſitam; quod tamen non fit. Itaque neque probabiliter eiuſmodi virtus oritur ex natura. Et cum nemo prætendat illam venire a Deo; neceſſe eſt ut veniat a dæmone, qui ſolet artes aperte magicas ordinare ad occulta detegenda. Et idem dic de quamplurimis aliis huius generis pene infinitis ſuperſtitionibus, quas nimis longum eſſet recenſere. Harum longam ſeriem texit P. Gobat *Tom. III. Part. IV. de ſuperſtit.* Satis hic igitur erit tradere ex communi doctorum quaſdam regulas generales, ex quibus facile cognoſci poteſt, quænam ſint veræ ſuperſtitiones, & quandonam ſint mortales vel veniales.

Regulæ ad dignoſcendas ſuperſtitiones.

Regula I. Quoties tribuitur ſeu creditur ineſſe vis aliqua rebus, verbis, factis, ſignis, figuris, characteribus, & huiuſmodi ad aliquem effectum, ad quem talem vim nec a natura, nec a Dei vel Eccleſiæ inſtitutione habent; ſemper eſt ſuperſtitio. *Regula II.* Quoties preces, characteres, ſigna aut ignota ſunt, aut vana, vel falſa; aut ſi nota, bona, & ſancta ſint, ſunt tamen eis admixtæ circumſtantiæ certi modi, numeri, temporis, loci, perſonæ, & aliæ vanæ, inutiles, & impertinentes ad talem effectum qui intenditur: ſemper eſt ſuperſtitio. *Regula. III.* Quoties ex rebus, verbis, factis, ſcriptis, etiam de ſe bonis & ſanctis, effectus intentus promittitur & creditur infallibiliter obtinendus; & aliunde neque ex Dei, neque ex Eccleſiæ inſtitutione ineſt ipſis dicta virtus infallibiliter præſtandi talem effectum: ſemper eſt ſuperſtitio. *Regula IV.* Quoties res ſacræ adhibentur ad effectus vanos & inutiles, aut adhibentur ſigna ſeu res vanæ vel inutiles ad effectum qualemcumque obtinendum: eſt ſemper ſuperſtitio. Nam Deus non ſe immiſcet rebus vanis & ridiculis: idcirco effectus expectari nequit, niſi a dæmone. *Regula V.* Quando prudenter dubitatur, an effectus productus proveniat a naturali occulta vi rei, an vero a vi ſuperſtitioſa & diabolica: potius eſt iudicandum eſſe a vi naturali occulta rei; adeoque non eſſe ſuperſtitioſum. Miræ enim ſunt naturalium cauſſarum virtutes, præſertim herbarum, lapidum, & huiuſcemodi, etiam viris doctiſſimis incognitæ: ideoque, licet virtus illa nobis ignota ſit vel dubia: non ſtatim cenſenda eſt ſuperſtitioſa, donec reſciatur non eſſe a virtute occulta. Conſulunt tamen doctores, ut qui eiuſmodi re dubia uti velit ad aliquem effectum, expreſſe proteſtetur, ſi ulla inſit inibi diabolica virtus, nolle ſe effectum conſequi. *Regula VI.* Quando certo probabiliter conſtat, rem applicatam ad effectum non habere vim ullam naturalem ad illum cauſſandum; dubitatur tamen, an vim habeat a Deo vel a dæmone: cenſenda eſt ſuperſtitio, ſaltem ex pacto implicito cum dæmone. Nec in tali caſu ubi certo conſtat de inefficacia rei ſeu mediorum, prodeſt proteſtatio; cum facto contraria ſit. *Regula VII.* Quando ab aliquo homine bonæ famæ magnique ingenii aliquid mirum efficitur; potius cenſeri debet fieri naturaliter vel ſopernaturaliter, quam ſuperſtitioſe & diabolice. Nemo enim præſumitur malus, niſi probetur talis. *Cap.* In cunctis III. *c.* XI. *q.* III. & alibi. Tum quia quandoque etiam maxime ſanctitas operantis, vel alia manifeſtiſſima indicia ſuadent aliquid fieri ſupernaturaliter & per miraculum, Deo per Sanctos ſuos ita operante. *Regula VIII.* Pro vere ſuperſtitioſis, aut ſaltem valde ſuſpectis mediis ad aliquid obtinendum vel impediendum, habenda ſunt omnia illa quibus tamquam neceſſaria quædam vana adhibenda ſunt, ſeu admiſcentur circomſtantiæ vanæ, ineptæ, & ridiculæ. *Regula. IX.* Omnis ſuperſtitio quæ fit cum pacto expreſſo cum dæmone, ſeu cum expreſſa eiuſdem invocatione aut voce, aut ſigno, aut ipſo facto; adhibendo ſcilicet ſigna quæ quis ſcit a dæmone eſſe inſtituta, ac ipſum per illa operari, ſive deinde cum ipſo, ſive cum alio conventa ſint: eſt ſemper peccatum. *Regula X.* Superſtitio quæ fit cum pacto implicito tantum cum dæmone, ſeu cum implicita tantum & tacita eiuſdem invocatione, quamvis ex genere ſuo ſit mortale; ex ſimplicitate tamen vel ignorantia culpabili, ſed levi & non craſſa ſeu affectata, ex ſimplici curioſitate, ex levitate actus, ex defectu integræ credulitatis ſeu certæ fidei, frequentiſſime redditur venialе. Si enim fiant actiones de ſe ſuperſtitioſæ ex ſimplicitate vel ignorantia, etiam vincibili, non craſſa, nec affectata; ſunt quidem ex defectu requiſitionis debitæ culpabiles venialiter, non vero mortaliter. Unde non peccat letaliter qui in re levi utitur ſigno, characteribus, vel medio ſuperſti-

tioſo habito, ex ſola curioſitate experiendi cauſſa, vel ex levitate ioci, vel riſus cauſſa, nullo expectato eventu: ſicut multa iocoſa fieri ſolent in certis vigiliis, puta ſemel vel iterum faciendo annulum moveri ſuper filum, aut allidi ad latera vaſis, & alia huiuſcemodi. Tunc enim non eſt vera ſuperſtitio: quia licet hæc inſtituta ſint a dæmone; ſi tamen ioco, & non ſerio expectando eventum uſurpentur, irriſio potius eſt quam dæmonis invocatio. Item non peccat mortaliter qui abſque integra credulitate ſeu certa fide, & vana ſolum formidine in agendis vel cavendis obſervat huiuſcemodi vana, ſigna hiſque ſimilia: cum non videatur gravis deordinatio, aliquid operari vel cavere, ob metum vanum conceptum ex ſomniis, ex cantu corvi vel noctuæ, ex occurſu alicuius animalis, ſine certa fide. Ita communiter.

§. VIII.

De magia.

Ad ſuperſtitionem vanæ obſervantiæ præcipuo modo, ut communiter doctores ſentiunt, pertinet magia, quæ generaliter &
Magia quid, & quotuplex. in communi accepta definitur *ars per quam mira & inſolita homines operantur*. Verum cum hæc mira fieri queant ex applicatione alicuius cauſſæ potentis ea producere; ac proinde cum quædam peragi poſſint etiam non ſuperſtitioſa, ideſt ſine ope dæmonis, ſed cauſſarum naturalium virtute: hinc ex diverſitate cauſſarum ex quibus mira procedere poſſunt, doctores communiter diſtinguunt & dividunt magiam in naturalem, & ſuperſtitioſam. Magia naturalis ea eſt quæ præcipue applicando cauſſas naturales communiter occultas mira operatur: & cum hæ cauſſæ vulgo ſint ignotæ, dum hæc miranda vident indocti & imperiti, cenſent hoc fieri vel miraculoſe a Deo, vel ſuperſtitioſe a dæmone. Magia vero ſuperſtitioſa ea eſt per quam homines ope dæmonis mira operantur. Et de hoc infra, ubi de maleficio ſermo erit.

Magia naturalis licita eſt, immo laudabilis apud omnes gentes, ut ex ſacrarum Litterarum exemplis comprobatur. Hac enim arte
Naturalis eſt licita. uſus eſt Iacob *Gen. cap.* XXX. dum virgas amygdalinas ex parte cortice denudatas in canalibus aquæ defixit, ut eas intuentes oves parerent agnos maculatos. Et hoc naturaliter contigiſſe explicant Patres: quia (ut ait D. Iſidorus *lib. Etymol.*) anima huius conditionis eſt, quod in extremo fervore libidinis poſita formas viſas attrahat & fetui imprimat. Et multa huiuſcemodi mirabilia produci ſolent ex occulta virtute herbarum, arborum, lapidum, aquarum, gemmarum, animalium: ut cernitur in virtute magnetis, torpedinis, echeneis piſcis, vulgo *remora*.

Dignoſcere autem, an hæc portenta procedant ex naturali cauſſa, & licita ſint; an ex ope dæmonis, & ideo ſuperſtitioſa & illicita: perdifficile eſt. Nihilominus tamen ex triplici principio dignoſci hoc poteſt: ſcilicet ex cognitione cauſſæ, operationis, & effectus. Dignoſcuntur ex cognitione cauſſæ, quando cauſſa ex ſe, ut nobis compertum eſt, nequit effectum naturaliter producere: tunc enim (ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCV. *art.* 2. *in corp.*) illicitum & ſuperſtitioſum eſt. Deinde ad cauſſam pertinet, ſi adhibeantur ligaturæ, characteres, verba apocrypha, nomina ignota, aliaque huiuſmodi, vel aliæ circumſtantiæ ad rem inutiles: tunc enim ope dæmonis provenire effectum, credendum eſt. Dignoſcitur ex conditione operationis, ſi hæc ſit in diſtans paſſo, vel brevius ſolito effectum conſequatur; ut ſi repente homo ſanus fiat, aut brevi tempore plures leucæ percurrantur: tunc enim præſumendum eſt, non provenire ex cauſſa naturali. Dignoſcitur ex conditione effectus, ut ſi humanam excedat induſtriam.

In dubio autem, num effectus proveniat ex cauſſa naturali, an vero ſuperſtitioſa ſit: iudicandum eſt, procedere ex cauſſa naturali. Nam (ut ait D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LX. *art.* 4. ex Gloſſa cap. XIV. ad Rom. *Qui manducat &c.*) dubia in meliorem partem ſunt interpretanda: ac proinde concludit in corp. *Ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium eſt*. Sed de magia ſuperſtitioſa, ut antea notavimus, infra habebitur ſermo, poſtquam egerimus de ſalutatoribus, enſalmis, & faſcinatione. Cum enim dentur dubii effectus circa eorum cauſſas, num videlicet procedant ex cauſſa ſuperſtitioſa, an ſecus; ut ſunt ſanitates quorumdam morborum, patratæ a quibuſdam quorum alii vocantur ſalutatores, alii enſalmi, & morbi qui ex faſcinatione procedunt: hinc de iis etiam agere ſolent doctores, hoſce effectus examinando, ut deprehendatur, an revera hi effectus culpabiles ſint reſpectu agentium, an vero a culpa immunes.

§. IX.

§. IX.

De ſalutatoribus.

Salutatores vulgo appellantur homines qui ſanant morbos rabiei, ſeu hydrophobiæ, necnon letalibus vulneribus brevi tempore, ut ex Leſſio, ſigno crucis facto, quadam inhiatione, ſeu oris aperitione, & aliquibus verbis factis medentur. Diſputant circa eorum virtutem Theologi, naturalis ne ſit, an divina, an verò ſuperſtitioſa ope dæmonis. Volunt aliqui, hanc virtutem illis eſſe naturalem ex quodam corporis temperamento ex humoribus ad pondus reſultante, ob ſiderum determinatam conſtellationem in qua prædicti homines naſcuntur: ac proinde contendunt, hoſce licite in tali ſanatione operari. Alii vero ſuſtinent, nec naturaliter, nec ſupernaturaliter per gratiam gratis datam iiſdem ſalutatoribus talem ineſſe virtutem, ſed agere ope dæmonis. Non naturaliter: quia virtutes naturales nequeunt tam brevi temporis ſpatio morbos curare, alioſque mirabiles cauſſæ effectus; ut tabida animalia unico afflatu occidere: tum quia virtus naturalis non eſt alligata verbis aut lignis quibus ſalutatores utuntur, nec omnibus ægrotis æqualiter prodeſt; ſed diverſa eſt & ſecundum diverſas complexiones. Neque ſupernaturaliter & per gratiam a Deo ipſis gratis datam: quia communiter prædicti ſalutatores ſunt homines, nedum ignobiles, ſed etiam vitiis dediti.

Nihilominus tamen ſtatuunt alii ac contendunt, & hæc ſententia eſt probabilior, ineſſe aliquibus hominibus hanc virtutem, non naturalem quidem, nec aliter ſuperſtitioſam, ſcilicet ope dæmonis; ſed a Deo gratis datam. Nam Domini Inquiſitores ac Epiſcopi prædictos ſalutatores permittunt, & doctores graviſſimi eos approbant: ac proinde temerarium eſſet negare in eis veram honeſtamque virtutem ad morbos medendos. Nulla enim, aiunt, eſt in hoc repugnantia, quod Deus hanc virtutem communicet certis familiarum viris, ut ſermone, aſpectu, & actu medeantur quibuſdam morbis, valeantque contra rabidi canis morſum ſerpentumque venena: non ſecus ac conceſſit omnibus Franciæ Regibus virtutem ſanandi ſtrumas; ut agnoſcunt Hormiſda Papa in Epiſtola ad Remigium Rhemenſem Epiſcopum, & Bonifacius VIII. in canonizatione S. Ludovici, & docet D. Thomas *lib. I. cap. XVI. de Regim. Princip.* oetum habuiſſe ex quo Clodovæus I. unctus fuit oleo mirabiliter per columbam delato.

§. X.

De enſalmis & faſcinatione.

Enſalmi nomen nihil aliud importat, niſi orationes quaſdam ex certis verborum, præſertim ſacrorum, formulis ordinatas ad morbos & vulnera ſananda: & dicitur enſalmus, quia communiter ex Pſalmorum verbis componitur. Hic tamen curandi modus dupliciter fieri poteſt. Primo modo, orando certis verbis factis quibus imploramus a Deo corporalem ſalutem pro infirmis, vel ut a nobis & proximo aliquod nocivum avertat: non intendendo, nec credendo, quod talis oratio infallibiliter conſequatur effectum, ſed tantum ex divina miſericordia: & hic dicitur enſalmus invocationis. Alio modo, quando ex certis verbis componitur oratio, cui tribuitur virtus infallibilis ſeu ex opere operato ad ſanandum: & hic appellatur enſalmus conſtitutivus. Enſalmus quid ſit, & quotuplex.

Enſalmus invocativus, ſive compoſitus auctoritate publica, ſive privata, licitus eſt: quia licitum eſt ſanctum petere a Deo; ſicuti fit per enſalmum invocativum, petendo a Deo ſalutem aliaque temporalia bona, inquantum inſervire poſſunt ad æternam conſequendam beatitudinem. Ita Navarrus, Azorius, S. Antoninus, aliique. Enſalmus vero conſtitutivus omnino eſt reprobandus: quia nullis verbis, ſive ore prolatis, ſive ſcriptis, ineſt virtus naturalis ad vulnera ſananda & ad morbos depellendos; nec alias a Deo eſt communicata. Unde ſi talia verba efficaciter & quaſi ex opere operato prædictos producunt effectus: ſignum eſt manifeſtum, quod hoc ope & arte dæmonis operentur. Et licet verba ſacra vim haberent operandi aliquid ſupernaturale ad ſalutem animarum vel corporum; hoc tantum accidit, quando ſuper ægros miniſtris Eccleſiæ proferuntur: ut Marc. cap. XVI. *In nomine meo dæmonia ejicient .... ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Et hoc dixit Apoſtolis, & eorum nomine omnibus ſactis Eccleſiæ miniſtris, inter quos non ſunt nec adſcripti nec conſecrati enſalmatores. Præterquam quod non conſtat nec ex Scriptura, nec ex Traditione, aut Eccleſiæ definitione, quod Deus conceſſerit aliis verbis, præter ſacramentorum formas, virtutem ad ea quæ ſignificant, ex opere operato efficienda. Quinam licitus.

Qua-

Quomodo dignoſcatur. Quatuor regulas aſſignat D. Thomas ad dignoſcendum, an enſalmi ſint liciti, vel non. Primo attente videndum eſt, quid ſit quod profertur vel ſcribitur. Nam ſi aliquid ſit pertinens ad dæmonis invocationem; manifeſte eſt ſuperſtitioſum ac illicitum. Secundo, ſi contineant verba ignota vel inuſitata, & nova nomina Angelis ſanctis imponant. Tertio, num falſa contineant, quæ certe non poſſunt eſſe niſi a diabolo auctore fallitatis. Quarto, ſi enſalmo cum verbis ſacris aliqua vana miſceantur: puta characteres ſcripti, præter ſignum crucis: vel ſpes ponatur in modo proferendi, ſcribendi, aut ligandi, aut in aliis huiuſmodi vanis quæ ad divinam reverentiam certe non pertinent. Quare cum nullus ſit enſalmus, etiam invocativus ſeu deprecativus, in quo non ſit aliqua vana circumſtantia, ſive in modo prolationis verborum, ſive in numero determinato ligatorum; inde concludunt doctores, hunc uſum ſalutatoribus eſſe interdicendum: eo vel maxime, quod ut plurimum enſalmis utuntur mulierculæ ignobiles, vetulæ, aut homines & milites deperditæ vitæ, de quibus gravis eſt ſuſpicio pacti expreſſi vel taciti cum dæmone. Unde licitum tantum & ſecurum eſt, quod Eccleſiæ miniſtri utentes orationibus ab Eccleſia approbatis pro infirmis deprecentur: & ita pie credendum eſt, quod oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.

Quid ſit faſcinatio, & quotuplex. Faſcinatio quæ eſt quædam veneficii ſpecies, iuxta Valeſium, eſt paſſio ex oculis innata & concepta, profecta ex quadam affectione animæ maligna, eius qui intuetur: vel (ut Abulenſis in *Num. cap.* XXI. *quæſt.* XV.) tunc datur, dum aliquis quempiam videns ad eum non coniunctus corporaliter, nec in eum quidpiam agens, eum lædit. Hanc faſcinationem diſtinguunt & dividunt Theologi in vulgarem, in phyſicam ſeu naturalem, & in dæmoniacam. Vulgaris ea eſt, quæ ſecundum vulgi opinionem oritur, qui credit ſola ipſa viſione poſſe homines faſcinari, & maxime infantes aliaſque perſonas teneri ſtatus ac debilis complexionis. Phyſica ſeu naturalis dicitur, quando ex quadam imaginatione immutatur cor, & ex eo corpus coniunctum; & generantur ex hoc humores putridi, quorum virtus ad oculos pervenit, & ex oculis ad aerem proximum quem corrumpit uſque ad certam diſtantiam, & ita eos inficit & corrumpit qui viſui occurrunt, præcipue ſi ſint exilis complexionis. Diabolica vero dicitur pernicioſa quædam qualitas dæmonum arte illata, ob pactum cum eis tacitum vel expreſſum. Nam ſolent quidam nefarii homines paciſci cum dæmone, ut quos odioſe aſpexerint, his malum inferant.

Quænam admittenda. Non conveniunt tamen doctores in ſtatuendo, num revera detur phyſica ſeu naturalis faſcinatio; cum multi hoc negent. Verior tamen videtur ſententia hanc admittens, non tantum ſtatuendo naturalem vim faſcinandi ineſſe viſioni, ſed quibuſdam ſpiritibus ſeu effluviis venenoſis, qui egreſſi per oculos, os, nares, alioſque corporis meatus inficiunt proximum aerem, & cum ipſo ac per ipſum aerem infectum inficiunt etiam ea quæ intra ambitum ſeu in certa diſtantia huiuſce aeris inveniuntur, homines ſcilicet; animalia, & etiam aliquando vegetabilia, cum determinata diſtantia contenta intra ambitum huiuſce aeris inſederint: & hoc quotidiana experientia comprobatur.

Unde conſtat ex dictis, faſcinationem vulgarem falſam eſſe & ſuperſtitioſam, utpote quæ chimærica eſt & omnino impoſſibilis: idcirco ut muliebris nugacitas ſpernenda, eiuſque medicamina ut ſuperſtitioſa improbanda, ut ex pluribus Sanctis Patribus tradit Delrius *lib. III. quæſt.* IV. *ſect.* I. Quocirca vaniſſimum ac prorſus ſuperſtitioſum eſt, ferre quid figuratum, etiam turpe, collo appenſum ad faſcinationem avertendam. Sicuti etiam ridiculum eſſet, putare maius faſcinationis periculum ineſſe formoſis quam deformibus, pueris quam ætate provectis: cum ſi diſpoſiti ſint, utriſque virus nocere valeat; maxime ſi faſcinatio oriatur ex invidia quæ nulli parcet ætati. Unde tam faſcinatio vulgaris quam eius remedia, ut ſuperſtitioſa ac ridicula reiicienda & improbanda ſunt. Quare Abulenſis advertit, ſuperſtitioſum eſſe, offerre faſcinatos benedicendos quibuſdam vetulis quæ vulgo benedicentes appellantur; ſed mallem ut maledicentes eas vocarent, utpote quæ cum ſe ipſis trahunt inſipientes hiſce ſuis vanitatibus ad æternam maledictionem. Et eo vel maxime quod iſtæ vetulæ proferunt valde illicita, variiſque cæremoniis, oſcitationibus, aliiſque ſuperſtitionibus referta. Quare in his infirmitatibus licita eſt ſolummodo, non ſecus ac in aliis, cura ac ſtudium periti Medici, & naturalia remedia ab ipſo præſcripta: & ſi optentur benedictiones, ab Eccleſiæ miniſtris eas petere debemus. Solum igitur phyſica faſcinatio admittenda eſt quæ procedit ex vi humorum putridorum, qui reſoluti in ſpiritus vitales ſeu in ſubtiliſſimas particulas quæ erumpunt ex oculis, auribus, ore, aliiſque corporis meatibus, coinquinant

atque

Digitized by Google

atque inficiunt propinqua corpora, quæ tamen ad hanc faſcinationem excipiendam propter debilitatem complexionis ſunt diſpoſita. Et hæc faſcinatio proprie loquendo eſt quædam ſpecies contagioſæ infectionis: non ſecus ac contingit, dum quis nimis proxime accedit maligno morbo laboranti; ex quo fit, ſicut quotidiana conſtat experientia, ut ſæpe a malignis effluviis e corpore infirmi erumpentibus inficiatur.

Quando faſcinatio phyſica ſit diabolica.

Cum tamen hæc contagioſa influentia, ſeu hæc naturalis faſcinatio orta ex malignis effluviis tranſmiſſis e corpore infecto, vim non habeat naturaliter agendi niſi ad certam limitatam diſtantiam: ſi contingat faſcinari & infici homines nimis longe diſtantes; tunc procul dubio faſcinatio cenſenda eſt diabolica. Incredibile enim eſt, homines tam longe diſtantes faſcinari & infici naturaliter per ſpiritus ex alicuius infecto corpore emiſſos, dum tales ſpiritus ultra certam diſtantiam extendi nequeunt; eo vel maxime quod vento aliiſque contrariis facile diſpelli ac diſtrahi valeant. Immo quis credere poterit, uno facinantis corrupto humore res tam diverſæ complexionis ac qualitatis, ut homines, herbas, plantas, arbores, bruta, ſolo halitu infici & interfici? Unde certum eſt, quod plerumque ſtriges ſeu ſagæ & malefici paciſcuntur cum dæmone, ut quos odioſe & iracunde aſpexerint, his dæmon malum inferat. Et hæc eſt etiam unanimis Sanctorum Patrum ſententia, inter quos ait S. Hieronymus lib. I. in Epiſt. ad Galat. *Dicitur faſcinus infantibus nocere & ætati parvulæ. Hoc utrum verum necne ſit, Deus viderit: quia fieri poteſt ut & dæmones huic pacto inſerviant*. Et ita etiam loquitur D. Thomas *Part. I. quæſt.* CXVII. *art.* 3. *ad* 2. Poſſibile autem eſt, quod ex Dei permiſſione ex aliquo occulto pacto cooperetur malignitas dæmonum, cum quibus vetulæ & ſortilegæ aliquod fœdus habent. Sed de his in ſubſequenti paragrapho fuſius, ubi acturi ſumus de magia ſuperſtitioſa, ad quam attinent malefici, lamiæ, & ſagæ ſeu incantatrices.

§. XI.

De magia ſuperſtitioſa & maleficio.

Magia, prout hoc loco ſumitur, eſt profeſſio operandi ope dæmonis quædam mira quæ communes naturæ hominum vires excedunt. Huiuſcemodi magia pollebant magi in Ægypto, dum aquam fluminis Nili in ſanguinem verterunt, & virgas in ſerpentes: quæ omnia forte nihil plus fuere quam phantaſiæ illuſiones.

Maleficium, ſi ad etymologiam nominis attendamus, licet ſit idem ac malefactum; tamen, prout uſurpatur in præſenti, non aliud eſt quam magia qua quis dæmonis ope alteri diverſimode nocumentum infert. Idcirco triplicem continet malitiam mortalem: ſcilicet contra religionem, caritatem, & iuſtitiam. Dari magos lamias ſeu ſagas ac maleficos ac proinde veram magiam & maleficium, certum eſt. Nam de magis corumque operationibus habetur *Exod. cap.* VII. & VIII. & dicitur Levit. cap. XIX. *Non declinetis ad magos*. Saul per Pythoniſſam præcipit *I. Reg. cap.* XXVIII. ac impetrat per diabolicam ſuæ illuſionem phantaſiæ ſuſcitari ſpiritum Samuelis. Et de Manaſſe habetur *II. Paralip. cap.* XXXIII. quod maleficii artibus inſerviebat, habebatque ſecum magos & incantatores. Item de Simone mago loquuntur Acta Apoſtolorum cap. XX. *Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus.... cui auſcultabant omnes a minimo uſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna*.

An detur vera magia & maleficium.

Lamias pariter ſeu ſagas dari, ex multis conſtat monumentis quæ hic ut ſupervacanea ſilentio prætereo. Hæ ſunt mulieres diabolicæ deditæ magiæ. Dicuntur autem lamiæ, nomine accepto a quodam monſtruoſo animali quod ita vocatur: cum non ſecus ac illud, hæ nefariæ mulieres ſuis maleficiis & incantationibus pueros & homines iugulent. Dicuntur ſagæ ſive a ſagacitate, ſive a ſagiendo (ut ait Cicero de *Divinat. lib. II.*) quia futura & occulta ſcire inhiant, & ob hoc ſe tradunt dæmoni inſtruendas. Vocantur etiam veneficæ ſeu maleficæ: quia ſuis maleficiis omnibus nocent. Tandem ſtriges ab avicula quadam nocturna quæ ſtrix dicitur, quia noctu ſtridendo volitat. Idcirco ex his conſtat, dari etiam maleficos & maleficia.

Differunt magi a maleficis ſeu veneficis & ſagis in eo quod magi vocantur ii qui ineunt pactum expreſſum cum dæmone principaliter ad mira ante oculos hominum patranda; malefici vero illi dicuntur qui ineunt tale pactum, vel expreſſum, vel tacitum, principaliter ad nocendum clam aliis; ſagæ tandem eæ vocantur quæ dictum pactum ineunt expreſſum, principaliter ad oblectationem proximam in conventibus nocturnis, vel concubitum cum dæmone, ſecundario vero ad nocendum aliis, quando id vel ſaga a dæmone, vel dæmon a ſaga petierit.

Circa

Quid de conventibus nocturnis ſagarum.

Circa vero conventus nocturnos, præcipue integros, quod vulgo circumfertur, non eſt veroſimile: quia licet dæmon poſſit abſolute, accedente ſpeciali Dei permiſſione, transferre homines ab uno in alium locum, ſicut tranſtulit ipſum Chriſtum in montem excelſum & ſupra pinnaculum templi; non eſt tamen veroſimile, quod Deus dæmoni generaliter vel particulariter concedat dæmoni congregare generales conventus dæmonum, ac proinde multo minus generales aut particulares ſagarum conventus. Inſuper Deus nullam tribuit dæmoni extraordinariam poteſtatem, niſi ob divinam ſuam gloriam: nempe ut eveniat aliquis profectus ſuæ bonitati, miſericordiæ, vel iuſtitiæ; qui certe non ſequeretur ex huiuſmodi conceſſione. Et hoc graviter comprobat perpetuus ſenſus Eccleſiæ: ut patet ex conſtitutione Damaſi Papæ in Concilio Romano IV. ubi iubet omnes maleficos, ſacrilegos, augures, aliiſque ſuperſtitionibus vacantes excommunicandos eſſe; ſeminas autem quæ a dæmone illuſæ putant ſe noctu ſuper animalia ferri, atque cum Herodiade circumvagari, eadem ſententia plectendas eſſe. Idemque confirmatur ex *cap.* Epiſcopi XXVI. *q.* V. ubi clare de huiuſmodi pravarum mulierum illuſione ſermo occurrit.

Nec obſtat quod obiici poteſt, aliquas magas vel ſagas repertas fuiſſe ab uno in alium locum translatas, & faſſas fuiſſe ſe adfuiſſe in conventu. Nam, dato etiam quod aliquando pro maiore incremento gloriæ ſuæ, potuerit, hoc Deus concedere; ex caſu tamen extraordinario non habetur ſufficiens motivum tribuendi diabolo generalem & frequentem facultatem transferendi corpora.

Quotuplex ſit maleficium.

Maleficium dividitur primo ratione effectus in ſomnificum, dum aliquis potione, carmine, vel alio ſuperſtitioſo ritu ſoparatur, ut interea infuſione veneni furto aut raptu infantium lædatur, vel adulterio contaminetur: in amatorium, dum ſuperſtitioſo potu quod philtrum Græce appellatur, aliquis in æſtum libidinis erga certam perſonam excitatur: in faſcinationem de qua iam diximus, qua per aſpectum fixum morbus ope dæmonis a ſaga inducitur: in veneficium, quo hominibus, animalibus, frugibus terræ varia malorum genera inferuntur; puta abortus, partus difficiles, ſterilitas, corruptio lactis, grando, morbus, occiſio, vel vulneratio in imagine facta, ſed directa in perſonam, ingeſtio variarum rerum in corpus, v.g. acuum, filamentorum, pilorum, ferramentorum, de quibus Delrio *Rer. magic. lib. III. quæſt.* IV. fuſe pertractat: in maleficium directum in perſonam devovendi ad infeſſionem dæmonis: in maleficium ligaminis in coniugatis, ne poſſint uti matrimonio: in maleficium odii, ut qui prius ſe dilexerant, odio habeant: in maleficium tumultuationis ſpirituum: quæ tamen maleficiorum genera plerumque conſiſtunt in fraude hominum qui ſe ſimulant maleficio affecti, vel in phantaſia corrupta, vel per dæmonem illuſa. Dividitur ſecundo ratione diverſæ cooperationis dæmonis in maleficium per operationem dæmonis tranſeuntem; quando dæmon applicatione rerum naturalium cauſſat effectum naturalem de ſe permanentem, puta morbum, per ingeſtionem veneni ſive alterius rei nocivæ, per deſſiccationem nervorum, per fractionem vel laxationem membrorum. Tales enim dæmonis operationes ſemel factæ ex ſua natura habent effectum per ſe ſtabilem. Maleficium per operationem dæmonis permanentem ſeu continuam fit, quando ad cauſſandum effectum continuo perdurantem opus eſt ut actio dæmonis circa talem effectum perpetua ſit & permanens. Huiuſcemodi effectus ſunt libidinis ardor; improviſum odium erga perſonam prius amatam, abſque eo quod ulla intercedat cauſſa; furor iræ vel concitandi inimicitias & diſſenſiones, nulla præcedente ratione; furor ad vitia contraria naturæ, puta ſodomiam, beſtialitatem; triſtitia animi vel animus deſperabundus. Cum enim nulla adſit naturalis cauſſa aut operatio tranſiens quæ ſatis ſit ad cauſſandos tales effectus ſtabiliter, prout veniunt a dæmonis operatione, neceſſe eſt ut hæc ſtabilis ſit ac firmiter permanens.

Ad maleficia patranda tria concurrere debent: actio maleficii, dæmonis operatio, ſpecialis permiſſio Dei. Cauſſæ autem propter quas frequentius Deus dæmoni poſtulanti concedit vel ultro confert poteſtatem nocendi hominibus, partim ſunt bonæ; & hæ ex parte Dei: partim malæ; & hæ ex parte hominis maleficiati. Cauſſæ bonæ ex parte Dei ſunt huiuſmodi. Prima, excellens hominis ſanctitas inter proſpera: per has enim afflictiones a dæmone illatas, ſi alia deſint infortunia, vel perſecutores, eamdem Deus probat. Huius rei exemplum habetur in ſancto Iob. Secunda, manifeſtatio divinæ iuſtitiæ, quando eam ſpecialiter exigunt circumſtantiæ perſonarum locorum, & temporum. Hinc Chriſtus Dominus dæmonibus eiectis ex energumeno conceſſit ut ingre-

Digitized by Google

ingredi poſſent in porcos, quorum manducatio & negotiatio vetita erat Iudæis. Tertia, manifeſtatio divinæ omnipotentiæ opportuno tempore faciendæ. Sic enim allegat Chriſtus *Io. cap.* IX. hanc fuiſſe cauſſam, cur cæcus quidam natus fuiſſet, ut manifeſtentur opera Dei in illo. Cauſſæ autem maleficiorum ex parte maleficiati, & hæ malæ, ſunt ſequentes. Prima & omnium frequentiſſima eſse ſolent imprecationes quibus occaſio dedit gravis oppreſſio, perſecutio, immiſericordia, vel iniuſtitia, ut Eccli. cap. LV. *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Et quidem ex huiuſmodi imprecationibus ſecuta eſse innumera mala, frequens teſtatur experientia. Secunda cauſsa eſt effrenis luxuria, ut exemplum habetur Tob. *cap.* VI. ubi Angelus revelat iuniori Tobiæ, quod filiæ Taguelis mortui fuiſsent ſeptem viri; quia eam duxerant, ut non ſecus ac bruta libidini vacarent: & ſuper eos qui ita coniugium contrahunt, habere dæmonem poteſtatem. Tertia cauſsa ſunt blaſphemiæ in Deum. Credibile enim eſt, blaſphemos qui res ac perſonas ſacras blaſphemant, a Deo interdum relinqui poteſtati dæmonum. Quarta cauſsa eſt odium & invidia, & uſurpatio ſeu profanatio ſacrorum, erga probas perſonas vel Deo ſacratas. Sic habetur I. *Reg.* de Saul Rege, quod eum invaſerit ſpiritus malus, poſtquam invidere & odiſse cepit David ob victoriam quam contra Goliath reportaverat. Quinta cauſsa eſt immiſericordia in pauperes, ut varia exempla de re hac recenſet Delrio *loc. cit. quæſt.* VII. Sexta cauſsa, & hæc frequentiſſima, quæ conſiſtit in applicatione ſeu uſu remediorum ſuperſtitioſorum contra dæmonum infeſtationes, atque ſagarum & maleficarum noxias læſiones. Et revera, ut ipſa comprobat experientia, nulla perſona aut domus ita ſunt ſubiectæ maleficiis, ſicuti eorum qui adhibent amuleta quæ res continent ſuperſtitioſas, ut ſunt laciniæ rubræ, virides, trigonæ, quadrigonæ; characteres Græce aut Hebraice; aliaque multa ſuperſtitioſa: quaſi rebus iſtis & ſignis terreri deberent ſagæ veneficæ & dæmones. Fingit quidem dæmon aliquando liberare ad aliquod tempus haſce perſonas & loca ex uſu talium remediorum, ut multo magis decipiat; cum poſt certum temporis ſpatium ad eaſdem infeſtationes redeat. Non datur enim in naturalibus rebus qualitas naturalis contra infeſtationes ſagarum vel dæmonum. Nam ſi daretur, eadem remedia deberent applicari cum extrema unctione moribundis, ut dæmones longius arcerentur: & applicandæ item eſsent etiam ab exorciſtis ad dæmones expellendos. Igitur talia adhibere contra infeſtationes ſagarum & dæmonum, ſuperſtitioſum eſt.

Quo remedio tolli poſſit.

Maleficia igitur non alio remedio licite tolli poſsunt, niſi primo, remediis ſupernaturalibus: ideſt exorciſmis, oratione, confeſſione, ſuſceptione ſanctiſſimæ Eucbariſtiæ, aqua benedicta, reliquiis Sanctorum frequenti invocatione nominis Ieſus & Mariæ, ſigno crucis cuius magna vis eſt contra ſatanæ laqueos & maleficia, pœnitentia, ieiunio, & aliis piis operibus. Secundo, ſi ſint cauſſata per operationem dæmonis tranſeuntem in ordine ad effectum naturaliter permanentem, remediis etiam a medicina petitis, ut ab herbis aliiſque medicorum pharmacis, tolli poſsunt: immo ab initio hæc tentari convenit, ne quod naturaliter procedit, opus dæmonis falſo credatur. Tertio, deſtructione ſeu combuſtione ſignorum quibus adnexum eſt pactum, præcise ut operum diaboli, ſicuti ex Rituali Romano *de Exorciſmis.* Non licet vero tollere maleficium per aliud maleficium, vel ſuperſtitionem; cum ſit intrinſece malum invocare dæmonem, vel quempiam ad illud inducere. Licitum eſt tamen petere a malefico ut tollat maleficium modo licito: quia per ſe licitum eſt ab eo petere ut iniuſte nocere deſinat; cum ad id teneatur Si vero maleficus licitum maleficii deſtruendi modum non agnoſceret; nihil ab eo petendum eſt: quia tunc non poſſet licite maleficium deſtruere. Si autem dubitetur, an maleficus licito vel illicito medio uſurus ſit ad maleficii deſtructionem: tunc advertit Suarez, maleficum non ſolum hortandum, immo etiam minis cogendum ut medio licito utatur, ſi ſpes ſit ipſo medio illum uſurum. Et ſi probabilius ſit eum uſurum medio licito, peti ab eo poterit ut tollat maleficium. Et hoc verum eſt, aiunt alii, licet etiam modum illum licitum accepiſset a dæmone; cum uti re licita malum non ſit. Sic ſi diabolus ipſe theſaurum abſconditum revelaſset; licitum eſset eum inquirere: quia non eſt illicitum uti naturali ſcientia a dæmone accepta, utpote quæ nihil in ſe habeat mali; dummodo exerceri valeat ſine recurſu ad dæmonem. Quod ſi petens timeat, immo probabiliter credat, aut etiam moraliter certus ſit, maleficium potius illicito quam licito modo a mago deſtructum iri; adhuc iuxta Suarezium peti ab ipſo poteſt

eſt eius deſtructio. Nam petens tunc petit rem quam ius habet petendi; & quæ licite ab alio præſtari poteſt: idcirco non magis peccat quam qui iuramentum petit a Gentili quem certo ſcit nonniſi per idola ſua iuraturum eſſe. Tametſi enim teneamur ex caritate proximi peccatum vitare; non tamen tenemur, cum peccatum hoc provenit ex ſola malitia peccantis: cum ſupponamus poſſe maleficium licite tollere; & alias grave ſalutis damnum ex tali præcautione nobis immineret, ut in præſenti caſu contingit. Verum autem eſt, quod cum nobis certo compertum eſt, aut ſaltem graviter dubitamus, an maleficus licitum cognoſcat maleficii deſtruendi modum, peti non poteſt ab eo deſtructio maleficii ſine peccato.

Divinatores, magi, ſortilegi, malefici, ſagæ, ac quilibet ſuperſtitioſi non ſunt abſolvendi, niſi omne pactum & commercium cum dæmone abiurent ac diſſolvant, omnia ſigna artis magicæ, inſtrumenta, libros, ſchedas, ligaturas comburant, & illata damna reſarciant. Quod ſi chirographum dæmoni dederint, non eſt neceſſe illud ad eo extorqueri: nam ad eius deſtructionem ſufficit pœnitentia.

Superſtitioſi porro omnes ſunt denuntiandi hodie apud Inquiſitores. Ut tamen eorum ſuperſtitio onus pariat eos denuntiandi, duo requiruntur. Primo, ut adſit expreſſa vel tacita dæmonis invocatio: ſecundo, quod ſit mortaliter peccaminoſa. Lupus *Part. III. lib.* XV. *art.* IV. Felix Poteſtas *tract.* II. *p.* II. *num.* 334. aliique paſſim. Iudices vero competentes maleficiorum, ſeu ſuperſtitioſorum omnium, ſi reus ſit perſona eccleſiaſtica, vel ſi laicus in ſua ſuperſtitione coniunctam habeat hæreſim, ſunt ſoli eccleſiaſtici, & præcipue Inquiſitores. Secluſa vero hæreſi, pro laicis tam iudex eccleſiaſticus, quam laicus erit competens: quia cum ſuperſtitiones utroque iure vetitæ ſint, tunc delictum eſt mixti fori.

§. XII.

De pœnis ſtatutis contra ſuperſtitioſos, præcipue ſortilegos, divinatores, magos, ſagas, ac maleficos.

Sortilegi, divinatores, & magi de iure canonico, ſi clerici ſint, deponendi ſunt a beneficio, & in arctum Monaſterium (hodie vero in perpetuos carceres) detrudendi. *Cap.* Non oportet XV. *cap.* Si quis Epiſcopus V. & *cap.* Aliquantum XVI. XXVI. *q.* V. Et inſuper magi degradandi ſunt & curiæ ſæculari tradendi. *Cap.* Admoneant XV. *c.* XXVI. *q.* VII. Et ad id ſpeciales habentur Conſtitutiones, & ſignanter Innocentii VIII. quæ incipit *Summis*, Leonis X. quæ incipit *Honeſtis*, Gregorii XV. quæ incipit *Omnipotentis*, & Sixti V. quæ incipit *Cœli & terræ*.

Sortilegi vero, divinatores, & magi laici de iure canonico, ſi ſervi ſint ſeu viles, puniendi ſunt verberibus aliiſque cruciatibus: liberi autem ac honeſtiores in perpetuum carcerem ſunt redigendi. *Cap.* Contra Idolorum cultores X. *c.* XXVI. *q.* V. Immo ſi contumaces fuerint, ſunt etiam excommunicandi. *Cap.* Admoneant XV. *c.* XXVI. *q.* VII. Et inſuper poſſunt ab Epiſcopo infamari, & e diœceſi eiici. *Cap.* Epiſcopus II. *c.* XXVI. *q.* V. Et ratione magiæ tradi poſſunt curiæ ſæculari ſeverius iuxta ſuas leges puniendi, per conſtitutiones citatas Innocentii VIII. Leonis X. Gregorii XV. & Sixti V.

Sortilegi, divinatores, & magi, tam clerici, quam laici, ſunt infames: ideoque a teſtimonio & accuſatione repelluntur. *Cap.* Conſtituimus IX. *c.* III. *q.* V. Et ſi exerceant ſortilegia ſeu divinationes ac magias quæ hæreſim ſapiant, ut invocando dæmonem per preces & ſacrificia, eique tribuendo quæ ſoli Deo competunt, ex Conſtitutione XXII. Ioannis XXII. quæ incipit *Supra*, puniendi ſunt iiſdem pœnis quibus puniuntur hæretici iuxta Pontificum conſtitutiones. Sortilegi, divinatores, magi de iure civili puniuntur etiam pœna publicationis omnium ſuorum bonorum & ultimi ſupplicii, aliquando etiam per ignem inferendi. *l.* Nullus III. & *l.* Sermo V. *cod. de Maleficis*.

Iudex eccleſiaſticus punire poteſt ſortilegos, divinatores, magos, etiam laicos, ut Abbas in *cap.* In talibus I. *num.* 33. *de ſortileg.* & alii. Et hanc facultatem expreſſe tribuit eccleſiaſticis in laicos Adrianus VI. Conſtitutione II. quæ incipit *Dudum*, & Sixtus V. in citata Conſtitutione *Cœli & terræ*, ſtatuentes tales ſortilegos, divinatores, magos, alioſve ſimiles ſuperſtitioſos, etiam laicos, puniri poſſe ab Inquiſitoribus.

Omnes & ſinguli libri, opera, & tractatus iudiciariæ aſtrologiæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, oniromantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, artis magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, prohibentur per Conſtitutionem citatam Sixti V. *Cœli & terræ* ſub cenſuris & pœnis in indice librorum inter-

terdictorum contentis, legi a quovis fideli, & quomodolibet retineri: ſed iubet ut tradere eos teneantur Epiſcopis & Ordinariis locorum; vel Inquiſitoribus præſentare ac conſignare debeant. Immo inſuper in dicta Conſtitutione ſtatuitur ut contra ſcientes, legentes, aut retinentes ſive libros, ſive ſcripta huiuſmodi, ideſt in quibus talia continentur, Inquiſitores libere & licite procedant & procedere poſſint, & pœnis condignis punire & coercere.

§. XIII.

De irreligioſitate.

Hactenus egimus de vitiis quæ opponuntur virtuti religionis, ideſt cultui Deo debito per exceſſum; nunc videnda ſunt quæ eidem cultui contraria ſunt per defectum. Hæc autem vocantur irreligioſitas: & ea ſunt quæ irreverentia, *vi*, aut contemptu Deum & res ſacras attingunt.

Irreligioſitas apud Theologos dupliciter ſumitur: late, & ſtricte. Late ſumpta importat omnia vitia quæ ſunt contra religionem; ſtricte vero illa ſolum ſignificat quæ per defectum religioni opponuntur. Et in hac acceptione in ſe continet tentationem Dei, blaſphemiam, ſacrilegium, ſimoniam, periurium, violationem voti: quæ omnia officiunt cultui Deo debito. De duobus poſterioribus, cum alibi ſuo loco ſermo habeatur; hic ſolum de quatuor prioribus agendum erit: nempe de tentatione Dei, de blaſphemia, de ſacrilegio, & de ſimonia.

§. XIV.

De tentatione Dei.

Tentatio Dei (ut ex S. Auguſtino *Epiſt.* cxlvi. ad *Confeſſ.*) dupliciter accipitur apud Theologos: nimirum & pro incitatione ſeu inductione ad malum, & pro experimento quod de aliquo aut de illius perfectione ſumitur. De prima hic non agitur: quia nec Deus poteſt inducere ad peccandum, iuxta illud Iacob. cap. I. *Ipſe autem neminem tentat*: nec multo minus ad id induci poteſt; cum nemo ſit ita demens, ut credat ſummam Dei bonitatem ſeduci poſſe ad peccatum. Idcirco de ſecunda ſolum hic loquimur. Sic enim dicitur in Scriptura Deum tentaſſe Abraham, Iob, Tobiam, alioſque iuſtos, ut palam fieret, num Deum diligerent. Et in hoc ſenſu poſſunt homines Deum tentare, probando eius iuſtitiam, veracitatem, miſericordiam, aliaque attributa. Hanc autem definitionem tentationis Dei produnt Theologi: *Eſt inordinatum experimentum ſeu probatio alicuius divinæ perfectionis, verbis, aut factis.* Dicitur *inordinatum experimentum ſeu probatio*: quia temere, ideſt ſine ſpeciali divina permiſſione, intelligibili ſigno interno vel externo manifeſtata, petitur a Deo operatio divinæ omnipotentiæ præter ordinem præſtabilitum in ordine naturæ vel gratiæ: ut quando *Matth. cap.* IV. diabolus ſtatuit Chriſtum ſuper pinnaculum templi, dicens: *Mitte te deorſum. Scriptum eſt enim Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Si enim ordinatum ſit, ideſt iuſta interveniente cauſſa, neceſſitate, aut utilitate; vel fiat ex divino inſtinctu; vel tentans habeat donum miraculorum aut ſanitatum; vel honor Dei aut Eccleſiæ ita expoſtulet: tunc licitum eſt experimentum ſeu tentatio. Sic enim tentavit Deum Abraham *Gen. cap.* XV. quando a Deo petiit ſignum ut eum eſſe cognoſceret: & Elias *III. Reg. cap.* XVIII. quando petiit a Deo ignem de cælo, ut cognoſceret populus Iſrael Baal eſſe dæmonem, & ſolum Deum Iſrael eſſe verum Deum ab omnibus colendum.

Dupliciter autem Deus tentari poteſt: expreſſe, & implicite ac interpretative. Tentatur expreſſe Deus, quando quis dictis aut factis, aut etiam facta omittendo, directe intendit experimentum de Deo ſumere: ut ſi quis ea intentione oret ut exploret per aliquod miraculum, ideſt per aliquod extraordinarium, Dei ſcientiam, potentiam, aut aliquod aliud divinum attributum, vel eius in aliqua re voluntatem, omiſſis aliis mediis ordinariis & proportionatis; vel ſi quis ſe in puteum vel in profundum rapidumque flumen proiiceret, vel re aliqua ad vitam naturalem neceſſaria, puta cibo, uti omitteret, ad explorandam Dei in ſe providentiam. Tentatio Dei expreſſa aliquando fundatur in malitioſa incredulitate & dubitatione de attributis & promiſſis divinis: & ex tali incredulitate tentarunt Chriſtum Phariſæi, ſignum aliquod petendo ad veritates quæ prædicabat, præcipue quoad eius divinitatem confirmandam, Matth. cap. XXII. *Volumus a te ſignum videre.* Aliquando vero in irreverentia & præſumptione erga Deum: & talis erat tentatio Gedeonis *Iudic. cap.* XVI. cum vellus rore madefactum a Deo petiit; de qua tentatione veniam a Deo precatus eſt. Tentatio Dei implicita & interpretativa eſt, *Tentatio Dei duplex.*

quan-

quando quis licet non intendat tale experimentum, id tamen facit ſeu omittit quod ad nihil aliud ordinabile videtur, niſi ad explorandam aliquam Dei perfectionem vel voluntatem. Ita Deum tentaret qui uti nollet mediis ordinariis, vel a divina providentia inſtitutis, ad aliquod quod optat conſequendum, ſperans ac expectans effectum a ſolo Deo, nulla rationabili cauſſa eum ad hoc movente: puta ſi ſtatueret docere, aut concionari ſine ullo prævio ſtudio aut conſideratione, dum hæc adhibere poſſet; ſecum cogitans per interiorem Dei illuſtrationem ſcientiam rerum dicendarum in concione, vel tradendarum in inſtructione recepturum. Item ſi quis exponeret probabili periculo propriam vitam, ſe obiiciendo mutilationi alicuius membri ſine neceſſitate vel utilitate; vel præcipitem ſe dando ex alto loco, ut ex ſummitate domus, nolendo deſcendere per gradus, ob fiduciam incolumitatis a divina providentia accipiendæ. Sic Deum tentaret infirmus qui nollet medicinam recipere, credens, quod Deus reddet ipſi ſanitatem. Hoc enim de lege ordinaria, ut docent communiter doctores, eſt tentare Deum.

Dixi *nulla rationabili cauſſa movente*: quia, hac interveniente, nulla eſt Dei tentatio; puta nolle uti medicina tempore martyrii, quia cum ex ea maxima ſequeretur utilitas, oſtenditur promptitudo patiendi pro Chriſti fide. Neque etiam tentaret Deum qui medicinam nollet recipere propter ſpiritualem profectum, continendo ſe intra limites obſequii rationabilis; puta ſi ob carnem domandam, aut paſſionum effervеſcentiam compeſcendam, vel ut melius in memoriam paſſionis Chriſti libenter hæc omnia perferendo ſentiret, ut fecerunt & identidem faciunt plures viri ſancti ac religioſi qui incommoda carnis læto etiam animo patiuntur ad carnis mortificationem & communicationem paſſionis Chriſti: dummodo tamen, ita hæc limitat Navarrus, hæc mortis periculum ſecum non afferant; nam ſi hoc probabiliter immineret, medicinam effugiendo peccaret. Ut vero dignoſcatur, quando ſit Dei tentatio, necne ex aliquo opere aut dicto noſtro, ut advertit hic Sayrus, reſpicere oportet ad cauſſam & finem propter quem effectus ille a ſolo Deo expectatur: ita ut ſi ſit rationabilis, nulla erit tentatio; ſi vero talis cauſſa non ſubſit, erit profecto tentatio Dei, ſaltem interpretativa. Unde qui periculo mortis ſe exponeret ex utili cauſſa aut neceſſaria, ut puta morans inter infideles, a fideli ſeu Catholico prædicatore audiendi & diſcendi cauſſa neceſſaria fidei documenta, non peccaret; nec pugnans in bello iuſto, nec qui ex iuſta & utili cauſſa Deum oraret expectans ab eo eventum: cum plures Sancti, ut referunt eorum hiſtoriæ, uſi ſint huiuſmodi precibus ad patranda miracula, vel occulta detegenda, hiſque ſimilia peragenda. Qui vero ſine præparatione orat, Deum tentat: quia cum Deus huiuſcemodi orationes exaudire non promiſerit, inutiles omnino ſunt ad experiendam divinam providentiam, num ſuccurrere valeat etiam non bene oranti. Et hoc dicendum de eo quoque qui, neglectis mediis quibus conferri ſolent bona temporalia, ſola oratione illa a Deo impetraret: dummodo tamen caſus talis non eſſet, ut expediret fieri in re ea miraculum. Et hæc omnia patent ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* XCVII. *per tot.* & ex aliis.

Variis vero modis Deus tentatur, ut notat hic Sayrus. Primo, quando quis ſe indiſcrete periculo committit, dum habet humanum conſilium, vel auxilium de aliquo faciendo: ſecundo, in incredulitate aliquid a Deo petendo; & utrumque eſt veritum; tertio, miraculum a Deo ſine neceſſitate petendo: quarto, terminum Dei adiutorio ponendo; nam Deo nec tempus, nec modus præſcribitur: quinto, volendo experimentum habere de Dei potentia & præſentia, an adſit, vel aliquid facere poſſit: ſexto, volendo Deum capere in ſermone, iuxta illud Matth. cap. XXII. *Quid me tentatis hypocritæ?* nam hypocritæ unum in corde, aliud in ore habent.

Cum omnis tentatio Dei vetita ſit in divinis Scripturis, ut Deuter. cap. VI. & Matth. cap. VI. *Non tentabis Dominum Deum tuum*: eſt peccatum mortale, ſive fiat expreſſe & directe, quia magnus eſt Dei contemptus & irreverentia velle experiri aliquam Dei perfectionem; ſive tacite fiat & indirecte. Nam gravis pariter eſt irreverentia contra Deum, quod vilis creatura negligat ac reſpuat ordinaria media a divina providentia ſtatuta, & ſaltem interpretative velit ut Deus ad illius nutum leges immutet ſuæ providentiæ, ubi nulla occurrat neceſſitas. Itidem mortale eſt, ſi ex ſola curioſitate petatur a Deo miraculum. Valde enim dedecet ſummam Dei ſapientiam & maieſtatem, ut ad hunc vanum finem mirum aliquid efficiat. Quando vetita & lethalis.

Tentatio Dei contingere poteſt & cum errore ac dubitatione intellectus, & ſine tali erro-

errore & dubitatione. Tentatio Dei cum errore & dubitatione intellectus eſt, quando quis cupit experiri miraculo divinam aliquam perfectionem, quia dubitat, an illam habeat: quod numquam fieri poteſt ſine graviſſima culpa, cum infidelitatem coniunctam habeat & hæreſim, quæ ſemper graviſſimum eſt nefas. Tentatio Dei ſine errore & dubitatione intellectus eſt, quando quis experimentum facit, abſque eo quod ullatenus dubitet ineſſe in Deo talem perfectionem. Et hæc fere ſemper eſt grave peccatum, cum cedat in gravem Dei irreverentiam a Deo exquirere ut medio minime a ſe ordinato ſuas demonſtret perfectiones: immo quandoque tentatio eſt etiam contra caritatem propriam, ut ſi coniuncta ſit cum periculo vitæ. Si tamen hæc ſecunda in re levi exerceatur; ut ſi quis negligat curare leve vulnus, aut exiguum capitis alteriuſve membri dolorem, attendens a ſolo Deo ſanitatem: poteſt eſſe leve peccatum. Et aliquando etiam in re gravi poteſt eſſe ſine ulla culpa, immo cum merito: ſi, ut antea diximus, fiat ob bonum finem, ex neceſſitate, vel ex ſpeciali Dei inſtinctu: ut quando S. Lucia ſponte ſe proiecit in ignem ab infidelibus ipſi paratum; S. Raymundus ſupra ſuam tunicam navigavit; & D. Antonius Patavinus ad effringendam hæreticorum duritiem eos ad piſces maris provocavit.

Quid de probationibus per ferrum candentem & per alia media. Huc etiam pertinent purgationes ſeu probationes iuſtitiæ vel innocentiæ, quæ fiunt per ferrum candentem vel ferventem aquam, has ſumendo vel per ingreſſum in ardentem fornacem, aut per duellum, aut aliter, ut nempe a ſuſpicione criminis obiecti quis ſe purget: & vetitæ ſunt hæ purgationes in iure canonico in *can.* Conſuluiſti *dist.* XII. *q.* V. *cap.* III. *de purg. vulgar.* Nam ad tuendum bonum commune ſatis eſt, ſi de crimine vel innocentia conſtare poſſit per probationes teſtium, aut per iuramentum, aut per alia huiuſmodi media ordinaria, qualia decent humanam gubernationem; neque exponendus eſt homo tanto periculo. Si tamen iſtæ purgationes fierent ex intentione experiendi, an Deus innocentiam hoc etiam modo tueatur; eſſet tentatio Dei expreſſa.

Purgationes vulgares inductæ ſunt ſæculo ſeptimo, præcipue in Hiſpania, Gallia, & Belgio: & in Hiſpania vigebant etiam ſæculo duodecimo. Et inductæ fuerunt ut magis hoc remedio terrerentur homines præcipue plebeii a periurio, quod illis temporibus prope nihili faciebant; quando alio modo non poterat explorari, num ſuſpectus de aliquo gravi crimine revera reus eſſet, an innocens. His enim experientiis comprobare debebat ſuſpectus innocentiam quam aſſerebat, & promptus erat firmare iuramento. Non exigebantur tamen hæ purgationes ab iis qui aſſerebantur a teſtibus qui dicebantur purgatores, non eſſe infames; ac proinde verum iuraſſe. Fiebant enim purgationes variis modis. Fiebant aqua frigida; nempe poſt iuramentum ſe proiicere debebant in aquam: & ſi ſubmergebantur, tenebantur innocentes; ſi vero ſupernatarent, crediti erant rei. Fiebant aqua ferventi; ideſt immittendo, nudato brachio, manum in aquam ferventem, quæ extracta involvebatur, & involucra ſignabantur ſigillo iudicis uſque in diem tertium: quæ ita ſi poſt tale tempus, remotis involucris, ſana inveniebatur, comprobata erat eius innocentia; ſi ſecus, manifeſta iudicabatur eius reitas. Fiebant ferro candenti; ideſt ſuſpectus de crimine probabat veritatem iuramenti præſtiti de ſua innocentia, nuda manu ferrum candens tangendo: quam ſi illæſam retraheret, innocens; ſi aduſtam, reus iudicabatur. Erant ſuæ formalitates in hiſce exequendis purgationibus: ideſt prævia ieiunia, orationes, adiurationes. Ita Delrius & Mabil. quos hic citat Van-Elpen *Part. III. cap.* VIII.

§. XV.

De blaſphemia.

Blaſphemia vox Græca & generalis, quæ latine idem ſignificat ac vituperatio, execratio, maledictio, dupliciter ſumitur. Late, pro quocumque convicio & maledicto in aliquem dignitate & excellentia pollentem: & ſtricte ac iuxta vulgarem uſum, pro contumelia quæ iacitur in Deum, vel in Sanctos cum Deo regnantes, prout ad ipſum referuntur; ſeu pro maledictione qua divinæ bonitati vel excellentiæ derogatur, cum per blaſphemiam ſaltem implicite negetur quod Deo convenit, & aſſeratur quod ei non convenit, ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* III. *art.* I. *in corp.* Et hoc conſonat D. Auguſtino qui *lib.* III. *de Manich. cap.* XI. ait: *Iam vulgo blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere: quia de hominum bonitate dubitari poteſt; Deus vero ſine controverſia bonus eſt.* Hinc ita definiri ſolet: blaſphemia eſt *maledictio, qua aliquid divinæ bonitati derogans corde vel ore dicitur, idque per modum convicii*: vel eſt *contumelioſa* D finitio blaſ... [illegible]

locu-

locutio in Deum & Sanctos, ſive externa & oris, ſive interna & animi, ut cum dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Dicitur *contumelioſa*: ut intelligatur, blaſphemiam ex genere ſuo non eſſe proprie & formaliter hæreſim, a qua & ab omni alia infidelitatis ſpecie differt. Hæ enim conſiſtunt in aſſenſu alicuius propoſitionis fidei repugnantis; illa vero ad ſui rationem talem aſſenſum non requirit, ſed ſolum quod de Deo concipitur vel dicitur, per modum convicii dicatur. Neque tamen neceſſaria eſt formalis & expreſſa intentio conviciandi vel inhonorandi Deum; ſed ſufficit implicita: ut cum ipſa verba vel modus ea pronuntiandi ſecundum ſe ſerviunt ad Dei inhonorationem; & ad hoc blaſphemans advertat. Patet igitur, blaſphemiam eſſe vitium non fidei, ſed religioni oppoſitum: cum locutio contumelioſa ex ſe opponatur laudi & honori, ideſt cultui Dei, quem religio tuetur & ſollicite curat. Dicitur *& Sanctos*: nam hæc contumelioſa locutio poteſt eſſe vel immediata, quæ Deum in ſe ipſo attingit; vel mediata, quæ profertur in Sanctos, & in Deum cadit, iuxta illud Luc. cap. XVI. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*: & Pſalm. cl. *Laudate Dominum in Sanctis eius*.

Eius diviſio. Blaſphemia dividitur primo in materialem, quæ fit ſine intentione inhonorandi Deum; & formalem, in qua intenditur Dei inhonoratio. Secundo, in internam, quæ in ipſo animo fit; & externam, quæ exterius verbis aut aliis ſignis exprimitur. Tertio, in eam quæ eſt contra Deum; & in eam quæ eſt in Sanctos. Quarto præcipue, & ſatis celebri diviſione, in hæreticalem, imprecativam, & mere dehoneſtativam: & hæ ſunt ſpecie diverſæ. Hanc vero diviſionem alii ad duo tantum membra reducunt: in hæreticalem videlicet, & ſimplicem ſeu non hæreticalem. Stando autem primæ diviſioni, hæreticalis eſt illa quæ cum hæreſi coniunctionem habet, utpote quæ aliquid falſum de Deo pronuntiat; ſeu adfirmat de eo vel negat aliquid quod opponitur articulo fidei, aut attribuit creaturæ quod ſolius Dei proprium eſt. Et hæc habet duplicem ſpecie malitiam mortalem: ideſt contra fidem, & contra religionem. Huiuſmodi eſt dicere Deum tyrannum, crudelem, iniuſtum; vel non eſſe bonum, omnipotentem, miſericordem, non curare noſtra, non proſpicere rebus humanis, non omnia eſſe bene ordinata, dæmonem eſſe Deo meliorem & fideliorem. Item ſi dicatur, Oh miſerum Deum! Denego Deum; ſi quis libenter foveat in mente, vel approbet eiuſmodi cogitationes blaſphemas, Denego Chriſtum, Evangelia: quia negaretur Deus, ſive Chriſtus, ſi hoc ita non eſt. Nam negare Deum etiam ſub conditione cuiuſvis obiecti, eſt negare id quod Dei proprium eſt: ſcilicet exiſtentiam ab omni creato ſubiecto independentem. Licet vero qui talia verba in Deum profert, in ea non prorumpat ex animo erroris; cum vix ulli inveniantur qui de hoc interrogati dicant ſe intus reipſa ſenſiſſe quod ei verbis attribuerunt, ita ut pauci ſint quorum blaſphemia una cum religione fidem impugnet: nihilominus graviter hi peccant non ſolum contra religionem, ſed etiam contra externam fidei profeſſionem; quia hæc verba per ſe tendunt in gravem dehonorationem Dei; & reipſa gravem in ſe habent irreverentiam contra Deum. Hæreticalis pariter erit blaſphemia, ſi dicatur dæmon aliquid creaſſe, aut mundum regere: quia attribueretur creaturæ quod ſolius Dei proprium eſt. Imprecativa, non hæreticalis ſeu ſimplex, ea eſt qua quis Deum deteſtatur; ut cum dicitur, Maledictus Deus: ſive malum aliquod ei imprecatur; ut ſi quis diceret, Pereat Deus, Contemnatur Deus. Et hæc frequens eſt in damnatis. Dehoneſtativa tandem, quæ pariter eſt ſimplex ſeu non hæreticalis, eſt quando nihil Deo inconveniens adfirmetur, vel conveniens negetur, nec Deus deteſtetur, nec malum ei imprecetur; aliqua tamen quæ in Deo ſunt vel in Chriſto, ideſt quæ ipſius Dei vel Chriſti propria ſunt, indecenter, per deſpectum ac indignationem, iniurioſe, probroſe, nominantur, atque per modum contumeliæ proferuntur: qualis eſt ea blaſphemia quæ tribuitur Iuliano Apoſtatæ: *Viciſti Nazarene*. Sic ſi quis v. g. indignanter dicat, Potentia Dei, Dei bonitas, quod vulgariter *Poter di Dio*, *Coſpetto di Dio*, & huiuſmodi: item ſi irreverenter, irriſorie, probroſe per indignationem quis nominet myſteria, vulnera, caput, aliaque membra Chriſti; v. g. *Sangue di Criſto*, *Corpo di Criſto*: ita ſi ex ira proferat contumelioſe mortem Dei; ſi ea loquatur vel agat quæ ex modo loquendi, aut ex circumſtantiis, vel ex uſu hominum per ſe ſignificant intentionem iniuriandi Deum & Sanctos, aliaque huiuſmodi. Etenim iſta tunc dicuntur de Deo tamquam contemptibilia & vituperabilia: & in his magnus Dei contemptus apprehenditur. Quocirca graviter etiam a iure canonico prohibentur *cap.* Si quis XXII. *q.* I.

Ad blaſphemiam ſimplicem & dehoneſtativam reducuntur alia ſigna formalis contemptus contra Deum, licet verba non concurrant: ut in cælum ſpuere, infremere dentibus, hiſque ſimilia peragere. Item blaſphemiæ ſunt vituperia ac verba contumelioſa contra B. Virginem & Sanctos, quatenus ſancti ſunt; aut contra ſacramenta, vel res Deo ſacras, prout Deo ſacratæ. Nam ſicut Deus (ait D. Thomas *loc. cit. quæſt.* XIII. *art.* I. *ad* 2.) laudatur in Sanctis ſuis, inquantum opera quæ in Sanctis facit, laudantur: ita & blaſphemia quæ fit in Sanctos & res ſacras, mediate redundat in Deum qui in iis ſpecialiter elucet; cum habeant eximiam ſanctitatem, quæ eſt excellentiſſima naturæ divinæ participatio, & ad hoc ſufficit virtualis habitudo ad Deum.

Blaſphemia pariter eſt maledicere creaturis irrationabilibus, prout ſunt creaturæ Dei, vel eius inſtrumenta; ut tempeſtati. Nam iis maledicere ſub ea ratione, eſt maledicere creatori: ut docet S. Thomas *ibid. quæſt.* LXXI. *art.* I. Blaſphemia tamen prolata immediate in Deum gravior eſt quam in Sanctos. Gravius enim eſt, Deum in ſe ipſo contumelia afficere, quam repræſentatum in Sanctis: & plus ut repræſentatum in Sanctis, quam in aliis creaturis, ſicut notat P. Antoine. Ex dictis vero ſequitur, blaſphemiam aliquando eſſe explicitam, quæ manifeſtam continet contumeliam contra Deum aut res divinas; aliquando vero implicitam, quando nempe ex circumſtantiis, aut ſolum mediante ratiocinio, redundat in Deum, v. g. dum Iudæi ex contemptu vocabant Chriſtum filium fabri; aliquando etiam interpretativam, quando ſub ſpecie honorandi Deum revera ipſe inhonoratur, ut puta dum Iudæi Deum deprecantur ut mittat Meſſiam.

Alia pariter eſt blaſphemia in Deum, quæ contumelia afficit Deum prout unum & trinum; aliquando in Spiritum ſanctum, qua operationes appropriatæ Spiritui ſancto per hominis ſanctificationem, ut ſuo loco dicemus, tribuuntur diabolo.

Licet vero blaſphemia hæreticalis & non hæreticalis ſeu ſimplex ſpecie inter ſe differant; tamen probabilius eſt, quod blaſphemiæ hæreticales ſint omnes eiuſdem ſpeciei: cum videatur eiuſdem ſpeciei malitia & negare Deo quod ipſi convenit, & quod ei non convenit, ipſi tribuere. Dico ſpecifice: quia ſicut unum probrum poſſit eſſe altero iniurioſius; ſic una hæreticalis blaſphemia altera poteſt eſſe notabiliter gravior, ac proinde in confeſſione exprimenda. Nam multo maiorem iniuriam Deo infert, qui dicit Deum eſſe diabolum, quam qui dicit eſſe improvidum.

Quælibet blaſphemia deliberate commiſſa eſt peccatum ex genere ſuo graviſſimum, & quidem gravius periurio & idololatria: cum illam proferens non horreat ponere os ſuum in cælum, ut ſuum creatorem, dominum, redemptorem, benefactoremque contumeliis conviciiſque probroſe afficiat. Idcirco blaſphemia non admittit parvitatem materiæ. Et ſane nihil eſt quod magis repugnet legi divinæ, ac naturali rationi; & conſequenter nihil gravius, ſicuti quod creatori maledicat creatura, & quod homo cultum qui in primo Decalogi mandato ei præcipitur Deo exhibendus, convertat in ipſius contumelioſa convicia & probroſa maledicta. Idem pariter peccatum committit ille quoque qui ſine ullo pravo affectu in Deum, ſed ex ioco tantum, advertenter tamen & deliberate, verba profert quæ ut contumelioſa tendunt ad Dei inhonorationem: niſi tamen in tali ioco, omnibus perpenſis, nulla appareret divini honoris diminutio; quia tunc non eſſet vera blaſphemia, quod valde raro contingere poteſt. Sic eſt mortale peccatum, & pariter graviſſimum, quando etiam proferantur huiuſmodi verba ex ira, indignatione, & habitu; ſi ita loquens advertat ad vilipendium Dei vel rerum ſacrarum, quod verba ſuæ blaſphemiæ præſeferunt ut S. Thomas 2. 2. *quæſt.* III *art.* 2. *ad* 3. aliique paſſim docent: niſi forte contingeret, quod ex repentina indignatione vel ex habitu non advertat ad vilipendium Dei aut rerum ſacrarum; in quo caſu excuſaretur a mortali ex defectu plenæ cognitionis vel voluntarii, ut citatus Angelicus præceptor explicat. Immo ſi verba blaſphemiæ quæ ex impetu vel ſubito motu iræ proferuntur, omnem rationis advertentiam præveniant; erunt actus primo primi, ac proinde ſine ulla culpa, ne veniali quidem: ubi enim malitia non eſt præcognita, nequit eſſe volita. Si aliqua adſit advertentia, ſed imperfecte deliberata, ut in motibus ſecundo primis: cum tales actus non ſint perfecte liberi, & malitia imperfecte cognita, ac ideo imperfecte volita; eſſet quidem aliqua culpa, ſed tamen venialis.

Illius gravitas.

Quam grave ſit hoc horrendum ſcelus, indicant pœnæ tum divinæ, tum eccleſiaſticæ, tum civiles. *Levit. cap.* XXIV. blaſphemis indicta eſt pœna mortis: *Qui blaſphema-*

verit nomen Domini, morte moriatur: quæ pœna (ut notat D. Thomas *loc.cit. ad* 1.) non infertur niſi reis graviorum criminum. Ius vero canonicum *cap.* x. xxii. *q.* 1. decernit blaſphemos conſtitutos in Ordine eccleſiaſtico deponendos; laicos autem anathematizandos: & ius civile *Authent. collat.* vi. *tit.* v. *Novell.* lxxvii. *cap.* 1. §. 1. ſtatuit, blaſphemos ultimo ſupplicio eſſe multandos; & nonnumquam in aliquo regno blaſphemi linguæ reciſione vel perforatione corripiuntur. Concilium autem Lateranenſe ſub Leone X. ut frenum poneret tanto malo, decrevit ut blaſphemus gerens publicum officium pro prima & ſecunda vice emolumentum trium menſium perderet, pro tertia officio privaretur: clericus vero Sacerdos pro prima vice privaretur omnibus fructibus beneficii per annum, pro ſecunda beneficio, pro tertia fieret infamis & inhabilis ad omnia. Et ſic contra laicos alias ſtatuit pœnas pecuniarias carceris & triremis. Sic P. Henno.

Nota I. Ad mortalem blaſphemiam non requiritur intentio expreſſa ac formalis Deum inhonorandi; ſed ſufficit virtualis & interpretativa: nempe cum quis libere profert ea quæ ex propria ſignificatione vel communi apprehenſione, & ex modo proferendi aliiſque circumſtantiis continent Dei inhonorationem. Hæc enim per ſe tendit in Dei inhonorationem, & formalem directumque contemptum.

Nota II. Qui habet conſuetudinem blaſphemias proferendi, vel ſibi aut aliis dæmonem aut grave malum imprecandi, tenetur ſub mortali ſerio & efficaciter ſtatuere ac conari huiuſcemodi evellere conſuetudinem: cum talis conſuetudo ſit graviter mala, & de ſe graviter dehonorativa. Hanc non tollens toties peccat, quoties ad talem conſuetudinem advertens ſtudium ab ea ſe liberandi negligit: quia vult ſaltem interpretative in hoc tam deteſtabili malo perſeverare. Nam pravus habitus ad huiuſcemodi actus vehementer trahit, ac parit quamdam veluti peccandi neceſſitatem. Immo quamdiu eam conſuetudinem non retractat, nec emendare curat; ei imputantur ad mortalem culpam omnes blaſphemiæ quas ex ira aut alio paſſionum motu, licet ſine advertentia, profert. Sic cum de Lugo Toletus, Sanchez, aliique permulti. Sunt enim ſufficienter voluntariæ ac liberæ in cauſa non retractata, & quam emendare ac tollere negligit. Unde a culpa excuſatur qui poſt efficacem contritionem de præteritis, dum ſollicite curat illum habitum eradicare, interim labitur ex inadvertentia. Secus autem, ſi labatur ex negligentia. Nam tunc illæ blaſphemiæ naturali impetu emiſſæ non ſunt voluntariæ nec in ſe, neque in cauſa: cum conſuetudo, ut ſupponitur, ſit efficaciter retractata, & eam pro viribus tollere ſeu emendare conetur.

Nota III. Prolatio ſeu appellatio nominis Dei, Ieſu, vel Sanctorum per modum loquendi, non tamen contumeliæ (ut *O Ieſu! Deus bone!*) licet non ſit blaſphemia; eſt tamen vana uſurpatio nominis Dei, & culpa venialis contra religionem. Nam ſanctum ac terribile Dei nomen uſurpare ſine reverentia & pietate, ſed tamquam modum loquendi, eſt illud habere tamquam profanum: quod non caret irreverentia. Et revera modus hic utendi divino nomine vetitus eſt *Eccli. cap.* xxiii.

Nota IV. Aſſidua dæmonis invocatio, quamvis ſine imprecatione, ſed per modum loquendi, non decet Chriſtianum: idcirco omnino cavenda; & ratione ſcandali eſſe poteſt grave peccatum. Ita cum Layman P. Antoine.

§. XVI.

De blaſphemia & peccato in Spiritum ſanctum.

Peccatum in Spiritum ſanctum non illud intelligitur quod regenerati per baptiſmum poſt gratiam in tali regeneratione a Spiritu ſancto acceptam committunt, ut putavit Origenes: cum Chriſtus Dominus exprobraverit Phariſæis *Matth. cap* xii. hiſce verbis: *Qui dixerit* (verbum) *contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei*: eos in Spiritum ſanctum peccaſſe, qui tamen gratiam Spiritus ſancti per baptiſmi regenerationem non acceperant; cum non eſſent baptizati. Inſuper fit ibidem diſtinctio peccati in Spiritum ſanctum a peccato in filium hominis: cum hoc idem contra filium hominis poſſit committi etiam a baptizatis. Item peccatum in Spiritum ſanctum non eſt idem generaliter quod finalis impœnitentia: & quia aliis modis peccari poteſt in Spiritum ſanctum; & quia illi qui *Matth. cap.* xii. culpantur in Spiritum ſanctum peccaſſe, non erant formaliter impœnitentes.

Peccatum in Spiritum ſanctum generaliter poteſt intelligi idem quod peccatum ex certa malitia. Verum dupliciter contingit peccatum ex malitia: uno modo, quando peccatur ex prava habituali inclinatione; alio mo-

Digitized by Google

modo, quando ea eſt alicuius malitia, ut ſciens & volens per contemptum ea abiiciat quæ peccatum impedire poſſent vel tollere. Hinc ſciendum eſt, peccatum in Spiritum ſanctum non dici ex malitia priore modo (nam ſic omne peccatum dici poteſt in Spiritum ſanctum) ſed ex malitia poſteriore modo. Tale enim peccatum eſt contra bonum appropriatum Spiritui ſancto, cui appropriatur bonitas, ſicuti Patri potentia, Filio ſapientia. Quocirca peccatum in Patrem dicitur eſſe peccatum ex infirmitate; peccatum in Filium ex ignorantia; peccatum vero in Spiritum ſanctum peccatum ex certa malitia. Adde, quod per hoc peccatum quis ſciens & volens abiicit ea per quæ fit peccatorum remiſſio, quæ remiſſio peccatorum tribuitur Spiritui ſancto.

Peccatum in Spiritum ſanctum de quo *Matth. cap.* XII. loquitur Chriſtus Dominus, eſt agnitæ veritatis impugnatio. Hoc enim eſt peccatum illud quo Iudæi malitioſe & ex induſtria calumniabantur opera quæ Chriſtus virtute Spiritus ſancti peragebat, dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia*. Luc. cap. XI. Neque neceſſarium eſt, Spiritum ſanctum hic accipi pro tertia in Trinitate perſona: ſed accipi poteſt, prout eſt in tota Trinitate. Nam Chriſtus non vult hic diſtinguere inter peccatum in filium Dei, & peccatum in Spiritum ſanctum; ſed ſolum inter peccatum quod contra filium hominis committitur, & inter illud quod ex certa malitia committitur in Spiritum ſanctum ſive in Deum. Proinde peccatum & blaſphemia in filium hominis eſt convicium aliquod in Chriſtum hominem, quatenus homo eſt, prolatum; ſicuti quando Phariſæi dicebant: *Ecce homo vorax & potator vini*: peccatum vero in Spiritum ſanctum eſt convicium directe in divinitatem commiſſum; veluti quando opera quæ Chriſtus virtute ſuæ divinitatis operabatur, attribuebant principi dæmoniorum. Expreſſit autem Chriſtus Dominus Spiritum ſanctum: quia opera illa ſolent attribui peculiariter Spiritui ſancto.

Peccatum vero in Spiritum ſanctum non confunditur cum blaſphemia Spiritus ſancti: ideſt non eſt prorſus idem cum ea. Etenim non omne id quo ea quæ poſſunt removere hominem a peccato, per contemptum reiiciuntur, ac ideo in Spiritum ſanctum peccatur, aut fit, aut profertur per modum convicii in Deum: ac proinde non omne peccatum in Spiritum ſanctum, ut deſperatio, præſumptio, invidentia fraternæ gratiæ, impœnitentia, eſt vera & proprie dicta blaſphemia Spiritus ſancti. Peccatum vero quod Chriſtus *Matth. cap.* XII. reprehendit, erat vera Spiritus ſancti blaſphemia.

Sex aſſignantur a D. Thoma ſpecies peccati in Spiritum ſanctum: cum ſex modis fiat ut ea removeantur & contemnantur per quæ homo retrahi poteſt a peccando. Fit enim abiiciendo ſpem de miſericordia Dei; & eſt deſperatio: vel putando ſe conſequi poſſe gloriam cæleſtem ſine meritis, aut veniam ſine pœnitentia, quo fit ut contemnatur iuſtitia; & eſt præſumptio: vel oppugnando veritatem bene cognitam fidei; & eſt agnitæ veritatis impugnatio: vel invidendo gratiæ Dei quam quis deprehendit in proximo; & eſt invidentia fraternæ gratiæ: vel obſiſtendo gratiæ & benignitati Dei inducentis homines ad pœnitentiam; & eſt impœnitentia: vel non conſiderando quam breve parumque bonum ſit quod quis quærit in peccato, unde reſpuuntur dona ſpiritualia quæ poſſent a peccato avocare; & eſt obſtinatio, qua quis voluntatem firmat in hoc quod inhæreat peccato. Ex his igitur patet, impœnitentiam quæ ſtatuitur ſpeciale peccatum in Spiritum ſanctum, non ſumi pro permanentia in peccato uſque ad mortem, quo modo poteſt eſſe circumſtantia cuiuslibet generis peccati; ſed ſecundum quod importat ſeu eſt propoſitum non pœnitendi.

Licet odium Dei ſit ſpeciale peccatum in Spiritum ſanctum, utpote quod committatur ex certa malitia & contemptu, ac per illud non tantum Dei dona, ſed Deus ipſe reiiciatur: non tamen computatur hic inter ſpecies peccati in Spiritum ſanctum. Eius enim ratio formalis participative reperitur in omnibus aliis peccatis, quæ committuntur in Spiritum ſanctum; cum per quodlibet illorum reiiciatur Dei miſericordia, vel iuſtitia, vel veritas, vel gratia, vel alia dona ad ſpiritualem ſalutem neceſſaria.

Peccatum autem contra Spiritum ſanctum dicitur irremiſſibile, non quod nullo modo remitti poſſit; ſed quia difficulter & raro remittitur, eo quod directe excludat illa ſine quibus non fit remiſſio. Inſuper hoc peccatum nihil relinquit in homine ex quo attendi poſſit excuſatio, vel ſperari pœnitentia & remiſſio: ſicut econtra peccatum ex ignorantia vel infirmitate relinquit paſſionem infirmitatis & ignorantiam, ex qua videtur eſſe aliquid excuſationis; & poteſt ſperari quod ageretur pœnitentia, ſi vel paſ-

paſſio tranſiſſet, vel ignorantia eſſet depulſa. Nihil autem tale habet peccatum ex certa malitia.

§. XVII.

De ſacrilegio.

Tametſi ſacrilegii vocabulum, quod deductum eſt a ſacris legendis ſeu furandis (ut dicit S. Iſidorus *lib. X. Etymolog. cap.* XVIII.) latius ſumptum dicat quamlibet irreverentiam Deo illatam; ſtrictius tamen & proprie acceptum indicat quamcumque violationem, ſeu indignam indecoramque tractationem rei ſacræ, ſeu Deo dicatæ & ad divinum cultum pertinentis ac deſtinatæ. Hinc differt huiuſcemodi ſcelus a tentatione Dei & blaſphemia, quod illæ ſint contra ipſum Deum; ſacrilegium vero contra res ipſi ſacratas, ſive in ſe, ſive in aliis. Violatur autem res ſacra, quando aliquid fiat quod præcipuo modo repugnat ſanctitati illius, vel venerationi ſeu reverentiæ illi debitæ, ſeu quæ in illa Deo debetur: ita ut violatio ſeu profanatio rei ſacræ ſit quævis irreverentia contra ipſam commiſſa.

Sacrilegium quid ſit.

Verum cum res ſacræ ac Deo eiuſque præcipuo cultui dicatæ triplicis ſint generis, videlicet perſonæ, ut clericus & Religioſus; locus, ut Eccleſia & cœmeterium; & res, ut ſacramenta, ſacra vaſa, ſacri codices, Eccleſiæ bona: ſic ſimpliciter contingere poteſt ſacrilegium committi, ac ideo tres ſunt ſacrilegii ſpecies, ideſt ratione perſonæ, quod perſonale; ratione loci, quod locale; & ratione rei, quod reale appellatur. Sacrilegium perſonale eſt illud quo indigne tractatur ſeu violatur & læditur in reverentia ſibi debita perſona Deo ſacrata, clericus nempe vel Religioſus. Et hoc quatuor modis fieri poteſt. Primo, ſi violentæ manus in eos iniiciantur, iniuſte eos percutiendo, occidendo, lædendo; vel quævis alia actio violenta ac contumelioſa in eos iniuſte exerceatur, ut ſi in ipſos conſpuatur, aut iniuſte detineantur, contra privilegium canonis *Si quis ſuadente*: & tunc incurritur excommunicationis cenſura. Secundo, ſi perſona eccleſiaſtica ſine legitima iuriſdictione trahatur ad forum ſæculare, eam tribunali laico ſubiiciendo, contra privilegium fori. Tertio, eis imponendo irrationabiliter, ideſt ſine legitima auctoritate, onera publica ſeu tributa, contra immunitatem eccleſiaſticam; cum hæc privilegia eis conceſſa ſint intuitu Religionis. Quarto, ſi perſona Deo ſacra, ſeu clericus ſacro Ordine initiatus aut Religioſus, peccet contra caſtitatem; cuius ſceleris ſit particeps alia etiam perſona quæ cum tali clerico ſeu Religioſo peccat: quia primi per votum corpus ſuum cum anima ſpecialiter Deo conſecrarunt, quoad fugam omnis actus venerei; quia cooperatur altera huic ſceleri, ac proinde cum eo communicat in peccato etiam quoad ſpeciem.

Tres illius ſpecies.

Indicatur ſacrilegia quæ ſpectant perſonam.

Sacrilegii pariter reatus eſt violatio cuiuſcumque voti: quia quod per votum Deo dicatur, iam divino iure ad cultum divinum deputatum eſt, ac ideo ſacrum; quod proinde ſine impietate ad alios uſus applicari nequit. Sed, ſecundum quod ſentit P. Henno, hoc ſolummodo intelligendum eſt quoad votum caſtitatis, per quod quis ſpecialiter ſe Deo conſecrat: ita ut, ſicut addit ipſe, in aliis materiis aliqui volunt eſſe potius peccatum contra fidelitatem quam ſacrilegium, quandoquidem nihil ſacrum violatur, ut patet in eo qui omittit roſarium, ieiunium, diſciplinam, ad quæ tenetur ex voto. Nihilominus tamen concludit haſce etiam violationes dici poſſe ſacrilegium; cum ſint violationes promiſſionis Deo quaſi ſacræ.

Sacrilegium locale eſt violatio ſeu profanatio loci ſacri ſeu ad uſum pium publice deſtinati, cuius nomine intelligitur Eccleſia, ſacellum, altare, & quicumque locus ad Miſſam & officium divinum peragendum publica auctoritate conſtitutus, ſive interim ſit conſecratus & benedictus, ſive non. Inter hæc loca ex Eccleſiæ inſtitutione recenſentur etiam cœmeteria, ad piam fidelium defunctorum humationem deſignata & ſacrata. Dixi *publica auctoritate deputatus*: ut excludantur eremitoria, ac privata oratoria, licet in eis permittatur Miſſæ celebratio, ſi illa conſecrata non ſint aut benedicta; quibus ideo non conceditur eccleſiaſticæ immunitatis privilegium. Sacrilega autem violatio loci ſacri eſt actio omnis irreverentiam loci includens, aut ſpecialem habens oppoſitionem ſanctitati loci vel divino cultui, ſive ex natura ſua, ſive ex Eccleſiæ ſeu ſacrorum canonum prohibitione. Violatur ſeu profanatur locus ſacer præcipue tribus modis. Primo, per actionem ipſum polluentem; ut eſt homicidium culpabile, effuſio illicita & notoria ſanguinis vel ſeminis, ſepultura excommunicati vitandi ſeu non tolerati, vel alicuius non baptizati. Hic tamen circa ſanguinis effuſionem in loco ſacro advertendum primo, ad loci ſacri pollutionem at-

Item ea quæ referuntur ad locum.

Digitized by Google

attendendum eſſe ubi facta ſit vulneratio ex qua ſecuta eſt illicita ſanguinis effuſio. Nam ſi vulneratio facta fuit extra locum ſacrum, & effuſio ſanguinis contingat intra fines loci ſacri; nulla tunc fit loci pollutio: quæ tamen fit, ſi vulnus inſligatur iu loco ſacro, licet dum vulneratus ex tali loco effugierit, effuſio ſanguinis ſequatur extra eiuſdem loci terminos. Secundo, quod per non baptizatum non intelligitur cathecumenus, qui mortuus præſumitur cum baptiſmo flaminis; ſicuti nec proles non nata cum matre defuncta, quia cenſetur pars illius. Tertio. quod ſi coniuges coacti eſſent manere aliquamdiu in loco ſacro; ſecundum aliquos, illum non polluerent, ſi actum coniugalem exercerent, eo quod non poſſent diu continere ſine periculo gravis peccati incontinentiæ. Violatur ſecundo locus ſacer per actiones quæ licet locum non polluant, opponuntur tamen ipſius loci ſanctitati; qualis eſt uſus profanus loci ſacri, vetitus, ac repugnans eius immunitati, ita ut tractetur talis locus non ſecus ac eſſet locus vulgaris: ut ſi in Eccleſia vel in alio loco ſacro fiant mercatus, negotiationes, exercitium iudiciorum forenſium, præcipue criminalium; convivia ſine neceſſitate, conclamationes, colloquia vana, profana, atque fœda; illiciti concubitus, tactus turpes, inhoneſtæ actiones exteriores; ſeditiones, concilia ſæcularia, ſtabulationes equorum; Eccleſiæ effractio, ſpoliatio, incenſio, everſio altaris *cap.* XXII. *de ſent. excommunic.* confabulationes quæcumque tempore divini officii, ac quævis alia quæ divinum cultum turbare aut impedire valeant, aut oculos divinæ maieſtatis offendere. Cap. Decet *de immunit. in 6.* ex Concilio generali Lugdunenſi II. a quo hæc omnia prohibentur. Violatur tertio locus ſacer per furtum rei ſive ſacræ, ſive non, in loco ſacro depoſitæ, puta per crumenæ occultam abſciſſionem, ut communior & probabilior ſententia tenet: cum tale furtum videatur qualificatum, eo vel maxime quod in iure vetitum ſit auferre ſacrum de ſacro, ſacrum non de ſacro, & non ſacrum etiam de ſacro; ut in *cap.* Quiſquis XVII. *q.* IV. ubi Ioannes VIII. ait: *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum non ſacro.* Ubi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; ſed generaliter & indiſtincte accipiendum eſt, quod lex generaliter dicit. Nam in ly *non ſacrum de ſacro* nihil lex ſpecificat, num illud pertineat ad Eccleſiam, an vero ſecus? an ſit ſub cuſtodia Eccleſiæ, an ibi fortuito? Et revera ad reverentiam Eccleſiæ pertinet ut res omnes in ea poſitæ a furtis & iniuriis ſint liberæ. Ita Suarez, Reginaldus, Henno, P. Antoine, Tournely, aliique. Item violatio loci ſacri fit per extractionem violentam & fraudulentam rei vel perſonæ e loco ſacro, ubi viget lex aſyli. Sub nomine loci ſacri hic comprehenduntur Monaſteria, Xenodochia ſaltem auctoritate Epiſcopi erecta, ſicut & loca Eccleſiæ adiacentia, cœmeterium, campanile, ſacriſtia: quæ duo tamen poſteriora ac ſimilia non comprehenduntur in odioſis. Privilegio vero ſeu favore aſyli non gaudent qui per conſtitutionem Gregorii XIV. quæ incipit *Cum alias nonnulli*, prohibentur frui beneficio immunitatis eccleſiaſticæ, cuiuſmodi ſunt in ea recenſiti. I. Rei læſæ maieſtatis: modo tamen & ipſemet Princeps, & a proprio ſubdito lædatur. II. Hæretici, ipſiſque auxilium aut refugium præbentes: qui tamen gaudent immunitate in criminibus non exceptis. III. Homicidæ proditores, ideſt qui nulla præhabita rixa aut inimicitia, vel certe iam extincta, hominem nihil minus cogitantem interficiunt: unde ſi quis inimicum a tergo aut dormientem occideret, non eſſet ſtricte proditor; cum aliter ſibi potuiſſet a morte præcavere. IV. Qui die vel nocte agros alienos depopulantur, ſegetes aut vineas vaſtando. V. Latrones publici, ideſt qui prædantur in viis publicis; immo & in privatis, ſecundum Suarez. VI. Aſſaſſini, qui ex pacto hominem incautum interficiunt; & mandato alterius, qui & ipſe privatur immunitate. VII. Mutilantes vel recidentes in Eccleſia vel cœmeterio, licet vulneratus extra moriatur. Idem eſt, ſi exiſtentes extra locum ſacrum in loco ſacro aliquando occidant aut mutilent; non tamen ſi exiſtentes in loco ſacro aliquem exiſtentem in loco profano occidant aut mutilent.

Sacrilegium reale, quod varie committitur pro varietate rerum ſacrarum, eſt violatio ac profanatio, ſeu indigna tractatio rerum ſacrarum, ut diſtinctæ ſunt a perſona & loco ſacro. Res autem dicuntur ſacræ, vel quæ ſanctitatem producunt, ut ſacramenta; vel quæ ſacra ſignificant, ut verba Scripturæ; vel quæ ſacra repræſentant, ut imagines & cæremoniæ ſacræ; vel quæ ſunt particulæ aut res Sanctorum, ut reliquiæ; vel quæ ad cultum Dei & ad eius miniſtrorum ſuſtentationem uſumque ſunt conſecra- Necnon ea quæ ſpectant res ſacras.

tæ & deſtinatæ, ut vaſa ſacra, ornamenta, & temporalia bona Eccleſiæ. *Cap.* IV. *& ſeq.* XVII. *q.* IV. & *cap.* Nulli XII. *q.* 2. & ex Concilio Lateranenſi II. *can.* XIX. & aliis. Unde ſacrilegium eſt, ſi violentur injurioſe ſacramenta, reliquiæ Sanctorum eorumque imagines, vaſa ſacra, inſtrumenta ſeu ornamenta ſacra; puta ſi quis calice utatur in convivio, aut ornamenta altarium vel Sacerdotum ad uſus profanos applicet: intellige tamen de iis quæ conſecrari aut ſaltem benedici ſolent, ut ſunt ſacramentalia, puta aqua luſtralis ſeu benedicta, incenſum, candelæ, rami palmarum, & huiuſmodi. Non tamen ita facile ſacrilegii damnarem, aliqua ex huiuſcemodi rebus benedictis, ſecluſo omni prorſus contemptu, in aliquo caſu, aliqua urgente neceſſitate, uti ad naturales uſus: puta candela benedicta, deficiente non benedicta, pro lumine ad aliquam neceſſitatem in nocte, incenſa ad removendum fœtorem. Dixi, *quæ ſolent benedici*. Nam quæ non ſolent benedici, & ſolum mediate inſerviunt ſacro miniſterio, puta candelabra, pelvim, & candelæ ipſæ quæ incenſæ fuerunt in ſacrificio Miſſæ; dummodo non fieret ex contemptu, licite ſine ullo ſcrupulo ſacrilegii, ideſt indifferenter adhiberi poſſunt, nempe ad alios communes uſus: quia hæc non ſunt nec conſecrata, nec benedicta. Circa conſecrata ſacro chriſmate, ut ſunt calices, patenæ, altaria, Agni cerei, & quæ immediate tangunt Euchariſtiam, ut corporalia & purificatoria, num mortale ſit laicis ea nuda manu tangere, diſcrepant Theologi: aliqui enim, ſecluſo contemptu, contendunt eſſe ſolum veniale; alii vero non excuſant a mortali, etiam lavare prima vice corporalia & purificatoria. Item ſacrilegium reale quis committeret rapiendo, deſtruendo, & retinendo bona Eccleſiæ, ſupprimendo pia legata, fraudando iura Eccleſiarum. Retinere tamen bona relicta Eccleſiæ per teſtamentum, quamdiu Eccleſia illa non poſſidet, eſt quidem iniuſtitiæ peccatum, non vero ſacrilegii: quia antequam Eccleſia adeat poſſeſſionem, non cenſentur ſacra. Et propter eamdem rationem non eſt proprie ſacrilegium non ſolvere decimas: licet eas non ſolvens præter iniuſtitiam, quoddam peius peccatum committat, nempe irreligioſitatem ſeu irreverentiam immediate in Deum; eo quod decimarum ſolutio ordinata ſit in recognitionem ſupremi Dei dominii, ideoque Deo dicata. Sacrilegium itidem committitur per abuſum ſacrarum cæremoniarum, verborum, ſententiarumque ſacræ Scripturæ ad hæreſes ſtabiliendas, ad ſortilegia, ad incantationes, ad divinationes, ad res turpes, ad adulationes, ad detractiones, ad libellos famoſos, ad amatoria, ad fabuloſa, ad ſcurrilia, & huiuſmodi. Immo hunc temerarium ſacræ Scripturæ abuſum rigoroſe ſub arbitrariis pœnis ab Epiſcopis infligendis interdicit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* IV. *in Decret. de edit. & uſu ſacro libror.*

Cum autem res ſacra violetur non ſolum poſitive, eam indigne tractando, ſed etiam negative, negligendo ea quæ ad eius decorem conveniunt; etiam ſola omiſſione ſacrilegium committitur: ut ſi ſacrum chriſma & ſacra Euchariſtia ea cura qua decet non cuſtodiantur clavibus clauſa; ſi vaſa ſacra, pallæ, corporalia, ſacræ veſtes, altaria, & ſimilia non ſint ſatis munda aut decora (ex *cap.* I. *&* II. *de cuſtod. Euchariſt.*) ſi permittantur ſpecies in pyxide corrumpi.

Sacrilegium ex genere ſuo eſt mortale peccatum quod graviter opponitur virtuti religionis; & quidem eo gravius, quo res violata eſt magis ſacra, ſeu maiorem habet ſanctitatem. *Quale peccatum ſit ſacrilegium.* Gravius enim peccat indigne tractans perſonam ſacram quam locum ſacrum: & ſic cum proportione dicendum de aliis. Ratio primæ partis eſt: quia cum ſacrilegium ſit gravis contemptus perſonæ, loci, rei ſacræ; Deus ipſe per tale facinus inhonoratur. Nam cum hæc ſacra habeant proximam & immediatam relationem ad Deum, utpote quæ ſpecialiter ad eius cultum ſunt deſtinata; ſacrilegium (ut ait D. Hieronymus in *comment. in Epiſt. ad Rom. cap.* II.) in ipſum Deum proprie committitur, ac proinde irreverentia quæ rei ſacræ infertur, in Deum ipſum redundat. Ratio vero ſecundæ partis eſt: quia ſi ſacrilegium ideo eſt peccatum, quia per ipſum res ſacra violatur; manifeſte patet, quod quando res violata magis eſt ſacra, maior ſeu gravior eſt etiam reatus & culpa. Poteſt tamen eſſe veniale ob levitatem materiæ: quia cum levitas materiæ, aut inadvertentia, aut indeliberata voluntas in aliis actionibus peccaminoſis excuſet a mortali; ita etiam in actionibus ſacrilegis unaquæque ex his excuſare debet. Porro cum ſacrilegium novam conſtituat ſpeciem peccati ratione ſpecialis deformitatis religioni oppoſitæ; ſemper in confeſſione aperienda eſt ſpecies & materia ſacrilegii. In priore quidem, quia ſæpe ſacrilegium diverſam malitiam

tiam habet: ut fornicatio cum clerico, quæ non ſolum diverſam habet ſpecie malitiam a percuſſione clerici; ſed etiam ambo duplicem in ſe continent diverſam ſpecie malitiam. Prima unam contra religionem, & alteram contra caſtitatem: ſecunda unam itidem contra religionem, alteram contra iuſtitiam. In poſteriore vero, quia etiam materia aliquando auget & addit malitiam: v. g. ſi ſit contra Euchariſtiam, addit communi violationi rei ſacræ aliud peccatum contra latriam, ut vult Gordonus.

Inquirit hic P. Antoine, an omne peccatum commiſſum in Eccleſia ſpeciem contrahat ſacrilegii? & reſolvit, quod ſi ſit ſpecialiter ab Eccleſia vetitum in loco ſacro, ut ſunt actus ſupradicti, contrahit reatum ſeu ſpeciem ſacrilegii: nam quidquid prohibetur fieri in loco ſacro, intuitu & ex motivo religionis prohibetur; ac proinde actus vetitus opponitur ſpecialiter virtuti religionis. Verum non ſolum crimina ſpecialiter vetita in Eccleſia; ſed etiam omne peccatum, ſaltem externum, commiſſum in Eccleſia, ut docet idem P. Antoine, exinde contrahit malitiam ſacrilegii: quia tale peccatum repugnat ſanctitati loci Deo conſecrati, & propriæ ipſius loci inſtitutioni, videlicet ut Deus in eo colatur. Etenim magna per ſe & ex natura rei indecentia ac irreverentia eſt, ut locus qui orationi & divino cultui eſt dicatus, convertatur in locum graviter peccandi, & ipſum Deum offendendi: quia ſi, ut ipſe auctor animadvertit, actus profanus alibi licitus, ut venditio columbarum ad uſum templi, loci ſanctitatem violat, & ideo a Chriſto *Matth. cap.* XXI. prohibetur; a fortiori actus per ſe malus factus in loco ſacro ſacrilegium eſſe debet.

Circa vero actum mere internum graviter culpabile in loco ſacro, an contrahat malitiam ſacrilegii, non conveniunt doctores. Contendunt enim permulti contra aliquos, hac labe non infici: quia utpote mere internum nullam habet relationem ad locum ſacrum utpote ſenſibilem; nec proinde eius ſanctitati ac reverentiæ adverſatur. Sic laudatus P. Antoine.

§. XVIII.

De ſimonia.

Simonia, ſi ad nomen attendatur, originem duxit a Simone Mago. Licet enim alii plures ante ipſum Simonem Magum hoc vitio fuerint infecti, ut *Numer. cap.* XXII. Balaam pretio conductus a Balaac Rege ut malediceret populo Iſrael; *IV. Reg. cap.* IV. Giezi famulus Eliſæi Prophetæ; *II. Machab cap.* IV. Iaſon, qui pro Sacerdotio multa talenta obtulit: attamen non ab iſtis, ſed a Simone Mago nomen huiuſcemodi teterrima lues accepit. Cum enim ille vidiſſet initio naſcentis Eccleſiæ, quod per manuum impoſitionem ab Apoſtolis Spiritus ſanctus daretur; primus excogitavit hoc tam deteſtabile vitium, dum emere ſtuduit ab Apoſtolis adeo miram virtutem, ideſt ſpiritualia ſeu ſupernaturalia dona. Quare Sancti Patres eos qui ſacras res vendunt, ſimoniacos appellare ſolent. Unde ſimoniæ vitium ſic communiter definitur: *Studioſa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquod ſpirituale, vel ſpirituali adnexum.* Simoniæ definitio. Dicitur *ſtudioſa voluntas:* ideſt volitio cum plena deliberatione voluntatis & advertentia rationis. Nam cum ſimonia peccatum ſit, & committi poſſit ſolo animo, videlicet etiamſi opus non ſequatur, ut factum fuit in Simone Mago; procedere debet a voluntate agente cum prævia cognitione finis & circumſtantiarum, cum deliberatione perfecta, & cum libera electione: ita ut ſi quis ex invincibili ignorantia iuris vel facti temporali pretio venderet aut emeret aliquid ſpirituale, non eſſet ſimoniacus formaliter, ſed materialiter tantum; eo ferme pacto quo in difficiliore caſu quis eſſe poſſet tantummodo materialiter uſurarius. Nihilominus tamen ſicuti etiam uſurarius etiam materialiter non eximeretur ab onere reſtitutionis; quia contractus uſurarius ob eius invaliditatem nullum ius confert vel dominium: itidem acquiſita per ſimoniam etiam materialem obnoxia ſunt reſtitutioni; cum ex ſimoniaca poſſeſſione nullum ius acquiri queat. Silvius. Dicitur *vendendi, vel emendi:* ſcilicet non gratis dandi ſeu accipiendi, ſed commutandi pretio temporali ſeu interventu pretii temporalis. Idcirco illa verba non ſtricte ſumenda ſunt, veluti ſimonia non committatur niſi per veram formalemque emptionem & venditionem; ſed late pro quolibet contractu non gratuito, ſive ſit nominatus, ſive innominatus, ut ſunt permutatio, locatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Unde æqualiter eſt ſimoniacus qui dicit, Do tibi equum, vel Debitum quod mecum tenes, tibi remitto, ſi mihi cures beneficium, ac qui dicit, Efficiam ut Canonicus eligaris, ut me in tali officio remanere efficias. Ita communiter cum D.

Tho-

Thoma 2. 2. *quæſt.* CVII. *art.* I. ad 5. Pontaſiua v. *Religioſus* XVIII. Caballutius *de Simonia cap.* III. *num.* I. aliique. Subiungirur *pretio temporali* : cum ſimonia ut plurimum commirtatur , cum aliquid prerio æſtimabile datur pro re ſpirituali. Verum quidem eſt, ſimoniam aliquando committi ſine pretii temporalis interventu. Sic *cap.* XI. *de ſimon.* qui Abbatiam vel Prioratum recipit ut alterius electioni concurrat, ſimoniacus dicendus eſt, ramerſi nullum intervenerir pretium temporale proprie ſumptum. Additur *aliquod ſpirituale* : per comparationem ad Spiritum ſanctum, ſcilicet prour a Spiritu ſancto hanc accepit appellationem, ut notat Caietanus ; & idem ſonat ac res quæ naturaliter haberi non poteſt, ſed dono Spitus ſancti, de quo illud Matth. cap. X. *Gratis accepiſtis, gratis date* : ideoque pro ſpirituali hic res ſacra ac ſupernaturalis intelligitur. Spirituale tripliciter accipitur. Primo, per eſſentiam, ut gratia ſive virtutes gratuitæ ac dona omnia Spiritus ſancti : & iſtud ſpirituale nec de iure, nec de facto poteſt vendi ; quia non cadit in conventionem. Secundo, per cauſſalitatem & diſpoſitionem, cuiuſmodi ſunt ſacramenta, quæ ſunt quodammodo cauſſa gratiæ & virtutum ; quia per ea gratiam conſequimur & virtures : & cum iſta corporalia ſunt, cadunt in pactum, ſed non ſine ſimonia, ut in *cap. Non ſatis*. Tertio, ſpirituale accipitur per effectum, ut ſunt ea quæ alicui conveniunt ex aliquo dono & officio ſpirituali, ut prophetizare, miracula facere, divinum officium celebrare : & talia ſpiritualia vendi non poſſunt, redimi, vel reſignari pro pecunia. Quidquid igitur ad cultum Dei pertinet, vel ſpecialiter ad animarum ſalutem ordinatur, ut Spiritus ſancti dona, gratiæ ſive graruitæ, ſive gratum facientes, virtutes, oratio, ſacramenta, divina officia, reliquiæ Sanctorum, benedictiones ; poreſtas omnis ſupernaturalis & eius uſus, ut actus Ordinis & eccleſiaſticæ iuriſdictionis, ſicuti conciones, exhortationes, catecheſes factæ ab Eccleſiæ miniſtro : cum hæc omnia ad ſalutem animæ immediate ſint ordinata, materia ſunt ſimoniæ. Num tamen hoc contingat etiam in actibus docendi Theologiam, ſive etiam rudimenta fidei : videbimus ſuo loco, dum exponemus materiam ſimoniæ. Dicitur tandem *ſpirituali adnexum* : quia cum per ſe ſpiritualia non ſint, tamen ad ſpiritualia ordinata ſunt, ipſis coniuncta, ac ab ipſis dependentia, vel ab eiſdem conſequentia ; ideo ſine ſpirituali vendi ac emi nequeunt. Huiuſmodi ſunt vaſa ſacra, ſepulturæ, præbendæ, beneficia quæcumque eccleſiaſtica, omneſque eccleſiaſticæ dignirates, iuſparronatus ; vel ius percipiendi decimas, primitias, oblationes ; quidquid tandem competit clericis ratione Ordinis, ut pulſare campanas, claudere fores Eccleſiæ, ac ſimilia agere : quæ omnia ut Ordini clericali adnexa & ſolia clericis convenienria ex officio, emi nequeunt & vendi ſine crimine ſimoniæ ; ut in *cap. Ad aures*, *cap. Ad noſtram*, Angel. v. *Simonia*, Silveſter, aliique. Dupliciter aurem D. Thomas 2. 2. *quæſt.* C. *art.* 4. diſtinguit adnexa ſpiritualibus : ſcilicet antecedenter, & conſequenter. Antecedenrer adnexa ea ſunt quæ cum ex natura ſua ſint materialia, præcedunt rem ſacram ad quam referuntur : ut calices, altaria, & ſacra indumenta, quæ cum primario & ex ſe materialia ſint ; induunt ſpirirualem formam ex conſecratione illis accedente. Iſta pretio diſtrahi non prohibentur, dummodo in eis ſola materia & arrificialis forma æſtimetur, & nullatenus benedictio & conſecratio illis adnexa. Huiuſcemodi eſt pariter iuſpatronatus : quia antecedit nominationem ſeu præſentationem ad beneficia *Cap.* Cum ſæculum, *cap.* De iure *tit. de iurepatron.* Conſequenter ſpiritualibus adnexa ſunt beneficia, utpote quæ ſequuntur divina officia pro quibus celebrandis ſunt inſtituta : ac ideo iſta vendi nequeunt ſine ſimonia. *Cap.* Si quis obiecerit I. *q.* III. Caballutius *Theor. & prax. iur. canon. lib. V. cap.* XII. *num.* 2. Addunt aliqui etiam adnexa ſpiritualibus concomitanter, præcipue P. Antoine, ut labor intrinſecus ſacramentorum adminiſtrationi. Supradicta tamen definitio cum ſtricte ſit ſimoniæ iuris divini ; hinc ſatis non eſt in ſentenria eorum (& eſt communior) qui admittunt diſtinctionem ſimoniæ iuris divini & eccleſiaſtici : cum illa non conveniat ſimoniæ quæ contrahi poteſt in permurationibus ac reſignationibus beneficiorum factis non quæſita ſuperioris auctoritate ſine tempotali pretio. Unde ſimonia generalius ita definitur : *Quodvis præcedens pactum omiſſionis, promiſſionis, condonationis, modi, ſervitii, precum* : vel *quævis temporalium receptio, ſive donatio pro ſpirituali re, vel ſpirituali adnexa, ſeu a ſpirituali dependente, a lege prohibita ob reverentiam rei ſacræ*. Summa Angel. v. *Simonia*, P. Antoine, aliique communiter.

Spiritua-le tri plex.

§. XIX.

De conditionibus ad incurrendam ſimoniam.

Ad incurrendam vero ſimoniæ labem, atque letale peccatum coram Deo & in conſcientia, ſufficit ſola voluntas dandi vel accipiendi aliquid ſpirituale non gratuito, ſed pro temporali; ſive ut pretio vel compenſatione, ſeu ut motivo ſaltem principali. Immo ſufficit ſola intentio virtualis emendi vel vendendi, ſeu commutandi ſpirituale pro temporali, incluſa in voluntate obtinendi ſpirituale pro temporali. Quare mortaliter peccaret & eſſet ſimoniacus qui Miſſam celebraret, confeſſiones audiret, ſacramenta miniſtraret, conciones haberet principaliter & directe ob intentionem recipiendi pecuniam vel aliquid aliud temporale pro pretio vel mercede. Idcirco qui negant per ſolam voluntatem contrahi ſimoniam, loquuntur quoad forum externum iudiciale, ideſt quoad pœnam per iudicium fori externi ſeu contentioſi ſubeundam: quia cum talis ſimonia ſit mere interna, & Eccleſia præcipue in foro externo de internis non iudicet; non damnat ſeu punit in foro iudiciali ſimoniacos mere internos, nempe ſola voluntate, ſine externo contractu tacito vel expreſſo. Quod ſi quis deliberate ſtatueret in animo actum dandi ſpirituale principaliter pro temporali, & econtra, quem poſtea non exequitur: peccaret quidem mortaliter contra religionem ob irreverentiam contra ſacras res; non tamen cenſendus eſſet ſimoniacus, cum ad hoc ſemper requiratur, quod ſequatur effectus, ideſt quod detur ſpirituale cum principali intentione recipiendi pro illo temporale, etiamſi pactum nullum interveniat. Angel. Silveſter, aliique.

Quod autem emere vel vendere, ſeu dare vel accipere aliquid ſpirituale principaliter pro temporali, ſit letalis culpa ſimoniæ, patet ab eius auctore Simone Mago (*Act. cap.* VIII.) qui damnatur, quod præciſe pecuniam Apoſtolis obtuliſſet ut poteſtatem ſeu virtutem ab eis reciperet conferendi Spiritum ſanctum: eo quod exiſtimavit donum Dei pecunia poſſideri, ideſt per pecuniam acquiri. *Cap.* 11. *de Simon.* dicitur ſimoniæ reus qui etiam ſine ullo pacto donat aliquid, ea intentione ut per temporalia bona quæ offert, ſpiritualia adipiſci valeat. Et Concilium generale Lateranenſe I. *can.* 2. prohibet ordinare quemquam & promoveri per pecuniam. Et Lateranenſe II. *can.* 11. vetat beneficium vel aliquid aliud ſpirituale per pecuniam acquiri. Similia habentur *cap.* Ex multis 1. *q.* III. Et Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem num. 45. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut econtra.* Etenim per hoc res ſpiritualis reputatur ut comparabilis ac commutabilis cum re temporali; non vero ut donum gratis dandum & accipiendum: contra illud Chriſti Domini Matth. cap. x. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Et revera in tali commutatione moraliter loquendo & in æſtimatione prudenti temporale reipſa ſe habet ut pretium; cum alio titulo non conferatur, niſi ad ſpirituale obtinendum; & ſpirituale non detur, niſi ad temporale acquirendum. Nam eo ferme pacto, quo munus tribuens iudici ad iniquum iudicium obtinendum, ſeu potius extorquendum, dicitur emere, & iudex illam ferens ſententiam propter munera accepta dicitur vendere iuſtitiam: ita qui dat temporale ut moveat aliquem ad dandum beneficium vel aliquid aliud ſpirituale, virtualiter illud emit, & alter vendit, ſi ob talia munera illud conferat. Tunc enim unum loco alterius tribuitur. Alias nemo ſophiſticarum ſubtilitatum non imperitus poſſet umquam ſimoniam committere, & latiſſimus ſimoniæ aditus aperiretur. Sic P. Antoine.

Ceteroquin ſi temporale detur & accipiatur ſecundario, nempe titulo & motivo ſuſtentationis, ſeu per modum ſtipendi ac ſubſidii ad ſuſtentationem perſonæ in ſervitium ſpiritualium officiorum occupatæ, ideſt in gratiam dantis, & quæ interea actioni lucrativæ vacare non valet; talis datio & acceptio non eſſet ſimoniaca. Ratio enim naturalis dictat, quod ſuſtentatio, ſpectato perſonæ ſtatu, ei donetur qui in alterius commodum ſe ipſum occupat. Quare facile dignoſci poteſt, num corrupta intentione, an vero gratis datum ſit vel acceptum temporale pro ſpirituali, ſi quiſque ſerio animi ſui diſpoſitionem perpendat: ideſt inquirat in ſui ipſius intentione, num temporale datum ſit ob aliquem honeſtum finem, puta ob reverentiam ſacramentorum, ad piam ſervandam conſuetudinem, ad miniſtrorum ſuſtentationem, an vero tamquam pretium; & ita pariter acceptum ſit, ut alias etiam ſine temporali daturus eſſet ſpirituale, ſalvo ſui detrimento, præ-

cipue ſi ex officio non teneatur, non tamquam appretiatio, commutatio, aut principaliter movens, ſed ſolum ſecundario ad neceſſariam ſui ſuſtentationem, quam rite qui divino ſe emanciparunt famulatui, impendere poſſunt ſuis laboribus in eccleſiaſtico miniſterio. Etenim, ut Apoſtolus *I. ad Corinth. cap.* IX. advertit, nemo tenetur militare propriis ſtipendiis: immo docet idem Apoſtolus, quod qui altari inſervit, de altari vivere debet.

§. XX.

Diviſio ſimoniæ.

Dividitur in ſimoniam iuris divini, & humani.

Simonia dividitur I. in eam quæ prohibita eſt, quia per ſe intrinſece mala, utpote quæ pugnat contra ius naturale & divinum; & dicitur ſimonia iuris divini: & in eam quæ non eſt mala, niſi quia vetita; & hæc dicitur iuris humani ſeu eccleſiaſtici, quia ſolummodo iuri humano ſeu eccleſiaſtico adverſatur. Prima eſt ipſa venditio vel emptio rei ſpiritualis qua talis: ut ſi chriſma carius vendatur, quia eſt conſecratum. Altera eſt emptio vel venditio rei temporalis qua talis, cui coniuncta eſt proxime vel remote res ſpiritualis: & ideo mala eſt, quia ab Eccleſia vetita; ac proinde iure tantum humano ſeu eccleſiaſtico ſimoniaca. Sed ſimonia huiuſce ſecundi generis præcipue verſatur circa materiam beneficiorum eccleſiaſticorum. Quare ſimoniæ de iure eccleſiaſtico committuntur primo, permutando beneficia eccleſiaſtica ſine auctoritate ſuperioris: ſecundo, vendendo officia ſacriſtæ, œconomi Eccleſiæ, advocati, hiſque ſimilia; quæ licet temporalia ſint, quia tamen diriguntur ad bona Eccleſiæ miniſtranda, ob eorum quamdam coniunctionem cum ſpiritualibus vendi prohibentur: tertio, vendendo chriſma conſideratum ratione ſolius materiæ; licet enim hæc ſit pretio æſtimabilis, & ſecluſa prohibitione, vendi poſſit non aliter ac calix conſecratus, nihilominus prohibetur, ne videatur ſimul vendi ipſa benedictio. Communiter tamen hæc diviſio non admittitur a Theologis. Nam cum ſimonia pugnare debeat contra religionem; & hæc ſit tantum contra Eccleſiæ prohibitionem: tota eius ratio malitiæ eſt præcepti violatio, ac ideo potius inobedientia quam irreligioſitas. Etenim res quæ venditur, vel eſt ſacra; & eius venditio non ſolum poſitivo iure, ſed etiam naturali eſt vetita: vel non eſt ſacra; & tunc cum prohibitio eius venditionis nequeat rei naturam immutare, nec ideo efficere ut res profana ſit ſacra, non poterit reddere materiam ſimoniæ rem non ſacram. Nihilominus tamen ab aliis Theologis communiter talis diviſio retinetur: quia, dicunt ipſi, Eccleſia efficere poteſt ut materia alias vendibilis vendi non poſſit ob reverentiam debitam rei ſacræ cui eſt adnexa. Idcirco eius venditio poſt Eccleſiæ prohibitionem erit non ſolum contra obedientiam, ſed etiam contra religionem: ſicuti comeſtio carnium in die ieiunii eſt peccatum non tantum inobedientiæ, ſed etiam intemperantiæ; & in laico tactus calicis opponitur non ſolum obedientiæ, ſed etiam religioni. Lex enim obiectum ſuum facit materiam illius virtutis ex cuius fine fertur. Ita communio facta a non ieiuno eſt ſacrilegium: quia Eccleſia ex reverentiæ motivo vetuit ſumptionem rei cuiuſcumque ante communionem. Verum quidem eſt, quod res quæ vendi prohibetur, non eſt ſacra per ſe: ſed tamen in ſua connexione cum re ſacra habet fundamentum. Unde, interveniente Eccleſiæ præcepto, conſideranda eſt cum certa habitudine ad rem ſacram, quam non conſiderans peccat etiam contra religionem. Ita P. Antoine.

Item in mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem.

Dividitur II. ſimonia in mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem. Simonia confidentialis quatuor modis committitur. Primo, per acceſſum, quando Prælatus procurare volens beneficium alicui inhabili per ætatem, alteri illud confert cum conditione, quod quandocumque alter ſit capax, illud accipiat. Secundo, per ingreſſum, ut quando quis beneficium ſibi collatum reſignat alteri, antequam illius poſſeſſionem receperit, ut illud poſtea ingrediatur, ſi ille cui reſignavit, moriatur aut idem beneficium dimiſſurus ſit. Tertio, per regreſſum, ut cum quis beneficium a ſe poſſeſſum alteri reſignat, ea conditione ut iſte ſibi vel alteri beneficium reſignaturus ſit tempore convenienti. Quarto, ſi præſentans, reſignans, conferens paciſcantur expreſſe vel tacite, ut penſio vel pars fructuum beneficii ſibi vel alteri detur. Ad hanc tamen ſimoniam requiritur ut acceſſus, ingreſſus, & regreſſus ſint in idem beneficium. Unde qui beneficium alteri reſignat, ea conditione ut hic aliud quod poſſidet, dimiſſurus ſit in favorem tertii, non incidit in reatum ſimoniæ confidentialis, ſed conventionalis vel realis. Simonia igitur confidentialis nihil aliud eſt quam ſimonia conventionalis mixta de qua infra agendum erit, qua quis procurat alteri be-

neſi-

Digitized by Google

neficium, cum pacto expreſſo vel tacito ut illud accipiens idem poſtea reſignaturus ſit procuranti vel alteri, aut penſionem aliquam ſine legitima auctoritate conſtitutam ſoluturus. Dicitur *conventionalis*: ut diſtinguatur ſimonia confidentialis tum a mentali, in qua nullum intervenit pactum, nec explicitum, nec tacitum: tum a reali, in qua & pactum explicitum intervenit, & eius complementum ſaltem ex una parte. Dicitur *mixta*: quia in confidentiali intervenit pactum, ſaltem implicitum ſeu tacitum, & beneficii procuratio; & ideo dicitur confidentialis a confidentia pactionis, vi cuius beneficium ipſum, vel fructus ex ipſo, vel penſio attenditur. Hanc ſimoniam graviter prohibuerunt ſummi Pontifices Pius IV. Bulla lxxxv. & Pius V. Bulla quæ incipit *Intolerabilis*: ac proinde hæc quoque ſubiecta eſt iiſdem pœnis quibus ſubiacet realis & conventionalis. Cum autem id quod confidentiam ſimoniacam conſtituit, ſit præcipue pactum: hinc ſimoniæ confidentialis reus non eſſet qui ſine ullo prorſus pacto dat beneficium Titio, confidens Titium eidem beneficio renuntiaturum eſſe in favorem tertii, ſi forte ad aliud, v. g. Epiſcopatum, promoveatur. Sic Tournely *Append. de ſimon. cap.* III.

Simonia mentalis duplex eſt. Alia pure mentalis, quæ abſolvitur in ſola voluntate, nec tranſit ad exteriorem actum: ideoque eſt præciſe nudum propoſitum committendi ſimoniam; & hoc modo datur etiam furtum mentale, ſeu mere internum. Sed de hac ſimonia hic non fit ſermo. Alia eſt non pure mentalis. Et eſt actio externa facta ex intentione ſimoniaca ſine ulla exteriore apparentia; ſive eſt datio vel acceptio rei ſpiritualis pro temporali, vel rei temporalis pro ſpirituali, nullo interpoſito pacto etiam tacito: ut ſi quis ſerviat Epiſcopo, hac intentione ut pro obſequio temporali ei conferat vel procuret beneficium. Hæc autem eſt vera ſimonia, & rationis eiuſdem coram Deo ac realis. *Cap.* XXXIV. *de ſimon* Dicitur *mentalis*: quia licet habeat actum & effectum externum; malitia tamen ſimoniæ non ſe exterius manifeſtat. Idcirco melius eſſet dicenda ſimonia occulta.

Simonia conventionalis eſt emptio vel venditio rei ſpiritualis cum pacto expreſſo vel tacito, ſed reali executione nondum utrimque completa. Si conventio ſit ſolum peracta, & nihil omnino traditum ſit vel receptum; tunc ſimonia eſt mere conventionalis: ſi vero etiam ex una parte aliquid traditum ſit, puta datum pretium temporale, ſed nondum tradita ſit res ſpiritualis, aut econtra; dicitur ſimonia conventionalis mixta & ſemirealis.

Simonia tandem realis eſt pactio pretii temporalis ex utraque parte completa pro re ſpirituali: ut ſi datum ſit beneficium pro ducentis aureis, ex toto vel ex parte hæc ſoluta ſint. Cenſeretur pariter ſimoniam conpleviſſe qui licet partem nullam ſolviſſet pecuniæ, ſcripturam tamen ſeu chirographum tradidiſſet quo ad hanc ſolvendam ſe obligaret. Immo, ut probabilior tenet ſententia, tametſi non haberet nec habuiſſet animum ſolvendi quod per chirographum ſe ſoluturum promiſiſſet: quia (ut notat Pontaſius *caſ.* v.) quiſque ſimoniam committit qui per viam temporalis pervenit ad ſpirituale; ut in hoc caſu contingit, in quo licet animo non intendat ſolvere pecuniam, pervenit tamen ad ſpirituale per ipſius pecuniæ promiſſionem, mediante temporali, idest chirographo firmato, immo etiamſi per chirographum non firmaſſet. Tournely in *Appen. de ſimon. cap.* II.

Pretium quoque ſimoniæ triplex eſt, ut in *cap.* Salvator §. Quiſquis I. *q.* III. & traditur etiam a D. Gregorio *homil.* 4. *in Evangel.* ubi ait: *Nam aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua*. At prius hanc diviſionem tradidit S. Hieronymus in Epiſt. ad Tit. cap. I. Et *conſtituas per civitates Presbyteros*: ubi ait ſanctus Doctor: *Nunc cernimus hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Eccleſia erigere columnas quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe; ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quiſquam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt*. Apud Gratianum *can.* VI. *c.* VIII. *q.* I. Van-Eſpen. Simoniacum munus triplex.

Munus ab obſequio eſt ſubiectio indebite impenſa, ſive quodlibet opus indebitum & temporale præſtitum aut præſtandum in commodum & utilitatem alterius, ſub pacto expreſſo vel tacito ſeu implicito, aut cum intentione acquirendæ alicuius rei ſpiritualis. Idcirco ſimoniaci ſunt primo qui magnatum pueros erudiunt vel Epiſcoporum Nepotes, vel in aula eorumdem Epiſcoporum pro exiguo ſtipendio inſerviunt, ſpe beneficium conſequendi: ſecundo, qui Vicario generali, Sacellano, vel filio Advocati beneficium donant ad extinguendum ſtipendium quod alias ſolvere tenerentur: tertio, qui præſentat aliquem ad beneficium cum Ab obſequio.

pacto

pacto ut Miſſas in fundatione præſcriptas certo die vel tali hora celebret, cum ex beneficii titulo locus & tempus celebrandi beneficiarii arbitrio relinquatur. In his enim omnibus promittitur, datur, aut exigitur aliquid pretio æſtimabile, aut libertas obligatur, cuius obligatio pretium habet. Unde ſicuti qui aliquid exigeret in materia mutui, eſſet ac cenſeretur uſurarius; ita in materia præſenti cenſendus eſt ſimoniacus.

Dicitur *quodlibet opus indebitum*: ut per opus comprehendatur tum illud quod honeſtum eſt, tum etiam turpe; per indebitum vero, ut diſtinguatur ab opere quod adnexum ſit beneficio, quod ſine ulla ſimonia exquiri poteſt. Ideoque qui dat beneficium quod inſtitutum eſt ut cantetur in choro vel Theologiæ lectiones habeantur, cum onere hæc præſtandi, & ſimilia quæ ita debita ſint, nullam ſimoniæ labem incurrit: ſecus vero, ſi hæc aut alia onera de novo imponantur ſine ſuperioris auctoritate. Num autem poſſit Epiſcopus conferre beneficium alicui, ut hic ſolvat ſummam cuius eidem Epiſcopo eſt debitor? diſcrepant Theologi. Alii enim adfirmant, dummodo ſolutio debiti non præcedat beneficii collationem: quia tunc eſſet valde ſuſpecta, & quia non imponitur beneficiario novum onus; & quia ſi Epiſcopus dare poteſt beneficium clerico pauperi, ut ſe ſuſtentet, & liberetur ære alieno quo gravatur, nulla apparet, aiunt ipſi, contraria ratio, quod hoc non poſſit, ſi ipſe ſit creditor. Ita Suarez *cap.* XXXIII. *num.* 18. Negant vero alii, & meo iudicio probabilius; eo quia in hac materia omne pactum eſt ſimoniacum. Et certe ad evitandum omne erroris periculum, ſecurius eſt ab omnibus pactis abſtinere. Dicitur inſuper *temporale*. Nam ubi Eccleſia non vetet, non eſt ſimonia tradere ſpirituale cum onere præſtandi ſpirituale: ut ſi Sacerdos pro alio Sacerdote celebret, cum onere ut hic eodem die vel alio pro ipſo celebret; aut ſi Epiſcopus beneficium alicui conferat ut eius labores ac miniſteria quæ in ſpirituali populi cura impendit, remuneretur & compenſet, iuxta illud Apoſtoli ad Timoth. cap. III. *Qui bene miniſtraverint, gradum ſibi bonum acquirent*. Quare D. Thomas 2. 2. quæſt. c. art. 5. ad 1. *Dicendum*, ait, *quod ſi aliquis clericus alicui Prælato impendat obſequium honeſtum ad ſpiritualia ordinatum, ex ipſa devotione obſequii redditur dignus eccleſiaſtico beneficio, ſicut & propter alia bona opera. Unde non intelligitur eſſe munus ab obſequio*. Ii tamen qui in diœceſibus laborant, caveant ne principaliter beneficiorum conſecutionem intendant. Ceterum pacisci obſequium ſpirituale pro ſpirituali, lege naturali non eſt vetitum; bene quidem pene ſemper iure eccleſiaſtico, ut notat Suarez *cap.* XXXII. *num.* 12. necnon ex dicendis patebit.

Munus a manu eſt pecunia: & per hanc intelligitur quodcumque aliud externum æquivalens pretio æſtimabile, ſive mobile, ſive immobile, ſive corporale, ſive incorporale; & etiam eius privatio, promiſſio, & obligatio. Hinc munus a manu dare cenſetur qui patrono collatori debitum, aut penſionem remittit: ita enim hic moraliter donat; & alter cui hæc remittit, recipit. Ex *l.* 11. *§. de calumnia*. Unde ex hoc ſimoniacus fit qui ut eligatur in Canonicum, ſpondet Capitulo ſe remiſſurum dimidiam partem præbendæ; aut ſi decimas ſe remiſſurum promittat is qui vult in Parochum nominari. Item qui non ſolum quæ ipſi ſunt debita, ſed etiam Eccleſiæ; vel rapinas remittere promittit, ſi fiat Epiſcopus: hic enim licet de re aliena ac aliis iniuſte rapta, dat tamen munus a manu. Sic qui alteri ex bonis ſuis titulum conſtituit cum promiſſione, quod iſte ex hiſce bonis nullum exiget fructum: necnon qui bona tribuit Eccleſiæ, cum pactione ut ipſum accipiat in Canonicum, aut capellaniam fundat, cum intentione ut ipſa ſibi conferatur. Ita Pontas hic *caſ.* XXV. Similiter munus a manu dare cenſentur qui beneficium accipiunt ſub conditione pecuniæ mutuo dandæ; cum tale onus ſit temporale, & grave aliquid reputetur: aut ſub conditione concedendi dilationem ſolutionis debiti, vel econverſo ut anticipetur ſolutio; cum utrumque commodum importet temporale, & mutuo virtuali æquivaleat. Item qui ſolvunt expenſas factas a reſignante in beneficii conſecutione; qui ſe obligant domum paſtoralem reſtaurare; qui ex pacto emunt domum & ſupellectilem reſignantis, utpote ei inutilem; qui debita eius ſolvunt; qui promittunt ſe a patrono decimas non petituros. Itidem qui ſtatui volens clericali renuntiare, beneficium quod poſſidet, reſignat fratri puellæ quam ducere cupit in uxorem, ut in reſignatario adiutorem habeat ad eam facilius ducendam: qui beneficium accipit cum conditione ſolvendæ penſionis ſive ex beneficio, ſive aliunde, ſive collatori, ſive cuilibet alteri; ſalvo tamen ſi in penſioni- A manu.

bus

bus accedat Sanctæ Sedis approbatio: Epiſcopus, qui dando beneficium cuius fructus ante ipſius beneficii collationem non percipiebat, reſervat ſibi vel conſanguineo partem fructuum eiuſdem beneficii, vel penſionem, exigens prius conſenſum & acceptationem (intellige ſemper ſine Apoſtolico indulto) ſuper hanc conventionem ab eo cui beneficium præbet. Etenim cum hæc omnia ſint pretio æſtimabilia: ſi ex pacto fiant, non excuſant a crimine ſimoniæ. Sic Innocentius III. in *cap.* Unica *ut eccleſiaſt. benefic.* Tandem docet Suarez, nomine muneris a manu intelligi poſſe omne donum quod iure poſitivo vetitum eſt dari pro re ſpirituali: in quo ſenſu beneficium pro alio beneficio ſine ſuperioris auctoritate datum, eſt munus a manu. Suarez, Habert, Tournely.

A lingua. Munus vero a lingua dicitur favor, laus, commendatio, adulatio, preces, & ſimilia quæ ex vi pacti expreſſi vel taciti lingua exerceri ſolent, in favorem illius qui rem ſpiritualem confert. Quare ſimoniacus eſt ille qui dat beneficium alteri ut eius conſanguineus de ipſo bene loquatur alicui ſuperiori perſonæ, puta Principi aut Cardinali; ille qui in concionibus vel in tribunali pœnitentiæ adulatur illuſtres ac potentes perſonas, ut ex hoc aliquam utilitatem vel commodum temporalem reportet; Religioſus qui adulatione curat ſibi gratiam alterius Religioſi qui ob gradum vel dignitatem multum valet in Capitulis, ut eius patrocinio aliquod ſpirituale officium aut dignitatem regiminis in propria Religione conſequatur. Item qui ad preces amicorum aut magnatum confert beneficium, ut horum favorem ſibi comparet & devinciat. Nam favorem habere aut gratiam apud magnates, eſt pretio æſtimabile. Unde ſimoniacus cenſendus eſt collator qui volens aliquem ſibi devincire; ſpondet ſe daturum ei vel alteri ad eius interceſſionem, beneficium, ſi ab eo petat: quia adeſt pactum ſaltem iure canonico vetitum in beneficiis; & collator per pollicitationem beneficii mercari ſtudet favorem temporalem alterius. Suarez *cap.* XV. *num.* 13. & Bonacina. Secluſa tamen hac ſeu ſimili intentione, non eſt ſimonia dare beneficium alicui digno potiſſimum & capaci ad preces alterius: quia preces ſumptæ ut nuda petitio non efficiunt ut id quod datur, gratis non detur; nec vertuntur in honorem dantis, ſed in utilitatem recipientis. Si vero preces fiant pro indigno; tum ex D. Thoma. *Quodlib.* V. & VIII. *de ſimon.* factum eſt ſimoniacum: tunc enim collator non movetur ex dignitate perſonæ cui beneficium confert; ſed grave indicium eſt moveri humano favore & retributionis ſpe rei alicuius pretio æſtimabilis. Licet vero non ſit ſimoniacum petere in certis circumſtantiis, beneficium vel per ſe, vel per alios qui ſint amici collatoris: caute tamen procedendum eſt in hiſce caſibus a collatore; cum non leve immineat periculum culpæ in tali collatione, ut ex S. Bernardo *lib. IV. de conſider. ad Eugen. IV.* colligitur.

Conferre ſpirituale ex metu, adfirmant multi apud Suarez *cap.* XXXVII. *num.* 9. eſſe ſimoniacum: quia dare ſpirituale ad malum vitandum, cum hoc ſit quoddam bonum ſpirituale, eſt pretio æſtimabile. Alii tamen cum Suarez, Soto, aliiſque contrarium tenent: quia ab eo qui metum incutit, nihil temporale recipit; cum vitare malum non ſit bonum illius qui malum minatur. Idcirco licet ſit illud pretio æſtimabile; quia tamen nihil ab alio recipit, non poteſt cenſeri ſimoniæ reus: ſicuti hunc reatum non incurrit qui ex timore oret, confiteatur, abſolvat, celebret. Eſſet quidem ſimoniacus, quando timor mali reſolveretur in aliquod temporale commodum; ut ſi minetur amiſſionem alicuius fortunæ cuius capax eſt, & forte ſperat: quia in tali caſu non ſolum quæreret evitare iram perſonæ minitantis, ſed etiam cum ipſius favore proprium commodum venari. Sic Tournely & Van-Eſpen.

Non multum vero erit difficile diiudicare, quandonam ex aliquo munere, ſive a manu, ſive a lingua, ſive ab obſequio, collatio vel proviſio beneficii facta ſit, vel opus aliquod ſpirituale: ſi ſincere omnia expendantur quæ geſta ſunt; & conferantur cum ſæpius laudata, Chriſti Domini ſententia: *Gratis accepiſtis, gratis date.*

§. XXI.

De gravitate ſimoniæ.

Simoniæ crimen eſſe unum ex graviſſimis ſceleribus unanimis fuit iampridem Patrum ſententia: quin ſub nomine Paſchalis II. refert Gratianus *can.* Altare I. *q.* III. omnia crimina ad ſimoniacæ hæreſis comparationem quaſi pro nihilo eſſe reputanda: & Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcribens ad Adrianum I. ait: *Tolerabilior eſt Macedonii, & eorum qui circa ipſum ſunt, Spiritus ſancti impugnatorum impia hæreſis.* Apud Gratianum *can.* Eos *c.* I. *q.* I.

Digitized by Google

q. 1. Et rationem ſubiungit. *Nam cum illi ſanctum Spiritum Dei & Patris creaturam & ſervum nugentur; hi ſuum ipſorum quantum putant ſervum ipſum faciunt. Omnis autem dominus quidquid habet, cum libuerit, vendit, ſive famulum, ſive aliquid aliud ex his quæ poſſidet: ſimiliter & qui emit volens emptæ rei dominus fieri, argenti pretio eam acquirit*. Cum enim in omni ſimonia interveniat quædam ſaltem implicita venditio rerum ſpiritualium cum temporalibus tamquam pretio; veriſſimum eſt, ipſa ſpiritualia per ſimoniam ad rationem rerum temporalium deprimi & his quodammodo coæquari, ac per hoc ad quamdam vilitatem redigi. *Quis enim non vile putet eſſe quod venditur?* ait Hormiſda Papa: aut *Quis denuo veneratur quod venditur; aut quis non vile putet quod emitur?* ſcribit S. Gregorius *lib. VII. Epiſt.* cxiv. Graviſſimum igitur ſcelus eſt ſimonia, non ſolum quia eſt contra ius naturale, quod vetat vendere quod non eſt vendibile, & cuius non eſt dominus, nec a domino poteſtatem accepit vendendi; contra ius divinum, quod iubet ut detur gratis quod gratis acceptum eſt; contra ius canonicum, quod ſevere prohibet tam grave facinus: ſed multo magis quia eſt gravis irreverentia in ſacram rem ac in Deum eius auctorem, dum tamquam profana & temporalis commutatur pretio temporali, eique ſaltem facto æquatur, & ſicut res venalis, profana, & infima tractatur ac deprimitur. Unde in iure canonico vocatur ſimonia execrabile flagitium & deteſtabile ſcelus. Immo canon Paſchalis Papæ ſupra relatus damnat tale facinus ut hæreſim, & ſimoniacos recenſet inter execrabiliores hæreticos. *Patet*, inquit, *ſimoniacos velut primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus reſpuendos*. Quare ſimonia non poteſt eſſe culpa venialis ex levitate materiæ ſeu rei ſpiritualis, cum nulla ſit quæ non ſit gravis momenti in ſe & inæſtimabilis pretii, utpote ordinis ſuperioris & ordinata ad ſupernaturalem Dei poſſeſſionem. Neque etiam venialis poteſt eſſe ex parte rei temporalis datæ pro ſpirituali: nam quo vilior eſt res temporalis, eo maior eſt rei ſpiritualis deiectio & contemptus. Hinc infert Suarez, quod mortale ſit emere vel vendere unam ſalutationem angelicam vel unum *Agnus Dei*. Facinus igitur ſimoniæ non ſolum eſt contra religionem, ſed etiam contra iuſtitiam: quia iniquum eſt vendere quod non eſt ſub ſuo dominio contra domini voluntatem, qui præcepit dare gratis. Immo eſt etiam contra fidem; cum ſimoniacus putet rem ſpiritualem eſſe venalem. Sic P. Antoine.

Verum quidem eſt, quod ſupradicta apud eos qui diſtinguunt ſimoniam iuris divini a ſimonia iuris eccleſiaſtici, accipienda videntur pro ſimonia iuris eccleſiaſtici. Nihilominus tamen cum etiam hæc ſimonia ſit mortale peccatum eiuſdem ſpeciei ac ſimonia iuris divini, utpote quæ ſimiliter ac iſta virtuti religionis opponatur: hinc ad hanc quoque ea quæ de ſimonia divini iuris dicta ſunt, extenduntur. Nam & hæc ſimonia graviter prohibetur a iure canonico ex motivo religionis: nempe intuitu reverentiæ ſacris rebus reddendæ; ut ex ipſo iure canonico apertiſſime conſtat, necnon ex graviſſimis pœnis contra hanc ac contra ſimoniam iuris divini latis. Præterea quod hæc ſimonia iuris eccleſiaſtici ſit eiuſdem ſpeciei, ideoque eiuſdem gravitatis ac ſimonia iuris divini, ex hoc etiam patet, quod habet materiam eiuſdem rationis ex iure poſitivo, ac honeſtati eiuſdem virtutis adverſatur. Etenim ſpecies tam virtutis, quam præcepti ſumitur ex obiecto & motivo: idcirco tametſi præcepta quoad efficientes cauſas ſint diverſa; ſunt tamen eiuſdem ſpeciei, quando idem obiectum ſit & motivum, ac proinde erunt eiuſdem ſpeciei & tranſgreſſiones. Ulterius eſt contra iuſtitiam ex defectu tituli & materiæ legitimæ: unde omnes actus ſimoniæ ſunt irriti cum debito reſtitutionis. Immo cum per ſimoniam res ſacra tamquam profana ac temporalis tractetur, ideoque irreverenter & indigne; eſt etiam quædam ſpecies ſacrilegii. P. Antoine.

Verum enormitas ſimoniæ apertius etiam detegitur ex graviſſimis malis quæ ex hoc enormiſſimo ſcelere in Eccleſiam redundant; cum per hanc fiat ut quis ingrediatur ad ovile Chriſti aliunde adinſtar latronum, non per oſtium ut paſtor, ac proinde ad diſpergendum gregem, non vero ad eum paſcendum. Et revere ſub hiſce illegitimis intruſiſque impulſu avaritiæ & ambitionis miniſtris, quæ animarum ſtrages? quæ ſacrilegiorum in paſtoribus exundantia? quæ criminum atque omnium abominationum in populo colluvies, dum non paſtores quos oves audiunt ac ſequuntur, ſed mercenarii, fures, & latrones per aurum & argentum intromittuntur. Etenim dum per munera ad eccleſiaſtica miniſteria aſcenditur, aut in promotione munera attenduntur; iam de vitæ ſanctitate, doctrina, aliiſque neceſſariis qualitatibus cura exigua aut nulla habe-

botur : atque hinc ineptis porta aperitur, & maxime idoneis occluditur. Similia habet Tharaſius in ſua Epiſtola ad Adrianum I. Pontificem maximum : & S. Gregorius *lib. VII. Epiſt.* cxv. & *Epiſt.* III. ad Galliarum Epiſcopos ſcribens de ſimoniaca hæreſi ac eius gravitate ait : *Quid per hoc aliud agitur, niſi ut nulla de actu probatio, nulla ſollicitudo de moribus, nulla ſit de vita diſcuſſio? ſed ille ſolummodo dignus qui dare pretium ſuffecerit, æſtimatur* : & in *Epiſt.* cxiv. rationem addit : *Nam ubi dona ſupernæ gratiæ venalia iudicantur ad Dei ſervitium non vita quæritur, ſed magis contra Deum pecuniæ venerantur*. Et hæ fuerunt ſemper de hac peſtifera hæreſi ſimoniaca veterum & recentiorum Synodorum ac Pontificum gemebundæ querelæ : ſemper Eccleſia ſua fulmina terribiliora contra hoc immane facinus direxit : ſemper ſevere hanc damnavit & execravit, ex fine ſancto ſummeque ſalubri, & magnopere incolumitati ac ſanctitati ipſius Eccleſiæ neceſſario; nempe ut in electione miniſtrorum Eccleſiæ omnis abeſſet venalitas, nec in electione eorum munera, ſed merita attenderentur. Sic Van-Eſpen.

§. XXII.

De ſubiecto Simoniæ.

Certiſſimum eſt, ſimoniam committere primo omnes cuiuſcumque conditionis homines, qui dant & accipiunt temporale principaliter pro ſpirituali; quod fieri poteſt ab omnibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ, ut in *cap.* II. *de ſimon. inter extra. comm.* Secundo, cum quiſque, ſive fidelis, ſive infidelis, ſive Catholicus, ſive hæreticus, ſive eccleſiaſticus, ſive ſæcularis, ſive inferior, ſive ſuperior, etiam Papa, ſubiiciatur iuri naturali & divino; hinc omnes homines cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis committunt ſimoniam iuris divini & naturalis, etiam Papa, ſi principaliter pro ſpirituali accipiant vel dent aliquid temporale, ut *cit. cap. extra. de ſimon.* Similiter rei fiunt eorum mediatores : qui idcirco in eadem extravaganti excommunicationis ſententia feriuntur, a qua niſi a ſummo Pontifice poſſunt abſolvi, præterquam in mortis articulo. Tertio, utcumque ii pariter qui pro officii ſui loco contra ſimoniacam hæreſim non exarſerint, ut habetur *cap.* xlv. I. *q.* I. Excipe tamen infideles, qui cum non ſubiaceant auctoritati Eccleſiæ, non incurrunt pœnas latas contra ſimoniacos; poſſunt tamen a Principibus quibus ſunt ſubditi, ſi Chriſtiani ſint, extraordinaria pœna multari.

Dixi, etiam Papam committere poſſe ſimoniam iuris divini & naturalis; cum ipſe quoque non minus ac ceteri homines ſubiaceat iuri naturali & divino. Unde notat Suarez *cap.* III. quod ſi Papa venderet ſacramenta, ordinationes, immo Agnos Dei, grana benedicta, maiore pretio quam valeant, ratione materiæ & ſolum propter conſecrationem, non minus quam quilibet alius homo eſſet ſimoniacus, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* c. *art.* I. *ad* 7. Simoniam vero iuris eccleſiaſtici dicunt Theologi & Canoniſtæ committi poſſe a quocumque homine baptizato; non vero infideli, utpote non ſubdito eccleſiaſticæ poteſtati. Circa Papam vero, cum in ipſo reſideat principaliter eccleſiaſtica iuriſdictio, docent aliqui ut probabilius, hanc ſimoniam ab illo incurri poſſe, exigendo v. g. pecuniam pro officiis quæ per leges Eccleſiæ vendi prohibentur. Nam Princeps iure naturali ſequi tenetur quoad vim directivam eam legem quam aliis imponit : ſi nempe ratio legis in ipſo quoque ſicuti in aliis locum habeat. Idcirco non alias ac non obſervando quadrageſimale ieiunium, cum poſſet, non ſolum peccaret peccato ſcandali, ſed etiam intemperantiæ; leges quoque ab Eccleſia latas contra ſimoniacos tranſgrediendo, non ſolum reus fieret ſcandali, ſed etiam ſimoniæ, Licet enim Papa non ſubiiciatur ſuis legibus; materia tamen legis communis eſt Papæ & ſubditis. Sic Bonacina.

Hæc tamen notare ſolent Theologi, primo ſummum Pontificem in rebus eccleſiaſtico iure prohibitis facile vitare poſſe ſimoniæ vitium : ſive quia ſecum diſpenſare poteſt; ſive quia præcipue leges quæ ſimoniam poſitivam prohibent, vix ad Papam ſpectare poſſunt. Etenim cum hæc reſpiciant permutationes beneficiorum, renuntiationes cum conditione, vel penſiones ſine Pontificis conſenſu; patet ex ipſa legis forma ipſum non obligari, ſed ſolum inferiores, qui circa beneficia tales contractus contrahunt. Quod ſi Papa ſine legitima cauſa hiſce contrahentibus faveat : ex hoc tamen non eſt cenſendus ſimoniacus; ſed infidelis & iniquus diſpenſator. Sic Suarez. Secundo, quod ſi Papa contrahat ſimoniam ſive iuri divini, ſive eccleſiaſtici poſitivi humani, non incurrit pœnas ſtatutas de iure eccleſiaſtico contra ſimoniacos : quia le-

giſlator non ſubiacet legibus quoad vim coactivam, ſed ſolum directivam. Teneretur quidem, ſicuti alii, ſubire pœnas, ſi impoſitæ eſſent per modum pœnitentiæ; dummodo æqualiter ac aliis ſibi convenirent. Tertio in Curia Romana, ideſt ab officialibus Papæ, cum certiſſimum ſit poſſe committi ſimoniam iuris divini; dubitant tamen aliqui, num poſſint illam incurrere quæ eſt iuris eccleſiaſtici, quando, ſciente & diſſimulante Pontifice, exerceatur: eo quia tunc videatur tacite diſpenſare. Sed nihilominus ea taciturnitas non ſufficit ut credatur diſpenſare, & quia tale ſilentium eſſe poteſt negligentiæ effectus, ut fuit in Heli cum filiis ſuis diſſimulando; & quia non ſemper expedit ut pœnas exequatur: ideoque ex Papæ taciturnitate colligi nequit ipſum diſpenſare; ſed potius dicendum eſt, ex longo ipſius ſilentio, & diſſimulatione legem per deſuetudinem abrogati.

§. XXIII.

De materia ſimoniæ.

Materia ſimoniæ altera proxima eſt, altera remota. Materia proxima ſimoniæ, & ſatis patet ex iam dictis, eſt venditio vel emptio: & his nominibus intelligitur quilibet contractus, ſive nominatus, ſive innominatus, quo quis dat aliquid temporale pro ſpirituali, & viciſſim. Et in tali materia dat etiam qui remittit temporale pro ſpirituali, & dat ſpirituale qui ſpirituali renuntiat: unde, accedente pacto, dans & recipiens ſunt ſimoniaci. Materia vero remota ſunt res omnes ſpirituales ſupernaturales, aut ipſis adnexæ, vel ab ipſis dependentes. Sed cum maior difficultas in eo ſit ut dignoſcatur, an ſemper committatur ſimonia, quando occaſione rei ſpiritualis datur vel accipitur aliquid temporale; hinc ſubiiciuntur quidam tituli qui a ſimonia excuſare videntur, & a celebrioribus Theologis ac Canoniſtis præcipue a Bonacina hic *diſput.* 1. *quæſt.* VI. recenſeri ſolent. Sunt autem huiuſmodi. Primo, liberalitas ſeu gratitudo: ſecundo, ſtipendium & debita ſuſtentatio: tertio, labor: quarto, amiſſio commodi temporalis, quo quis ſe privat faciendo opus ſpirituale: quinto, conſuetudo legitima: ſexto, redemptio iniquæ vexationis.

Sex tituli qui a ſimonia excuſare videntur.

Extra omne dubium eſt apud omnes doctores communiter, quod non liceat vel accipere temporale præciſe pro re aliqua, vel actione ſeu functione ſpirituali, vel labore ei intrinſeco; cum hoc iure divino ſit ſimoniacum. Sicuti etiam non licet accipere pretium præciſe pro obligatione ad aliqua ſpiritualia præſtanda: nam obligatio ad ſpirituale eſt quid ſpirituali adnexum, ac ad illud per ſe ordinatur, necnon ab illo ſuam accipit æſtimationem. Ideoque cantores conductitii & muſici accipere nequeunt ſtipendium ut pretium ſui obſequii; cum eorum officium ad divinum cultum ordinetur: nempe ad laudes Dei canendas, ac ad populi devotionem excitandam. Nihilominus fieri poteſt ut ſine ulla ſimoniæ labe occaſione rei ſeu functionis ſpiritualis dari poſſit & accipi pecunia, aut aliud æquivalens temporale pretio æſtimabile; quando ſincere & ſine ulla prorſus palliatione, non tamquam pretium rei vel actionis ſpiritualis, ſed tantummodo ex aliquo ex iam allegatis titulis detur vel accipiatur.

Hinc non committitur ſimonia, dum occaſione rei ſpiritualis datur vel accipitur pecunia, ſeu aliquid aliud æquivalens pretio æſtimabile, non tamquam pretium rei, nec ut ex pacto præcedenti vel alio modo debitum; ſed prorſus gratuito, ideſt ex ſimplici titulo gratitudinis & donationis. Nam quod omnino gratis datur & accipitur, & nullatenus per modum pretii, nec datur ea intentione ut is cui fit donum temporale, excitetur ad retribuendum aliquod aliud bonum; hoc eſt vere gratis & ex ſola liberali gratitudine: & donum temporale accipere licet ſine ulla ſimoniaci contractus ſuſpicione, ſi rei alicuius ſpiritualis occaſione ex gratitudine aliquid donetur, & ita donum accipiatur. Caute tamen illud conſiderandum eſt, quod ſub hoc titulo gratitudinis non raro adeſt ſimoniæ pallium, ideſt committitur ſimonia palliata & occulta, dum id quod gratis dari dicitur, ut plurimum vix ſine intentione, aut pacto tacito ſaltem beneficii obtinendi datur. Cum enim pactum afferat ex natura ſua onus ſeu obligationem fidelitatis & iuſtitiæ; hinc evertit naturam gratuitæ donationis. Immo ſæpe contingit ut obligatio antidoralis ſeu gratitudinis per pactum reſtringatur, quæ reſtrictio ad aliquid determinatum eſt pretio æſtimabilis, ac tollit gratitudinem, quæ eſt generalis. Unde ſequitur contra Bonacinam, ſimoniacam eſſe hanc conventionem, Do tibi gratis pecuniam (pecunia hic intelligitur omne etiam cuius pretium poteſt pecunia æſtimari, ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* c. *art.* 2.) ut ex gratitudine mihi conferas beneficium: & conventio ſufficit, etiamſi ſit tacita, quam ſemper adſuiſſe præſumere de-

Prior titulus eſt gratitudo.

debet Confeſſarius, quando pœnitens dans pecuniam aut æquivalens pretio æſtimabile, & beneficium ſperans aut ſimile aliud, exigit, vel etiam verbis, nutibus, ſignis alterum hortatur ut ſuo tempore ſe gratum & memorem exhibeat. Quinimmo ſine huiuſmodi petitionibus implicitis vel explicitis ſimonia mentalis contrahitur, dummodo adſit vera intentio alliciendi hiſce donis alterius animum ad collationem beneficii. Simoniaca autem intentio facile præſumitur, primo ſi aliquid diviti aut ſuperiori ſpondeatur aut detur a paupere vel inferiore, qui non ita facile ſoleant eſſe liberales: ſecundo, ſi res data vel promiſſa talis ſit momenti, ut communiter largiri gratis non ſoleat: tertio, ſi quod datur, detur tempore neceſſario (ut habetur ex Alexandro III. *cap.* XVIII. *de ſimon.*) dantes & accipientes, quantitas & qualitas muneris, & donationis tempus. Van-Eſpen.

Alter eſt debita ſuſtentatio. Licet etiam dare & accipere ſine labe ſimoniæ temporale pro ſpirituali per modum ſuſtentationis, puta ut celebrentur Miſſæ & ſacramenta adminiſtrentur: inquit enim Apoſtolus I. ad Corinth. cap. IX. *Quis enim militat ſuis ſtipendiis umquam?* . . . . *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Quare culpa carent & fideles qui Eccleſiæ miniſtris temporalia bona elargiuntur, & miniſtri qui exemplo Chriſti & diſcipulorum pias oblationes & alia ſtipendia ex conſuetudine vel Eccleſiæ legibus accipiunt. Immo Concilium Conſtantienſe damnavit hunc articulum Wicleffi: *Omnes ſunt ſimoniaci qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus*. Datur enim pecunia vel aliud temporale æquivalens ad ſuſtentationem miniſtri, ſub conditione ſpirituale præſtandi, non ut ipſius rei ſpiritualis pretium. Et ideo hoc licitum eſt & iuſtum: quia ex iuſtitia debetur ſuſtentatio iis qui populo ſpiritualia miniſtrant: *Dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Matth. cap. X. Et revera naturalis iuſtitia exigit ut ei qui ſe privat libertate vacandi lucroſæ occupationi, qua ſibi ſuſtentationem provideret, ut in alterius gratiam & commodum ſe occupet, ſufficiens ſuſtentatio, ſpectata perſonæ conditione, ſuppeditetur, ut conſtat ex Apoſtoli verbis *loc. cit.* Et adhuc verum eſt, quod gratis miniſtrant: quia nihil exigunt tamquam pretium miniſterii quod gratis præſtant; licet neceſſariam ſuſtentationem a populo recipiant, & licite exigant id quod iam publica auctoritate & approbata conſuetudine conſtitutum eſt in ſuſtentationem miniſtri. Quare licitum eſt aliquid pro ſuſtentatione recipere ſecundum approbatam praxim ad Miſſam celebrandam pro aliquo, ad conciones ex officio non debitas, & ad ſimilia peragenda. Immo addit D. Thomas 2. 2. quæſt. c. art. 3. *Gratis ſpiritualibus prius exhibitis poſſunt ſtatutæ & conſuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus & valentibus ſolvere, auctoritate ſuperioris interveniente*. Tournely & P. Antoine.

Cum hic tamen ſub ſpecie ſuſtentationis latere poſſit ſimoniæ venenum: hinc caute ſuper hunc titulum attendere debent ſacri miniſtri, ne contra proprii ſtatus inſtitutum fiat ut non quærant ſuſtentationem ut ſacris inſerviant, ſed potius ſacris inſerviant ut ſuſtentationem percipiant. Quinimmo multo magis cavere debent ne avaritia obcæcati ſub ficto velamine ſuſtentationis in ſacris peragendis officiis ſordida aviditate ſtudeant emungere argento fideles, etiam ultra pias conſuetudines & leges Eccleſiæ. Et hoc præcipue vitare debent in ſacramentorum adminiſtratione, in ſancto Miſſæ ſacrificio, in ſacris catecheſibus & concionibus peragendis. Cum enim in his præcipue contineantur principaliora & ſacratiora religionis noſtræ chariſmata & monumenta, necnon ſpiritualis fidelium ſalutis inſtrumenta; idcirco digna ſint ſingulari veneratione ac pietate: hinc in his præcipue elucere debet gratuita adminiſtratio, munda ab omni prorſus venali cupiditate; ne ex hoc pravo miniſtrorum agendi modo, ut vilia apprehendatur a populo bona tam ſacra & inſignia, ac ideo ipſis ſubtrahant ſummam devotionem ac reverentiam quam eorum ſanctitas exquirit. Et utinam res non ita ſe haberet! Nam, ſi inter alia loquamur de ſacris concionibus quæ frequenter habentur potiſſimum tempore quadrageſimali, nunc parvum aut fere nullum profectum conſequuntur, quia propter inſatiabilem turpis quæſtus aviditatem quam tali occaſione aliqui præferunt, magis querelas congerentes in tenuitatem ſtipendii & eleemoſynarum quam contra vitia, ita ut magis ſollicitos ſe præbeant pro turpi lucro quam pro lucro animarum, facti ſunt hodie obiectum contemptus concionator & concio. Immo iſta deteſtabilis anxietas lucrandi in ſancta prædicatione tanta affecit populos moleſtia, pietatemque adeo graviter læſit, ut loca fere omnia quæ ius habent eligendi in ſuis Ec-

cleſiis concionatorem, decreverint ut ſemper eligeretur ex Ordinibus mendicantium qui pecuniis non utuntur, cum excluſione aliorum Ordinum qui uſum habent pecuniæ, ne amplius occaſione ſacræ concionis turpe lucrum eorum auribus obſtreperet. Sed quid mirum, quando nunc, perinde ac alii Eccleſiæ miniſtri munera alia, ſibi ſeligunt aliqui prædicationis officium, non præciſe ut in hoc ſe dent divino famulatui ad quem in tali munere ſe vocari ſentiant; ſed ſicuti fit in civili œconomia, illud ut negotium quoddam amplectuntur ad lucrum pro ſuis commoditatibus captandum. Unde quiſnam in iis, amabo, zelus divini honoris & gloriæ? quæ ſollicitudo pro animarum ſalute? quæ ſunt unica objecta apoſtolici huiuſce miniſterii. Nam huiuſmodi prædicatores temporali lucro contenti ad quod ſolum dirigunt cogitationes omnes & labores, ea quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti; id eſt non quærunt ſuſtentationem ut ſe in divino exerceant officio, ſed divinum officium exercent ut commodiorem ſuſtentationem ſibi tali medio comparent: ſi tamen ſuſtentatio in omnibus vocari hæc lucra poſſint; cum non huiuſcemodi emolumenta inquirant ad ſuſtentationem, cuius aliqui non egent, ſed potius ut hiſce utantur, ne dicam abutantur in ſupervacaneis ſumptibus ab eorum ſtatu prorſus alienis. Idcirco lucra huiuſce generis quis non videt eſſe ſimoniaca, titulo palliata ſuſtentationis? Hinc Eccleſia ad extirpandas in hoc titulo ſuſtentationis huiuſcemodi ſimoniæ palliationes, præcipue in certis caſibus qui frequenter occurrere ſolent, ſuis legibus providere curavit. Sic primo vetuit *cap.* XLII. *de ſimon.* ne clerici pro exequiis mortuorum, benedictionibus nubentium, & ſimilibus pecuniam exigant ac extorqueant: iis nempe modis qui Eccleſiæ miniſtros dedecent, v. g. denegando ſpiritualia, donec numerata ſit pecunia vel de numeranda cautio data fuerit; quod iuxta S. Thomam *loc. cit.* venditionis atque adeo ſimoniæ ſpeciem habet. Secundo, iuxta multos, qui plus exigit ſtipendii quam quod ſibi vere debitum eſt, non tantum iniuſtitiæ, ſed etiam ſimoniæ eſt culpabilis: quia quod locum non habet ſtipendii, accipi nequit alio titulo quam in pretium ſpiritualis miniſterii ſaltem virtualiter & interpretative, & ideo ſimoniace, licet talis non ſit miniſtri intentio ſpiritualia vendentis. Idem dic de iis qui paciſcuntur de novo ſtipendio pro functionibus, quibus iam tenentur ex officio. Utrum vero qui habet unde vivat, pro eccleſiaſticis muniis aliquid accipere poſſit? diſputant Theologi. Negat Azorius cum aliis; affirmat econtra Suarez cum aliis pluribus. Et huius ſententia eſt etiam communior. Nemo enim, etiam dives, propriis militat ſtipendiis, ut notat Apoſtolus; & monet Evangelium, dignum eſſe mercenarium mercede ſua: & vivere debere de altari qui altari ſervit, approbat ac æquum iudicat laudatus Apoſtolus. Præterea ſtipendium militanti ex natura rei debetur: igitur clericus etiam dives aliquid pro eccleſiaſticis muniis ad ſui ſuſtentationem accipere poteſt.

A vitio ſimoniæ excuſat pariter titulus laboris. Hic tamen notandum eſt, laborem dupliciter eſſe conſiderandum. Alius nimirum eſt intrinſecus ſpirituali actioni, ut fatigatio neceſſaria ad concionem habendam, aut ad Miſſam celebrandam: alius extrinſecus, ſine quo honeſte & licite exerceri præfata poſſunt. Labor intrinſecus numquam vendi poteſt ſine ſimonia, ut communiter docent omnes: quia Chriſti præceptum de ſpiritualibus gratis dandis illud includit etiam debitum de aliis omnibus gratis dandis ſine quibus ſpiritualia dari nequeunt; uti eſt labor intrinſecus ad opera ſpirituali a neceſſarius, qui in unum coaleſcit, ideſt unum eſt cum ſpirituali opere ac eiuſdem cum eodem opere conditionis. Etenim labor intrinſece neceſſarius in Miſſæ celebratione v. g. aut in concione habenda aliud non eſt niſi in Miſſa recitatio orationum, oblatio, conſecratio, aliaque huiuſce generis, ideſt ipſa Miſſa; & in concione prolatio ipſa verborum, ideſt ipſa concio. Unde cum nec Miſſa nec concio ſine immani ſacrilegio ac ſimonia vendi nequeant; neque labor ad hæc intrinſece neceſſarius vendi poterit. Immo labor qui præcedere debet in operibus quæ ſunt diſpoſitiones ad ſpiritualia, ut v. g. ſtudium & præparatio ad concionem, cum nullam habeat æſtimationem, niſi ratione ſpiritualis operis ad quod ordinatur; ideo ſeorſim vendi non poteſt. Labor vero extrinſecus cum ſeorſim conſiderari ac proinde pretio æſtimari valeat; ſic etiam licite ſine ſimonia vendi poteſt: ſi Sacerdos v. g. longius iter peragere debet ut Miſſas celebret; pro hac longioris itineris fatigatione aliquid in pactum poteſt deducere. Idemque dicendum eſt de eo qui tali hora ipſi graviter incommoda celebrare tenetur.

Tertius eſt labor.

In

Digitized by Google

In tali autem propoſito multi proponuntur caſus : videlicet an concionator qui plus accipit, quia magna animi & vocis contentione prædicat ac defatigatur, ſimoniam committat? an habenda ſit ratio defatigationis quæ oritur ex conditione perſonæ, puta quia ſenex, infirmus, tenuiſque complexionis? an Sacerdos qui Miſſam canit, vendere poſſit aliquid de labore ipſius Miſſæ, ſive ratione temporis, moræ, vel cantus. Super his & ſimilibus diſcrepant Theologi. Sed melius contra Bonacinam negat cum aliis Suarez *cap.* xxi. & in praxi ita ſequendum ut tutius fatetur poſtea ipſe Bonacina. Et ſane quod neceſſarium eſt ad ſacra miniſteria, prout ab hominibus moraliter exerceri poteſt, partem conſtituit ipſiuſmet miniſterii; nec proinde ab illo ſeorſim computari debet: præcipue cum huiuſcemodi functionibus conveniens ſtipendium ab Eccleſia concedatur, laboribus omnibus neceſſariis ad eaſdem functiones conſideratis. Hinc maius ſtipendium accipi poteſt, cum plus laborarur; ut cum prædicatur per duas vel tres horas paſſio Domini, quam cum concio recitatur mediæ horæ : non quod vendatur maior labor, ſed quia æquum eſt ut qui plus *laborant, maxime in verbo & doctrina, duplici honore digni habeantur*, ideſt ampliorem laboris mercedem recipiant Tournely.

Quartus eſt amiſſio commodi temporalis.

Item excuſat a contrahenda ſimoniæ labe, ſicut ab uſura in mutuo, lucrum ceſſans ac damnum emergens. Non incurrit igitur ſimoniam qui non quidem ut beneficium alteri procuret, ſed ut ſuum compenſet laborem, ſcribendo v. g. aut iter agendo, pecuniam accipit : quia illa ſunt pretio æſtimabilia. Solus autem labor in his conſiderandus eſt : nec ulla ratio habenda beneficii; nec effectus qui ex labore ſecutus eſt, beneficii nempe collatio ei pro quo elaboravit ; nec pinguedinis beneficii. Tunc enim pro beneficio pretium traderetur, quatenus labor non penſaretur in ſe, ſed ratione beneficii : quod eſt ſimoniacum. Ideoque fatentur doctores, ſimoniam contrahi ab illo qui dat alteri pecuniam, ac iſtum compellit promiſſis ac muneribus, ut pro ſe beneficium ab Epiſcopo vel ab alio collatore procuret : quia tunc muneris interventu (ait hic D. Thomas *loc. cit.*) beneficium ille conſequitur; quod eſt prorſus illicitum. Nam qui pecunia corruptus beneficium alteri obtinet, eſt ſimoniæ mediator. Pontatius *caſ.* lxviii. Suarez, ac alii.

Excuſat pariter a ſimonia, recipiendo aliquid temporale pro ſpirituali, legitima & laudabilis conſuetudo : non ea tamen quæ exorta ſit ab exactione aliiſve huiuſce generis principiis; ſed quæ a liberalitate & pietate populorum ortum habuerit. Nam quod ex tali religioſa conſuetudine datur, non datur per modum pretii rei ſpiritualis, ſed ad modum ſtipendii & oblationis ad ſuſtentationem. Notandum hic tamen primo eſt, nullam eſſe conſuetudinem quæ excuſare valeat id quod vetat ius naturale & divinum; cum nulla conſuetudo leges iuris naturalis & divini abrogare valeat. Secundo, quod licet conſuetudo tollere poſſit ſimoniam quæ inducta ſit a iure poſitivo, dum leges humanæ non uſu vel uſu contrario poſſunt abrogari : hoc tamen nec temere nec facile & præſupponendum; ſed conſulendi ſunt Confeſſarii, doctores, Prælati, & præcipue inquirendum eſt quid ſtillus Romanæ Curiæ ferat.

Quintus, legitima conſuetudo.

Circa vero conſuetudinem qua quædam Canonicorum Capitula a novis Canonicis exigere ſolent munera quædam, ut chirotecas vel aliquam pecuniæ ſummam : certum eſt, quod Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxiv. *cap.* xiv. prohibuit conſuetudinem exigendi pecuniam a novis Canonicis, utpote quæ ſuſpicionem habeat ſimoniæ ac ſordidæ avaritiæ, iuſſitque Epiſcopis ne tales exactiones permittant, niſi convertendæ ſint in pios uſus. Quoad chirotecas vero aliave huiuſce generis, ſacra Cardinalium Congregatio declaravit, nefas eſſe hæc accipere ac diſtribuere, & præſertim quia videtur non ſponte, ſed cogente ſolum conſuetudine offerri. Ita Fagnanus in *cap.* Tua nos domine *de ſimon.* xxxviii. Sic etiam ſentiunt Pontas v. *Simoniæ caſ.* xxxviii. & xxxv. Habert, Tournely. Et Canonicus qui hæc elargitur, communicat alienis peccatis. Unde recurrendum eſt ad Epiſcopum ut hunc tollat abuſum.

Sextus tandem eſt redemptio iniuſtæ vexationis.

Redemptio itidem iniuſtæ vexationis, qua ipſi qui vi ac iniquitate impediuntur ne bonum aliquod ſpirituale aſſequantur (quod præcipue in beneficiis contingere poteſt) pecunia aut muneribus ab hac vexatione ſe liberant, excuſat a ſimonia, dummodo ipſi ius habeant in re plenum ac perfecte acquiſitum : quia non tradunt illi temporale pro ſpirituali, quod iam ad ipſos ſpectat; ſed ut ab iniuria ſe liberent, & ipſis ceſſet vexatio, quæ eſt ad aliquid temporale. Quædam tamen hic cavenda ſunt. Primo, ne res quæ ad vexationis redemptionem traditur, ſi ſpiritualis : ita ut qui in pingui beneficio vexatur, & dat aut promittit ve-

xanti unum beneficium tenue, ſimoniacus eſt; quia dat ſpirituale pro temporali. Secundo, ne vexatio quæ redimitur, iuſta ſit aut ſaltem probabilis: ut cum quis iuſte aut ſaltem probabiliter impetitur. Nam in tali caſu pecunia non tantum tribui videtur pro ipſa vexationis ceſſatione; ſed etiam pro re ſpirituali, ad quam moraliter loquendo per pecuniam pervenitur, ut ex S. Antonino *Part. II. tit. 1. cap. IV.* Etenim illicitum eſt, mediante pecunia, efficere quod ius adhuc infirmum firmum fiat. Tertio, ne redemptionem facere præſumat qui ius non habet in re, ſed ius tantum ad rem: quæ conditio non leviter eſt ponderanda. Nam qui conſanguineum collatoris ex ſibi adverſo favorabilem facere curet, eidem munera tribuendo, ne diutius retineat collatorem a beneficio conferendo, ſimoniacus cenſendus eſt: immo ſimoniam ille quoque contraheret, ut communiter ſentiunt doctores, qui habens ius in re nondum acquiſitum, aut nondum plenum, iniuſtam vexationem ab iis redimeret qui ad beneficii conſecutionem iuvare poſſunt, ab iis nempe ad quos ſpectat eligere, inſtituere, præſentare, confirmare. Ex cap. XXIII. *de ſimon.* Tunc enim per pecuniam acquireretur res ſpiritualis, vel ſaltem ius firmum in tali re, quod antea non habebatur; quod eſt emere ſpirituale: ut ſi elector eligere velit indignum ut te impediat; ei dare non potes pecuniam ne ita te impediat, ſine ſimonia. Quare multo magis ſimoniacum erit, ut communiter notat Suarez, redimere vexationem non iuſtam ad beneficium obtinendum; dare v. g. amico pecuniam ne ſuum defectum collatori detegat; aut ne pro alio obſecret; ne habens ius utrumque probabile litem moveat, aut proſequatur; ne doctior concurrat; ut competitor ab iuſta prætenſione ſe removeat: quia omnia ad beneficium per pecuniam directe pararentur, ac medio temporali res ſpiritualis acquireretur. Et licet redimens non intendat dare immediate pretium pro re ſpirituali; tamen, mediante pecunia, vult adipiſci ius ſpirituale: quod, ut manifeſte patet, eſt illud emere. Quamvis vero ius aliquod ad illud beneficium haberet: cum vexatio in dictis caſibus ſit iuſta, vel ſaltem non iniuſta; hoc ipſo ius non eſt prorſus firmum, ſed infirmum. Redimendo autem vexationem, firmius reddit illud ius, quæ maior firmitas eſt quid ſpirituale acquiſitum re temporali. Non eſt tamen illicitum, vexationem redimere ab iis qui ſolum iniuſte impedire, non tamen ad beneficium iuvare poſſunt. Nam talis redemptio removet impedimenta iniuſte oppoſita, & viam non magis parat ad beneficium quam parata eſſet antequam impedimenta ponerentur. Unde licet clerico pecunia impedire calumnias, quibus apud collatorem alias impeteretur.

Diſcors vero eſt Theologorum ſententia, num liceat iam confirmato & ſtatuto in beneficio redimere pretio vexationem qua iniuſte impeditur a capienda poſſeſſione. Alii enim negant: quia poſſeſſio eſt aliquid ſpirituale vel ſpirituali adnexum, per quam obtinetur actuum ſeu functionum exercitium. Alii econtra, & melius ac probabilius, meo quidem iudicio, concedunt affirmant non eſſe illicitum: quia poſſeſſio præciſe ſumpta factum quoddam eſt corporale, quod non dat, ſed ſupponit ius ſpirituale completum; nec ſpiritualis eſt niſi ratione tituli ac iuris cui eſt adnexa. Ita ut, acquiſito titulo ac iure, pretium non datur pro aliquo ſpirituali quod iam habetur, ſed ad tollendum iniuſtum impedimentum poſſeſſionis quæ illi titulo per ſe immediate debetur: & conſiſtit in facto mere temporali, ſi ſecundum ſe ſumatur. Beneficium quando collatum ſit & acceptatum, dat plenum ius in re: ut, ſi proviſum ante captam poſſeſſionem mors præveniat, beneficium vacare per mortem cenſeatur. Poſſeſſio enim non ſuperaddit ius; ſed efficit ſolummodo ut competat beneficiario adminiſtrandi ac fructus percipiendi facultas. Ita ex S. Thoma, qui 2 2. *quæſt.* c. *art.* 2. *ad* 5. ait: *Poſtquam ius alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam iniuſta impedimenta removere.* Simoniam quidem committeret qui etiam poſt acceptam poſſeſſionem pecunia iuſtam vexationem redimeret. Sic communiter ſecundum Suarez: quia quando iuſta ſit vexatio, ius in beneficio non eſt firmum, & poteſt auferri; ideoque tunc datur pretium ad hoc ut ſe beneficiarius confirmet & conſervet in beneficio. Rurſus ſi firmus eſſet, & privandus eſſet ob aliquod commiſſum crimen, ſimoniam committeret pretium dando ut a tali oppoſitione ſe liberaret: quia pretio temporali rei ſpiritualis conſervationem emeret.

Cavendum tandem eſt ne vexationis remotio ſit boni ſpiritualis collatio: nam ſicuti hæc emi non poteſt, ſic nec vexatio in tali caſu redimi abſque eo quod collatio ipſa ematur. Unde ſi Epiſcopus iniuſte denegaret confirmationem ei qui canonice a patrono eſt electus ad beneficium; redimi non poteſt talis vexatio: quia remotio vexationis in

tali

tali caſu aliud non eſt niſi confirmatio: qui cum ſit actus ſpiritualis, ſine gravi culpa ſimoniæ emi non poteſt. Sic Suarez *cap.* xx. & Bonacina. Hinc, ſecundum multos, illicitum eſt dare pecuniam Sacerdoti nolenti conferre baptiſmum in extrema neceſſitate conſtituto, niſi ei tribuatur pecunia. Etenim dando pecuniam ad hanc iniuſtitiam removendam, idem eſſet ac eam dare pro ipſa baptiſmi collatione: cum tota Sacerdotis iniquitas conſiſtat in iniuſta baptiſmi denegatione, quæ nonniſi per collationem ipſam baptiſmi removetur. Quare S. Thomas *loc. cit. ad* 1. ita docet: *In caſu neceſſitatis quilibet poteſt baptizare. Et quia nullo modo eſt peccandum, pro eodem eſt habendum, ſi Sacerdos abſque pretio baptizare non vult, ac ſi non eſſet qui baptizaret. Unde ille qui gerit curam pueri, in tali caſu poteſt eum licite baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari*. Idem ſentit Henricus a S. Ignatio & Natalis Alexander. Et ſi baptizandus eſſet adultus, qui ad alium recurrere non poſſet, mori potius deberet cum ſolo baptiſmo flaminis quam pro iſto pecuniam elargiri. Licite vero emi poſſet aqua a Sacerdote pro baptiſmo: quia cum ſit elementum; ut tale emi poſſet, etiamſi eſſet benedicta. Ita quoque volunt aliqui emi poſſe cognitionem ipſam verborum quæ ſunt proferenda in baptiſmi adminiſtratione; ſicuti emi poteſt Theologiæ cognitio: cum hæc omnia edocere, non ſit per ſe functio ſpiritualis. Item dari poteſt pecunia electoribus ne hæreticum aut alterum indignum eligerent: ſecus vero, ſi eo fine daretur ut, omiſſo indigno vel digno, dignior eligatur, ſaltem in particulari. Legendus eſt hic Bonacina *punct.* v. *num.* 12. & Tournely *cap.* IV. *art* II. *num.* 4. Licitum eſſet pariter dare pecuniam tyranno, Iudæo, vel hæretico, ne ſacram Euchariſtiam conculcarent. Non enim tunc emitur cultus ut ſic, ſed vindicatur ac redimitur iniuſta vexatio. Hic tamen D. Carolus admonet ne ita facile in materia tam periculoſa, inconſulto præcipue ſuperiore aut gravibus Theologis, vexatio iniuſta redimatur: quia & ſæpe iuſta eſt quæ iniuſta videtur, & ſuperior ut pater communis litem componere poteſt & ſimoniæ ſuſpicionem removere. Van-Eſpen & Tournely.

Circa vero penſiones, num redimi poſſint? notandum prius occurrit, alias eſſe penſiones clericales, quæ ſolis clericis, alias laicales, quæ laicis conferuntur. Penſione clericales ſunt hæ quæ clericis pro aliquo ſpirituali officio conferuntur, ideſt alicui titulo ſpirituali adnexæ ſunt, ut recitandi officium B. Mariæ Virginis, ſicut S. Pius V. iuſſit; vel pro auditore Epiſcopi v. g. aut concionatore, ita ut qui talia officia non impleat, reditus amittat. Laicales quæ dantur laicis ſine ullo ſpirituali titulo & officio, ſunt mere temporales; ac proinde ſine ulla omnino ſuſpicione, nulla ſuperioris auctoritate interveniente, redimi poſſunt. Ex oppoſito vero cum penſiones clericales adnexum habeant titulum & functionem ſpiritualem, quod ſpirituale tolli nequit ſine auctoritate Papæ qui talem titulum ſpiritualem inſtituit; hinc niſi Papæ auctoritate & conſenſu huiuſcemodi penſiones tolli nequeunt.

§. XXIV.

De materia ſpirituali ſimoniæ.

Pro materia ſpirituali ſimoniæ hic intelligitur illud quod per pecuniam aut aliquid aliud pecuniæ æquivalens, ſimoniace comparatur, hoc eſt ipſum ſpirituale, & ſpirituali adnexum. Spirituale hic non ſumitur pro incorporeo; ſed prout idem eſt cum ſupernaturali, quod eſt proprie ſimoniæ materia. Supernaturale vero aliud eſt ex natura ſua, ideſt per eſſentiam & formaliter: ut gratia actualis & habitualis, virtutes infuſæ, & dona Spiritus ſancti, ad quæ refertur etiam caritas, aliaque huiuſcemodi. Aliud ſupernaturale cauſſaliter, ratione effectus ſupernaturalis quem producit: & huiuſmodi ſunt ſacramenta, ſacramentalia, conciones ſacræ, & alia quæ gratiam habent conferre ac producere. Aliud tandem effective, quatenus videlicet eſt effectus a ſpirituali cauſſa procedens, ſive finaliter, ſive efficienter: ſic actus prophetandi ſpiritualis eſt, cum oriatur a cauſſa ſpirituali, & ad ſalutem fidemque Eccleſiæ ordinetur; huiuſcemodi pariter ſunt effectus gratiarum gratis datarum, benedictionis, uſus iuriſdictionis eccleſiaſticæ, diſpenſationis, facultatis excommunicandi, abſolvendi a cenſuris, beneficiorum collationis, & ſimilium. Talis diviſio licet admitti ſoleat a Theologis, non eſt tamen regula omnino certa: cum una eademque res ex tribus adductis modis ſupernaturalis eſſe poſſit. Sic gratia ſupernaturalis eſt & quoad eſſentiam & cauſſalitatem, quia multos ſupernaturales habet effectus; & effective, cum oriatur a Spiritu ſancto, ac plerumque ut augmentum ipſius, ſive ut ſecunda gratia, meritum ſupponit de condigno, ſicuti

prima de congruo , ob prævenientes diſpoſitiones ortas ab actuali perveniente gratia & noſtro concurſu. Item Euchariſtia ſupernaturalis eſt in ſe, & cauſſaliter.

Illud vero dicitur ſpirituali adnexum quod licet in ſe ſacrum ſit & per eſſentiam , ſacrum quodammodo fit ob connexionem quam habet cum ſacris rebus. Et hoc adnexum triplex eſt. Etenim aliud eſt adnexum antecedenter ; nempe quod tale eſt in ſe , antequam per ſuam cum rebus ſacris connexionem ſpirituale fiat : qualia ſunt fundus, antequam ipſi adveniat juſpatronatus, vas, lapis, ædes, veſtes, oleum, balſamum, quibus poſtea ſupervenit conſecratio vel benedictio. Aliud eſt adnexum concomitanter, quod non antecedit , nec ſequitur , ſed comitatur ipſum ſpirituale ; ut labor corporis in celebranda Miſſa : & hic labor vel adnectitur extrinſece , ut ſi Miſſa in loco remoto aut arduo celebranda ſit ; vel intrinſece , ut labor qui Miſſam communi modo celebratam comitatur. Aliud tandem adnexum eſt conſequenter, quod nempe ſupponit rem ſacram: & quia ab hac dependet, ſpirituale reputatur, ut ſunt temporalia beneficiorum emolumenta, quæ ut aliquid ſpirituale cenſentur ; quia a ſpirituali cauſſa, ideſt a ſpiritualibus dependent officiis, propter quæ inſtituta fuere ac tribuuntur. Suarez *cap.* XXIII. & Bonacina *diſp.* I. *cap.* IV. §. XI. Et licet hæc principia ſatis eſſent ad ſimoniam in quocumque caſu circa hæc dignoſcendam ; ut clarius tamen res innoteſcat, ſigillatim expendetur , quando circa haſce materias ſimonia contingere poſſit.

§. XXV.

De ſimonia in re ſpirituali eſſentialiter.

Sub nomine rei eſſentialiter ſpiritualis comprehenditur gratia qua Deo grati ſumus, dona Spiritus ſancti , gratiæ quæ dicuntur gratis datæ , remiſſio peccatorum, æterna vita, aliaque huiuſce generis . Hæc de iure vendi nequeunt , ſed ſolum de facto & variis modis : ideſt tum in concreto, ut ſi pluris venderetur aut redimeretur vir iuſtus præciſe quia iuſtus eſt , nullo habito reſpectu eius fidelitatis , ſed ſanctitatis ſolummodo ; tum in abſtracto , ut ſi quis alteri ſimoniæ non conſcio conferret Ordinem & characterem ſacerdotalem , aut gratiam ſacramentalem . Quare ſi Iudas Chriſtum vendendo Iudæis eum vendidiſſet prout erat Deus , ideſt habita ratione unionis hypoſtaticæ ac bonorum ſupernaturalium quibus ſuperabundanter erat cumulatus ; reus fuiſſet ſimoniæ : ſicut ſimoniacus cenſendus eſſet qui ſacram venderet Euchariſtiam non ſolum prout continet divinum Verbum ; ſed etiamſi reſpectum haberet ad ſpecies , quia ſunt res ſacræ , vel ad panem, quia hic cum per conſecrationem defecerit , deſiit quoque illius valor. Ita Suarez, Bonacina, Tournely. Verum cum in talibus vix ulla ſimonia nunc ſit in uſu : hinc ulterius non eſt ſuper hiſce immorandum. Nam cum per conſuetudinem quæ hodie viget, & ſemper viguit in Eccleſia , ſi quid detur pro conſequenda apud Deum vita æterna aut remiſſione peccatorum , non detur titulo pretii , ſed eleemoſynæ ; hoc nullo modo cenſeri poteſt ſimoniæ crimen : immo eſt actus pietatis & caritatis erga ſacros Eccleſiæ miniſtros & pauperes , qui commendatur ac iubetur in divinis Scripturis , ut Daniel. cap. IV. *Peccata tua eleemoſynis redime* : quod tamen dici nequit de aliis ſpiritualibus quæ a ſacris miniſtris conferuntur ; qualia ſunt ſpiritualia cauſſaliter, effective, vel ſpiritualibus adnexa , de quibus in ſequentibus.

§. XXVI.

De ſimonia in adminiſtratione ſacramentorum.

Inter ea quæ ſpiritualia ſunt cauſſaliter,cum primario recenſeantur ſacramenta a Chriſto Domino inſtituta , & ſacramentalia inſtituta ab Eccleſia , quæ ſunt quædam conſecrationes ſeu benedictiones ; hinc primum agitur de ſimonia quæ contrahi poteſt aliquid temporale dando vel accipiendo in eorum adminiſtratione .

Sacramentorum venditio eſt ſimoniaca.

In ſacramentorum miniſterio ſi pro tali adminiſtratione aliquid temporale accipiatur, ut ſunt quid conflatum ex materia & forma , contrahitur ſimonia : quia ſacramenta, ut ſic, ſunt res ſacræ & ſupernaturales tam in ſe, quam in effectu quem producunt. Committitur enim ſimonia dando vel accipiendo aliquid temporale pro omni re ſacra ſeu ſupernaturali . Unde ſimoniacum eſt accipere aliquid pro baptiſmo, pœnitentia, matrimonio : & ſic de aliis. Non eſt tamen ſimonia accipere aliquid pro materia remota ſacramentorum, ideſt vendendo materiam remotam, panem ſcilicet, vinum, aquam , balſamum ad uſum ſacramentorum conficiendorum : cum tunc nec detur , nec accipiatur aliquid temporale pro ſpirituali . Quia materia remota ſacramentorum ſecun-

cundum ſe & ut antecedit conſecrationem, & res naturalis temporali pretio æſtimabilis. Num vero, peracta conſecratione & benedictione eædem res ſecundum ſe ſpectatæ, & nulla habita ratione conſecrationis & benedictionis, vendi poſſint? ideſt an Sacerdos vel Epiſcopus poſſint aliquid accipere pro aqua aut chriſmate quo uſi ſunt in baptiſmo? diſputant doctores. Et Suarez qui rem fuſe perpendit, *cap.* XIV. docet, ſtando iuri naturali, hæc vendi poſſe non minus quam vendi poſſunt veſtes benedictæ, calix conſecratus, aut templa ſecundum naturalem eorum ſubſtantiam ſpectata. Cavendum tamen eſt ne talis venditio vetita ſit ab Eccleſia, ut vetat venditionem chriſmatis catechumenorum & infirmorum. *Cap.* Intantum *de ſimon.* Natalis Alexander, Bonacina, Tournely.

Pro materia vero proxima, puta pro ablutione in baptiſmate, nihil ſine ſimonia accipi poteſt: quia ſimoniacus dicitur in iure non ſolum qui vendit ſacramenta, ſed actiones etiam ſacramentorum. Nam actiones illæ non habent ullam aliam utilitatem quam ſpiritualem, & qui actionem ſacram vendit, ſimoniacus eſt. Quod autem dicitur de materia proxima, idem etiam intelligendum eſt de forma ſacramentorum: ut hic advertit Bonacina. Hinc ſæpe vetitum eſt aliquid accipere in collatione baptiſmi. Nam *can.* Emendari *c.* I. *q.* I. qui eſt Illiberitani Concilii *can.* XLVIII. hæc habentur: *Emendari placuit, ut hi qui baptizantur, nummos in concham* (ideſt in vas aquæ baptiſmatis) *ut fieri ſolet, non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur.* Nec refert, quod antea vel poſt collationem aliquid exegerit. *Nam ſemper eſt ſimoniacum*, ut ait Natalis Alexander, *aut longe non abeſt a turpi quæſtu.* Idcirco S. Carolus in Concilio Mediolanenſi I. ſuſtulit morem quemdam illius provinciæ, quo baptizati infantes in altari collocabantur, ut muneribus compatrum inde redimerentur, tametſi oblatio ſive in miniſtri ſuſtentatione, ſive in alios pios uſus inſerviret.

Licet tamen gratuita oblatio cerei, auri, & argenti quæ aliquibus in locis fieri ſolet, quæ applicetur vel in miniſtri ſuſtentationem, vel in alios pios uſus, non ſit ſimonia damnabilis (ut S. Antoninus *Part. II. tit. I. cap.* 115.) nihilominus melius eſt ac decentius ut nihil prorſus recipiatur, ut eo magis appareat gratis dari quod gratis acceptum eſt. Satis ſupra iam dictum fuit, non poſſe mediante pecunia redimi iniuſtitiam quæ fieret in baptiſmate denegando: ſicuti etiam nihil abſque ſimoniæ labe recipi poſſe pro intrinſeco labore, ſine quo ſacræ functiones exerceri nequeunt; quoniam talis labor ita eſt cum rebus ſpiritualibus coniunctus, ut nullo modo præſtari abſque eo poſſint. Pro labore vero omnino extrinſeco, dummodo ſpecies turpis mercimonii vitetur, aliquid exigi poteſt: quia dum miniſter eſt occupatus in ſacramentis adminiſtrandis, privatur libertate ad aliquid aliud utilius eodem tempore peragendum.

Licite poteſt pecunia infidelibus dari & promitti ut veniant ad fidem, ut Gloſſa in *cap.* Quam pio I. *q.* II. Et ibi allata exempla priorum temporum hoc demonſtrant, quando aliqui alliciebant paganos ad fidem Chriſtianam, ipſis bona temporalia pollicendo: quod tamen gratis fieri debet ad ſolam benevolentiam captandam, vel ut diffundatur bonus Chriſtianorum odor. Tunc enim hoc non eſt emere infidelium converſionem; ſed eam ſolummodo diſpoſitive cauſſare. Idcirco hoc fieri nequit cum pacto, niſi quando avertuntur a fide ob timorem ſolummodo paupertatis. Etenim hoc non eſt emere converſionem vel baptiſmum, ſed ſolum impedimenta removere. Eſſet vero pactum illicitum, ſi averterentur a fide, quia fides illis non placeret: tunc enim eſſet emere ſpirituale. Unde ait Panormitanus in *cap.* Dilectus II. dari poſſe pecuniam ſine pacto ad alliciendum aliquem pro ingreſſu Religionis & ſacramentorum receptione. Quod autem dicitur de baptiſmo, hoc idem intelligendum eſt, ac eodem ordine & regula, circa omnium aliorum ſacramentorum adminiſtrationem, ne in tali ſacra actione ſimoniaca labes contrahatur. Unde ſicuti in baptiſmate, ita in collatione confirmationis, Euchariſtiæ, pœnitentiæ, extremæ unctionis, immo in hac & in confirmatione, ne pro chriſmate quidem licitum eſt ſine ſimonia accipere vel exigere aliquid ex pacto, ſeu quaſi eorum pretio. Et idem dicendum de ſacri Ordinis collatione, & matrimonii benedictione. Sed quia plura concurrunt in ſacra Ordinatione, ſicuti etiam in matrimonio; rem hanc fuſius pertractare conſentaneum iudico.

Epiſcopus nihil poteſt pro conferendis Ordinibus exigere.

Et ut ab Ordine ſacro exordium ſumam, prius notandum occurrit, tres perſonas ad ſacram ordinationem requiri: Epiſcopum videlicet, miniſtrum, & notarium. Unde cum principalis ſeu ſacra ordinatio eſſe debeat gratuita; ita omnia ad illam accedentia poſtulant ut ſine ſimonia nihil pro ipſa exi-

gi poſſit. Idcirco Epiſcopus qui eſt proprius miniſter ad ſacrum Ordinem conſerendum, nequit aliquid ex pacto, conventione, exactione, tamquam Ordinis ſacri pretium recipere, nec antea, nec poſt, ſine ſimonia. *Can.* Sicut Epiſcopum *c. I. q. II. cap.* Etſi quæſtiones *extra. de ſimon.* Etenim cum per ſacram ordinationem gratia Spiritus ſancti conferatur; hinc ſacri Eccleſiarum Præſules ſunt ipſius miniſtri, ut gratis dent quod gratis acceperunt: ita ut alias rei fierent criminis ſimoniæ, tum is qui præſentat, tum Epiſcopus qui ordinat, tum qui Ordinem accipit, ut ordinator a collatione, præſentator ab executione, ordinatus ab Ordine ſic ſuſcepto ſuſpenſi remaneant, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinuerint. Sic Gregorius IX. *cap.* xliv. *de ſimon.* Immo ſimoniacum eſſet etiam aliquid accipere, quod daretur Epiſcopo ne ordinaret per ſimoniam, vel ne ſpiritualia daret ſimoniaco. Non eſſet tamen ſimonia ex parte dantis, ut ex Panormitano *in cap. Cum in Eccleſia*. Item ſi pecuniam acciperet Epiſcopus, ne quis ordinetur, eligatur, aut confirmetur, aut Eccleſia conſecretur. Ita Silvius. Licet autem credendum ſit, perraro fieri ut in ſacra ordinatione interveniat munus a manu; haud tamen dubitandum eſt, quin frequenter occurrere poſſit munus a lingua & ab obſequio: dum ſæpe fit ut ad preces amicorum, vel ratione præſtitæ aut præſtandæ ſervitutis, ad ſacros Ordines promoveantur qui ſaltem ut inepti a ſacro miniſterio perpetuo eſſent arcendi. Quare ſacri Eccleſiarum Præſules ſummopere vigilare debent ut in providendis Eccleſiæ miniſtris non moveantur niſi ſtudio honoris Dei & Chriſtianæ reipublicæ utilitatis, nullo habito reſpectu ad quodlibet proprium commodum quod ipſis obvenire poſſit: ne dicam ad munus a manu, quod in viris dignitate tam ſancta inſignibus, nec ſacrorum canonum ignaris, indignum eſſet ſuſpicari; ſed ad munus a lingua & ab obſequio, ideſt humani favoris, amicitiæ, adulationis in quibus ob humanam quam ipſi quoque patiuntur infirmitatem poſſunt aliquando alucinari. Silvius.

Nec miniſtri qui ipſum adiuvant.

Miniſtri vero qui ut acceſſorii adiuvant Epiſcopum in collatione Ordinum, ut examinans, vocans promovendos, vel reſpondens in ſcrutinio ordinandi ſecundum formam, vel legens Evangelium cum fit ordinatio, vel quicumque aliquo modo adiuvent Epiſcopum in ordinatione, ſi pro miniſterio eiuſmodi recipiant pecuniam, ſimoniæ vitium incurrunt. Notarius vero qui promovendos ſcribit, ac teſtimoniales facit de Ordinibus ſuſceptis, ſi ſalarium habeat pro ſuo officio, nihil exigere poteſt: ſi vero ſalarium non habeat de publico, ideſt ab Epiſcopo, licite exigere poteſt pecuniam pro ſuo labore, conſiderata ſcilicet ſui laboris qualitate, non vero Ordinis. Tunc enim eſſet ſimonia: ſicuti etiam ſi plus exigeret pro Ordine digniore. Silvius.

Si quis non habens titulum rogat Presbyterum ut eum præſentet ad Ordines ad titulum ſuæ Eccleſiæ, promittens quod numquam in ea aliquid petet, ſimoniacus eſt (*cap.* Per tuas *h. t.*) & collator Ordinum atque præſentatus per triennium ſuſpenſi remanent executione: ex *cap.* Si quis ordinaverit *h. t.* Quidquid autem pro mea ordinatione ab aliquo datum ſit Epiſcopo ordinatori, ſive conſcius fuerim, ſive non; executionem non habeo, quia collatio facta fuiſſet a ſimoniaco, nec poſſet dare executionem, ſecundum Hoſtienſem I. q. III. *Si quis a ſimoniacis*. Si vero, me ignorante, data ſit pecunia non collatori, ſed alteri; non ſum ſimoniacus, etiamſi ſine pecunia non eram obtenturus: ſi vero ego dederim; ſum ſimoniacus, tametſi abſque pecunia habiturus eram Ordines.

Si vero pecunia detur alicui pro obtinendo ingreſſu ad Prælatum, cum intentione habendi aliquid ſpirituale; non eſt ſimonia. Eſſet quidem, ſi detur ut ſuadeatur Prælatus ad mihi dandum ſpirituale. Adde, quod ſi promiſſa ſit pecunia, me neſciente, pro mea promotione, quam poſtea ſolvi, vel ſolutam reſtitui: licet graviter peccem, & in maleficiis ratihabitio retrotrahatur; diſpenſare tamen poteſt Epiſcopus. Revera enim non fui ſimoniacus in receptione Ordinis ſive beneficii. Eſſet tamen ſimonia, ſi ab ordinando ante ordinationem præſtetur cautio vel promiſſio; non autem ſi poſtea: niſi hoc fiat ex præcedenti pactione. Nihil tandem in collatione Ordinum ab Epiſcopo, examinatoribus, notario qui ſalario proviſus ſit, poteſt accipi, tametſi modicum, nec illis dari ſine ſimonia. Poſſunt quidem licite dari, & ab Epiſcopo accipi candelæ quæ in ordinatione offeruntur; non vero mappæ, pectines, forcipes, quæ olim a tonſuratis præſentabantur.

Pro exercitio Ordinum nihil accipi poteſt.

Non minus vero ac Epiſcopus in collatione Ordinum, ſimoniacus eſſet clericus quoque in executione Ordinum, tum maiorum, tum minorum, ſi tamquam pretium actus aliquid temporale acciperet; necnon ille qui

tali

tali intentione daret. Unde ſimoniacus eſſet acolythus, exorciſta, lector, oſtiarius, ſi ob pecuniam inſervirent Miſſæ vel Eccleſiæ; quiſque ſecundum proprium Ordinem: quod idem dicit Bonacina de ſæculari qui ob pecuniam canat in choro Epiſtolam, vel ex officio claudat Eccleſiæ ianuas, aut Eccleſiam cuſtodiat. Laicus tamen eximitur a tali culpa, ſi ut laicus talia munia peragat: quia talia opera ſunt materialia. Tametſi aliqui muſicos & cantores, ſi pro pecunia canant, a ſimonia abſolute excuſent; quia non adhibentur niſi ad ornatum cantus: alii tamen plurimi, ut Bonacina & Habert, volunt eorum cantum eſſe ſimoniæ materiam. Nam eorum cantus ad divinum cultum requiritur ad augendam populi devotionem; ac proinde eſt actus ſpiritualis, ac religioſe exercendus: & eo magis, quod ſæpe fit ut muſici potiorem partem officii decantent; ut v. g. in veſperis ſolemnioribus. Idcirco monendi ſunt ut retributionem titulo ſuſtentationis recipiant, aut gratis faciant religionis cauſſa: vel ut potius ſe abſtineant.

Quid circa matrimonium. Circa vero matrimonium, quamvis ſit ſacramentum; attamen eſt ſimul officium naturæ, cui ſua inſunt onera & commoda, & plures occurrunt in contrahentibus inæqualitates. Hinc licitum eſt pro eo ſic ſpectato paciſci de pecunia, ac ipſa dari a femina, & a viro accipi poteſt; nec tunc fit commutatio temporalis pro ſpirituali, ſed mere pro temporali: puta pro compenſatione alicuius naturalis vel civilis qualitatis, ut ætatis, fortunæ nobilitatis, ac ſpecioſitatis, in quibus alteruter deficiat; vel titulo dotis ad onera matrimonii ſuſtinenda. Idcirco evidens eſt, tunc non dari pecuniam pro matrimonio ut ſacramento, conſiſtente in miniſtrorum Eccleſiæ diſpenſatione. Idem quoque dicendum eſt de arrha, quæ datur eo fine ut damnum temporale evitetur quod alter ex alterius inconſtantia pati poſſet. Ita Panormitanus, Suarez, Silvius.

Eſſet quidem ſimonia, accipere ex pacto & ut pretium pecuniam aut alia munera pro benedictionibus ſponſalium ſeu nuptiarum. Ceteroquin accipi poſſunt ſponte oblata, ut in *cap.* Cum in Eccleſia *extra. de ſimon.* Nec verum eſt quod dicit Gloſſa in *cap.* Sua *eod. tit.* quod pro eadem benedictione aliquid accipi poſſet, ſi non eſſet ſacramentum: quia, ut notat Panormitanus, non ſolum pro ſacramentis, ſed generaliter pro quovis alio officio eccleſiaſtico exercendo non debet aliquid peti, ut in *cap.* Noſtra *eod. tit.* Quod ſi Sacerdos ad quem ſpectat nuptias benedicere ex officio, vel baptizare, alteri licentiam concedere nolit ad hæc miniſtranda, niſi ex pacto, quod ipſi relinquat oblationes quæ in hiſce adminiſtrandis ex pia conſuetudine elargiri ſolent: non committit ſimoniam. Etenim cum hæ, ubi viget talis conſuetudo, dentur ut portio ſuſtentationis proprii Paſtoris; & ab ipſo ſub tali titulo licite accipi poſſint: hinc ius habet ut ſi alteri permittat huiuſcemodi miniſteria, oblationes quæ fiunt, cedant in ipſius commodum.

§. XXVII.

De ſimonia in ſacramentalibus.

Sacramentalium nomine intelligunt Theologi ſigna quædam ſanctitatis, quæ ob quamdam ſimilitudinem quam habent cum ſacramentis, ſacramentalia a doctoribus appellantur. Hæc duplicis generis. Alia enim ſunt res religioſo ritu conſecratæ; ut chriſma, oleum ſacrum, Agnus Dei, aqua benedicta: alia ſunt ritus quibus res illæ conſecrantur; ut ſignum crucis, inſufflatio, & ſimilia. Ritus autem quo res ſacræ efficiuntur, vocatur ſacramentale tranſiens; res vero quæ per ritus ſacra fit, dicitur ſacramentale permanens. Vendere ſacramentalia, tam tranſeuntia, quam permanentia, eſt ſimonia. Permanentia tamen, ubi id non vetet lex Eccleſiæ, ratione materiæ vendi poſſunt. Cum enim tranſeuntia ſint actiones ſacræ in ſe, utpote a poteſtate ſupernaturali procedentes, & ad finem ſpiritualem ordinatæ, ut patet in benedictionibus & exorciſmis; non ſecus ac aliæ res ſacræ vendi prohibentur. Et eadem ratione & iure permanentia quoque, quia ſunt res ſacræ & benedictæ, ſine ſimonia vendi nequeunt; ſed ſolum eorum materia, utpote non moraliter idem cum benedictione: dummodo Eccleſia non vetet, & non pluris vendantur ratione adnexæ benedictionis; ut ex *cap.* Si quis obiecerit 1. *q.* 11. Quæ ſacramentalia vendi nequeant.

Verum quidem eſt, Eccleſiam prohibuiſſe vendi & emi etiam ratione materiæ quaſdam res benedictas, ut chriſma, Agnos cereos, imagines, medalias, ſepulturas. Sed ex hoc non ſequitur, nullas vendi poſſe (ſemper tamen intellige ratione materiæ) ut volunt Canoniſtæ: eo quia, cum conſecratio ſine tali materia, & materia ſine ſibi adnexa conſecratione, ſubſiſtere nequeant; videatur etiam una ſine alia emi non poſſe vel vendi, iuxta *cit. can. Si quis obiecerit* in quo habetur: *Neutrum invenditum*

tum derelinquit. Nam hoc veriſſimum quidem eſt, ſi id quod venditur, ſit conſequenter ſpirituali adnexum; ut qui venderet præbendam, venderet etiam officium ſpirituale cui adnexa eſt præbenda: non autem ſi ſit adnexum antecedenter; ut calix qui exiſtebat antequam adnecteretur ei conſecratio, qui cum ſervet ſuam æſtimabilitatem etiam poſt conſecrationem, ſecundum materiale ſuum eſse vendi poteſt aut emi, non tamen maiore pretio ac ante conſecrationem, ideſt nulla in venditione rei habita ratione adnexæ conſecrationis a qua dividi poteſt. Porro citatus canon, quem aliter alii legunt ac explicant, id unum vetat ne res ſacra, puta Eccleſia conſecrata, quatenus talis vendatur. Et revera homines ipſi timorati res ſacras antecedenter ſpirituali connexas vendunt ſine ulla cenſura ſecundum earum materialem æſtimabilitatem, quam propter conſecrationem non amittunt.

Quoad morem vero quorumdam locorum, ubi iuvenes ſeu clerici in die commemorationis defunctorum curſitant Eccleſiam ac cœmeterium cum libellis, rogantes ut veſperas defunctorum, accepta pecunia, legant pro mortuis: damnat Silvius hic *art.* III. *quæſt.* III. hanc conſuetudinem. Nam licet credendum non ſit, quod clerici orationes vendere intendant, ideoque ſimoniacus non ſit eorum quæſtus; habet tamen mali ſpeciem: non ſolum quia tales iuvenes orationes perlegant ſine debita devotione, ſed eo magis, quia vix aliud quærunt quam pecuniam.

Damnatur quoque uſus quorumdam Sacerdotum, qui Miſsas emendicate a populo in Eccleſiis vel per vias non erubeſcunt cum tanto ſacri Ordinis dedecore, ut multo melius eſset pecuniam eis elargiri ne celebrent, ne hoc turpi quæſtu ſacrificium ipſum vileſcat.

Notanda circa Miſſæ ſacrificium. Et quia hic ſermo occurrit de Miſsæ ſacrificio, aliqua breviter notanda ſunt, ut in tam ſancto myſterio ſimoniæ labes, quæ tam facile in hoc quoque contrahi poteſt, evitetur. Et primum docet S. Thomas *Opuſc. de offic. Sacerdot.* non poſse Sacerdotem illa intentione celebrare, ideſt ut ex tali officio pecuniam conſequatur: quia peccaret mortaliter, licet realis ſimoniæ conſcius non eſset, ſed mentalis tantum. Secundo, facere pactionem de Miſsa celebranda, eſse ſimoniacum, ait idem ſanctus Doctor in *IV. diſt.* XXV. *quæſt.* III. *art.* 2. *ad* 4. Unde Concilium Toletanum *can.* VI. prohibet ne Presbyter pro Miſſis celebrandis pecuniam exigat vel rem aliam temporalem, licet gratis accipere poſſit, ſi aliquid ex caritate ei oblatum fuerit ſine pacto & conventione quacumque. Hinc ſequitur ulterius ſimoniæ reos eſſe qui ut victum habeant aut beneficium, cuius temporale præſertim attendunt, tonſuram vel Ordines accipiunt. Tournely. Verum quidem eſt, quod loco oblationum quæ ex apoſtolica inſtitutione a pluribus Conciliis confirmatæ prioribus ſæculis inter Miſſarum ſolemnia fieri ſolebant a fidelibus in pane & vino, & mutatæ poſtea fuerunt in aliqua pecunia tum pro utendis in ipſo ſacrificio, tum per clericorum ac pauperum ſuſtentatione, nunc ſingulis Miſſis aſſignatum eſt ſtipendium ſeu honorarium: ideoque pro Miſſæ celebratione non ſemper prorſus illicitum eſt & ſimoniacum, aliquid pro tali actione temporale accipere. Sed in hoc accipiendo caute & pie procedendum eſt, ne reatus ſimoniæ contrahatur. Primo igitur, non accipiatur ut ſtipendium, licet a doctoribus tali nomine appelletur, ideſt non tamquam pretium debitum, quod fere ſonare videtur nomen ſtipendii; ſed ut pia eleemoſyna titulo ſuſtentationis: alias ſimoniæ labes contraheretur. Secundo, ne plus illo exigatur quod ſecundum morem locorum ad cohibendam Sacerdotum avaritiam ab Epiſcopis taxatum eſt: & ſingulæ Miſſæ pro ſingulis eleemoſynis acceptis celebrentur, licet eleemoſynæ eſſent taxæ inferiores; cum nullus Sacerdos ſine Papæ vel Epiſcopi auctoritate poſſit illas reducere. Nec pars ſacrificii quæ ſpectat ad celebrantem, pro eleemoſyna alteri cedatur & applicetur. Quæ omnia cum ſpirent turpem quæſtum ac avaritiam, licet ut eleemoſyna pecunia acciperetur; qui alias faceret, immunis ſaltem non eſſet a letali culpa avaritiæ & ſacrilegii: eo vel maxime quod a ſummis Pontificibus, præcipue Urbano VIII. aliiſque, hoc vetitum ſit. Sed clarius res perpendetur, cum ſpeciatim agendum erit de ſancto Miſſæ ſacrificio. Van-Eſpen.

§. XXVIII.

De ſimonia in venditione ſepulturæ & cœmeterii, & de ſimonia quæ contrahi poteſt in accipienda pecunia pro ſepultura, funere, aliiſque eccleſiaſticis officiis & iuriſdictionis actibus.

Nomine ſepulturæ intelligitur vel ipſum officium ſepeliendi mortuos, vel ius ſepulturæ ſeu locus ſepulcri. Officium ſepeliendi

Num ſit ſimonia vendere ſepulturam.

di mortuos, ſi accipiatur pro religioſo ritu quo Chriſtiani humani ſolent, certum eſt, quod ſine ſimonia vendi nequeat. Si vero ſumatur pro opere civili & periculoſo quod exercetur, abſtrahendo an locus ſacer ſit, an profanus, ſicut fit ab aliquibus ſepeliendo naufragos vel mortuos in bello vel in peſte: tunc ſine ſimonia & culpa vendi poteſt, videlicet accipi poteſt compenſatio operis, tamquam pretium occupationis & laboris in tali opere præſtiti. Ius vero ſepulturæ, quod generatim habent Chriſtiani ut in terra ſancta ſepeliantur, quo (niſi aliquod canonicum impedimentum obſtet) privari nequeunt: hoc ſine ſimonia & iniuſtitia vendi non poteſt. Si vero ſepultura ſumatur pro loco ſepulcri: certum eſt, primo poſſe emi locum communem, in quo emptor poſſit ſepeliri; ſicuti vendi poteſt fundus, in quo ædificetur Eccleſia. Secundo pariter certum eſt, ſtando iuri naturali, vendi poſſe ſine ſimonia partem Eccleſiæ vel cœmeterii pro ſepultura: quia non cenſeretur vendi niſi materiale templi. Hæc tamen venditio vetita eſt legibus tum eccleſiaſticis, tum civilibus. *Cap.* XLI. *de ſimon.* & *l.* II. & IX. *cod. de relig. dom.* Nihilominus docet Cabaſſutius *lib. V. cap.* VI. cum aliis pluribus, quod ſi quis ſibi ac heredibus ſuis locum ſepulturæ ita proprium acquirere velit, ut non ſit amplius liberum ibi alia fidelium corpora humare; tunc ceſſat ratio prohibitionis legis. Idcirco qui Eccleſiæ curam habent, pro hac obligatione qua ſe obſtringunt ad non ſepeliendos alios in eodem loco, ut pretio æſtimabili, aliquid accipere poſſunt: eo vel maxime quod ius quod habent fideles ut in ſacro loco ſepeliantur, non involvit perpetuam ſubiectionem ac ſervitutem quoad talem locum, ut alius ibi amplius ſepeliri, ac de tali loco amplius diſponi nequeat. Hinc ob ſervitutem ac iuris privationem ubique uſus receptus eſt, ut aliquid accipiatur. Sic Tournely, P. Antoine, Cabaſſutius.

An pro funeribus aliquid accipere.

Sed ſi pro ſepultura intelligantur ea quæ peragi ſolent in funere pro defunctis fidelibus ſepeliendis, & loquamur de officiis quæ tali occaſione præſtanda ſunt a clericis tamquam officia quæ propria ſunt clericis in celebrandis exequiis eccleſiaſtico officio, puta proceſſione, pſalmodia, aliiſque ſuffragiis ac ritibus quæ Eccleſia in his peragere ſolet per clericos: certum eſt, nihil exigi poſſe tamquam pretium operis ſine ſimonia. Nam ſunt hæc ſpiritualia officia quæ per clericos ſervitio Eccleſiæ addictos fieri ſolent. Cum tamen laudabile ſit ut in funeribus aliquid ex pietate & caritate pro miniſtrorum ſuſtentatione tribuatur; idcirco non eſt illicitum ut tali titulo detur aut recipiatur. Si vero loquamur de his quæ fieri poſſunt a laico non tamquam clerici officia, ſepulcrum v. g. effodere, corpus defuncti ferre, ipſumque humare, pulſare campanas, & ſimilia peragere: cum hæc opera ſint mere materialia; ſine ulla ſimonia pro his recipi poteſt aliquid tamquam pretium, & antea etiam de ipſo paciſci. Sic Reginaldus. Item ſi clerici ſoleant habere pannum, lectum, aliaque huiuſce generis materialia quæ in funeribus adhibentur, & ante portationem pactum faciant de aliquo pretio ſolvendo pro his, quia temporalia ſunt: licitum eſt ſecundum Hoſtienſem. Secus vero, ſi ſepelire nolint, niſi prius eis fiat de pretio ſolvendo pro his cautio. Unde prius corpus ſepeliant, & poſtea agant contra heredes. Silvius. Circa vero aliquas circumſtantias funeris vel ſepulturæ, puta honoratiorem locum pro ſepultura, crucem maiorem ferre ad funus: cum hæc non reſpiciant ſanctitatem, ſed præciſe locum; cum nobilibus viris concedantur loca non ſanctiora, ſed honoratiora, & crux maior & pretioſior deferatur ad puram pompam & honorandum illud cadaver, non ut Chriſtiani, ſed ut diſtinctæ perſonæ in civili conditione: pro his aliquid licite exigi poteſt. Itidem Canonici & clerici aliquid licite accipiunt pro funere comitando: quia hoc vel ſpectat ad pompam funebrem, vel ad illorum ſuſtentationem. Aliqui vero circa locum honoratiorem & crucis maioris delationem ſuſtinent, aliquid ſupra conſuetum recipi non poſſe ſine ſimonia. Ita S. Antoninus, Suarez, Silveſter. Quidquid tamen ſit, certe melius ſuo decori conſulent Clerici, & ſecuriores erunt in conſcientia, ſi talem cupiditatem pecuniæ emendent, quæ ſaltem redolet avaritiam, cum magno dedecore eccleſiaſticæ dignitatis, & non ſine gravi ſæcularium ſcandalo.

Quid de aliis eccleſiaſticis officiis.

Cum autem omnia alia officia quæ iuxta Eccleſiæ ritus peragere ſolent clerici, ex vi ſui ſtatus, ideſt ex officio ſacrorum Ordinum quibus ad hoc ſunt initiati, ac ex poteſtate quam ab Ordinibus ipſi receperunt, ſacra ſint & ſpiritualia, ſive ſint in actione ſacramentalium, ſive ſacramentorum; ſive in ipſis adminiſtrandis, ſive in aliis exercendis functionibus, ad divinum cultum ſpectant, & ad caritatem ac pietatem erga proximum ordinantur. Hinc neutiquam licet aliquid tamquam pretium pro iiſdem recipere, aut de ipſo pretio paciſci: ideſt pro Miſſa

Digitized by Google

Miſſa celebranda, ut iam dictum eſt, vel canenda; pro Epiſtola vel Evangelio ſolemniter canendo, vel pro aliquo alio Ordinum officio tum maiorum, tum minorum; pro defunctorum exequiis; pro conſecratione Abbatum, Abbatiſſarum, Virginum, templorum; pro benedictionibus nubentium, mulieris poſt partum, panis, vini, & ſimilium. Idcirco ſi aliquid pro his exigatur, vel in pactum deducatur tamquam debitum, ideſt non ſolo titulo ſuſtentationis; ſimonia committitur.

Quærit hic Silveſter §. v. *num.* II. num ſi aliquod Capitulum (idem dic de omni alia Eccleſia) ſtatuere poſſit ut proceſſiones (& hoc intelligi poteſt de aliis ſimilibus functionibus, ut pro canenda Miſſa) fiant pro tanta pecunia, licitum ſit? & reſolvit, quod ſi ſtatutum fiat per verba affirmativa, puta Qui reliquerit vel dederit tantum, habebit proceſſiones, alias ad hoc non teneantur; non eſſe ſimoniam: intellige ſemper, dummodo accipere non intendant tamquam pretium functionis. Si vero ſtatutum ſit per verba negativa v. g. Ut nulli fiat proceſſio, niſi reliquerit vel dederit tantum; eſt ſimonia: quia tollit officium divini cultus & pietatis.

Simoniæ ſaltem mentalis labem incurret (ut multi ſentiunt, præcipue Canoniſtæ) qui aliquid ſpirituale daret vel perageret principaliter tamquam medium ad obtinendum aliquod temporale, licet taxatum vel ſponte oblatum: ut ſi quis recitaret officium, Miſſam caneret vel celebraret, beneficiumque reciperet principaliter propter lucrum & honorem. Tunc enim temporale, moraliter loquendo, quæritur & accipitur æquivalenter ut pretium rei ſpiritualis, & loco ſpiritualis exoptatur. Sic D. Thomas *Quodlib.* VIII. *quæſt.* VI. *art.* I. Si autem habeat finem principalem Deum in tali actu; tunc retributiones recipit ſecundario, utpote neceſſarias ſuæ ſuſtentationi: ac proinde in tali actu non vendit ſpirituale; & ita nec ſimoniam, nec culpam committit. Porro diſtributiones quotidianæ inſtitutæ fuere ut clericorum negligentia in horis ſolemniter perſolvendis, earum privatione multaretur, ac timore pœnæ emendaretur: ideoque ſe habent ut removens impedimentum, non ut motivum officii perſolvendi.

Neque a ſimonia immunis eſſet, qui daret & acciperet pretium pro omiſſione ſpiritualis actus; quando tamen omiſſio cenſeatur moraliter procedere a ſpirituali poteſtate, ac habeat moralem effectum: ut ſi omittas abſolvere a cenſura vel a peccatis poſt auditam confeſſionem, vel ſi paciſcaris ut non eligas talem. Nam retinere aliquem ligatum, vel illum reiicere, eſt uſus ſpiritualis poteſtatis, cum in tali omiſſione aliquo modo ſpiritualis poteſtas exerceatur: unde eſt invendibilis; quia nullo pretio comparari poteſt & æſtimari. Si vero in æſtimatione prudenti omiſſio actus ſpiritualis cenſeatur non eſſe exercitium ſpiritualis poteſtatis, neque intuitu rei ſpiritualis æſtimetur: ſecundum multos non eſſet ſimonia, ſed turpe lucrum aut iniuſtitia, ſi actus erat iure debitus. Tunc enim talis omiſſio non eſt exercitium iuriſdictionis, ſed ſolummodo voluntarius non uſus illius, ſeu potius voluntarius & naturalis uſus libertatis. Hæc tamen eſt turpitudo proxima ſimoniæ.

In officiis vero quæ ſunt principaliter naturales, puta iudicis, ſacriſtæ, magiſtri etiam in Theologia, & aliorum huiuſmodi, citra ſimoniam licet accipere ſtipendium tamquam pretium pro occupatione ac labore in his exercendis, cum non ſint functiones ſupernaturales. Caietanus, Silveſter, & alii.

Quid de actibus iuriſdictionis.

Verum ſicuti ſimoniacum eſt omne quod ut pretium exigitur ab eccleſiaſticis pro iis quæ exercent ut officium poteſtatis quam ipſis conferunt Ordines; ita ſi hoc fiat pro aliquo uſu poteſtatis iuriſdictionis qua ex eodem ſacro Ordine ipſi potiuntur, ſive ordinariæ, ſive delegatæ, & illius præcipua quæ exercetur in rebus ſacris miniſtrandis & rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione, prout habent dirigere animas ad æternam ſalutem. Idcirco ſimoniæ reus erit Prælatus, ſi per ſe ipſum ſpiritualem iuriſdictionem exercendo circa ſpiritualem materiam, pro tali actu aliquid ut pretium percipiat vel exigat: ut pro relaxatione iuramenti aut voti, pro diſpenſationibus legum eccleſiaſticarum ſuper impedimentis matrimonii aut ſacrorum Ordinum, pro conceſſionibus privilegiorum, gratiarum, favorum, pro licentiis rerum ſpiritualium. Cum enim hæc omnia ſint diſpenſationes, vel realiter eas contineant, vel ſint eiuſdem rationis; proinde ſunt actus ſpiritualis iuriſdictionis. Item vendi non poſſunt officia iuriſdictionem ipſorum requirentia, ut Caietanus & Silveſter iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXV. *cap.* XI. *de reform.* Et quod dicitur de ſimonia in exercitio ordinario iuriſdictionis, idem prorſus dicendum eſt de actu quo ordinaria iuriſdictio delegatur, tam reſpectu delegantis, quam delegati. Quare in conferenda ordinaria iu-

iuriſdictione ſpirituali committitur ſimonia & a collatore, & ab illo cui confertur, ſi pro tali actu det unus, alter recipiat pecuniam ſeu æquivalens, vel de dando paciſcantur. Hinc tali modo conſtitui nequit Vicarius ſive Epiſcopi, ſive Cathedralis aut alterius Eccleſiæ, citra ſimoniam: quia omne huiuſcemodi ius eſt ſpirituale, ipſumque communicare alicui, eſt ſpiritualis iuriſdictionis communicatio. Verum tametſi illicitum ſit, pro aliquo eccleſiaſtico officio vel gratia dare & accipere aliquid temporale ante collationem; poteſt tamen citra ſimoniam dari & accipi a collatore poſt gratiam & officium obtentum; dummodo nullum prorſus tacitum aut expreſſum præceſſerit pactum, nec detur aut accipiatur tamquam pretium debitum pro gratiæ vel officii collatione: cum tali modo dari videatur ratione tantum gratitudinis, amicitiæ, ac liberalitatis.

Quare infertur ex ſupradictis, vendi non poſſe ius eligendi ad eccleſiaſticas dignitates, & iuſpatronatus quod affert poteſtatem præſentandi ad beneficia. Immo ne in feudum quidem hoc dare licet, tametſi tranſeat acceſſorie cum villa, ſi hæc vendatur vel detur in feudum. Simoniacum autem eſſet, ſi principaliter, non acceſſorie cum villa venderetur iuſpatronatus. Nam ſi dicatur, Vendo tibi villam & iuſpatronatus; tunc venditur principaliter cum villa ſimoniace etiam iuſpatronatus: quia hoc eſt ſpirituale; cum det poteſtatem ad actum ſpiritualem, nempe ad præſentationem, quæ præſentato dat ius ad habendum beneficium. *Cap.* XVIII. *de iurepatron.* Navarrus, Suarez, aliique. Si autem dicatur, Vendo tibi villam cum iurepatronatus; tunc acceſſorio venditur & ſine ſimonia. Item ſimoniacus eſſet Patronus ſeu præſentator, ſi pro præſentatione pretium interveniat.

Similiter ius percipiendi decimas, cum conſequatur ſpirituale officium, quia debetur miniſtris Eccleſiæ; vendi laicis non poteſt ſine ſimonia, utpote qui huiuſcemodi iuris ſint incapaces: licet ad tempus fructus decimarum eis vendi poſſint. Eccleſia tamen, Epiſcopi auctoritate interveniente, redimere poteſt a laicis tale ius, quando laicis venderetur. Eccleſia una vendere minime poteſt tale ius alteri Eccleſiæ ſine ſimonia; nec iſta emere: ſicuti etiam nec oblationes obventioneſque, nec ius illas percipiendi, Cum enim officio ſpirituali ſint adnexæ; fieri non poteſt ut ſine ſimonia vendantur: dummodo Sanctæ Sedis non interveniret diſpenſatio. Venduntur quidem in Curia Romana officia quædam quæ adnexam habent iuriſdictionem (iuxta Panormitanum citatum ab Angel.) vel adminiſtrationem eccleſiaſticam: nec ſimonia cenſetur a Papa committi. Nam vendit vel potius locat fructus ſeu proventus qui ex iiſdem officiis proveniunt, quod eſt temporale. Sic non eſt ſimoniacus alius Prælatus vel Curatus, cum locat alteri Sacerdoti fructus ſuæ Eccleſiæ; ſimulque gratis & ſine ullo pacto curam animarum ipſi committit: quia nec datur, nec accipitur aliquid pro ſpirituali.

§. XXIX.

De ſimonia pro ingreſſu in Religionem.

Cum praxis invaluerit in Religionibus quæ uſum habent pecuniæ, ut earum Monaſteria, tam mulierum, quam virorum, in excipiendis poſtulantibus aliquid pro ingreſſu exigant ſub titulo neceſſariæ ſuſtentationis pro perſona quam in eorum ſocietatem receperunt; vel ſaltem ad ſublevanda Monaſterii gravamina, puta debitorum; vel titulo caritatis pro earum Eccleſia: hinc quærunt Theologi & Canoniſtæ, num ſine ſuſpicione ſimoniæ pro huiuſcemodi titulis aliquid dari poſſit & accipi. In tali ſtatu exponitur quæſtio, ideſt pro alimentis & oneribus, aut pro Eccleſiæ ſupellectili: nam quæcumque pactio pecuniaria quæ fiat ſimpliciter pro ingreſſu in Monaſterium, ſcilicet in religioſam ſocietatem (cum Religio ſit res ſacra in pauperibus Monaſteriis æque ac in divitibus) nemo ambigere poteſt, quod non eſſet ſimoniaca; ut declaratum fuit in *Extra.* Urbani V. *tit. de ſimon.* in Concilio Nicæno II. *act.* VIII. *can.* XVIII. in Lateranenſi ſub Alexandro III. *can.* X. & in alio poſteriore Lateranenſi ſub Innocentio III. *can.* LXIV. & habetur in *cap.* Quoniam ſimoniacum *de ſimon.* necnon alibi in eodem iure canonico. Quæſtionis ſtatus aperitur.

Circa titulum alimentorum aliarumque expenſarum, ſive ordinarie, ſive extraordinarie occurrentium in Monaſteriis, demonſtrare contendunt Bonacina, Leſſius, & Azorius, etiam Monaſteria opulenta poſſe paciſci & accipere pecuniam ſine ſimonia ab ingredientibus in Religionem: hac ducti ratione, quod alimenta aliaque onera Monaſteriorum pecuniarias expenſas exigentia res ſint mere temporales, nec ideo ſint materia ſimoniæ divino iure vetitæ.

Sed communior ſententia, probabilior, ac verior, utpote quæ magis conſona ſa- Verior ſententia proponitur.

cris

cris canonibus, ſtatuit ac ſuſtinet, quod quando bona Monaſterii ſufficiant, ſcilicet ex ritulis ſupradictis, temporale exigi non poſſit, nec dari & accipi ab iis qui in Religionem ingrediuntur. Quia cum Monaſteria dotata ſint a fundatoribus, & Eccleſiæ auctoritate ſint inſtituta ut homines ibi liberius Deo inſervirent, ac inceſſanter pro benefactoribus orarent; ius vivendi ex bonis Religionis, ex Eccleſiæ inſtitutione & fundatorum intentione eſt adnexum profeſſioni, ac ei competit qui in Religione profeſſus ſit, non ſecus ac ius percipiendi reditus adnexum eſt admiſſioni ad Canonicatum: ita ut ius illud conſequi nequeat, niſi per admiſſionem ad religioſam ſocietatem, & ſolemnem in ea profeſſionem fiat membrum ipſius religioſæ communitatis, quæ eſt quid ſpirituale. Unde ſicuti ſine ſimonia contra ius divinum in collatione vel reſignatione beneficii vendi vel emi non poteſt ius percipiendi temporales reditus, propter eius connexionem cum ſpirituali titulo; ita nihil exigi poteſt pro iure vivendi ex bonis Monaſterii, quin exigatur pro ipſa profeſſione, qua mediante tale ius obtinetur, quod eſt ſpirituale, vel ſaltem ſpirituali adnexum, ut unum ſine altero vendi nequeat. Quare in *cit. can.* Urbani V. Innocentii III. & Concilii Lateranenſis, exactiones pro allatis titulis prohibitæ fuere, utpote iuri divino contrariæ.

Patet igitur, nullius eſſe ponderis rationem contrariæ ſententiæ, deductam ex natura alimentorum, quæ iudicat hæc mere temporalia. Nam licet hoc verum ſit, ſi in ſe præciſe ſpectentur; non tamen ſi ſecundum eorum finem & titulum iuris ad ea obtinenda conſiderentur, ut natura & ſtatus quæſtionis requirit. Quia cum alimenta quæ in religioſis domibus perſonis religioſis præſtantur, ſint fructus provenientes a bonis quæ ex pia fidelium benefactorum intentione & Eccleſiæ auctoritate inſtituta fuere & aſſignata Monaſteriis, ut inſervirent ad eorum ſuſtentationem qui in iiſdem Monaſteriis vitam religioſam profiterentur: ideo non poſſunt diſtribui niſi in religioſis perſonis ſuſtentandis, & ſolummodo religioſæ perſonæ ius habere poſſunt ut ex huiuſcemodi bonis ſuam ſuſtentationem percipiant. Unde evidenter conſtat, ratione finis, inſtitutionis, & iuris reditus Monaſterii ita adnexos eſſe religioſæ profeſſioni, ut realiter ſine ipſa conſiderari non poſſint. Idcirco vendi non poteſt alicui tale ius, niſi ſimul cum eodem ipſe ſtatus religioſus ac religioſa profeſſio vendatur: utpote rebus iſtis ſpiritualibus conſequenter adnexum: *Venditores* (ait D. Angelicus 2. 2. quæſt. c. art. 4. in corp.) *intelligunt etiam ſpiritualia venditioni ſubiici. Quia Quiſquis horum alterum vendit ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Ita teſtatur etiam Paſchalis II. *can.* VII. *c.* I. *q.* III. Idcirco maniſeſtiſſime patet, quod opulenta Monaſteria aliquid exigere nequeant hoc aliove ſimili titulo ab eo qui ad religioſam ſocietatem & profeſſionem admitti expoſcat. Ita etiam Cabaſſutius *lib. V. cap.* V. *num.* 14.

Nec valet dicere. Qui ingreſſuri in Monaſterium pecunias tribuunt, non propoſitum religionis, ſed participationem ſtipendiorum emunt: & temporalia ementes ac vendentes non ſunt ſimoniaci. Ita ſibi obiecit ipſe Gratianus *c.* I. *q.* III. & hiſce contra reſpondet: *Non ſolum qui ſpiritualia, ſed etiam qui temporalia eis adnexa pretio accipiunt vel tribuunt, ſimoniaci ſunt iudicandi*. Gratiani ſunt ipſiſſima verba. Verum quidem eſt, ſicuti obiici poſſet, proventus Monaſteriorum aut Capitulorum eſſe temporales & a ſpiritualibus ſeparabiles, ideoque vendi poſſe ſine ſpiritualibus, uti quotidie fit, abſque ullo vitio. At hic non agitur ſimpliciter de ipſis fructibus & proventibus, ſed de iure vivendi ex proventibus ſeu fructibus Monaſterii vel Capituli, tamquam Monaſterii membris vel Capituli: quod ius acquiri non poteſt niſi ex quo quis fiat membrum Monaſterii vel Capituli. Idcirco ius participandi de rebus Monaſterii (intellige de Monaſterio ſufficienti) & eſſe membrum illius Monaſterii, taliter ſunt ſibi coniuncta non ſecus ac anima corpori hominis viventis, ut unum ſine altero haberi nequeat: ac per conſequens (dicam denuo cum D. Thoma) uno eorum vendito, & alterum venditum cenſetur. Et ita docet B. Petrus Damiani *lib. I. Epiſt.* XIII. S. Dionyſius Carthuſianus *lib. I. de ſim. art.* XI. Van-Eſpen *Part. IV.* cap. XXXI. §. IV. Quare ſi vendi nequit temporale Monaſterii ſpirituali adnexum, abſque eo quod vendatur etiam ſpirituale, aliquid ab ingreſſuro accipiendo, quando Monaſterium ſit ſufficiens ad ipſum alendum, ſimoniacum eſt etiam ante quamcumque Eccleſiæ prohibitionem ex ipſo naturali iure & divino, contra quod mortaliter delinquitur ſpiritualia ſeu ſacra vendendo. Diluuntur obiecta.

Nec ullatenus ſuffragatur ad contrarium probandum paritas de dotalibus pactis in ſacramento matrimonii contrahendo, quæ in-

eum-

euntur etiam a perſonis divitibus. Etenim pacta illa nullo modo ſpectant ad matrimonium ut ſacramentum; ſed præciſe ut eſt civilis contractus & ut naturæ officium, quod nationibus omnibus etiam infidelibus eſt generaliter commune: ita ut, etiam antequam matrimonia fidelium elevarentur per Chriſtum Dominum ad ſacramenti excellentiam, huiuſcemodi dotales ac nuptiales conventiones erant in communi uſu matrimoniorum. Elevatio igitur matrimonii ad ſtatum ſacramenti, uti poſterior, eſt acceſſorium matrimonio ut eſt civilis contractus; non ſecus ac conſecratio eſt poſterior, acceſſoria, & omnino accidentaria calici: ac proinde ſicut hæc non obſtat quominus ſine culpa calix vendi poſſit; ita etiam illa non impedit quominus adhuc in matrimonio contrahendo iniri poſſint pacta dotalia. Cabaſſutius *lib. V. cap. v. num. 5.*

Aliquando poteſt aliquid exigi.

Aliquando tamen licite non ſolum accipi, ſed etiam exigi poteſt aliquid pro ingreſſu in Religionem, & in profeſſione: ideſt ratione ſuſtentationis. Primo, ſi revera Monaſterium indigeat: ſecundo, ſi adſit legitima intentio: tertio, ſi non plus exigatur quam neceſſarium ſit congruæ Religioſi ſuſtentationi. Nec hi qui ita ſentiunt, ita facile allucinari poſſunt; cum ductum ſequantur duorum præcipuorum Eccleſiæ luminum, tum doctrinæ, tum regularis obſervantiæ cuius officia eos certe latere non poterant: SS. ſcilicet Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ, qui concorditer hoc docuere. Duobus præſertim in locis Doctor Angelicus hanc ſuam expoſuit ſententiam. Nam in *IV Sent. diſt.* xxv. *quæſt.* III. *art.* 3. *ad* 4. & in Summa Theologica 2. 2. *quæſt.* c. *art.* 3. totus eſt in hac diſtinctione dati & accepti pro pretio rei ſpiritualis, quæ eſt Religio, & dati & accepti pro alimoniis, quod eſt temporale: & dum ſibi obiicit de Monaſteriis in quibus aliquid a perſonis quas recipiunt, exigitur, ita ſibi reſpondet. *Dicendum, quod pro ingreſſu Monaſterii non licet aliquid exigere vel accipere quaſi pretium. Licet tamen, ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas alendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc Monaſterii opes non ſufficiant.* Quæ poſteriora verba (*Si ad hoc non ſufficiant Monaſterii opes*) attendenda ſunt: quia hæc diluunt futile illorum commentum qui verba ſancti Doctoris reſtringere prætendunt ad ſponte oblata; cum nemo contendat, hæc licite dari non poſſe & recipi, tametſi ſine his Monaſterii opes ſufficerent. Non enim in ſponte oblatis, ſed in pactis pecuniariis ſimonia conſtituitur. Cabaſſutius *lib. V. cap.* v. *num.* 6. Similia habet S. Bonaventura in libro apologetico contra adverſarios Ordinis Seraphici ex *Tom. I. Opuſcul. quæſt.* XVIII. quæ citantur ab eodem Cabaſſutio *num.* 7. & brevitatis gratia omittenda cenſeo, cum omnino conſona ſint his quæ habentur ex D. Thoma. Immo idem docent S. Raymundus, S. Antoninus, & alii apud Natalem Alexandrum. Et ratio eſt, quia tunc non datur temporale, ſeu dos ſive penſio pro ſpirituali, ſed pro temporali tantum: ſcilicet pro ſuſtentatione novi poſtulantis, ad quem ſuſtentandum communitas egena non tenetur, nec ille acquirere poteſt ius aliquod ſuper reditus Monaſterii qui ſunt adnexi religioſæ admiſſioni & profeſſioni; cum integre ſint applicati ad ſuſtentandum numerum Religioſorum iuxta opes Monaſterii ſtatutum, ſine eorumdem præiudicio. Unde ſi pro alio ſupra numerum recipiendo exigatur pecunia vel penſio pro illius ſuſtentatione, ad quam bona ſeu reditus Monaſterii non ſufficiunt; nulla occurrere poteſt ſimonia.

Dixi I. *ſi Monaſterium ſit vere indigens*, relative ad eum qui admitti vellet: quia alias ſi pecunia pro ingreſſu reciperetur, eſſet profecto ſimoniacum. Nam cum talis pecunia cenſeri non poſſet accepta pro ſuſtentatione, dum opes Monaſterii pro eo non deficiunt, ſed ſufficiunt etiam ad illius ſuſtentationem: reciperetur pro admiſſione ad Religionem, & eſſet aperte ſimonia; vel pro ficto titulo ſuſtentationis, & eſſet ſimonia palliata. Etenim cum bona omnia Monaſterii, undequaque ipſi adveniant, ordinata ſint ad Religioſorum ſuſtentationem; quicumque intra numerum ad quem ſuſtentandum hæc bona ſufficiunt, ius habet ut de omnibus ſibi neceſſariis a Monaſterio provideatur. Unde ſi Monaſterium pro tali proviſione quæ, ut iam dixi, religioſæ profeſſioni atque adeo ſpirituali adnexa eſt, aliquid exigeret; venderet ſpirituale, ideoque cum ſimonia. Non ſecus vendere beneficium & ſimoniam incurrere cenſeretur ille qui ius venderet ad fructus beneficii ſuſcipiendos: & peccaret non ſolum contra ius eccleſiaſticum, ſed etiam contra naturale & divinum. Ex his ergo per ſe inferat unuſquiſque, quid ſentiendum ſit de illis communitatibus quæ quanto ditiores ſunt, eo plus etiam exigunt a poſtulantibus.

Dixi II. *dummodo adſit legitima intentio*

tum ex parte dantis, tum ex parte exigentis pecuniam: videlicet quod locus ſit vere inops, ut ſi talis non eſſet, nihil prorſus exigeret; & quod perſona recepta cum pecunia recipiatur pro Deo ſolummodo, non pro pecunia. Duas enim conditiones aſſignat S. Bonaventura ad hoc ut in recipienda pecunia, dum aliquis admittitur ad Religionem, non contrahatur ſimonia: ſcilicet ut Monaſterium vere inops ſit ac inſufficiens ad victum poſtulanti ſuppeditandum; & ut perſona tantum pro Deo recipiatur, & non propter pecuniam. Et ſi una ex his duabus deficiat, ſecundum ſanctum Doctorem, admiſſio ſine dubio erit ſimoniaca. Ceteroquin Monaſterium etiam dives poteſt licite accipere quod ſponte & gratis offertur a poſtulantibus; dummodo vere ſponte & pure offeratur, non autem ut ſuperiores faciliores alacrioreſque fiant ad recipiendum: quod valde cavendum eſt, ut notat Pontas v. *Simonia caſ.* lxiv. Immo mihi videtur nullatenus ſimoniæ damnandus ſuperior Monaſterii nec pauperis, nec divitis, ſi proponeret poſtulanti, præcipue quando ſine ſuo incommodo ſupplere poſſet, ſi ſponte vellet offerre Eccleſiæ Monaſterii aliquid titulo caritatis, ut Eccleſia provideatur aliqua ſupellectili ad divini officii decorem aliquantulum neceſſaria: dummodo cum omni cautela hoc fieret, ut ne ſuſpicio quidem oriri poſſet, quod eſſet conditio ut recipiatur, vel ſaltem medium ut facilius recipiatur; cum revera etiam ſine tali oblatione iam reciperatur. Dixi, cum omni cautela. Primo nimirum, ut revera talis ſit Eccleſiæ indigentia, & vires Monaſterii non ſatis ſint ad eam ſupplendam ſine eius gravi incommodo. Secundo, ut revera non ficte pro tali indigentia talis caritas poſtulanti proponatur. Tertio, quod ſi poſtulans valeat & velit caritatem hanc offerre, in hunc uſum expendatur, nec alias inter computos Monaſterii reponatur. Etenim non raro evenit ut a poſtulantibus, ficto Sacriſtiæ titulo, aliquid exigatur etiam a non indigentibus, & cum reditibus Sacriſtiæ tranſeat inter computos Monaſterii ſimul talis oblatio, ut mixta cum Monaſterii reditibus in Monaſterii expenſis conſumatur. In quo caſu nemo ambigere poteſt, quod exactio non ſolum ſit palliata ſimonia; immo ita manifeſta, ut ipſi cæcutientes, ſi aliquantulum attendere velint, hoc negare non valeant.

Dixi III. *ſi non plus exigatur quam neceſſarium ſit congruæ Religioſi ſuſtentationi*: cum ſupra hanc ſi quid exigatur, hoc erit ſtatim titulo Religionis, ideſt ut in Religionem admittatur; quod eſt ſimoniacum. Ita doctores communiter. Unde videat unuſquiſque cum Navarro, quid ſentiendum & dicendum ſit de exactionibus quæ fieri ſolent ab his qui ad Religionem admittuntur; puta prandiorum, conviviorum, munerum quæ ſuperioribus aliiſque ex Capitulo offeruntur: quæ certe ſi fiant ex pacto tacito vel expreſſo, ideſt niſi ſponte, libere, & gratuito dentur a poſtulante, & ſolummodo poſt ipſius admiſſionem ad habitum vel profeſſionem, nullatenus excuſari poſſunt a ſimonia; cum ne a laxioribus quidem Theologis excuſentur, ſed communiter huiuſcemodi exactiones ut ſimoniacæ reprobentur. Nam ſicut hi qui contendunt aliquid licite accipi poſſe, etiam in Monaſteriis opulentis, ab iis qui ad Religionem admittuntur, non alio titulo accipi poſſe ſuſtinent niſi titulo ſuſtentationis, vel ad ſublevandum tali pecunia ex aliquo onere Monaſterium, puta debitis quibus gravaretur: ita ipſi quoque ultro concedunt, omnes alias exactiones quæ hiſce titulis careant, ſimoniacas eſſe. Et non immerito, ne videantur a ſacris canonibus Conciliorum ac ſummorum Pontificum prorſus recedere. Sic Van-Eſpen, Cabaſſutius, Tournely. *Quid de exactionibus prandiorum & munerum.*

Et revera duo Concilia Lateranenſia, Urbanus V. in extravaganti, necnon Concilium Tridentinum vetant & damnant ut ſimoniacas omnes exactiones quocumque titulo, etiam pro ſuſtentatione, quando ſaltem bona Monaſterii ſufficiant: & explicite canon Urbani in dicta extravaganti ſuperfluas dicit exactiones conviviorum, prandiorum, munerum, ac prorſus contrarias religioſæ frugalitati, paupertati, ac temperantiæ. Idcirco, ut apertiſſime patet, ſine culpa ſimoniæ hæc certe exigi non poſſunt. Quidquid autem ſit de illorum ſententia circa extravagantem Urbani V. nempe quod ſit obſoleta, vel quod non ſit acceptata; certum eſt, quod ſucceſſores Pontifices Innocentius VIII. Martinus V. Clemens VII. qui eam temperarunt, ab eadem ſolummodo ſuſtulerunt excommunicationem, quæ eſt pœna iuris eccleſiaſtici pro violatione iuris divini; non tamen aliquid declararunt pro indemnitate culpæ, quæ eſt iuris naturalis & divini, quod immutari nequit, nec diſpenſari. Immo Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxv. *cap.* III. ut exactiones omnes removeret in recipiendo aliquem ad Religionem, iubet ut is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum con- *Sunt ſimoniacæ.*

ſer-

ſervetur qui de reditibus Monaſterii vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari: & ad hoc ut paupertati Monaſteriorum provideat, alia remedia ſuggerit, non tamen exactiones a poſtulantibus; quinimo ſtatuendo ne plures recipiantur quam ex reditibus Monaſterii vel ex conſuetis eleemoſynis ali poſſint, prorſus exterminare voluit exactiones, etiam titulo ſuſtentationis. Etenim ſi hæc permitteſe voluiſſet, non erat neceſſe ut numerum præſcriberet Religioſorum ad normam redituum & eleemoſynarum: quia pro ſupranumerariis proviſum fuiſſet eorum ſuſtentationi per contributiones vel penſiones, quas exigere potuiſſent a ſupranumerariis poſtulantibus. Et ad mentem Concilii ita poſtea inceſſanter pro obſervantia decreti ipſius Concilii adlaborarunt ſummi Pontifices Pius V. in Conſtitutione quæ incipit *Cura paſtoralis*, Innocentius X. in Conſtitutione XXIII. in Bullario Romano, Clemens VIII. in Conſtitutione quæ incipit *Nullus omnino*: ac ita pariter nonnulla Concilia provincialia poſt Tridentinum celebrata, obſervantiam curarunt eiuſdem decreti Tridentini Concilii circa huiuſcemodi exactiones, ut Cameracenſe *tit. de Monaſter. cap.* XII. Rhemenſe a Gregorio XIII. confirmatum, Aquilejenſe anno MDXCVI. Pontificis auctoritate habitum & confirmatum *tit.* XIX. Proinde Concilia & Pontifices toti & unanimes fuerunt ad huiuſmodi exactiones omnino tollendas, quocumque titulo etiam ſuſtentationis exigerentur; ac remedia præſcripſerunt ad hoc ut neceſſitas omnis talium exactionum removeretur: idelt ſtatuendo ne ultra numerum qui ſuſtentari poſſit ex reditibus Monaſterii vel ex conſuetis eleemoſynis,ad Religionem admitterentur. Et ſi Concilii Tridentini & provincialium Conciliorum Patres credidiſſent, quod ultra præfixum numerum cum contributionibus, dote, vel penſionibus recipi potuiſſent: ad quid ita diſtricte prohibuiſſent ne ſupranumerarii reciperentur, niſi ne premat egeſtas, & rei neceſſariæ inopia pereant omnia? Quod autem ſtatuerunt Patres & Concilia de religioſis domibus mulierum, hoc ſine dubio intelligendum eſt de Monaſteriis etiam virorum. Sed ſi aliquis ſupranumerarius enixe poſtularet recipi in Religione, valens & volens tribuere Monaſterio quod revera opus eſſet pro ſua ſuſtentatione, donec ita inſufficientia Monaſterii exigeret: cenſeo cum SS. Thoma ea Bonaventura, non illicitum fore, & idno non contrarium decretis ſummorum Pontificum & Conciliorum, eumdem cum tali conditione recipere. Verum, ut ad propoſitum redeamus, ſi tanto rigore prohibentur ut ſimoniacæ exactiones quocumque titulo ab ingredientibus in Religionem, & tam caute proviſum fuit ne Monaſteria inopia compellantur ut aliquid exigant titulo ceteroquin licito ſuſtentationis: ex ſe quiſque facile inferre poteſt, num excuſari poſſint a ſimonia exactiones quæ fiunt pro conviviis, prandiis, iocalibus, aut muneribus, contra quas acerrime ſentiunt cum fere omnibus Theologis & Canoniſtis Navarrus, Cabaſſutius, Van-Eſpen, Tournely, aliique inſignis notæ doctores.

Ad dignoſcendum vero, quando Monaſterium cenſendum ſit inſufficiens, ut pro ingreſſu in religionem aliquid licite exigere queat, non ita præciſe ſtatui poteſt. Aliqui enim putant, ad hoc ut revera Monaſterium dici poſſit inſufficiens, requiri ut ſit intra arctam neceſſitatem: ſed imprudenter. Etenim non ita rigoroſe rem agit Tridentina Synodus, quæ *ſeſſ.* XXV. *cap.* III. *de Regular.* ait, in temporalibus Monaſterii facultatibus eam ineundam eſſe rationem, ut Monialium numerus commode ſuſtentari poſſit. Et ita etiam ſentit S. Bonaventura in *Tract. determin. quæſtion. circa reg. S. Franciſci quæſt.* XIX. ubi notat commodum victum multum conducere ad regularem obſervantiam; cum ex oppoſito ob talem deficientiam, Religionis ſpiritus deficiat. Nimis enim Religioſi diſtrahuntur ad quærendum quod ipſis opus eſt ad non miſeram ſuſtentationem, quæ a Monaſterio ob tenuitatem redituum vel eleemoſynarum ipſis ad ſufficientiam præberi nequit. *Ex quo Religioſi coguntur fieri proprietarii, dum ſibimet quiſque debet providere*: ait ſanctus Doctor. Diſſimulari tamen non poteſt, non infrequenter evenire ut neceſſitatem prætendant quædam Monaſteria, quando revera neceſſitas non eſt: dum in aliquibus vel ex avaritia erga facultates, vel ex nimia mollitie circa cibum, veſtitum, ſuperfluitatis elegantiam aut copiam, contra religioſum ſtatum qui eſt mortificationis, abſtinentiæ, & paupertatis, nihil pro ſufficienti habent; vel quia relicta a fundatoribus aliiſque piis fidelibus ad caritatis officia & pietatis erga Religioſos ipſos ſuſtentandos, aut erga pauperes & peregrinos ad illorum inopiam ſublevandam, impenduntur in magnificiis ædificiis aliiſque ſumptuoſitatibus, deliciis, ac ſuperfluitatibus, quæ magis redolent mundanam pompam ac vanitatem, quam animi ſim-

Quando Monaſterium cenſen. dum ſit vere indigens.

L 2

ſimplicitatem & pœnitentiæ humilitatem quam profeſſi ſunt. Quare inaniter ac immerito prætextum autumant inopiæ, dum evidenter patet, quod Monaſterii facultates ſufficerent ad plures alendos, ſi iuxta benefactorum mentem ac Eccleſiæ inſtitutionem fideliter diſpenſarentur. His tamen non obſtantibus, libenter fateor in determinanda Monaſteriorum commoditate propoſita a Tridentino Concilio penſandas eſſe omnes loci, temporis, ac perſonæ circumſtantias, & attendendum eſſe non ſolum præſens, ſed etiam futurum ſtatum Monaſterii, ac mala & infortunia quæ probabiliter evenire poſſunt.

Tametſi, uti hactenus demonſtratum eſt, non liceat aliquid exigere ab ingredientibus in Religionem ſine reatu ſimoniæ; poteſt tamen licite exigi a Noviтiis pro eorum ſuſtentatione: quia nondum ius aliquod adepti ſunt ſupra bona Monaſterii, ut ex ipſis alantur; cum hoc acquiratur ſolummodo, quando quis per profeſſionem fit membrum communitatis, ipſique alligatur.

§. XXX.

De variis modis quibus contrahi poteſt ſimonia in materia beneficiorum eccleſiaſticorum.

Spirituali adnexum, ut iam antea expoſitum fuit, triplex eſt. Alia enim adnexa ſunt antecedenter, nempe quæ exiſtebant antequam ſpiritualibus eſſent adnexa, ut calix, chriſma; templum, quæ prius ſunt in ſuo eſſe naturali quam per conſecrationem ſeu benedictionem ſacra fiant: alia adnexa concomitanter, ut ſunt actus conſecrandi, benedicendi, res ſacras miniſtrandi: alia tandem adnexa ſunt ſpiritualibus ſeu ſacris conſequenter, ſeu quæ ex ſacris rebus proveniunt, ac intuitu ſacrarum rerum & propter res ſacras obtinentur, cuiuſmodi ſunt decimæ, oblationes, beneficia, quæ pro ſacris officiis peragendis conferuntur; ita ut cauſſa, quare de his bonis participetur, ſunt divina officia, ſacræ functiones, ac adminiſtrationes, iuxta ritum & leges Eccleſiæ vel populi indigentiam peragendæ. Idcirco commune eſt axioma apud Theologos & Canoniſtas, beneficium dari propter officium. Unde ſicuti in adnexis antecedenter & concomitanter ſpiritualibus committi poteſt ſimonia, ſi intuitu illorum aliquid tamquam eorum pretium in pactum deducatur, detur, aut accipiatur; ita contrahi poteſt idem crimen reſpectu ſpiritualium conſequenter, quando talis contractus in illis interveniat. Idcirco nunc examinandæ occurrunt præcipuæ rationes quibus circa beneficiorum materiam contrahi poteſt ſimonia.

Ut autem a nomine beneficii eccleſiaſtici ordiamur; cum de beneficiis ex profeſſo ſuo loco tractandum ſit, ibi relinquitur clarior eorum explicatio: proinde ſatis erit hic dicere, beneficium eccleſiaſticum ius eſſe percipiendi fructus ex bonis a fidelium pietate ac diſpoſitione Deo dicatis, & competens clericis ob divinum officium. Unde conſtat, beneficium non eſſe fructus & proventus qui ex rebus Deo dicatis percipiuntur; neque eccleſiaſticum miniſterium, qui eſt titulus ob quem percipiuntur: ſed præciſe ius illos percipiendi ut provenientes ex rebus quæ fidelium pietate Deo oblatæ ſunt in eius cultum & obſequium; & Eccleſiæ auctoritate ad clericorum Deo miniſtrantium ſuſtentationem inſtitutæ. Beneficium igitur eſt ius ſpirituale (ut in *cap.* Dilecto *de præbend.*) quia ſolummodo perſonæ eccleſiaſticæ ob eccleſiaſticum miniſterium Epiſcopi auctoritate confertur: cum ceteroquin ſecundum ſuam ſubſtantiam quæ conſiſtit in pecunia, vino, tritico, hiſque ſimilibus, ſit beneficium aliquod temporale; & ſpirituale ex eo præciſe quod ſpirituali adnexum ſit & reſpectu cauſſæ finalis, quæ eſt officium ſeu ſacrum miniſterium, & perſonæ cui eſt deſtinatum, quæ eſt ſacra ex ſacro Ordine quo eſt inſignita. *Beneficium quid ſit.*

Beneficium vero multis modis acquiritur: videlicet collatione, præſentatione, nominatione cum inſtitutione, ſicuti etiam poſtulatione, vel electione cum confirmatione, de quibus iam ſuo loco. Quocumque autem modo beneficium obtineatur, certiſſimum eſt & ut regula tenendum, committi ſimoniam, quotieſcumque pro beneficio obtinendo pecunia aut aliquid aliud pretio æſtimabile promittatur aut detur, ſive immediate per ſe, ſive mediate per alium, pro nominatione, præſentatione, electione, inſtitutione, confirmatione in beneficio; vel ad hoc ut beneficium alicui conferatur, vel in alicuius favorem reſignetur, vel cum altero permutetur; & generaliter pro quavis actione qua ius etiam inchoatum ad beneficium acquiritur, vel qua dubium confirmatur. Quod enim pendet a ſpirituali tamquam acceſſorium, ut ſunt beneficia, prout in fructibus temporalibus conſiſtunt, & dantur propter principale, quod eſt ſpirituale officium; vendi non poteſt, quin vendatur etiam principale, ſcilicet idem ſpiritua- *Multis modis acquiritur.*

tuale officium, ideoque ſimoniæ labes incurratur.

Nec ullatenus ſuffragatur, quod vendi poſſint ſpiritualia antecedenter: quia hæc præcedunt ſpirituale, & ſunt veluti principale reſpectu acceſſorii, adeoque præciſe & per ſe ſpectari poſſunt, & ut talia pretio æſtimari. Adnexum vero conſequenter pendet a ſpirituali tamquam acceſſorium a principali: unde cum acceſſorium ſequatur principale; ſicut hoc ſine ſimonia vendi nequit, ita neque acceſſorium. Poteſt quidem Eccleſia quæ hoc temporale libere coniunxit ſpirituali, ab iſto illud ſeparare, ſive ut iis ſuccurrat qui ſibi utiliter miniſtrant, aut ſunt miniſtraturi; ſive ad ſuſtinenda alia Reipublicæ Chriſtianæ onera, ut ex *cap.* IV. Super eo de tranſactione *tit. de ſimon.* & clare ex Tridentino Concilio *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XIV. *de reformat.*

Simonia pluribus modis committitur in beneficiis.

Simonia igitur committi poteſt collatione, electione, inſtitutione, præſentatione, nominatione, & confirmatione ad beneficia, ſi illorum intuitu detur aut promittatur aliquid temporale. Et eſt ſimonia iuris divini, ideſt contra ius naturale & divinum: quia tunc res ſpiritualis commutatur cum temporali, & per temporale acquiritur ſpirituale. Actiones namque illæ ſunt ſpirituales ob reſpectum quem habent ad ſpirituale, & procedunt a poteſtate ſpirituali. Hinc ſimoniacum eſt penſionem dare ſuper beneficio; aut eam vel aliquid aliud per ſe aut per alium polliceri illud procuranti; aut etiam promittere mutuum. Etenim tametſi mutuatio ex natura ſua ſit gratuita; ex ea tamen mutuatarius commodum temporale reportat. Immo ſimoniacum eſt aliquid exigere pro immiſſione ſeu introductione in poſſeſſionem beneficii vel inſtallationem (ex *cap.* IX. & XXXVI. *de ſimon.*) cum per hoc ius quoddam ſpirituale acquiratur, nempe adminiſtratio, aut ſaltem aliquod connexum cum ſpiritualis iuris exercitio.

Simonia pariter iuris divini committitur dando vel promittendo alteri aliquid, ut per ſe vel per alium curet ut detur beneficium. *Cap.* I. Præſentium I. *q.* V. Quia licet interceſſio ſit tantum mediata: cum hæc tamen ſit cauſſa moralis conceſſionis beneficii, ac eumdem habeat effectum ac immediata; ſequitur, quod mediante tali munere intendatur beneficii conſecutio, ac via ad beneficium paretur, & tali medio comparetur. Nam qui cauſſam hanc emit, emit virtualiter effectum. Hinc ſimoniam iuris divini committit patronus, ſeu qui habet iuſpatronatus præſentandi ac nominandi ad aliquod beneficium, ſi pro nominatione & præſentatione aliquid temporale accipiat; aut pactum ineat ut poſtea aliquid ei detur pretio æſtimabile, ideſt temporale commodum; vel de beneficio reſignando, quando & in cuius favorem ipſe patronus voluerit: vel de penſione ſolvenda, aut de altera oneroſa temporali conditione, nulla facta in his poſterioribus intentione & mentione de approbatione & confirmatione per ſuperioris auctoritatem: quia in his omnibus commutatur & venditur. Et cum tria poſteriora ex legitima cauſſa ſuperioris auctoritate firmari poſſint, & nonniſi per ipſius auctoritatem licita fieri ſtatuat ius canonicum; hinc patronus qui propria auctoritate conventiones contraxit, committit ſimoniam iuris eccleſiaſtici a quo illæ prohibentur.

Item ſimoniacum eſt, ſi patronus conferat beneficium conſanguineo: & idem dic de alio qui beneficium apud eum patronum aut collatorem alicui procuret ratione conſanguinitatis aut affinitatis, ut inde & patronus præſentans, & conſanguineus vel affinis procurans, ipſi aut familia fiant vel honoratiores & potentiores, vel opulentiores. Item ſi quis beneficium procuret extraneo, ut conſulat temporali honori vel commodo ſuorum conſanguineorum vel affinium: quia tunc dat ſpirituale intuitu commodi temporalis percipiendi. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* C. *art.* 5. *ad* 2. & in *IV. diſt.* XXV. *quæſt.* III. *art.* 3. *ad* 7. Et eo vel maxime quod in beneficiis fugienda eſt omnis perſonarum acceptio & temporalis reſpectus; ſed qui eligit, nominat, ac præſentat, attendere debet ad cultum Dei & Eccleſiæ utilitatem in digno & apto miniſtro eligendo: ita ut pro attinentia ſanguinis vel affinitatis, ut proprio conſulat commodo vel familiæ, vel ut amico gratificetur, poteſt patronus unum præ aliis eligere & præſentare, quando hic non ſit aliis minus dignus & aptus; ideſt, ceteris paribus, principaliter non attendatur temporale decus & commodum, vel amici favor. Quia alias cum hæc omnia ſint pretio æſtimabilia; commutaretur, adeoque venderetur ſpirituale pro temporali: quod eſt ſemper ſimoniacum.

Si autem occurrat ſimonia in beneficiorum permutatione, reſignatione, tranſactione, dummodo contractus nullo modo cadat ſuper ſpirituale, eſt ſimonia iuris tantum eccleſiaſtici: ideſt huiuſcemodi contractus ſi-

moniaci ſunt, quia vetiti ſunt ab Eccleſia. Hos autem pro clariore intelligentia ſigillatim explicandos aggredimur.

Actiones ſimoniacæ circa permutationem.

Permutatio beneficiorum, ut ex ipſo nomine ſtatim colligitur, eſt reciproca eorumdem commutatio, qua duo adinvicem commutant beneficium quod poſſident: ideſt Caius dat ſuum beneficium Titio, & pro eodem beneficium Titii recipit. Licet in his permutationibus, quando non interveniat pecuniæ traditio & acceptio, non committatur ſimonia iuris divini, quæ talem traditionem aut ſaltem promiſſionem pecuniæ vel æquivalentis ſupponit; ſi tamen permutatio fiat privata auctoritate, contrahitur ſimonia iuris eccleſiaſtici. Cum enim in huiuſmodi permutationibus adſit periculum, ſuſpicio, & occaſio ſimoniæ iuris divini, propter commodum temporale quod attenditur in commutatione rei ſpiritualis, necnon alia incommoda quæ ſequi poſſunt facilitatem permutandi ſine ſuperioris diſpenſatione; Eccleſia prohibuit in beneficiis commutationes omnes, reſignationes (quæ iam fere idem ſunt cum permutationibus) pactiones, conventiones, conditiones, quæ obligant ad id quod non eſt iure debitum, ut fieri non poſſent privata auctoritate. Hinc ſimoniam iuris eccleſiaſtici committeret qui permutaret beneficium cum penſione; vel cum patrimonio ad cuius titulum clericus ordinatus eſt; vel cum iure decimarum; vel cum iurepatronatus; vel cum re mobili conſecrata vel benedicta, puta calice, ſacris veſtibus, aut aliis quæ ſunt in uſu in ſacro miniſterio; vel cum iure ad beneficium, quod ſit ius non in re, ſed tantum ad rem per acceſſum, vel receſſum, vel præſentationem, vel electionem, vel aliam nominationem, ut ex Navarro in *Enchirid. cap.* xxv. *num.* 100. *v.* 3. qui cenſet idem iudicandum eſſe etiam in permutatione iuris ad rem cum alio ſimili iure, aut cum alio beneficio, ſive iam quæſito, ſive adhuc vacante, ut ex *cap. Quampridem* & *cap. fin. de pact.* ubi vetita eſt omnis pactio & conventio pro ſpiritualibus obtinendis, ſine Papæ diſpenſatione. Quinimmo ne cum ipſa quidem Papæ diſpenſatione, ſi in commutatione detur aliquid temporale; dummodo non detur exceptio in beneficiorum commutatione: ut in *cap.* Quæſitum *de rer. permutat.* & in *cap. unic. tit. eod. in* 6. ubi fieri permittitur Epiſcopi auctoritate. Quod autem huiuſce generis ſimoniæ ſint solummodo iuris eccleſiaſtici, ideſt ſolo poſitivo iure ſint vetitæ, facile dignoſci poteſt: cum in hoc, ut ſupponitur, non tradatur temporale pro ſpirituali, aut econverſo; ſed ſolum occurrat violatio iuris eccleſiaſtici, quod vetat ne beneficia niſi a legitimo ſuperiore conferantur. Unde tametſi ex parte iuris divini per talem violationem alienæ ſeu eccleſiaſticæ iuriſdictionis, committatur ſacrilegium; non tamen eiuſdem iuris eſt ſimonia. Sic Reginaldus, Cabaſſutius, Tournely, Antoine. Hinc infert Tournelycum Bonacina, ſimoniam committi in commutationibus actionum quæ ad proviſionem attinent beneficiorum: ut ſi quis dicat, Tu elige & confirma hunc, & ego illum eligam; tu huic beneficium confer, & ego hunc confirmabo: vel Præſentabo hunc ad beneficium mei iuriſpatronatus, ſi tu beneficium meum ſimplex mihi renuntiaveris: vel Ego tibi do beneficium, ut cedas præſentationi de te factæ ad aliud, & ſimilia. Pacta enim omnia atque conventiones in rebus beneficiorum vetit ſunt: & licet ſpiritualis actio videatur cum altera ſpirituali commutari; tamen ea reputantur media ad lucrandum aliquod temporale, immo perraro ſine hoc lucro temporali fiunt, ac fere ſemper ita intenduntur. Sic etiam Suarez *cap.* xxxi.

Superior autem apud quem ſimplex permutatio eſt facienda, eſt Epiſcopus loci ubi ſitum eſt beneficium, ut communiter ex *cap.* v. *de rer. permutat. & cap. unic. tit. eod. in* 6. Notandum hic tamen eſt, quod nomine Epiſcopi multi eos intelligunt qui licet Epiſcopi non ſint, potiuntur tamen epiſcopali iuriſdictione, ut Capitulum, Sede vacante, Abbas exercens ea quæ ſunt officii & iuris epiſcopalis. Dixi *ſimplex permutatio*: quæ eſt pure beneficium cum beneficio, ideſt abſque onere penſionis, & ſine pacto ut alter permutantium ſolus ſolvat expenſas, quæ ad utrumque pertinent. Nam ſi alterutrum interveniat, permutatio nihil valet, niſi fiat coram Papa, ac ab eo approbetur. Quod ſi permutatio facienda eſſet inter beneficia inæqualia in dignitate, cum compenſatione inæqualitatis per pecuniam ſive per æquivalens, aut per penſionem: ne coram Papa quidem & cum eius conſenſu fieri hoc poteſt. Cum enim dignitas in beneficiis ſit quid ſpirituale; commutatio rei ſpiritualis cum temporali intercederet, ideoque ſpirituale ſaltem in parte venderetur pro temporali: quæ eſt ſimonia iuris divini, in qua Papa non poteſt diſpenſare. Secus vero, ſi inæqualitas eſſet in temporalibus, ideſt in proventibus beneficiorum.

Tunc

Tunc enim non poſſet quidem hoc fieri coram Epiſcopo ratione penſionis quæ requireretur, vel ratione pecuniæ ad acceſſum beneficii ditioris compenſandum; quia antiqui canones negant hoc coram Epiſcopo convenire: poſſet autem hoc fieri coram Papa, & cum eius conſenſu.

Notandum vero, quod nomine Epiſcopi poſſunt intelligi etiam Prælati qui licet non habeant iuriſdictionem epiſcopalem, habent tamen ius conferendi beneficia permutanda, & ſine interventu Epiſcopi approbare poſſunt eorum permutationem: ſi apud eos invaluerit, & legitime præſcripta ſit talis conſuetudo. Secus vero, ſi non adſit apud eos talis præſcripta conſuetudo.

Notandum pariter, quod qui permutare volunt, ſine ſimonia tractare poſſunt in permutandis beneficiis de penſione facienda, concludenda beneplacito & auctoritate ſuperioris ad quem pertinet ipſam approbare. Necnon ſub tali conditione poſſunt ſe obligare ad ſtandum conventioni inter ſe factæ, quando concluſa ſit permutatio: quia talis concluſio non habet vim contractus validi; cum ſuſpendatur uſque ad ſuperioris conſenſum. Ideoque quando damnatur conventio & pactio in permutationibus beneficiorum, intelligitur de ea quæ concluduntur privata permutantium auctoritate, nullo requiſito ſuperioris conſenſu & approbatione. Reginaldus *Lib. XXIII. cap. III.* Et tunc non ſolum eſt ſimoniaca, ſed etiam de ſe illicita.

Notandum tandem, quod in manu legitimi ſuperioris permutans beneficium ſimoniace obtentum, aut alias ſine titulo, nullum ius acquirit ad idem beneficium illi datum loco permutati; præcipue quia Prælatus conferens beneficium cauſſa permutationis, non confert abſolute & libere, ſed ob aliud dimiſſum: quia res aliena, ſicuti eſt beneficium cuius non habetur iuſtus titulus, permutari non poteſt.

Aliæ circa reſignationem. Reſignatio eſt libera dimiſſio, ſeu ceſſio & renuntiatio beneficii in manu ſuperioris illius ad quem ſpectat alium in eodem beneficio inſtituere. Reſignatio autem alia eſt abſoluta ſeu pura, qua libere beneficium reſignatur in manu ſuperioris, ut cuicumque pro libito illud conferat: alia conditionalis. Et hæc pariter alia fit ex cauſſa permutationis, de qua iam dictum eſt; cum fieri non poſſit permutatio beneficiorum, niſi prius uterque permutantium reſignet in manu ſuperioris, qui poſtea iuxta petita illis eadem conferat: altera quæ fit in favorem tertii, ut illi reſignatum beneficium conferatur.

In reſignatione pura, ideſt facta ſine ullo pacto & conditione tacita vel expreſſa in manu ſuperioris, nulla committitur ſimonia ne mentalis quidem: tametſi fiat ea intentione ut detur certæ perſonæ; & etiamſi poſt talem reſignationem puram ac ſimplicem idem reſignans eumdem Ordinarium oret ut idem illi certæ perſonæ, ceteroquin dignæ, conferat. Hoc enim non eſt nec contra ius naturale & divinum; cum nulla intercedat voluntas recipiendi pecuniam, aut aliquid aliud pretio æſtimabile pro re ſpirituali: nec contra ius canonicum; cum nullum factum ſit pactum vel conventio in tali reſignatione.

Similiter ſimoniaca non eſſet reſignatio conditionalis beneficii, ideſt vel in favorem tertii, ut huic conferatur beneficium; vel cum penſione aliove temporali onere: ſi fiat in manibus Papæ, ut ſi ipſi placeat, approbet & confirmet. Cum enim tale pactum ſit tantum contra ius canonicum; Papa poteſtatem habet ſuper illud diſpenſandi.

Contraheret quidem ſimoniam qui reſignaret reſignatione conditionali coram alio ſuperiore quam Papa; cum hic ſolummodo pro tali reſignatione ſit ſuperior; utpote qui ſolus poteſt diſpenſare ſupra ius canonicum a quo talis reſignatio prohibetur. Sicuti etiam quæcumque conventio aut pactum ineatur in reſignatione ſine conditione, Si ita placuerit ſuperiori, ideſt Papæ; vel dum reſignatio in manu Papæ perficitur, ipſi non explicatur pro illius placito, ſed omnia conſummanda relinquuntur propria auctoritate. Ut ſi in tractatu de penſione imponenda in reſignatione ſuperaddita ſit conventio de ea extinguenda; nec quando beneficium a Papa impetratur, de tali conventione facta ſit ei mentio. Ita ſi fiat reſignatio reciproca, v. g. ſi dicatur, Reſigno tibi beneficium meum, ut tu reſignes tuum meo nepoti. Putant tamen aliqui, reſignationem triangularem fieri poſſe coram Epiſcopo; cum ſit quædam ſpes permutationis: & eſt illa qua Antonius reſignaret ſuum beneficium Claudio, & Claudius ſuum reſignaret Richardo, & Richardus reſignaret Antonio. Sed cum in praxi non habeat locum opinio de hiſce reſignationibus coram Epiſcopo; non erit certa regula niſi de ſimplici permutatione, quando hæc ſolum fieri poſſit coram Epiſcopo: quo nomine recipi nequit reſignatio triangularis, quæ tot pacta includit.

L 4 Sed

Sed inter reſignationes in favorem tertii ſummopere damnatas per ſacros canones, ut ex Tridentino Concilio *ſeſſ.* xxv. *cap.* vii. *de reformat.* colligitur, ea quæ fit cum regreſſu, aut cum acceſſu, aut cum ingreſſu. Reſignatio dicitur cum regreſſu, quando quis reſignat beneficium, cum pacto ut ſi reſignatarius præmoriatur, ipſe qui reſignavit, ius priſtinum habeat ut ad ipſum beneficium redeat. Fit reſignatio cum acceſſu, dum quis impeditur ad obtinendum beneficium vel ob defectum ætatis, vel ob cenſuram eccleſiaſticam, vel ob irregularitatem, vel ob aliud crimen, & datur ei facultas ut poſt legitimam ætatem at impedimenti remotionem accedere poſſit auctoritate propria ad beneficium, ac illud habere. Reſignatio autem fit cum ingreſſu, quando quis reſignat beneficium ante acceptam illius poſſeſſionem, cum conditione ut ſi reſignatarius præmoriatur, reſignans recipiat propria auctoritate ſuum beneficium reſignatum, & intret in illius poſſeſſionem. Hi ſunt modi iam antea expoſiti ſimoniæ confidentialis: & inter ſe in hoc differunt, quod regreſſus ſupponit plenum aditum ad beneficium reſignatum; ingreſſus ſupponit ſolum ex parte, cum non ſupponat aditum ad poſſeſſionem beneficii; acceſſus nullo modo ſupponit aditum, ſed potius excluſionem propter canonicum impedimentum. De his Rebuffus in *Prax. benefic Part. III. tit. de regreſ.* Et hi modi ſunt damnabiles, dummodo non fiant cauſſa publicæ utilitatis: videlicet ut melius ſerviatur Eccleſia. Sed ad evitandam ſimoniæ labem, ſemper fieri debent ſuperioris auctoritate.

Item ſimoniaca eſſet reſignatio beneficii nunc pacifice poſſeſſi, cum pacto ut reſignatarius ſolveret expenſas factas in lite pro tali litigioſo beneficio conſequendo. Nam alias aperiretur via ſimoniæ; cum nullum beneficium ſine labore & expenſis acquiratur: & cum hæc reſignatio non ſit pura; nequit ab Epiſcopo purgari.

Nec valet hic paritas de labore extrinſeco, qui compenſari poteſt ſine ſimonia, ad accipiendam compenſationem occaſione reſignationis aut permutationis pro labore & expenſis in acquirendis beneficiis. Nam ille labor licite compenſari poteſt: quia ſuſtinetur in alterius commodum, ut pergere ad celebrandam Miſſam in loco diſtanti in gratiam alicuius. Sed qui per magnos ſumptus & laborem adipiſcitur beneficium, nonniſi in ſui ipſius gratiam laborat & impendit. Unde exigere non poteſt ut hæc incommoda ipſi compenſentur: quod cum ſit contra ius naturale & divinum; ne a Papa quidem concedi poteſt. Suarez & Bonacina citati a Tournely. Poteſt quidem Papa ſeparare fructus a beneficio, illoſque applicare reſignanti, ac etiam permittere ut a reſignatario redimantur.

Circa vero tranſactiones, hæ ſunt oneroſæ conventiones ſuper iure dubio & incerto, ad componendam litem motam vel movendam. Unde ſi conventio non eſſet oneroſa, ſed prorſus gratuita; non eſſet tranſactio, ſed potius ceſſio, condonatio, & amicabilis compoſitio, quæ eo ipſo quod eſt gratuita, non poteſt eſſe materia ſimoniæ. Item ius ſuper quod tranſigitur, dubium eſſe debet: alias pars habens ius certum, poſſet dici iniuſtam vexationem redimere ac tranſigere. Cum autem tranſactio fiat in ordine ad impediendam litem; nulla dari poteſt tranſactio, quando nulla adſit nec præſens, nec futura conteſtatio, ideſt litis apparatus. *Cap.* Super eo *extra. eod. tit.* Angel. Salmanticenſes, Tournely. Compoſitio amicabilis fit dupliciter: ſive cum una pars liberaliter recedit & a iure ſuo deſiſtit; ſive quando contendentes in prudentis arbitrio cauſſam remittunt, ſpondentes ſe penitus adhæſuros eius iudicio. Utraque licita eſt ſine recurſu ad ſuperioris auctoritatem. Quando tranſactio fieri poſſit abſque ſimonia: quando non.

Si in tranſactione pactum fiat de dando ſpirituali pro ſpirituali; hoc de natura ſua non eſt illicitum. Quare Epiſcopi contendentes circa iuriſdictionem ſuper aliqua Eccleſia, inter ſe tranſigere poſſunt, ut uni contingat iuriſdictio, alteri beneficiorum proviſio; vel ut alternatim viſitent. Non ſecus, ſi alii diſputent circa res ſacras, puta reliquias, ſicut concordare poſſunt ut dividantur, licet hoc aliqua ex cauſſa fieri nequeat; ita paciſci poſſunt ut unus has reliquias retineat, cum pacto ut alias ſimiles alteri donet. Suarez *cap.* II. *num.* 9. Non poſſent tamen tranſigere cum conditione ut una pars habeat reliquias, altera medietatem oblationum: nam hoc eſſet vendere ſpirituale pro temporali, & ideo ſimoniacum. S. Antoninus *Part. III. ep.* xii. *cap.* viii. & Pontas v. *Reliquias*. Unde in tali caſu recurrendum eſſet ad Epiſcopum. Verum tametſi licitum ſit dare in tranſactione ſpirituale pro ſpirituali; hoc tamen fieri in re beneficiali per ſacros canones vetitum eſt. Idcirco litigans circa pingue beneficium non poteſt paciſci cum adverſario ut, ſervato pro ſe pingui beneficio, tradat tenue ipſi adverſario: quia tunc permuta-

ret

ret pingue beneficium cum iure quod alter habet ad pinguius; quod privata auctoritate fieri nequit. Et multo minus paciſci poteſt ad litem componendam, quod habens pingue beneficium ſibi ipſum retineat, ſolvendo collitiganti penſionem: aut ſi de pluribus beneficiis litigetur, concordare ut hoc ipſe poſſideat, alter vero illud. Nam, ut iam alias non ſemel dictum eſt, omnis pactio in materia beneficiali, ſi privata auctoritate fiat, eſt ſimoniaca. Quare dicendum eſt, ſimoniacam eſſe ac nullam omnem tranſactionem & ceſſionem beneficii vel iuris etiam dubii circa beneficium non gratuitam, ſive retineatur, ſive remittatur aliquid temporale pro ſpirituali, vel ſpirituale pro temporali, ſi fiat propria auctoritate. *Cap.* VIII. *de tranſact.* Item pactum ad litem impediendam vel dirimendam ſuper beneficio, ſi ita fiat, ut unus litigantium cedat iuri ſuo & deſiſtat a lite, cum onere ut alter, data pecunia, vel re alia pretio æſtimabili, ſive penſionem ſolvendo ad litis expenſas compenſandas, pacificum habeat beneficium. *Cap.* IV. *de pact.* Nam hæc compenſatio impenſarum vel habet rationem pretii pro beneficii conſecutione; cum factæ non fuerint in gratiam alterius: vel ſaltem talis conventio facta inter privatos eſt valde ſuſpecta.

Poteſt quidem licite poſt renuntiationem libere & pure, ideſt ſine ullo pacto factam, dari aliquid temporale ſolo titulo honeſtatis & miſericordiæ etiam ſine ſuperioris auctoritate. Etenim a nullo iure naturali vel canonico hoc eſt vetitum: cum non detur ut pretium pro beneficio, quod ut contrarium iuri naturali & divino ne a Papa quidem poteſt diſpenſari; nec pro alia iuſta cauſſa tamquam onus rationabiliter ſubeundum, quod fieri nequit niſi per iudicis diſpoſitionem. Reginaldus. Quare ſentiunt doctores, licite fieri poſſe compoſitionem inter litigantes per iudicium iudicis ordinarii vel delegati, aut etiam iudicum arbitrorum eccleſiaſticorum, qui deputati fuerint a ſuperiore pro ineunda pace & concordia, ut habito partium conſenſu ac compromiſſo, adiudicent beneficium illi cuius eſt ius probabilius, eique imponant pendendam alteri certam pecuniam non in compenſationem iuris, ſed ob temporale bonum pacis. *Cap.* II. *de arbitr.* Immo ei cui beneficium adiudicatur, poteſt etiam imponi annua penſio ſolvenda, non tamen impoſita beneficio, ſed beneficiato ſolummodo ad eius vitam. *Cap.* XXI. *de præbend.* Huiuſcemodi compoſitio facta a iudice comprobatur: quia iudex cenſetur in hac intendere ſolummodo bonum pacis & concordiæ, non alias dare temporale pro ſpirituali. Secus autem, ſi facta ſit privata contrahentium auctoritate, quamvis pacti eſſent ſub conditione, Si approbetur a ſuperiore: adhuc ſimoniaca eſſet; nec propter talem præſumtionem poſſet a ſuperiore approbari, ut ex *cit. cap. de præbend.* P. Antoine. Nec ullatenus hic ſuffragatur, quod hoc fiat in permutationibus; nempe quod volentes permutare conventionem inire poſſint de modo ſub conditione, Si ſuperior approbet: quia ſi hoc conceditur in permutationibus, in aliis caſibus eſt ſpecialiter vetitum.

Et ne quid deſit pro clariore intelligentia circa renuntiationem beneficii ſuper quo litigatur, notandum remanet, quod ſi ſolummodo renuntietur liti, ideſt litigantes ſuper beneficiis viciſſim conveniant ut, uno renuntiante ſimpliciter liti, alter quoque renuntiet, ut uterque ſine ullo novo onere perſeveret in ſua poſſeſſione, ita ut res tota relinquatur in ſuo anteriore ſtatu; hoc licite propria auctoritate fieri poteſt: quia vetitum non eſt a iure canonico; cum nihil illicitum interveniat purgandum ſuperioris auctoritate. Sed ſi cum litis renuntiatione coniungatur etiam renuntiatio beneficii, ideſt litigantes tranſigant, & viciſſim alter alterius beneficium accipiat; tunc ſuperioris requiritur auctoritas, cum interveniat beneficiorum permutatio: quia huiuſmodi pactio iure canonico prohibetur *Cap. fin. de pact.* Idcirco talis conventio indiget purgatione facienda ſuperioris auctoritate, nempe Papæ, vel etiam Ordinarii; cum talis tranſactio ut plurimum permutationi æquivaleat. Ita Suarez *cap.* II. *num.* 16. Bonacina, Reginaldus, quos citat hic Tournely ex *cap. unic. de rer. permutat. in* 6. Immo docent cum communi doctorum, Epiſcopum poſſe etiam licite, ad litem dirimendam, rem componere eodem modo quo ſupra dictum eſt de iudice: nempe illum onerando pro quo res adiudicatur, non vero beneficium, aliqua penſione ad vitam illius in commodum renuntiantis. Tournely cum ſupra citatis. Et ſic dicendum de omni alia tranſactione in qua interveniat aliqua rei mutatio.

Et ne quantum permittere poteſt brevitas cui ſtudere ſtatui, ad neceſſariam huiuſce materiæ notitiam quid deficiat; non parum utile cenſeo, addere de ſimonia quæ occaſione tranſactionis occurrere poteſt etiam

iam

iam in inſtitutione Parochialium Vicariorum, ratione conventionis quæ fieri ſolet ab eccleſiaſticis patronis, ſeu primitivis Paſtoribus aliiſque decimatoribus ſuper portione congrua quæ ipſis Vicariis iure debetur. Nam cum hæc conventio fiat a patronis ante Vicarii inſtitutionem, & priuſquam inſtituerint aliquem Sacerdotem ſuarum Eccleſiarum Vicarium, paciſcantur cum illo ac conveniant ut tali portione ſit contentus, adeo ut nolint eum præſentare, niſi tali oneroſo pacto oblato ipſe conſentiat, ac promittat ſe in poſterum nullum petiturum augmentum; unde iuri ſuo ad maiorem portionem tacite cedit ut præſentationem obtineat: in effectu ſibi mercantur ipſi patroni maiorem partem decimarum per hanc præſentationem non ſine aperta ſimonia. Van-Eſpen. Hinc evidenter infertur, in quacumque actione electionis, nominationis, præſentationis, permutationis, tranſactionis ſine ſuperioris auctoritate illicitum eſſe ad obtinendum beneficium paciſci aliquid oneroſum pretio æſtimabile, non ſolum pro penſione, ſed ne pro Eccleſia quidem reparando, pro pauperibus ſuccurrendis, pro Eccleſiæ fabrica. *Cap.* Ex multis *1. q. III.* Licet enim hæc ſint pia opera, habent tamen materiam pretio æſtimabilem. Præterea eſt onus quod iure non ineſt beneficio. P. Antoine. Quamvis autem non opus ſit ulterius ſuper hoc immorari, cum ſæpe ſæpius idem antea repetitum ſit; tamen non ſupervacaneum erit pro clariore intelligentiâ aliqua addere etiam de ſimonia in venditione ac redemptione penſionum.

Quænam penſiones vendi queant.

Penſiones aliæ ſunt clericales, aliæ pure laicales. Clericales ſunt eæ quæ clericis conferuntur vel pro aliquo officio ſpirituali, v. g. pro coadiutore, auditore Epiſcopi, vel Parochi, concionatore; vel in clericorum ſuſtentationem, ſive ad litem componendam, aut fructuum inæqualitatem compenſandam in beneficiis. Et hæc ſine ſimonia vendi non poſſunt: quia duæ primæ fundantur in miniſterio ſeu functione ſpirituali, & nonniſi ratione illius ius ad illas haberi poteſt; aliæ autem poſteriores adnexæ ſunt titulo & officio ſpirituali, ſcilicet recitandi Officium B. Virginis impoſitum a S. Pio V. ita ut qui illud omitteret, reditus amitteret, quos in pauperum eleemoſynas elargiri deberet. Unde non ſolum requirunt ſtatum clericalem, ſed etiam officium ſpirituale, cuius intuitus ius acquiritur ad illos reditus. Idcirco huiuſcemodi penſiones ſunt quiddam ſpirituale, conſtans ex illa obligatione ſpirituali & iure ad temporale ei adnexum: & cum officium ſit invendibile; ita & ius percipiendi tales fructus ab eo eſt inſeparabile.

Hinc infertur, quod ſicuti vendi nequeunt clericales penſiones, ſimiliter nec etiam redimi, niſi ſpirituale ab illis tollatur: quod tolli nequit niſi per Papæ auctoritatem, a quo conſtitutum eſt. Immo multo minus licite pactum iniri poteſt, antequam penſio per Pontificem approbetur, quod reſignatarius vel alio modo de novo proviſus teneatur ſtatim, oblata integra ſumma, redimere atque extinguere: quia penſiones clericales ſupra beneficiis, ut ex Bulla Pii V, quæ incipit *Ex proximo*, anno MDLXXI. edita, ſunt iuris ſacri & ſpiritualis, ideoque omnis pactio ſuper illis eſt ſimoniaca. Cabaſſutius *lib. V. cap. VII. num. 6.*

Penſiones vero pure laicales ſunt eæ quæ laicis & etiam clericis tribuuntur ob cauſſam & titulum mere naturalem, ideſt pro officio aliquo Eccleſiæ præſtito, vel præſtando; ut ſi penſio ex beneficio vel decimis Eccleſiæ præſtetur alicui Principi ut Eccleſiam tueatur contra infideles. Item quæ dantur œconomo bona Eccleſiæ adminiſtranti, advocato ut iura Eccleſiæ apud iudices tractet, vel aliis pro pulſandis organis, ianuis Eccleſiæ aperiendis, hiſque ſimilibus. Licet hæ pariter ſint portiones detractæ ex beneficii fructibus; non tamen ſunt ſimoniæ materia: quia nec titulo ſpirituali fundantur; nec ad functionem ſpiritualem ordinantur. Hinc, niſi adſit aliqua particularis prohibitio, vendi poſſunt & redimi ſine ulla ſimoniæ labe. Cabaſſutius *loc. cit. num. IV.*

Penſionarius clericalis etiam poſt redemptam apud ipſum penſionem, anticipata ſolutione, adhuc tenetur ad recitationem Officii B. Virginis: quia pro toto illo tempore videtur penſionem recipere. Unde & pro eo tempore virtualiter perſeverat titulus; idcirco & obligatio penſionis in tali Officii recitatione.

Penſio inſervire poteſt pro titulo patrimonii ut ad Sacerdotium promoveantur clerici *ſolummodo quos iudicabit Epiſcopus aſſumendos pro neceſſitate & commoditate ſuarum Eccleſiarum* (ſunt verba Concilii Tridentini) poſtquam antea monuerit, quod aliis in poſterum inſervire nequeat. Et conſentanee cum Tridentino Concilio Synodus V. ſub S. Carolo permittit ut aliquis titulo penſionis ſolvendæ, quamdiu provideatur, ordinetur.

Ad hæc tamen ut ſuper beneficiis licite ponatur onus penſionis, rotat Cardinalis To-

Toletus, requiri iuſtam ac rationabilem cauſſam, ſine qua non abſolvit a ſimonia ipſum Pontificem in eadem imponenda: ideoque docet, ſecuros in conſcientia non eſſe qui eam poſſident; cum Papa uti debeat ſumma poteſtate quam Chriſtus Dominus ei contulit, in ædificationem, non in deſtructionem. Cauſſa autem rationabilis diſpenſandi in penſionibus imponendis eſt Eccleſiæ utilitas, cuius hæc bona ſunt. Cabaſſutius *loc. cit.* Hinc eo quod Papa ſupremus miniſtrator ac diſpenſator bonorum eccleſiaſticorum ſit ſupra omne ius eccleſiaſticum; ac ab Eccleſia per poteſtatem divinitus ei conceſſam quædam ex his immobilia adnexa fuerint ſpirituali per eorum erectionem in titulum beneficii: iuſta ac rationabili exigente cauſſa, poteſt Papa ſuprema ſua poteſtate quam tenet ſuper omnia eccleſiaſtica iura, denuo ſeparare temporalia bona a ſpirituali; ideſt ſeparare ab omni iure & titulo clericali & eccleſiaſtico miniſterio, ut ſine ulla ſimoniæ culpa vendi poſſint ac laico concedi. Unde ex hoc fit, quod proventus eccleſiaſtici aliquando relaxentur Principi ad bella contra Eccleſiæ hoſtes gerenda; Hoſpitalibus in ſubſidium pauperum vel ægrotantium; Confraternitatibus erectis in publicum bonum; Seminariis ad clericorum educationem; Academiis ad providendos profeſſores qui ſcientias in his edocent: & ex hoc etiam non eſt improbanda conſuetudo ut fructus præbendæ deputentur in aliquod commune bonum Capituli, v. g. in ſtipendium Medici, advocati, pulſantis organa, edocentis pueros prima rudimenta vel eccleſiaſticum cantum, æditui, aut Eccleſiæ ſyndici. Sed ſi poteſt Pontifex licite diſponere de reditibus eccleſiaſticis in ſupradictos rationabiles ac pios uſus; poteſt etiam ſine ullo ſimoniæ vitio deputare ac reſervare partem aliquam fructuum beneficiorum: ut fit in annatis, quæ conſiſtunt in dimidia parte fructuum beneficii quam proviſus debet primo anno ſuæ poſſeſſionis retribuere Cameræ Apoſtolicæ, in ſubſidium Cardinalium aliorumque Romanæ Curiæ Miniſtrorum. Similiter nullo modo ſimonia vitiantur quindennia, quæ earumdem annatarum loco ſolvuntur a Collegiis, Capitulis, Monaſteriis, Conventibus, quibus adnexa fuerunt beneficia quorum titulo annaræ ſolvi conſueverant Cameræ Apoſtolicæ, quandocumque per eorum vacationem fieri occurrebat nova proviſio. Cum enim per illorum unionem communitatibus numquam vacent; introductum fuit quadam iuris fictione ut, elapſo omni quindecim annorum curſu, cenſerentur vacare, ac tunc retribuere teneretur communitas quod pro annaris ſolvebatur, priuſquam hæc beneficia ipſi unirentur, quandocumque in beneficii vacatione fiebat nova proviſio. In taxationibus pariter & compoſitionibus quibus pro litterarum Papalium expeditione, quando beneficia per Sedem Apoſtolicam in Romana Curia conferuntur, ſolvitur certa pecuniæ ſumma, nulla intervenit ſimonia; quia Pontifices has approbarunt, & approbant; & nihil contra ius divinum committitur. Nam hæc ſolvuntur non pro iure beneficiorum, quod eſt adnexum ſpirituali; ſed ut ſtipendia miniſtrorum Curiæ, qui plures pro tali expeditione occurrunt, & hoc digni ſunt ob eorum operam & laborem. Ita Angel. Silveſter v. *Simonia*, Reginaldus.

Quod vero dicitur de ſimonia incurrenda in beneficiis ſæcularibus, quando in his fiat, quod ſpirituale commutetur pro temporali, ut vel principaliter temporale in pactis & conventionibus intendatur, vel fiant conventiones ſine ſuperioris auctoritate; idem etiam currit circa beneficia & dignitates Regularium, quæ inter eccleſiaſtica beneficia recenſentur a Theologis & Canoniſtis, adeoque ſubiecta ſunt iiſdem legibus ac regulis quibus alia ſubiiciuntur beneficia. Proinde in dignitatibus quoque ſeu prælaturis & beneficiis Regularium, ut Abbatum, Priorum, Guardianorum, Provincialium, Generalium, ſimonia contrahi poteſt, quando in eorum electione, permutatione, reſignatione intercedat convenrio ſeu pactum dandi aliquod temporale, ad dandum vel adipiſcendum ſpirituale: ut ſi quis votum alicui promittat pro Generalatu vel Provincialatu, ſeu alia eiuſdem generis dignitate vel officio quod habeat adnexum exercitium ſeu functionem ſpiritualem & ſacram, ad hoc ut qui votum accipit, procuret danti aliam dignitatem aut officium, vel aliquid quod redundet in eius commodum & decorem pretio æſtimabilem. Hoc enim certe eſt ſimoniacum: ſive hoc tractetur immediate per ſe ipſum, ſive per alium, ſive per pactum voti dandi, ſive per aliud ex tribus muneribus quibus ſimonia committitur, a manu, a lingua, aut ab obſequio. Quodcumque ſit ex his quo utatur Regularis ad hoc ut aſſequatur dignitatem aliquam aut officium cui adnexum eſt ſpirituale, ſimoniam committit: qua ſit ut nulla ſit eius electio, teneatur dimittere dignitatem, & innodetur excom-

communicatione Papæ reſervata. Nam licet hæc Regularium officia non ſint ut plurimum perpetua: non conſiſtunt tamen in commiſſione ad nutum revocabili; ſed per electionem aliamve providendi rationem alicui tamquam ordinarium munus conferuntur. Ita in *cap.* Cum deteſtabile *extra. de ſimon.* Caietanus, Armilla, Navarrus citati a Caballutio *lib. V. cap.* VIII. *num.* 5. *de ſimon.* Sed fuſius etiam de his agendum erit in tractatu de ſtatu religioſo.

Notandum hic reſtat, quod licet prohibitum non ſit ut ſimoniacum, locare bona ſive fructus beneficiorum ultra triennium: vetitum tamen hoc fuit in *extra. Ambitioſæ*, ne per longam locationem ſeu alienationem præiudicetur Eccleſiis ac ſucceſſoribus. Sed ſecundum multos hoc pleriſque in locis non eſt certum.

Aliæ caſus expenduntur. Aliæ difficultates circa ſimoniam enodandæ ſuperſunt. Et primo, ſimoniacum eſt ſuſcipere Ordines ut beneficium obtineatur, præcipue ob eius reditus. Nam tunc inquiritur ſpirituale pro bono temporali principaliter intento: & ipſum ſpirituale ordinatur principaliter ut medium ad obtinendum temporale: ideoque in ſuo agendi modo æquiparat aut potius præfert temporale ſpirituali. Non tenetur tamen talis clericus, ut conſtat ex Fagnano, beneficium dimittere: quia eius ſimonia eſt mentalis, quæ (dummodo nullum pactum præceſſerit) ad hoc non obligat, ſed ſolum ad ſatisfaciendum Deo per pœnitentiam. Ita in *cap.* Ad noſtram *de elect.* Non eſt autem ſimoniacum, dare aliquid alteri, abſolute petendo ut ille faciat ſpirituale in bonum animæ ſuæ, ſcilicet ut ſuſcipiat ſacramenta, audiat ſacrum, fiat Monachus; dummodo non imponatur obligatio illud faciendi: quia hæc eſt liberalis donatio ut alter ad tale bonum alliciatur. Et ſi addatur conditio, eſt præciſe quædam optio quæ alteri gratuito offertur in ſolum bonum ipſius operantis: ut v. g. ſi dicatur ſervo, Do tibi libertatem, vel Debitum tibi remitto, ſi vis ingredi in Religionem. Quod ſi temporale detur vel promittatur ſub pacto & conditione ut alter ſit obligatus ad faciendum opus ſalutare in ipſius dantis utilitatem; tunc eſt ſimonia, ex *cap.* Quam pio 1. *q.* 11. Nam hic intervenit pactum oneroſum circa ſpirituale cum pretio; quod in iure vetitum eſt ut ſimoniacum: & tunc datur & accipitur pretium pro ſpirituali. P. Antoine.

Conſuetudo aliquid accipiendi pro ſpirituali habet locum & tenet ubi a laicis detur aliquid clericis: quia conſuetudo inducta eſt a liberali devotione laicorum. Ubi vero conſuetudo abſit ut a clericis aliquid exigatur, ex Panormitano in *cap. Iacobus*, ad privatum commodum clericorum non valet; ſed in favorem divini cultus: dummodo non præceſſerit exactio ante ſacramentorum exhibitionem. Unde dicit Innocentius in *cap.* Ad apoſtolicam *extra. de ſimon.* quod conſuetudo qua datur aliquid ante ſacramentorum receptionem, eſt corruptela. *Quapropter*, inquit, *ſuper his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari: ſtatuentes ut libere conferantur eccleſiaſtica ſacramenta; ſed per Epiſcopum loci, veritate cognita, compeſcantur qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.*

§. XXXI.

De pœnis ſtatutis contra ſimoniacos.

Pœnæ quæ ex iure canonico ſtatutæ ſunt ſimoniacis, triplicis generis ab ipſo iure indicantur in *cap.* Cum deteſtabile *extra. de ſimon.* Prima eſt cenſura excommunicationis latæ ſententiæ quæ ipſo facto incurritur, & ſuſpenſionis ab Ordinum exercitio, cum reſervatione utriuſque pœnæ ad Sanctam Sedem. Secunda eſt invaliditatis actus ſimoniace facti, quod ſpectat ad beneficii aut penſionis eccleſiaſticæ collationem, ut teneatur ſic proviſus beneficio quam primum aut clericali penſione ſe abſolute abdicare, omneſque perceptos fructus reſtituere. Tertia eſt onus reſtituendi pretium ſimoniace acceptum.

Huiuſcemodi autem pœnæ latæ non ſunt ab ipſo iure niſi contra ſimoniam realem vel confidentialem commiſſam vel in Religionis ingreſſu aut profeſſione, vel in ordinatione, vel in beneficii conſecutione. Nomine autem beneficii comprehenduntur quælibet etiam officia quæ ſpiritualem habent iuriſdictionem, ut Abbatia, Generalatus, Provincialatus, Prioratus, Guardianatus, ex *cit. cap.* Cum deteſtabile *extra. de ſimon.* & ex Bulla Sixti V. Cum vero Pontifex in dicta Bulla uſus ſit vocabulo officiorum, non beneficiorum; illa ſunt propriiſſime officia eccleſiaſtica: licet ſecundum aliquos improprie tantum beneficia. Et ratio eſt: quia ex illis ſimoniace acceptis non minora ſequuntur inconvenientia quam ex beneficiis proprie dictis. Statuit autem Eccleſia ſuas pœnas circa haſce tres tantum ſpecies ſimoniæ; quia in hiſce tribus ob bo-

no-

Digitized by Google

noris dignitatem vel commoda temporalia frequentius committitur, aut ſaltem maius eſt illius periculum.

Dixi *contra ſimoniam realem vel confidentialem*. Nam licet ſimonia mentalis ſit grave peccatum, conſentiunt tamen doctores, nullam pœnam iuris contrahi ob ſimoniam mere mentalem, quæ committitur, nullo interveniente externo pacto tacito vel expreſſo. Ex *cap.* XLVI. *de ſimon.* ubi dicitur de ſimoniacis mentalibus: *Sufficere per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori*. Ita pariter nec per ſimoniam pure conventionalem quæ nihil habet de confidentiali: cum iura haſce pœnas ſtatuentia realem rei ſpiritualis receptionem requirant, vel ſpem conſidentiamque recipiendi; ut conſtat ex *cap.* I. *&* II. *extra. de ſimon* Hinc conſentiunt, etiam nullam contrahi pœnam ob ſimoniam mixtam ſeu ſemirealem, quando non tradita fuerit res ſpiritualis, ſed ſolum pretium ſeu res temporalis: quia donec acquiratur res ſpiritualis, & ſic quaſi contractus ineatur; ſimonia non cenſetur plene exterius conſummata.

Diſcrepant vero Theologi, num huiuſcemodi pœnæ canonicæ contrahantur, ſi traditum ſit beneficium vel alia res ſpiritualis, licet pretium promiſſum nulla ex parte ſit ſolutum. Sed advertit hic Cabaſſutius, ſecundum ſtium & praxim tales pœnas præcipue excommunicationis non contrahi, locumque non habere niſi ex quo ſimonia ex utraque parte fuerit reipſa completa: ſcilicet quando pretium ſit ſolutum in totum, vel ſaltem in parte. Nam ſi pars aliqua pretii fuerit ſoluta: tunc ſpirituale traditum eſt pro temporali, & viciſſim; nec minus completa eſt ſimonia, ac ſi ab initio conventum eſſet de ſola illa minima quantitate. Ita Cabaſſutius & P. Antoine qui dicunt, hunc eſſe communem ſenſum doctorum. Unde circa ſimoniam pro ingreſſu in religionem excommunicantur excommunicatione Papæ reſervata aliquid exigentes, dantes, ac recipientes pro tali ingreſſu aut profeſſione. Intellige tamen, ſi hoc fiat a perſona particulari. Nam ſi Conventus ſeu communitas ſit particeps ſeu conſentiat, ſuſpenſionem incurrit ipſo facto latam, ideſt Papæ reſervatam, ab officiis capitularibus quæ ad eccleſiaſticam adminiſtrationem ſpectant. *Cap.* Sane *extra. de ſimon.* Receptus autem ac profeſſus, ſi eius ſimonia ſit notoria & completa, ideſt ſecuto effectu dati & recepti, ac profeſſione iuridice declarata, ſit infamis, ac ideo irre-

Pœnæ pro ſimoniaco ingreſſu in Religionem.

gularis irregularitate orta ex infamia: ex *cap.* XXV. §. Ceterum *eod. tit.* Et quamvis eius profeſſio ſit valida, ac proinde ante iudicis ſententiam criminis declaratoriam manere poſſit in ſuo Monaſterio; privatur tamen voce activa & paſſiva, ſicut & iure ad portionem ordinariam, donec accedat diſpenſatio. Secuta tamen ſententia criminis declaratoria, e Monaſterio eſt eiiciendus, & ad peragendam ſui criminis pœnitentiam in aliud arctius Monaſterium detrudi debet.

Item pro ſimonia Ordinatione.

Quoad ſecundam vero ſpeciem ſimoniæ, ideſt quæ contrahi poteſt in Ordinatione, pœnæ ſunt huiuſmodi. Primo, conferentes ac recipientes ſimoniace Ordines, immo & ipſam primam tonſuram, ut volunt multi, necnon mediator ac præſentator ad collationem Ordinum vel clericalis tonſuræ, excommunicationem incurrunt Papæ reſervatam, quacumque fulgeant dignitate pontificia, aut cardinalitia. *Cap.* Cum deteſtabile *extra. h. t.* Et quoad primam tonſuram ad quam alii hanc excommunicationem extendunt, habetur in *cap* II. *de ætat. præficiend.* ubi dicitur per eam conferri Ordo clericalis, & uſitato loquendi modo aliquia per eam ſimpliciter conſtituitur in ordine clericorum. Secundo, ſimoniace Ordines conferens ſuſpenſus remanet per triennium a collatione cuiuſvis Ordinis, etiam tonſuræ; necnon ab exercitio aliorum omnium pontificalium officiorum Immo interdicitur etiam ab ingreſſu in Eccleſiam, ac ſuſpenditur ſimul ab adminiſtratione propriæ Eccleſiæ, & perceptione fructuum omnium cuiuſcumque beneficii a ſe poſſeſſi: a quibus ſingulis pœnis non poteſt abſolvi, niſi a ſancta Sede, ut ex *cap.* XLV. *de ſimon.* & ex Bulla Sixti V. contra male promotos, quæ incipit *Sanctum & ſalutare*. Verum quoad Bullam Sixti V. dicunt aliqui non eſſe communiter receptam. Ordinatus pariter ſimoniace ultra excommunicationem incurrit ipſo facto ſuſpenſionem ab exercitio Ordinum, non ſolum ſimoniace ſuſceptorum, ſed omnium: & utramque Papæ reſervatam; ita ut ſi in illis miniſtraverit, ſit irregularis. Iuxta Bullam vero Sixti V. privatur omnibus dignitatibus & beneficiis, & ſit inhabilis ad illa & ad alios Ordines ſuſcipiendos: quæ inhabilitas a ſolo Papa abſolvi ſeu diſpenſari poteſt. Notat hic tamen Leſſius, quantum ad abſolutionem, citatam Bullam Sixtinam non eſſe uſu receptam, ac proinde iuxta conceſſionem Tridentini Concilii *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VI. *de reformat.* ab Epiſcopo poſſe abſolvi, ſi caſus ſit occultus. Non incurrit tamen

Digitized by Google

men hanc pœnam qui nec ſciens nec volens ſimoniace ordinatus eſt: quia non decet innocentem puniri per cenſuram. Sed nihilominus, ſecundum S. Thomam 2. 2. *quæſt. c. art. 6. ad* 3. alioſque, non poteſt ſine diſpenſatione Ordines exercere: licet Lucius III. *cap.* XXII. *de ſimon.* dicat loquens de ignorantibus: *Poſſunt* (quia ſimoniaci non ſunt) *in ſuis Ordinibus permanere.*

Pœnæ ſimoniæ beneficialis. Circa vero pœnas quæ incurruntur in tertia ſpecie ſimoniæ realis, ideſt in receptione beneficiorum, prima eſt, quod ſi quis ſciens & non contradicens beneficium aut aliquod eccleſiaſticum officium ſimoniace recipit, necnon qui tali via hoc illi procurat per electionem, poſtulationem, nominationem, confirmationem, inſtitutionem, proviſionem, præſentationem, ſeu per quamvis aliam diſpoſitionem, incurrit ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam. Et hanc pœnam incurrunt etiam qui fuerunt mediatores ſeu procuratores ut ſimonia committatur, ut parentes, amici, & omnes qui ſua opera interceſſerint, vel pecuniam obtulerint pro ſimoniaca beneficii conſecutione; ex *cit. extra.* II. *de ſimon.* & ex Bulla Sixti V. contra male promotos. Præterea *ibid.* ſi proviſio aut collatio beneficii fiat ſimoniace, irrita eſt & nulla, ita ut per talem proviſionem ius nullum acquirat proviſus. Unde ſic recipiens beneficium non facit fructus ſuos, ideoque tenetur in conſcientia reſtituere fructus omnes quos perceperit. Et id procedit, licet ſimonia commiſſa fuerit ab aliqua tertia perſona, ſciente & non contradicente qui beneficium recepit, ut ex *cap.* Sicuti tuis XXXIII. *de ſimon.* Quod ſi contradixerit, & hoc non obſtante, ante collationem beneficii ſciat datam eſſe pecuniam: neque tunc beneficium acceptare poteſt; quia ad illum factus eſt inhabilis, ut colligitur ex *cap. penult. de elect.* Si demum neque ſciverit, neque contradixerit, quia nullam habuerit ſuſpicionem: tunc diſtinguendum eſt. Vel ea ſimonia commiſſa fuit in odium beneficiati, puta ad effectum ut beneficio poſtea privari debeat titulo ſimoniæ; vel commiſſa fuit in favorem illius ab amico vel conſanguineo. In primo caſu, ſeu ſi ſimonia commiſſa fuerit a tertio in odium beneficiati: quia illam omnino ignorans beneficium recepit; collatio beneficii valida eſt, ex *cit. cap.* Sicuti tuis *de ſimon.* Nam *dolus & fraus nulli patrocinari debet.* Si autem conſanguineus vel amicus pecuniam dederit, neſciente beneficiato: beneficiatus, ſtatim ac id cognoſcit, beneficium dimittere tenetur, eiuſque fructus reſtituere, ut ex *cap.* Sicuti tuis *cit.* & ex *cit. cap. penult. de elect.* ubi etiam dicitur, Epiſcopum diſpenſare non poſſe ſuper Prælatura per ſimoniam collata, inſcio beneficiato. Quamvis circa eum qui ignoranter, nec ratam habens ſimoniam commiſſam, per ſimoniacam ſabem ſimplex recipit beneficium; poſt liberam puramque reſignationem poteſt Epiſcopus diſpenſare: ſive hoc poſſit Epiſcopus de iure; ſive talis eius diſpenſatio a Sancta Sede toleretur, ut volunt aliqui.

Pœnas eaſdem incurrunt, ſecundum communem doctorum, illi quoque qui propria auctoritate beneficia permutant: cum iſti quoque in iure ſimoniaci appellentur. Item ſimonia realis, ut notat P. Antoine, in Prælaturis Regularium, ut ſunt Prioris, Guardiani, Provincialis, inducit nullitatem actus obligationemque illas dimittendi in ſuperioris manu, & excommunicationem Papæ reſervatam: cum ſint officia ſpiritualem eccleſiaſticamque iuriſdictionem habentia. Et id ſtatuitur expreſſe in *cap.* Cum deteſtabile *extra. de ſimon.* & conſtat etiam ex Bulla Martini V.

Pœnæ ſimoniæ confidentialis. Pœnæ vero ſimoniæ confidentialis ex Bulla LXXXV. Pii IV. & ex Bulla pariter LXXXV. Pii V. ſunt eædem quæ in iure canonico ſtatutæ ſunt contra ſimoniam realem. Videlicet primo, excommunicatio Papæ reſervata contra utrumque contrahentem, ſi ſint inferiores Epiſcopo: nam hi incurrunt ſolum interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Secundo, privatio beneficii per ſimoniam confidentialem obtenti: & quidem ipſo facto, ſeu ante omnem iudicis ſententiam; cum eius collatio nulla ſit. Tertio, inhabilitas ad idem beneficium atque ad alia acquirenda. Quarto, privatio beneficiorum antea legitime poſſeſſorum, & penſionum prius obtentarum. Quinto, beneficia per ſimoniam collata & accepta, reſervata ſunt Papæ. Idcirco reſignari nequeunt in manu Ordinariorum, neque ab iis conferri. Inſuper fructus beneficiorum per confidentiam acquiſitorum, & penſionum ſic conſtitutarum, reſervantur Cameræ Apoſtolicæ: ubi tamen hæc reſervatio uſum obtinuit.

Nota I. quod ſimonia ſive realis, ſive confidentialis, quæ inhabilem reddit etiam per Epiſcopi diſpenſationem ad obtinendum beneficium de quo quis ſimoniace proviſus fuerit, non reddit tamen eumdem inhabilem ad retinenda beneficia quæ antea poſſidebat, nec ad alia obtinenda ipſo facto, nempe ante iudicis ſententiam, ut advertit Suarez: ſed

Digitized by Google

ſed ſolum, per ſententiam iudicis privari poteſt poſſeſſis, & ad conſequenda inhabilis declarari.

Nota II. quod ut contrahantur hæ pœnæ, requiritur ut beneficium datum ſit & acceptum, ut patet ex Bulla Pii IV. ubi ait: *Omnes & ſingulos qui beneficia vel penſiones, hoc intercedente vitio, acceperunt*. Non eſt tamen neceſſe ut qui beneficium accepit, promiſſionem ſuam impleverit, hoc eſt vel pretium promiſſum ſolverit, vel beneficium alteri reſignaverit, vel penſionem ſolverit, vel fructus beneficii ab altero percipi permiſerit. Hoc enim ſpecialiter ſtatutum eſt contra genus hoc ſimoniæ, quæ gravioribus pœnis multatur, utpote quæ pœne innumeris dolis fraudibuſque ſubiacet, & magis ſubdole quam quævis alia committitur, continetque rationem quamdam hereditariæ ſucceſſionis nimis in iure odioſam. Iiſdem pariter pœnis obnoxius eſt beneficium recipiens, qui deprehendit intentionem confidentiariam dimittentis; tametſi ſine huiuſmodi intentione ipſum recipiat, ut expreſſe habetur in Bulla Pii V. *Etiamſi ſola dimittentis intentione receperit*.

Nota III. cum P. Antoine, quod cum Conſtitutiones Pii IV. & Pii V. novas pœnas non apponant ratione confidentiæ, niſi contra recipientes beneficium vel penſionem per confidentiam: ſoli recipientes beneficiis ac penſionibus prius legitime acquiſitis exſpolientur; non autem reſignantes ſub pactione confidentiali, ſive ad id cooperantes. Incurrunt tamen hi quoque ut vere ſimoniaci pœnam excommunicationis Papæ reſervatam, iure antiquo latam, ſi pactio confidentiaria ex utraque parte completa fuerit.

Pro aliis ſimoniæ ſpeciebus, ſive quæ non committuntur circa Ordines, neque circa beneficia recipienda, neque circa Religionis ingreſſum, docent non pauci apud Suarez, ex parte materiæ nullas eſſe pœnas ipſo iure latas, ſeu quæ de facto incurrantur; ſed dumtaxat ferendas eſſe a iudice ſecundum criminum qualitatem. Non deſunt tamen qui volunt, prædictas pœnas ipſo facto incurri a quolibet ſimoniaco, ut inter alios docet Garzia.

Iudex competens ſimoniæ eſt iudex ſolus eccleſiaſticus, etiam contra ſimoniacum laicum, iuxta Gloſſam communiter receptam *cap.* Cum ſit *de for. compet.* v. *Malefactores*: & ad ſimoniacum accuſandum admittitur quilibet Catholicus, etiam ſervus contra dominum. Immo in *cit. extra. 11. de ſimon. inter commun.* omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur ut eos omnes quos ſimoniam commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe ſciverint, ſummo Pontifici, vel cui idem Pontifex iuſſerit committendum, per ſe vel per alios quanto citius revelare non omittant.

§. XXXII.

De debito reſtitutionis ex ſimonia.

Nulla extat obligatio reſtituendi pure ſpiritualia per ſimoniam acquiſita, præter beneficium, ſub quo, ut ait Bonacina, negante Leſſio, comprehenditur etiam penſio. Dixi *pure ſpiritualia*: in quibus non reperitur materia vel ars pretio æſtimabilis; ut ſunt ſacramenta, reliquiæ, grana benedicta, iuſpatronatus, licentia eligendi Confeſſarium, hiſque ſimilia. Et hæc reſtituenda non ſunt, ſi per ſimoniam ſint acquiſita: quia cum non habeant pretium; non ſunt materia contractus, ac proinde tranſeunt ab uno ad alterum per modum rei neglectæ & abdicatæ ſine obligatione reſtitutionis.

Temporale acceptum ſimoniace pro præſentatione, collatione, aut confirmatione beneficii ſeu alterius rei ſpiritualis, non ſecuta conditione, iure naturæ reſtituendum eſt ei a quo receptum fuit: quia dum non præſtatur id pro quo datum eſt, deficit titulus retinendi. Notat vero Covarruvias, ea ſaltem in foro externo ob patratam turpitudinem a dante repeti non poſſe. Quod ſi ſecuta ſit rei traditio; pretium ſimoniace acceptum pro collatione, præſentatione, confirmatione beneficii reſtituendum eſt ante iudicis ſententiam. Et ſi ſimonia utrimque completa ſit; probabilius eſt, reſtitutionem faciendam eſſe Eccleſiæ ubi eſt beneficium. Ita ſentiunt non pauci, hoc deſumentes ex *cap.* De hoc *extra. de ſimon.* Verum cum hæc lex pœnalis ſit; docent alii, inter quos Catalanus, ſi reſtitutio fiat ante ſententiam iudicis, fieri poſſe ipſi danti. Et id admitti poſſet per epicheiam, ſi ſimoniacus facti pœnitens ceſſerit beneficio, & egeat.

Pretium vero acceptum pro quavis alia ſimonia, ſive iuris divini, ſive eccleſiaſtici, extra materia beneficiorum, puta pro collatione Ordinum, ſacramentorum, & ſacramentalium, ſi graviter excedat id quod pro ſuſtentatione exigi poterat (idemque dicendum eſt pro admiſſione ad Religionem) iure poſitivo reſtituendum eſt danti, excepto poſteriore, ante ſententiam iudicis: quia con-

Digitized by Google

contractus turpes iure naturæ invalidi ſunt. Dixi *excepto poſteriore*. Nam ſi admiſſus in Monaſterio maneat; non reſtituendum eſt niſi poſt latam iudicis ſententiam: quia plerumque ratione alimentorum retineri poteſt; modo in communem uſum convertatur. Ita Bonacina & Leſſius.

CAPUT VIII.

De beneficiis eccleſiaſticis in genere.

§. I.

De origine & natura beneficiorum eccleſiaſticorum.

CUm dotatio Eccleſiarum quæ iam fit in Dei amorem & obſequium, beneficiaque in his erigere ut alantur miniſtri qui ibi perpetuo Deum laudibus, ſacrificiis, & precibus venerentur, ad religionis virtutem ſpectet; necnon ſacrorum miniſtrorum officia pro quibus beneficia conferuntur, actus ſint eiuſdem virtutis religionis: idcirco non eſt incongruum, ut dum de hac virtute agitur, de beneficiis quoque ut ad ipſam virtutem pertinentibus ſermo inſtituatur; ſicuti etiam de ſimoniacis pactis quæ in materia beneficiorum occurrere poſſunt, utpote quæ ſint vitia ac peccata eidem religioni oppoſita, & ab ipſa religione vetita, de quibus iam cum aliis religioni adverſantibus vitiis actum eſt.

Mos perpetuus ſuſtentandi Dei miniſtros ex piis oblationibus. Certum eſt (ut habetur in divina Scriptura *Act. cap.* IV.) quod ſicuti ſemper mos fuit tum in lege naturæ, tum Moyſis, ut miniſtri divino cultui deſignati in compenſationem ſuorum operum ac laborum, ſeu potius ut haberent unde viverent, a pietate populi bona quibus ſuſtentarentur, reciperent (ſicuti præter alia multa exempla habemus *Gen. cap.* XLVII. & Abraham Melchiſedecho Sacerdoti decimam ſpoliorum partem obtuliſſe, & Iacob hanc decimam fructuum Deo voviſſe) ita Chriſtiani in ipſo Eccleſiæ exordio, idest Apoſtolorum tempore morem hunc ſequentes, pecuniam quam ex ſuorum bonorum venditione retrahebant, afferebant Apoſtolis, ut ſibi, clericis, ac egenis fidelibus providerent, quin etiam ſe ipſos ad vivendum in communi cum Apoſtolis & clero ſe adiungebant. Idcirco manifeſtum eſt & in confeſſo apud omnes, quod in primordiis Eccleſiæ non ſolum Apoſtoli & clerici, ſed ipſi etiam fideles laici cum Apoſtolis & clero vitam communem duxerunt, præcipue in Eccleſia Hieroſolymitana: aliquibus tamen exceptis, qui bona ſua ac prædia retinentes in particulari vivebant, ut de Corinthiis teſtatur Apoſtolus *II. Corinth. cap.* IX. Verum, percrebreſcente Chriſtianorum numero, tametſi laici cœperint generaliter ſibi ſuas facultates ſervare; ita ut deſierint habere ſimul cum vita eas quoque communes: cum tamen clerici fere omnes pium ſervaſſent communis vitæ inſtitutum, ne ipſis ac pauperibus deficeret ſuſtentatio; & Iudæi qui iam ex legis præcepto aſſueti erant offerre decimas ad Levitarum ſuſtentationem, & Gentiles qui ante converſionem in more habebant offerre ex ſuis facultatibus ad ſacrificia, utrique ſive ex ſuis reditibus, ſive ex pretio immobilium quæ vendebant, offerebant Eccleſiæ, ut ita tum Eccleſiis, tum miniſtris, tum pauperibus conſulerent. Sic P. Thomaſinus in ſua *diſcipl. Eccleſ.* & Van-Eſpen. Unde clerici qui perſiſtere voluerunt in vita communi, in poteſtate & peculiari cura Epiſcopi conſtituti, nihil proprium poſſidebant; ſed alebantur in ſacra æde aut collegio titulo aliquo inſignito, ut S. Crucis, S. Stephani, ubi oblationes ſupradictæ pro iiſdem ſacris miniſtris & pauperibus ſervabantur: ut ex *cap.* II. *Epiſt.* Pii I. Nam Epiſcopi apud quos erat bonorum Eccleſiæ adminiſtratio, accepta ex his moderata portione pro ſua ſuſtentatione, quod ſupererat, diſpenſabant per ſuos œconomos & Archidiaconum in clericis alendis qui Eccleſiæ inſerviebant, viduis, & pauperibus, & ſartis tectis Eccleſiis ſervandis; ut ex *loc. cit.* Pii I. Sed, deſerta tandem a clericis vita communi, tunc fidelium oblationes, decimæ, aliique eccleſiaſtici proventus ſeparari cœperunt ac dividi in portiones, quæ ab Epiſcopis a quibus non iam defecerat adminiſtratio, per eorum œconomos ac Archidiaconos clericis Eccleſiæ inſervientibus diſtribuebantur. Et hæc appellatur portio canonica: quia iuxta canones dabatur clericis qui in Eccleſia miniſtrabant, & ex propriis vel nolebant, vel ob eorum inopiam vivere non valebant. Ita ex Concilio Arauſicano I. *can.* XXIII. anno DXI. & ex Epiſtola Symmachi Papæ, qui ſedit circa finem ſæculi V. Immo ubi per Conſtantinum Magnum pax Eccleſiæ affulſit, per Imperatoris legem conceſſum fuit fidelibus ut prædia, agros, aliaque dona offerrent; necnon Gentiles converſi ultro reſtituerunt Eccleſiæ prædia Martyrum quæ, ſæviente perſecutione, fiſco fuere addicta, ac decimæ, antea liberaliter oblatæ, ex lege poſtea tamquam vectigal ſacrum perſolvebantur Eccleſiæ.

Diſciplina primitivæ Eccleſiæ circa hoc.

Digitized by Google

ſiæ. Ex quo autem bona huiuſmodi ſeu poſſeſſiones, ac ideo annuos reditus Eccleſiæ habere cœperunt; induſtum fuit ut pro portione canonica adderent Epiſcopi clericis præcipue benemeritis, quoad viverent, portionem quamdam prædiorum pro eorum ſuſtentatione: & tales bonorum aſſignationes, licet perraro & nonniſi ex neceſſitate fierent, appellari cœperunt beneficia, ut in *cit. can.* Concilii Arauſicani & in Epiſtola Symmachi. Unde non incongrue notat Cardinalis Baronius, ex tunc initium habuiſſe ac originem eccleſiaſtica beneficia. Ita Van-Eſpen *Part. II.* & Iuvenin.

Haſtenus permanebat apud Epiſcopos adminiſtratio quorumdam bonorum eccleſiaſticorum, quæ appellabantur Eccleſiarum patrimonia: quoniam ex ipſis providebant ea quibus ad fabricam Eccleſiæ, ad ſacra peragenda, ad decorem templi opus erat, & alebant clericos ac egenos. At, labeſcente Eccleſiæ diſciplina, ita invaluere portionis inſtitutiones, ut tandem ex iure perſonali in quo antea cœperant, necnon ex ipſius Eccleſiæ diſpoſitione ac ſtatuto in ius tituli ſeu in beneficia redigerentur. Van-Eſpen *Part. II.* Nam cum fidelitas ac integritas Epiſcoporum, œconomorum, & Archidiaconorum in eccleſiaſticis rebus diſpenſandis declinaſſet a priſtino ſuo gradu ſeu inſtituto, quotidie querelæ ac diſſenſiones multiplicabantur diſpenſatores inter & clericos qui videbant ſe defraudari Eccleſiæ proventibus ſibi debitis. Hinc ut a vexatione & iniuſta diſtributione ſe eximerent, cœperunt præcipue ſinguli Presbyteri ſigillatim ſibi arrogare oblationes quæ fiebant in ſuis Eccleſiis, quæ ſolebant deferri ad Epiſcopum dividendæ. Sed cum ius applicandi propriis uſibus diſtas oblationes ad ſingulos Presbyteros devolutum eſſet; res eccleſiaſticæ paſſim dividi cœperunt, atque ſua portio ſundorum unde proventus ipſimet perciperent, aſſignari ſingulis clericis qui Eccleſiæ ſuum officium ſeu miniſterium exhibebant. Unde initium habuit etiam illud axioma per Bonifacium VIII. approbatum: *Beneficium datur propter officium*. Hoc tamen non eodem tempore & loco, aut alicuius Concilii decreto introduſtum eſt; ſed paulatim ab una in aliam tranſiit Eccleſiam.

Immo cum incommodum videretur quod, moriente Presbytero, ſucceſſor ab Epiſcopo quaſi ex liberalitate denuo recipere deberet ius percipiendi proventus eccleſiaſticos; cœperunt ſingulæ Eccleſiæ ius percipiendi proventus intra proprios limites ſuis Preſbyteris, independenter ab Epiſcopo vindicare. Idcirco invaluit iuris axioma, Parochos habere fundatam intentionem ad percipiendas decimas, oblationes, alioſve proventus intra fines ſuarum reſpeſtive Parochiarum provenientes. Quare ius percipiendi fruſtus non amplius perſonis, ſed Eccleſiis ipſis ſeu titulis adneſti cœpit; ut qui talem titulum ſeu Eccleſiam haberet, ius ſimul conſequeretur percipiendi bona hiſce titulis adnexa. Et huiuſcemodi diſciplina univerſim invaluit, & fuit acceptata. Unde contigit ut ipſe titulus nomen beneficii obtinuerit: & quia, titulo obtento, ipſum ius fruſtus percipiendi ut ei adnexum obtinetur; & quia eccleſiaſticum officium tamquam principale, ius vero percipiendi proventus ut minus principale & acceſſorium conſiderari & reputari debet. Van-Eſpen *Part. II. tit.* XVIII.

Quare manifeſte conſtat, per plura ſæcula proventus eccleſiaſticos qui procedebant atque conſtituebantur ex oblationibus aliiſve piorum fidelium elargitionibus, ut ex his providerentur Eccleſiæ, clerici, ac pauperes, extitiſſe apud Epiſcopos, qui ne a verbo Dei aliiſve gravioribus Eccleſiæ negotiis diſtraherentur, exemplo Apoſtolorum qui ad hunc finem ſeptem Diaconos pro temporalium bonorum diſtributione conſtituerunt, per ſuos œconomos & Archidiaconum, detraſta ſua ipſorum ſuſtentatione, ſecundum proportionem reliquum diſpenſabant in fabricam Eccleſiæ, in clericos, & in pauperes. Idcirco numquam faſtum fuit ut alicui in particulari Eccleſiæ prædia concederentur, nonniſi deſerta vita communi, ac collapſa primæva Eccleſiæ diſciplina: ex quo decurſu temporis beneficiorum tituli inſtituti fuere.

Licet autem omnia Eccleſiæ bona, ſaltem quoad illud quod ſunt Deo dicata & ſacris miniſtris addiſta, vocari poſſint ſpiritualia & ſacra, & omnia etiam quæ ad miniſtrorum uſum inſerviunt, dici temporalia: nihilominus tamen civitates, oppida, caſtella, villæ, aliaque ſimilia iuriſdiſtionem temporalem adnexam habentia, quæ ex liberali Regum & Principum largitione Epiſcopis aliiſque eccleſiaſtica dignitate inſignitis, immo Abbatibus etiam & Monaſteriis donata fuere, potius appellari poſſunt temporalia; cum hæc decorem potius ac potentiam afferant clericis quam neceſſariam vitæ ſuſtentationem. Prædia vero, decimæ, primitiæ, aliæque oblationes potiore ratione ſacra bona dicuntur: quia hæc revera ſunt

ſunt Eccleſiæ miniſtrorum alimenta & vitæ ſubſidia; immo quaſi ſtipendium laboris & merces. Atque hæc ſunt illa bona ex quibus primitus ſacri miniſtri alebantur, dum in communi vivebant, & dum ſeiunctim horum portio iiſdem conferebatur ad vitæ ſuſtentationem: & ex hoc, ut antea notavi, initium habuere eccleſiaſtica beneficia. Sic Azorius *Part. II. pag.* 398.

Beneficii eccleſiaſtici definitio. Iure igitur ac merito eccleſiaſtica beneficia a Canoniſtis qui retinent priſtinam beneficiorum nomenclaturam, quæ ſignat ius percipiendi certos proventus clericis tamquam Eccleſiæ militibus conceſſum, definiri ſolet *ius perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis eccleſiaſticis ſeu Deo dicatis, propter officium ſpirituale auctoritate Eccleſiæ conſtitutum*. Theologi vero beneficium magis conſiderantes ſecundum reſpectum ad titulum & officium eccleſiaſticum, illud definiunt explicando ipſum eccleſiaſticum officium ſeu miniſterium ut principale: *Ius perpetuum miniſtrandi in Eccleſia, auctoritate Epiſcopi conſtitutum, habens ius percipiendi fructus adnexos*. Sed ſive Theologorum, ſive Canoniſtarum definitio accipiatur, utraque iam explicat ipſum officium ſeu miniſterium ut principale, & ius percipiendi fructus ut acceſſorium. Nam licet Canoniſtæ dicant, officium eccleſiaſticum non eſſe proprie beneficium; fatentur tamen eſſe fundamentum & cauſſam beneficii. Quare ita arridet Theologis Canoniſtarum definitio, ut fere omnes eadem in beneficiis definiendis utantur. Quocirca evidenter patet, quod licet vetus diſciplina circa eccleſiaſticorum proventuum participationem ſenſim immutata fuerit; Eccleſia tamen ſemper eumdem ſpiritum ſervavit: ideſt quod beneficia eccleſiaſtica, ideſt ius percipiendi proventus ex Eccleſiæ bonis, eodem fine clericis aſſignata voluerit, quo ab initio voluit per Epiſcopos eis impertiri ſtipendia, aut annonam ſive alimenta, ut ſcilicet divino vacarent famulatui in ſacris Eccleſiæ miniſteriis. Idcirco nullum ex intentione Eccleſiæ datur beneficium, quantumvis ſimplex, ſine officio. Nam ſicuti divini iuris eſt ut qui ſervit altari, de altari vivat; ita nec bono iure hic qui non ſervit altari, de altari vivit: eo ferme pacto quo ſtipendium non darur niſi militanti: ait Concilium Colonienſe anno MDXLIX. *tit. IX. can.* III.

Explicatur. In definitione dicitur *ius perpetuum*: tum ex parte ipſius beneficii quod, moriente beneficiario, non extinguitur, ſicuti penſiones quæ ideo beneficia non ſunt; tum ex parte beneficiarii qui per ſe loquendo beneficio ſibi ſemel conceſſo, quamdiu vivit, privari non poteſt. Dixi *per ſe loquendo*: quia beneficium adimi poteſt vel propter ipſius beneficiatii crimina, vel propter alias rationes quas approbat Eccleſia; ut ſi Parochus ſit Regularis, dum hic ad placitum ſuperiorum revocari poteſt ad communitatem Monaſterii. Et hoc comprobatur tum ex doctrina Apoſtolorum, tum ex primæva Patrum diſciplina. Nam Apoſtolus *I. Corinth. cap.* VII. docet ut unuſquiſque in vocatione qua vocatus eſt, permaneat. Hinc firma fuit & perpetua Eccleſiæ diſciplina, & per Concilium Tridentinum innovata *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XVI. *de reformat.* ut dum clericus alicui Eccleſiæ legitima auctoritate & vocatione adſcriptus eſt, quod fit per admiſſionem ad quodcumque beneficium, permaneat, & ibi fungatur muneribus quæ beneficio correſpondent. Ratio etiam ipſa vocationis & Patrum diſciplina ſuadent ne umquam diſcedat a ſervitute ſuæ Eccleſiæ, nec removeatur, niſi iuſta aliqua ratio aliud perſuadeat. Van-Eſpen *Part. II. tit.* XVIII. Hinc communiter inferunt Canoniſtæ, quod ſi officium aliquod cum iure percipiendi fructus erigatur temporaliter atque ad nutum revocabile, cuiuſmodi ſunt Vicariæ aut Capellaniæ amovibiles, non ſit proprie beneficium: ſicuti etiam, ſi de perpetuo fiat manuale ideſt ad nutum revocabile, natutam amittit veri beneficii. Additur in definitione *propter officium ſpirituale*: quia beneficia non dantur niſi clericis, qui ſoli ob facultatem quam recipiunt a ſacro Ordine quo ad Eccleſiæ miniſteria deputantur, munus ſpirituale in Eccleſia præſtare poſſunt. Dicitur tandem *auctoritate Eccleſiæ vel Epiſcopi conſtitutum*: nam ad Papam ſolum & Epiſcopos ſpectat officia ſpiritualia inſtituere, ut ſemper ex ipſa Patrum diſciplina ita obſervare conſuevit Eccleſia. Sicut enim nemo antiquitus applicabatur miniſteriis Eccleſiarum, niſi Epiſcoporum auctoritate: ſic nec eidem, niſi tali auctoritate, eccleſiaſtici proventus diſpenſabantur. In ipſa quippe ordinatione Epiſcopus adſcribendo clericum alicui Eccleſiæ, hunc eidem alligabat & conſtituebat eius miniſtrum ſeu, ut nunc dicitur, beneficiarium ad officia ſeu ſunctiones ſui Ordinis ibi exercendas; ipſique porrionem bonorum Eccleſiæ ad ſui ſuſtentationem impertiebatur. Hinc ad hoc ut ſalvaretur hæc Epiſcopi auctoritas, ut ſcilicet munia eccleſiaſtica ac Eccleſiæ poſſeſſiones interventu Epiſcopi a cleri-

Digitized by Google

clericis ſuſciperentur, viſum eſt nullum reputari verum beneficium vi cuius clerici ſacris miniſteriis alligentur, & ius percipiendi eccleſiaſticos proventus acquirant, niſi auctoritate Epiſcopi probatum atque pro vero titulo eccleſiaſtico agnitum fuerit, & in titulum erectum ac ſpiritualizatum. Unde ad conſtituendum beneficium, neceſſe eſt ut ab Epiſcopo in titulum erigatur. Quocirca Capellæ privatæ, a privatis dotatæ in perpetuum ut Miſſæ ibi in perpetuum celebrentur, ac etiam cum onere quod clericus pro illis electus ſit Epiſcopo præſentandus, ac electus ſit perpetuus ut poſſit, vita ipſius durante, uti proventibus fundationis, immo etiamſi ad titulum huiuſce fundationis promoveretur ad Ordines: nullatenus erunt, nec cenſendæ ſunt beneficia, nec legibus beneficiorum regentur, niſi auctoritate Epiſcopi in titulum fuerint erectæ. Proinde remanent ſub ſola fundatorum ac ſucceſſorum diſpoſitione, inſcio etiam Epiſcopo, qui ſolus eas poteſt intitulare &, ut loquar cum Canoniſtis, ſpiritualizare, ac eas deinde ut eccleſiaſtica beneficia conſerre, relicta patronis ſola præſentatione. Ex tunc autem & non antea ſubiici incipiunt papalibus decimis, & ſimoniæ beneficialis cenſuras ſecum trahunt; atque in beneficiorum impetrationibus coram Papa vel Legato exprimi debent, nec poſſunt cum aliis beneficiis permutari. Ex tunc etiam regulis Cancellariæ fiunt obnoxiæ ac fructuum reſtitutioni, ſi divini Officii recitatio omittatur: ad quam reſtitutionem non tenetur proviſus, quando non ſunt ab Epiſcopo intitulatæ, vel antequam intitulentur; dummodo obligationem Miſſarum impleviſſet. Nam ſine Epiſcopi intitulatione non ſunt niſi piæ fundationes, ſimplices inſtitutiones, cuſtodiæ, officia quæ nullam habent rationem beneficii, neque ipſius legibus ſunt ſubiecta. Sic Cabaſſutius *Part. II. cap.* I. *num.* 2. Cum vero Vicariæ perpetuæ ſint vera beneficia: reſpondit Sacra Congregatio, quod Vicarii perpetui conſtitui non poſſint, niſi prius Vicaria perpetua erecta ſit in titulum ab Epiſcopo, ut ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VII. *cap.* IX. *de reformat.* Item cum reditus beneficii iuxta hodiernam diſciplinam ſint ipſi titulo beneficii adnexi, atque beneficiarius vi eiuſdem tituli accipiat ius eos percipiendi, vita ſua durante; iudicatum fuit, teſtatorem noluiſſe beneficium erigi, eo quod voluiſſet ut cuſtodia & ſollicitudo Capellæ cum libera adminiſtratione hereditatis illi relictæ deberet eſſe penes quemdam Abbatem. Quare cum conditio beneficiorum importet ac requirat ut erectio & collatio non poſſit fieri niſi Epiſcopi auctoritate; evidenter patet, ſpiritum Eccleſiæ in his remanſiſſe invariatum, tametſi exterior diſciplina in multis ſit mutata.

Ex his igitur omnibus hactenus de beneficiorum conditione expoſitis evidenter colligitur, quod ad naturam veri eccleſiaſtici beneficii requiratur ut fundatum ſit Epiſcopi auctoritate, ut ex Gloſſa v. *Si beneficium* & Abbate in *cap.* Significat *num.* 5. colligitur: *cap. fin. de reſcript. in* 6. quod habeat ius ſpirituali adnexum; quia beneficium datur propter divinum officium: *cap.* Cum adeo *de reſcript.* & *cap.* Ex litteris *de tranſact.* quod ſit conferendum clerico: *cap.* Si quis deinceps, *cap.* Si quis nullus XVI. *q.* VII. quod conferri non poſſit niſi ab eccleſiaſtica perſona, Epiſcopo vel Prælato: *cap.* Sanctorum lxx. *cap. penult. de cler. ægrotant.* quod ſit perpetuum; hoc eſt quod non conferatur ad certum tempus: *cap. fin. de inſtitut. cap.* Relatum *de præbend.* quod conferens non poſſit ſibi ipſi illud conferre: tandem quod pure ſine aliqua conditione debeat illud conferre; *cap.* Si quis dator, *cap.* Si quis obiecerit I. *q.* III. *cap.* Ex parte I. *de offic. Legat.*

§. II.

De beneficiorum diviſione.

Beneficiorum primaria & maxime vulgata diviſio eſt ratione perſonæ cui de iure ordinario competunt, in ſæcularia quæ clericis competunt ſæcularibus, & regularia, quæ Regularibus, ideſt religioſis in approbata Religione in qua tria vota ſolemniter emittuntur, profeſſis. Hæc trita & communis beneficiorum diviſio invaluit, poſtquam ipſa officia clauſtralia quæ primitus erant mera officia & obedientiæ, ſenſim degenerare cœperunt in beneficia & dignitates, ac Monachi manentes Monachi ad officia hierarchica ab Eccleſia aſſumi cœperunt. *Cap.* Cum ſingula *de præbend. in* 6. *Clement.* I. *de elect.* Unde invaluit in iure canonico regula illa: *Sæcularia, ſæcularibus, regularia regularibus*: ut habetur in *cap.* Cum de beneficio *de præbendis in* 6. Beneſ. ciorum diviſio ratione perſonæ cui competunt de iure ordinario.

Regularia autem alia ſunt regularia ex natura ſua & conditione, ſeu ex vi inſtitutionis: eo quod officia huiuſcemodi beneficiis adnexa ipſam regularem diſciplinam ac regimen, ſive quoad ſpiritualia, ſive quoad temporalia, immediate reſpiciant, ut

M 2 plane

plane conveniens ſit talia officia Regularibus potius quam ſæcularibus committi. Huiuſmodi autem beneficia ſunt Abbatiæ, Prioratus tam conventuales, quam clauſtrales, Guardianatus, aliaque regimen regulare concernentia. Alia vero ſunt regularia ex fundatione: quia ita diſpoſuit fundator beneficii, ut hoc eſſet addictum Regularibus, ſive per Regulares regeretur; & ipſa conditione ab Ordinario admiſſum & erectum fuit. Alia titulo præſcriptionis: nempe beneficium quod antea erat ſæculare, fieri potuit regulare, ut ex vi huiuſce præſcriptionis Regularibus addictum cenſeatur, ut per Regulares regi debeat. Ad hanc præſcriptionem communiter poſt Gloſſam in *cap.* v. *de præbend.* requirunt doctores ſpatium quadraginta annorum, ideſt quod per quadraginta annos per unum pluresve Regulares ſit pacifice poſſeſſum, & tamquam beneficium regulare ipſis Regularibus in titulum beneficii collatum. Nam ſi collatum erat Regularibus per diſpenſationem tamquam ſæculare, aut forſan ob defectum ſæcularium commendatum, nulla quantumvis longiſſima poſſeſſio valeret ad naturam beneficii mutandam, ut Rebuffus *tit. de collation.* §. *Volumus* v. *Regularia*. Immo notat ulterius idem Rebuffus, requiri præſcriptionem quadraginta annorum ad hoc ut beneficium regulare fiat ſæculare. Et eſt conveniens, quando revera probaretur beneficium eſſe regulare, vel econtra, aut vera huiuſcemodi beneficiorum qualitas: ita ut ſi vera qualitas non probaretur, ſufficit quod beneficium fuerit ultimo poſſeſſum per ſæcularem, ut ſæculari debeatur, licet non intervenerit præſcriptio. Et ſi poſſeſſio probaretur hinc inde, eo caſu attenderetur ultimus ſtatus. Ita Pyrrhus Corradus *lib. I. Prax. benefic.*

Cum igitur diverſi generis ſint etiam regularia beneficia, ut ſupra dicta, vel quæ adnexa fuere Regularibus ex fundatorum diſpoſitione, vel ea quæ cum antea ex ſua inſtitutione ſæcularia eſſent, Regulares acquiſivere præſcriptione, præbendæ, portiones Monachales, Canonicales, aliaque ſimplicia beneficia Regularibus provideri conſueta; docent Canoniſtæ iuxta regulam Concilii Tridentini *ſeſſ.* XIV. *cap.* X. *de reformat.* poſſe Epiſcopum alioſve Ordinarios collatores ea conferre nedum Ordinis profeſſis, verum & clericis ſæcularibus, qui tamen omnino tenentur habitum regularem illius Ordinis ſuſcipere, ac poſt annum ſolemnem profeſſionem emittere: cum ad obtinenda huiuſcemodi beneficia non requiratur actualis profeſſio, nec habitus regularis; ſed ſatis ſit ut poſtea habitum aſſumat, & profeſſionem ſuo tempore emittat. Sic Fagnanus, Van-Eſpen, Cabaſſutius, aliique. Immo conferri poſſunt clerico ſæculari, etiam ſine obligatione aſſumendi regulare inſtitutum Abbatiæ, Prioratus clauſtrales, & Canonicatus regulares in commendam, ſed non in titulum, ut docet Fagnanus in *cap.* Cum magiſtrum *num.* 13. *& ſeqq. de elect.* ubi monet, novum non eſſe in iure ut beneficia deſtinata uni generi perſonarum, aliis etiam conſerantur qui tempore huius proviſionis non ſunt de illo genere. Et de hoc non ſolum habetur exemplum huius expoſitæ proviſionis de beneficio regulari in favorem clerici ſæcularis; ſed in proviſionibus etiam Eccleſiarum parochialium quæ fieri permittuntur in clerico nondum Sacerdote, cum onere tamen ut intra annum teneatur promoveri ad Sacerdotium (*cap.* Licet canon, *cap.* Cum ex eodem *de elect. in 6.*) tum etiam beneficiorum, quæ licet adnexa habeant certa onera, vel ſacerdotalia, vel diaconalia, rite conferuntur clericis nondum initiatis Ordini ad talia onera exercenda; dummodo tamen poſſint intra annum initiari. *Clement. tit.* XI. *de ætat.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *cap.* XII. §. *Neminem*. Hic tamen monet Fagnanus *loc. cit. num.* 8. in eiuſmodi caſibus ſolum Papam, & nullatenus ordinarios collatores, facere poſſe collationes ſub forma conditionata; ſed faciendas eſſe ſimpliciter, cum decreto tamen ut teneantur ſive habitum aut profeſſionem, ſive Ordinem, ubi hic tantum requiritur, præſcripto tempore ſuſcipere. Cabaſſutius.

Verumtamen Abbatiæ, Prioratus, Præpoſituræ, aliaque beneficia ex natura ſua & conditione regularia, quæ habent ſuos Conventus ubi in communi vivitur, ac officium ipſis adnexum reſpicit immediate ipſam diſciplinam & regimen Regularium, ſive quoad ſpiritualia, ſive quoad temporalia, quorum collatio ſpectat ad Prælatum Regularem, vel ad Regulare Capitulum, conferri non poſſunt in titulum niſi Religioſis illius Ordinis expreſſe profeſſis; niſi interveniat Papæ derogatio & certa ſcientia. Unde iure ac merito in decreto Concilii Tridentini, ubi videtur admittere beneficia regularia conferri poſſe clericis ſæcularibus, qui habitum ſuſcipere illius Ordinis & profeſſionem emittere teneantur, Canoniſtæ cenſent diſtinguendum eſſe inter beneficia regularia quæ adnexum habent regimen

men in diſciplina regulari & in Monaſterii adminiſtratione; ut ſunt Abbatiæ, Prioratus, & ſimilia: & hæc non comprehenduntur in tali decreto Concilii Tridentini; ſed ea ſolummodo beneficia ſolita conferri Regularibus, atque eo titulo regularia quæ nullum habent regimen ſeu adminiſtrationem, nec in regulari diſciplina, nec in bonis Monaſterii, ut ſunt ſupradicta. Hancque diſtinctionem ex Fagnano ad *cap.* Cum cauſſa *de elect. num.* 38. approbavit Sacra Congregatio die XII. Decembris MDLXXXV. quæ cenſuit poſſe collatores ordinarios portiones Monachales, Canonicales, ſimiliaque beneficia ſimplicia Regularibus conſueta provideri, conferri clericis ſæcularibus cum ſupradicto onere aſſumendi habitum Regularem; Abbatias vero aliaque adminiſtrationem ac regimen habentia nonniſi profeſſis per Ordinarios inferiores conferri poſſe. Beneficium igitur regulare pariter dividitur in ſimplex; ut eſt Prioratus quem ſimplicem dicunt, & Canonicatus regularis, aliaque ſupradicta quæ ſolita ſunt conferri Regularibus: & duplex; ut Abbatia, Prioratus tum conventualis, tum clauſtralis. Conventualis conſtituit hominem totius Cœnobii ſuperiorem, unde & dignitas dicitur. Clauſtralis vero ſubiicit Abbati, & ab eo conſtituitur, ac pro nutu revocatur. Priores vero conventuales per electionem ſuorum Capitulorum ſunt inſtituti, & nonniſi ob rationabilem cauſſam mutantur: ut ſi ſint dilapidatores, aut incontinenter vixerint.

Beneficia vero ſæcularia ea dicuntur quæ clericis ſæcularibus ſunt addicta. Clerici autem ſæculares appellantur ii qui nullam profeſſi regulam in ſæculo Deo inſerviunt. Rebuffus in *Prax. benefic. cap.* 1. *tit. Quotuplex ſit beneficium num.* 1. Van-Eſpen, & alii. Hinc Canonici ſæculares a regularibus diſtinguuntur, quod hi, & non illi profeſſionem religioſam iuxta certam regulam emittunt.

Docet idem Rebuffus *num.* 3. regulam inter Canoniſtas communiter receptam: Regulariter omne beneficium præſumitur ſæculare ex primæva inſtitutione, niſi probetur regulare: ideo ſæcularis non tenetur probare eſſe ſæculare; quia ſæcularis habet pro ſe præſumptionem. Hæc tamen regula non valet, quando unum beneficium uni vel pluribus ſæcularibus datum ſit in commendam. Commenda enim, ut notat Molinæus, quantocumque tempore perduret, ſtatum antiquum beneficii non mutat, ſed conſervat. Exceptionem a regula ſubiungit Rebuffus *num.* 6. quoad Capellas fundatas in Monaſterio. Ait enim illas præſumi regulares, niſi ſolitæ ſint teneri per ſæculares.

Beneficia porro, iuxta ſupra citatam regulam, ſæcularia ſæcularibus; & præcipue non curata, ut Canonicatus, Capellaniæ, aliaque ſimilia, ſine Papæ diſpenſatione conferri nequeunt Regularibus. *Cap.* IX. *de Regular.* & Fagnanus *cap.* Quod Dei timorem *de ſtat. Monach. num.* 18. Circa vero beneficia curata, cum res non ſit ita expedita; hinc diſſident doctores, num de licentia ſuorum Prælatorum poſſint Regulares ad hæc promoveri? & ait Fagnanus ad *cit. cap.* affirmativam ſententiam eſſe communem: de iure videlicet Monachum cauſſa utilitatis de Abbatis conſenſu promoveri poſſe ab Epiſcopo ad parochialem Eccleſiam ſine diſpenſatione; dummodo alter Monachus cum eo habitet. Et ſententia eorum qui ita tenent, fundatur in oraculo Innocentii III. qui favorabiliter inquiſitus reſpondit circa promotionem factam Canonici regularis ad beneficium parochiale, citando antiquos canones, quibus conceſſum erat ut etiam Monachi, licet Canonicis regularibus ſtrictiores, poſſent ordinari ad Eccleſiæ parochialis regimen; & Lateranenſe Concilium, quod cavit ne Monachi ſinguli per oppida & villas, per quaſcumque parochiales ponantur Eccleſias. Hoc tamen, notat Pontifex, cautum non fuit a Concilio quoad Canonicos regulares. Iniungit quidem Pontifex ut Canonicus regularis exercens Plebani officium unum Canonicum regularem ſecum habeat ad cautelam: ut in iis quæ Dei ſunt & regularis obſervantiæ, ipſius conſortio & ſolatio frueretur.

Notandum tamen de Monachis eſt, quod prioribus ſeptem ſæculis ſi promovebantur, non remanebant in Monachatu, ideſt Monachi eſſe deſinebant: ſeu a vita ſolitaria & contemplativa ad clericalem & activam tranſire videbantur. Labentibus vero ſæculis inductum fuit, ſicuti etiam nunc cernitur, ut Monachi electi ad Parochiales, Monachi remaneant. Notandum ſimiliter eſt, Innocentium in ſua Decretali citare antiquos canones quos legerat apud Gratianum ſub nomine S. Ambroſii & Bonifacii Papæ: hodie autem eruditi agnoſcunt falſo illos canones his auctoribus adſcriptos, ac apocryphos eſſe. Notandum tandem eſt, quod tametſi uſque nunc conſueverint Epiſcopi promovere Canonicos regulares ad beneficia curata ſine Papæ diſpenſatione; & ita ſen-

tiant doctores communiter hoc fieri poſſe: Gregorius tamen XIII. quæſitus, num Canonicus regularis de ſui Generalis licentia poſſit ad curata beneficia promoveri? Pontifex negative reſpondit. Ex quo infert Fagnanus, Canonicos regulares ſine Papæ diſpenſatione non poſſe ad beneficia parochialia promoveri. Multo autem minus, ut etiam reſponſum fuit a ſacra Congregatione, aliorum Ordinum Regulares promovere poſſunt Epiſcopi ad eiuſmodi beneficia ſine Papæ diſpenſatione, quæ concedenda non videtur, niſi inſtante Epiſcopo pro Eccleſiæ utilitate & neceſſitate. Van-Eſpen *Part. II. tit.* XVIII.

Regulares promoti ad beneficia curata, ſi hæc ſint in Eccleſia ſæculari non unita Monaſterio, ita ut ſimpliciter iuſpatronatus pertineat ad Prælatum, quando ab ipſo Prælato ſunt præſentati, ac ab Epiſcopo admiſſi, non poſſunt a Prælato ad nutum amoveri non ſecus ac ſi eſſent beneficia regularia, eo quod beneficia ſæcularia ſint ex natura ſua perpetua; ideoque Regularis ita præſentatus & admiſſus videtur inſtitutus iuxta naturam ipſius beneficii. Ceterum ſi beneficium ſit regulare, ideſt Parochialis Eccleſia ſit iuris prorſus regularis, Religioſi qui hiſce Eccleſiis a ſuis ſuperioribus præficiuntur, licet ex facultate quam habent dicti ſuperiores, ad ipſorum ſuperiorum nutum ſint amovibiles, & etiam ſine cauſa ſit valida revocatio; ad hoc tamen ut ſit licita, neceſſario aliqua requiritur non levis cauſa, ut non pro libidine, ſed rationabiliter & iudicio boni viri removeantur: quia honor delatus finem certi temporis & loci non habet; alias iuſtam querelam haberet removendus contra ſuperiorem. Sic Van-Eſpen, Azorius, Pellizarius, aliique.

Regulares per Abbates, ideſt per ſuos ſuperiores, ad Eccleſias parochiales eorum Monaſteriis incorporatas præſentati & inſtituti accipere debent curam animarum ab Epiſcopo; necnon in iis quæ curam animarum concernunt, Epiſcopo ſubiiciuntur, & eorum ordinationibus obedire tenentur. Et caſu quo in ea cura deliquerint, ab Epiſcopo puniri poſſunt; nec Abbates ſeu ſuperiores poſſunt ſine Epiſcopi licentia abſolvere & revocare: licet circa hoc alii in contrarium ſentiant, ut Pellizarius cum aliis.

Rurſus dividuntur ratione officii. Beneficia dividuntur etiam ratione officii adnexi in duplicia, & ſimplicia. Duplicia ea ſunt quibus adnexa eſt vel animarum cura, vel iuriſdictio in foro exteriore, vel præeminentia, vel rerum eccleſiaſticarum adminiſtratio. Simplicia ea ſunt quæ nihil horum adiunctum habent: ſed vel ſolam Breviarii recitationem, ut Prioratus ſæculares; vel Miſſæ celebrationem, ut Capellaniæ; vel aſſiſtentiam in choro, ut Canonicatus. Sed quia hodie uſus invaluit ut beneficia ſimplicia dicantur quæ reſidentiam non poſtulant; Canonicatus in hac ſententia beneficia ſimplicia dici nequeunt. Beneficia duplicia in triplici claſſe dividi poſſunt. Alia enim ſunt maiora, ut Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatia, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, quibus ſubſunt Abbatiæ. Alia ſunt media, ex quibus quædam dicuntur dignitates, quædam perſonatus, quædam vero officia. Sed de his pro clariore notitia poſt beneficiorum diviſiones fuſius erit agendum. Tandem inter beneficia duplicia locum habent non in honore, ſed in ordine Parochiæ: quæ licet adnexam habeant curam animarum; non tamen præeminentiam & in foro exteriore iuriſdictionem habent. Cum enim beneficia parochialia quædam Monaſteriis adnexa ſint, conſtituuntur in illis Vicarii perpetui ſub ea penſione quam congruam dicunt, atque iis incumbit cura animarum, non vero Parochis primitivis, qui nullum ſacramentum, & præcipue pœnitentiæ, ſine Epiſcopi conſenſu miniſtrare queunt.

Item ratione modi quo conferuntur. Dividuntur ulterius beneficia ratione modi quo conferuntur, in titularia, & in ea quæ dantur in commendam. Titularia ea dicuntur quæ ad vitam, cum plenitudine iuris, ac ſecundum propriam ipſorum fundationem conferuntur; ut ſæcularia ſæcularibus, regularia Regularibus. Commendata vero vocantur ea quæ a ſummo Pontifice clericis ſæcularibus pro adminiſtratione & cuſtodia conferuntur, abſque eo quod natura beneficii mutetur. Hinc Commendatarii ex ſua conditione ſeu Inſtitutione ſunt potius adminiſtratores & cuſtodes quam titulares. Ceterum duo ſunt commendarum genera. Aliæ enim dicuntur decretæ, quæ nempe dantur cum decreto quod, Commendatario cedente vel decedente, beneficium perſonæ regulari conferri debeat, ac ſi numquam fuiſſet commendatum; aliæ liberæ, per quas ſine tali decreto beneficium pure & libere datur in commendam. Cum autem commenda iam detur in vitam Commendatarii; hinc omnia fere titularium iura ei competunt. Unde commenda perpetua æquivalet beneficio in titulum collato.

Dividuntur pariter beneficia ratione perſona-

Præterea ratione conferentium. ſonarum a quibus conferuntur, primo in papalia, quæ a ſummo Pontifice; & in epiſcopalia, quæ ab Epiſcopis conferuntur: ſecundo in conciſtorialia, patronata, non patronata, electiva, & collativa. Conciſtorialia ea dicuntur quæ iis qui nominati ſunt a Principe, conferuntur a Papa in conſiſtorio ſeu cœtu Cardinalium. Abbatiæ vero quæ non excedunt ſexaginta ſex florenos, non ſunt beneficia conciſtorialia. Patronata ſunt ea ad quæ nominat aliquis, ſive laicus, ſive eccleſiaſticus, ut beneficium ab Epiſcopo ei conferatur. Non patronata ſeu mere collativa ea ſunt quæ alicui conferuntur ſine prævia alterius nominatione ſeu præſentatione. Electiva dicuntur ea quæ alicui per electorum ſuffragia canonice electo conferuntur. Et hæc vel indigent ſuperioris approbatione & confirmatione; & dicuntur electiva confirmativa; vel non indigent, ut Decanatus multarum Cathedralium, & tunc vocantur electiva collativa, quia talia beneficia ſola electione conferuntur.

Necnon ratione Ordinis. Item ratione Ordinis quem exigunt, beneficia alia dicuntur ſacerdotalia, quæ requirunt ut illi quibus conferuntur, in actu proviſionis ſint Sacerdotes, ſi beneficium a fundatione ſit ſacerdotale; vel intra annum, ſi beneficium ſit ſacerdotale a lege, ut beneficia curata, & Cathedralium dignitates. Annus vero non computatur niſi a die pacificæ poſſeſſionis: quæ epocha non ubique eſt eadem; quia alii computant a die proviſionis numquam turbatæ, alii a completa annua poſſeſſione. Alia dicuntur non ſacerdotalia: & talia beneficia Sacerdotium non requirunt.

Tandem ratione modi quo tenentur. Dividuntur itidem beneficia ratione modi quo tenentur, in incompatibilia, & compatibilia. Incompatibilia ea ſunt quæ ſimul poſſideri non poſſunt, quia adnexam habent curam animarum, vel reſidentiam exigunt perſonalem, ut ſunt Epiſcopatus, duo beneficia curata, duæ dignitates, vel Parochia & Canonicatus; vel quæ in eadem Eccleſia inſtituta ſint cum eodem onere, ideſt ad eumdem finem, ut duo Canonicatus vel Capellaniæ quibus ſit adnexa reſidentia in eadem Eccleſia. Compatibilia dicuntur ea quæ non exigunt perſonalem reſidentiam, nec habent idem officium eodem tempore perſolvendum: ac proinde hæc ſimul teneri poſſunt.

Dividitur tandem beneficium in manuale, quod licet prius detur in titulum, poteſt nihilominus ad nutum ſuperioris collaturis removeri, ut ex *cap.* VI. *de ſtat. Monach.* colligitur; & hoc deficit a proprietate beneficii, quæ eſt perpetuitas: & in non manuale, quod conceditur in perpetuum, ita ut ſine iuſta cauſſa, ideſt niſi ob crimen vel irregularitatem adimi poſſint.

Alia etiam a Tournely diviſio exponitur quæ in Galliis eſt in uſu: nimirum in beneficia quæ Graduatis addicta ſunt; & ea quæ conferri poſſunt etiam non Graduatis. Graduati ii dicuntur qui per tempus competens in univerſitate famoſa, quæ nempe quatuor facultatibus conſtat, ſtuduerint per decennium, magiſtri, doctores, licentiati, aut baccalaurei in Theologia; per ſeptennium licentiati in iure canonico, civili, aut medicina; per quinquennium licentiati in artibus; per ſexennium baccalaurei ſimplices in Theologia, qui per quinquennium in iure canonico aut civili. Nam duo ſunt genera Graduatorum: alii ſimplices, qui ſolum ſuas graduum litteras habent cum ſtudii atteſtatione; alii nominati, qui præter haſce litteras & atteſtationes habent nominationis litteras, quibus ab univerſitate in qua ſtuduerint, nominantur & collatori præſentantur, ut affectis ſibi beneficiis donentur. Beneficia vero non Graduatorum ſunt ea ſolummodo quæ pendent a patronis & collatoribus eccleſiaſticis, quicumque fuerint; modo ii plus quam duo habeant beneficia præſentanda. Idcirco Graduatis non ſubiacent beneficia conciſtorialia, electiva, confirmativa quæ a Rege, ac ea quæ a patronis laicis nominantur & conferuntur. Item dignitates Cathedralium. Nec Graduati ius habent niſi in beneficiis quæ vacant per mortem, & a Papa poſſunt præveniri. Alia huc ſpectantia poſſunt videri hic in Tournely.

§. III.

De eccleſiaſticis dignitatibus tam ſæcularibus, quam regularibus.

Iam dictum fuit in beneficiorum diviſione, beneficia quæ duplicia ſunt, dici maiora: quæ, quando adnexam habent iuriſdictionem in foro exteriore ſimul cum adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum, vel cum præeminentia ſupra reliquos quoad locum magis honorificum, dicuntur etiam dignitatis, ut Papatus, Epiſcopatus, & ſimilia. Dignitas vero ſecundum Rebuffum dicitur *quædam præeminentia cum iuriſdictione*: quæ cognoſcitur ex præeminentia & iuriſdictione, quando ad hoc eſt inſtituta ut ſit dignitas; vel ex conſuetudine, quando conſuetudo facit ut ſit digni- Dignitas quid ſit.

dignitas. Beneficia igitur quibus huiuſmodi præeminentia cum iuriſdictione ex inſtitutione vel ex conſuetudine adnexa eſt, vocantur dignitates. Dignitatis nomen hoc modo ſumptum erat prorſus ignotum prioribus Eccleſiæ ſæculis, quando, nondum exortis beneficiorum titulis, per ſolam Ordinationem clerici miniſteriis eccleſiaſticis applicabantur, ipſaque eccleſiaſtica officia ipſis Ordinibus erant adnexa, ac per ipſam Ordinationem ius percipiendi eccleſiaſticos proventus adipiſcebantur, & omnis dignitas atque præeminentia a dignitate Ordinum petebatur, ipſeque maior reputabatur in eccleſiaſtico miniſterio qui maior erat in Ordine. Poſtquam vero inducti ſunt beneficiorum tituli, & ſeiunctim ab Ordinum collatione conferri cœperunt officia, quæ inter Canonicos, dum in communi vivebant, erant ſimplicia miniſteria, ac ſuperioris arbitrio committebantur & adimebantur, ut hodie apud Canonicos regulares; plura reperiuntur quæ in dignitates erecta ſunt cum Ordinandorum quidem honore, ſed cum ſacri Ordinis contemptu: quia ex tunc non Ordines, ſed beneficia & dignitates vulgo æſtimari cœperunt. Ad hoc vero ut dignoſcatur, quænam beneficia maiora ſint, & nunc etiam dignitates, notandum eſt cum Theologis & Canoniſtis, quod beneficia Cathedralium & Collegiatarum, ubi dignitates in ſuis beneficiis ortum habuere, quædam habent iuriſdictionem in clericos cum adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum & præeminentia ſupra reliquos; & hæc beneficia ſunt ſimul dignitates, ut Abbatia, Archidiaconatus, Decanatus, Primiceriatus, Præpoſitura: quædam adnexam habent ſolummodo præeminentiam ſine iuriſdictione & rerum adminiſtratione; & vocantur perſonatus: quædam vero ſolam habent rerum adminiſtrationem ſine iuriſdictione & præeminentia; & hæc dicuntur officia, ut ſunt munia ſacriſtæ, cuſtodis, theſaurarii, ut ex Gloſſa *cap.* I. *de conſuetud.* ubi notat, non obſtante eo diſcrimine inter dignitatem, perſonatum, & officium, iura aliquando uti promiſcue hiſce nominibus, ut in *cap.* Cum acceſſiſſent VIII. *de conſtitut.* in quo idem Primiceriatus circa initium textus vocatur perſonatus, poſtea dignitas, & circa finem capitis nominatur officium. Ad dignoſcendum vero, quænam pro dignitate habenda ſint, attendenda eſt inſtitutio, & potiſſimum conſuetudo. Nam quædam in una Eccleſia reputantur officia ac ſimplicia beneficia, quæ in alia ſunt dignitates. Similiter quoad Ordinem & præeminentiam inter dignitates, conſuetudo inſpici debet ſingularum Eccleſiarum, quæ fere in ſingulis diverſa eſt. *Cap.* Cum olim *de conſuetud.* Van-Eſpen *Part. II. tit.* XVIII. *cap.* II.

Cum igitur dignitas ſit officium quod habet iuriſdictionem in clericos, adnexam cum rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione ac præeminentia ſupra alios: hinc cum hoc inveniatur tam in clero ſæculari, quam in regulari; dignitates quoque maiores non minus quam beneficia aliæ ſunt ſæculares, aliæ regulares. Dignitatum ſæcularium maiorum præcipua & omnium maxima eſt Papatus, poſtea Cardinalatus, Patriarchatus, Primatia, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatia, Prioratus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Præpoſitura, Primiceriatus Eccleſiarum cathedralium atque collegiatarum. Immo cum Canonicatus Eccleſiarum cathedralium ſit multo excellentior ac dignior Canonicatu collegiatarum, necnon aliorum quorumcumque clericorum, & quia Eccleſia cathedralis honore vincit ac ſuperat dignitate Eccleſias collegiatas aliaſque quaſcumque; & quia Canonici Cathedralium ſunt ſupremus totius diœceſis Senatus: non immerito illos recenſent aliqui inter dignitates; præcipue cum nunc, ut notat laudatus Van-Eſpen, mos in Eccleſiis invaluerit ut dignitates reputentur & dicantur etiam illæ quæ nullam habent iuriſdictionem & rerum adminiſtrationem, ſed ſolum ſupra aliquos præeminentiam in choro, ut vix ullus inveniatur hodie perſonatus. Et eo vel maxime quod Canonici Cathedralium deputari poſſunt & deputantur, ſi opus ſit, & a ſummo Pontifice, & ab eius Legatis iudices delegati: qui honor aliquam dignitatis rationem præſupponit. Ita Azorius. Et ut aliqua de hiſce dignitatibus hic delibetur notitia, eorum conditio & officia breviter exponentur; cum ſit potius Canoniſtarum quam Theologorum munus ex profeſſo hæc pertractare.

Prima dignitas in Eccleſia eſt Papatus.

Inter dignitates igitur quæ ſacro eccleſiaſticorum Ordini ſunt addictæ, præcipua atque omnium ſuprema eſt Papatus, nempe excellentiſſima dignitas qua inſignitus eſt ſupremum in terris Eccleſiæ Chriſti viſibile caput, eiuſdemque Chriſti Domini vicarius, ac ſucceſſor Petri Apoſtolorum principis. Unde ſicuti Eccleſia a ſancto Apoſtolo conſecrata, ex ſuprema Chriſti Domini diſpoſitione prima eſt & ceterarum caput; ita Petri ſucceſſor qui illi præeſt, ideſt Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ceteros antecellit Epiſcopos.

poſ. Hinc Eccleſia Romana quæ ab ipſo immediate regitur, dicitur mater & magiſtra aliarum omnium Eccleſiarum (ex *cap. fin. de for. competent.*) ita ut qui ſe ab illa diſiungit, vel non credendo aliquem ipſius fidei articulum, ſeu falſa dogmata ſectando, vel obedientiam ſubiectionemque ipſi aut eius capiti denegando, habendus ſit tamquam hæreticus & ſchiſmaticus, & ab electorum numero prorſus extraneus: ac ideo in æternæ perditionis indicio; ſicuti ab Arca Noe excluſi omnes diluvii aquis conſumpti perierunt. Lancelottus *lib. I. tit.* v. fuſius vero Azorius & Van-Eſpen. Hic Chriſti vicarius vocatur Papa, ideſt Pater; Romanus Pontifex, cum ſit etiam Romanæ urbis Epiſcopus, ubi tenet unum ex Cardinalibus pro ſuo generali vicario; Archiepiſcopus, cui ſubduntur ſuffraganei Epiſcopi; Patriarcha totius Occidentalis Eccleſiæ, & ut talis præeſt Prælatis omnibus cuiuſcumque gradus, regionum ac provinciarum Occidentis, ideſt Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ; & totius Eccleſiæ Antiſtes, cui totius Orbis omnes ſubiciuntur Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, quibus omnibus iura diſpenſat ut primus Eccleſiæ Paſtor & Præſul, ac omnium Eccleſiarum viſibile caput & Chriſti vicarius. Quare ex priſcis etiam temporibus vocatur Dominus noſter ſanctiſſimus ac beatiſſimus: nempe ratione ſupremi muneris, officii, poteſtatis, & dignitatis. Summus Pontifex non poteſt a dignitate ſua ac poteſtate amoveri ac eiici, nec ab aliquo iudicari, niſi propter hæreſeos crimen; non vero propter quamvis morum fœditatem: quia præcipue datus eſt Eccleſiæ ut doctor fidei & magiſter veritatis. Et quia ſicuti quilibet Chriſtianus qui per hæreſim deficiat a veritate fidei, deſinit eſſe membrum Eccleſiæ; non vero ſi tantum deficiat a morum ſanctitate: ita Romanus Pontifex, ſi laberetur in hæreſim, deſineret eſſe caput Eccleſiæ; non autem ſi tantum declinaret per quævis alia crimina a vitæ probitate, iuxta illud Matth. cap. XXIII. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere.*

Non nulla de ſummi Pontificis poteſtate adnotentur.

Cum autem ſummus Romanus Pontifex in tota univerſali Eccleſia ſit primus inter omnes Eccleſiarum Præſules non ſolum dignitate, ſed etiam auctoritate & poteſtate, non ſecus ac S. Petrus cuius hic eſt legitimus ſucceſſor, inter ceteros Apoſtolos: hinc ipſi tamquam ſupremo capiti & univerſali medico pro quocumque ſpirituali morbo fidei & morum de plenitudine poteſtatis & auctoritatis quam immediate a Chriſto Domino accepit, ſuper omnibus Chriſtiani Orbis fidelibus incumbit ſollicitudo invigilandi canonum obſervantiæ & executioni per univerſum Chriſtianum Orbem, ac rebelles & contumaces pœnis canonicis coercendi: ad differentiam inferiorum Præſulum, ideſt Epiſcoporum, qui ſola caritate, non vero iuriſdictione fines ſuorum diœceſum tranſire valent. Item ex eadem plenisſima, ſuprema, ac univerſali ipſius Papæ ſuper Eccleſiis omnibus poteſtate & auctoritate fit ut ipſius leges, decreta, ac conſtitutiones in cauſſis fidei ac morum ad Eccleſias omnes pertineant: & quia eſt ſupremus quorumcumque negotiorum eccleſiaſticorum primarius iudex & magiſter; tenentur Chriſtiani omnes ex conſcientia humiliter ac prompte ipſi obtemperare. Nam, eſto, quod etiam infallibilis non ſupponatur: proviſorie tamen ipſius decretis quæ apud fideles omnes eſſe debent maximi momenti, ſaltem ad non dogmatizandum contrarium, quando Eccleſia non reclamet & contradicat, parendum eſt. Inſuper cum Eccleſia Romana ſit magiſtra, columna, firmamentum veritatis, quæ fideles in fide roborat, & iure divino omnibus præeſt: idcirco in controverſiis fidei, religionis, ac morum præcipuæ partes ſunt ſummi Pontificis: unde in huiuſcemodi dubiis conſulendus eſt, ipſiuſque quærendum eſt reſponſum, nec quidquam magni momenti definiri debet in Eccleſia quod ad ipſum non referatur. Etenim licet non ſit ſolus ſupremus controverſiarum iudex; cum tamen inter iudices primus ſit ac præcipuus tum dignitate, tum auctoritate, ad quem præcipue ſpectat examen & cenſura ſuper doctrinis, libris, & auctoribus, ipſoſque approbare & reprobare, de rebus fidei hæreſes condemnare & oppugnare, necnon definire in quæſtionibus fidei, morum, & diſciplinæ, etiam ſine Synodo; hinc ad ipſum omnes huiuſcemodi cauſſæ ſunt referendæ, necnon aliæ omnes quæ maiores vocantur. Porro in harum cauſſarum ſerie illæ etiam recenſentur quæ dignitatem perſonæ reſpiciunt; ut ſi de Epiſcopis agatur. Nam cum in Romana Sede ſemper immaculata ſervata ſit veritas ipſa, ideo purus eſt fons veritatis, ut omnino impium ſit, nec longe ab hæreſi diſtet dubitare aliquo falſo dogmate ipſam falli poſſe vel errare.

Poteſt quoque ſummus Pontifex diſpenſare a

re a legibus omnibus eccleſiaſticis, etiam generalium Conciliorum: in his tamen caſibus in quibus ipſummet Concilium diſpenſaret, & iuxta regulas in Conciliis ipſis præſcriptas pro diſpenſationibus. Nam cum Eccleſia nequeat ſemper in Concilio congregari, & neceſſitas urgeat diſpenſationis; recurrendum eſt ad eum qui maiore pollet in Eccleſia auctoritate, ac omnium Epiſcoporum eſt caput, centrum unitatis, atque Catholicæ communionis cuſtos, interpres & iudex ſuper Conciliorum intentionem ac ſenſum, & ipſe quoque ſacrorum canonum auctor, & univerſalis Eccleſiæ primus legiſlator.

Ius pariter habet ſummus Pontifex vi ſui Primatus congregare generalia Concilia, ipſaque de uno ad alium locum transferre, ex iuſta cauſſa ſuſpendere, & quando legitime conſummata ſint, confirmare. Nam cum hæreticorum audacia & pertinacia ſummi Romani Pontificis auctoritate & iudicio comprimi non poteſt; neceſſe eſt ut omnes provinciarum Epiſcopi in Concilium congregentur, quod univerſam repræſentat Eccleſiam, ac eius ſuprema & infallibili auctoritate tam perniciosum Eccleſiæ malum præfocare ac penitus extinguere. Et licet aliqui Theologi ſentiant, poſſe etiam ſupremos temporales Principes Concilia generalia congregare, ut aliquando factum dicitur, & factum fuit quoad Nicænum congregatum opera Conſtantini Magni: nihilominus ut legitima ſint Concilia & in nomine Chriſti congregata, ita neceſſe eſt ut adſit ſaltem conſenſus expreſſus vel tacitus Romani Pontificis, & ab ipſo non revocatus, & quod ab ipſo non ſuſpendantur, & in eorum fine ipſius auctoritate confirmentur, ut non Concilia, ſed Conciliabula forent nullius auctoritatis & roboris, ipſo reluctante, ideſt ſi ab ipſo eſſent disiuncta. Et revera ſi Concilium generale corpus repræſentaret Eccleſiæ ſine ſummo Pontifice, quando hic legitimus exiſtat, ſcilicet mortuus non ſit, vel Eccleſia ſchiſmate non ſit diviſa: eſſet corpus in principaliore parte deficiens, nempe in capite; idcirco nonniſi imperfectum corpus & inutile. Etenim impoſſibile eſt ut, quando ſummi Pontificis auctoritas non accedat, aliquid canonicum in Eccleſia ſtabiliatur.

Tandem ob ſupremum imperium quod ſummus Romanus Pontifex recepit a Chriſto Domino ſuper omnes Chriſtiani Orbis Eccleſias, ad ipſum ſpectat inſtituere ſupremas dignitates Eccleſiæ, ut Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, ideſt Eccleſias Metropolitanas; Sedes novas inſtituere Epiſcopatuum, vel ſaltem a Metropolitis erectas confirmare; haſce coniungere, ſi opus ſit, ac disiungere; per regna ac Mundi provincias Nuntios ſeu Legatos mittere ad ſuprema Eccleſiæ negotia pertractanda; Miſſionarios ad infidelium terras pro Chriſtianæ religionis propagatione mittere; omnia tandem inſtituere ac ordinare quæ ad regimen univerſalis Eccleſiæ utiliter ac neceſſario pertineant. Sic Natalis Alexander in ſua *Eccleſiaſt. Hiſt.* Tournely *de Eccleſ.* Azorius, aliique.

§. IV.

De ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus.

Cardinalis nomen a multis retro ſæculis auditum ac uſitatum fuit in Eccleſia; ſed diverſo modo ac nunc eo utitur Eccleſia Romana. Quia enim ob fidelium multiplicationem non amplius ſatis erat ſola epiſcopalis ſeu cathedralis Eccleſia, ſicuti prioribus temporibus, ut omnes fideles quorum permulti ab ea valde diſtabant, ſpiritualia reciperent; opus fuit Eccleſiarum quoque quæ oratoria nuncupabantur, numerum augere, ipſiſque aſſignare Presbyteros: & ſi oratorium non erat dignum Presbytero, Diaconus aſſignabatur qui curæ ſpirituali fidelium incumberet. Erecta igitur fuere non ſolum in amplis civitatibus plura oratoria, ſed multo magis ruri in uſum ruſticorum a civitatibus epiſcopalibus diſſitorum. Hæ ſunt origines curarum parochialium. Hiſce oratoriis Presbyteri præficiebantur ut populo fideli ſpiritualia miniſtrarent; & præcipue baptiſmum periclitantibus abſolutionemque impertirentur; obſervarent populi mores ac referrent Epiſcopo, qui ſæpe hæc oratoria viſitabat ad congregandos fideles. Presbyteri vero ac Diaconi qui illis præficiebantur, principio a ſolo titulo, hoc eſt a Parochia denominabantur; poſtea vero cœperunt appellari Cardinales, ut ab iis diſtinguerentur qui Eccleſiis ſuis non ita affixi erant, quoſve Epiſcopus vel certis diebus, vel ad tempus eo mittebat. Etenim Cardinalium nomen ſignificabat eos eſſe qui ſic titulis ſuis affixi erant, ut ianua cardinibus ſuis inſiſtit; quibus deſignata ſimul quædam portio eccleſiaſticorum proventuum, ſicut aliis clericis, dabatur pro eorum ſuſtentatione: & qui præſidebant Eccleſiæ presbyterali, Cardinales presbyteri; qui vero diaconali, Cardinales diaconi vocabantur. Ad De Cardinalium nomine.

exem-

exemplum eiuſmodi clericorum titulus Cardinalis dari cœpit etiam Epiſcopis, ut diſtinguerentur ab Epiſcopis viſitatoribus & commendatariis, qui Eccleſiam regebant ad tempus; quales erant vel vacantes, vel vicini, quibus iure fiduciario vacantis Eccleſiæ cura commiſſa erat. Uno verbo Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi Cardinales in hoc unice ab aliis non Cardinalibus differebant, quod illi tamquam proprii & quaſi fixi ac immobiles miniſtri, non ſecus ac cardines fixi ſunt ac circa illos valvæ volvuntur, Eccleſiis ſuis eſſent intitulati, populuſque eorum curæ commiſſus in eccleſiaſtico regimine & animarum cura quodammodo circa ipſos volveretur: alii vero, ideſt non Cardinales, tamquam adventitii & auxiliarii alicui Eccleſiæ erant aſſignati, atque iuxta veterem Cardinalium nomenclaturam hodierni Parochi vere, dicerentur Presbyteri Cardinales cum eo tempore non ita appellarentur niſi Eccleſiarum paſtores; minime vero ita dicebantur, ideſt Cardinales, Vicepaſtores. Et hoc patet ex ipſo iure canonico correcto editionis Antuerpienſis anno MDCXLVIII. ad cuius marginem notatur ex Antonio Auguſtino: *Cardinales Sacerdotes hoc loco non urbis tantum Romæ, ſed aliarum etiam civitatum primos interpretamur, quibus tituli ideſt Parochiæ committuntur*. Ita hic Van-Eſpen. Et ex decretali Leonis IX. legimus etiam circa medietatem ſæculi XI. Eccleſiarum Curiones dictos fuiſſe Sacerdotes Cardinales.

Illi Cardinales presbyteri quos hodie curatos appellamus, creſcente fidelium cœtu, inſtar Epiſcoporum ſe habuere, hoc ſenſu ut ordinaria ſacra, exceptis Epiſcopo ſpeciatim reſervatis, in Eccleſiis ſibi commiſſis peragere æque poſſent ac Epiſcopi in maiore Eccleſia ſeu cathedrali: immo populus æque illis addictus ac Epiſcopo; ut non alibi quam in Parochia rem divinam facere potuerint. Nam in ſuis titulis ſeu Eccleſiis licitum erat hiſce Presbyteris ſacrum facere & prædicare etiam ſolemni tempore. Hoc tamen non univerſim, ſed in Eccleſiis potioribus ſeu matricibus, ubi & ſolummodo erant fontes baptiſmales, & eæ Eccleſiæ plebs vocabantur, quemadmodum Presbyter qui illis præerat, dicebatur Plebanus; quod nomen adhuc in aliquibus Eccleſiis ſervatur. Ex unaquaque vero Eccleſia baptiſmali plura pendebant oratoria ſeu minores Parochiæ, veluti illius filiæ. Curatorum porro erat infantes ante & poſt confirmationem inſtituere, corrigere mores, peccatores convertere, confeſſionibus vacare, extremam unctionem, viaticum, ac ſepulturam illis concedere, necnon matrimonia conſecrare, ſola confirmatione ac clericorum ordinatione Epiſcopis reſervata. Suo iudicio pſalmiſtam ſeu cantorem facere poterant; non vero Subdiaconum minoreſve clericos removere, nec laicos a ſacris arcere. Ineunte ſæculo XI. iuriſdictionem contentioſam ſibi arrogarunt, ac ultra tercentos annos exercuere. Hanc cum pluribus aliis iuribus epiſcopalibus ſoli conſervarunt Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Sic P. Thomaſſinus in ſua *Diſcip. Eccl.* & Fleury in ſuo *Iur. can.*

Unde uſus nominis Cardinalis eſt pervetuſtus & notiſſimus a multis retro ſæculis in Eccleſia, & præcipue tempore S. Gregorii Magni, quando hæ appellationes erant valde uſitatæ per totam Latinam Eccleſiam atque frequentatæ; ita ut tranſierint etiam ad clerum Eccleſiæ cathedralis, etiamſi ibi eſſent aliqui tantum Subdiaconi, ut ex laudato P. Thomaſſino *loc. cit.* ubi notat, non ſolum Presbyteros & Diaconos, ſed etiam Subdiaconos alicui Eccleſiæ fixos appellatos fuiſſe Cardinales. Verum quidem eſt, quod nomen Cardinalis non audiebatur niſi inter huiuſmodi clericos qui morabantur in civitatibus epiſcopalibus, ac proinde inter clericos cathedralium; donec poſtremo appellatio Cardinalis propria facta eſt ſolius Eccleſiæ Romanæ. Et revera Ioannes XIII. in conferendo Primatum Archiepiſcopo Magdeburgenſi ita cavet in ſuo diplomate de clero illius Cathedralis. *Ceterum, more Romanæ Eccleſiæ, Eccleſiam tuam duodecim Presbyteros, ſeptem Diaconos, & viginti quatuor Subdiaconos Cardinales, qui ſandaliis & linis utantur, habere volumus*. Cardinales igitur etiam Eccleſiæ Romanæ, qui nunc tantæ ſunt dignitatis ac decoris in tota Catholica Eccleſia, olim non erant niſi ut Cardinales aliarum civitatum Presbyteri & Diaconi in ſuis reſpectivis Eccleſiis, & titulis Romæ erectis, tamquam ordinarii & fixi adſcripti miniſtri, quorum præcipuum officium erat illarum Eccleſiarum ſeu titulorum curam gerere, muniaque Presbyteri ſeu Parochi aut Diaconi obire, iiſque ſe totos impendere: tametſi tunc etiam Presbyterium conſtituerent, cuius conſilio & opera Romanus Epiſcopus ac univerſalis Eccleſiæ Paſtor Pontifex utebatur. Diaconiæ erant quædam loca erecta & diſtributa per quatuordecim regiones in quibus urbs dividebatur, in quibus per Diaconos regionarios alebantur pauperes, viduæ, pu- *Quid olim Diaconiæ in urbe.*

pupilli, ſenes eius regionis : & in diaconia quæ erat quaſi publica domus & hoſpitalis, adiunctum erat oratorium ſeu ſacellum ; & proprius Diaconus qui ad miniſtrandum dictis perſonis præficiebatur, Diaconus Cardinalis appellabatur. Exoleſcente vero paulatim uſu harum domorum ſeu hoſpitalium, ipſiſque ædibus dirutis, ſolis ſacellis ſeu oratoriis nomen diaconiæ remanſit, a quibus tandem Diaconi Cardinales Romæ dicti ſunt. Hiſce quatuordecim diaconiis ſive titulis Cardinalium diaconorum, ſi credamus Onuphrio Panvino, additi fuere alii quatuor, quorum munus tantum erat Lateranenſi Baſilicæ vel Pontifici Romano ibidem celebranti miniſtrare. Idcirco legimus appellatos fuiſſe altaris Lateranenſis miniſtros. Et hic numerus Cardinalium diaconorum, qui cum quatuor creatis pro Lateranenſi Eccleſia eſt octodecim, numquam legitur fuiſſe immutatus. Titulos vero Cardinalium presbyterorum, quos etiam ante MCX. viginti octo enumerat Panvinus, monet aliquos illorum circa tempora Gregorii I. fuiſſe mutatos.

Cardinalium gradus. Nullus erat antiquitus in Romana Eccleſia Cardinalis Epiſcopus præter Romanum Pontificem intitulatum illius Eccleſiæ Epiſcopum ; & nonniſi circa ſæculum undecimum vel duodecimum hi inſtituti fuere, ut vult Panvinus. Nimirum quod Eccleſiæ Lateranenſi quæ eſt ſpecialis ſedes Romani Pontificis, & propter ſuam & Epiſcopi Romani excellentiam ſeptem Epiſcopi ex circumvicinis civitatibus aſſignati fuerunt, qui ſtatis ſolemnibus diebus ſinguli coram Romano Pontifice in eadem Baſilica divina celebrarent myſteria, vel Pontifici celebranti aſſiſterent, ac ſingulis hebdomadæ diebus ſuper altare D. Petri celebrarent : ob eam cauſſam Epiſcopi Cardinales, ideſt principales, quia huius Eccleſiæ ac Romani Pontificis miniſterio adſcripti eſſent, appellari cœperunt. Hi ſeptem Epiſcopi Cardinales Lateranenſis Eccleſiæ olim fuerunt Oſtienſis, Silvæ Candidæ (alias S. Ruffinæ) Portuenſis, Sabinus, Præneſtenſis, Albanus, Tuſculanus : qui nunc ſunt dumtaxat ſex ; quia a Callixto II. Eccleſia S. Ruffinæ unita fuit Epiſcopatui Portuenſi. Unde colligitur, quod a ſæculo undecimo vel duodecimo triplex eſt gradus Cardinalium, ſive triplex titulus Cardinalatus : nempe Epiſcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum. Et hi, ſicut antiquitus, conſtituunt clerum Romanum, & Collegium ſive Senatum, qui nunc vocatur Conciſtorium, ſine quorum conſilio arduum nihil ſolet agere Romanus Pontifex.

Verum in hoc diſcrepant Cardinales noſtrorum temporum ab antiquis, quod in præſenti potiantur præeminentia ſuper omnes alios e clero, tametſi Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas. Nam ex quo ſummi Pontifices cardinalitiam dignitatem ad Romanæ Eccleſiæ quæ omnium Eccleſiarum eſt mater, & ipſius Romani Pontificis totius Eccleſiæ Epiſcopi & capitis decorem valde extulerunt ; iuxta conſtitutionem xv. Eugenii IV. quaſi unum corpus cum ſummo Pontifice conſtituunt eo proportionaliter modo quo Canonici cum Epiſcopo, ſuntque eius coadiutores in pontificalis muneris circa negotia omnia univerſalis Eccleſiæ executione & regimine. Unde merito eſt dignitas maxima poſt ſummum Pontificem, ac ſuper omnem Eccleſiæ clerum præeminentiam obtinet.

Porro Cardinalium munus in Eccleſiæ negotiis dirigendis maxime elucet in Sacris Congregationibus Cardinalitiis, quæ ignotæ antiquitus, variis poſtea temporibus inſtitutæ, nunc frequentiores ſunt. Hæ Congregationes ſunt veluti quædam Collegia Cardinalium, per Pontifices inſtituta ad certa negotia dirigenda, diſcutienda, & terminanda : ut Congregatio Interpretum Concilii Tridentini, ſacræ Inquiſitionis, ſuper negotia Epiſcoporum & Regularium, Indicis, Sacrorum Rituum, & aliæ quæ ſunt ordinariæ & perpetuæ ; cum aliquando ob aliquod particulare negotium extraordinarias deputet Papa, quæ, ſoluto tali negotio, ipſæ quoque ſolutæ remanent. Qui fuſius rem deprehendere cupit, recurrat ad Canoniſtas, & præcipue Barboſam. Necnon eorum munera & privilegia recenſentur.

Dignitas Cardinalatus eo magis etiam relucet, quia electio ſummi Pontificis quæ, Sede vacante, olim fiebat ſuffragiis cleri populique Romani, devoluta eſt ad ſolos Cardinales tempore Romani Concilii ſub Nicolao II. anno ML. quando data eſt hæc facultas Cardinalibus Epiſcopis, cum interventu tamen etiam aliorum Cardinalium ; & ſub Alexandro III. in Concilio Lateranenſi III. facultas redacta fuit ad duo tertia ſuffragiorum totius Collegii Cardinalium qui ſtatuto tempore intervenirent ad Conclave pro tali electione, vacante ob mortem Pontificis Sede, ſecluſa Romani Imperatoris confirmatione, ſicuti antea a multis ſæculis fieri conſueverat. Sic Thomaſſinus ſupra laudatus.

Quando Pontifices nondum ad tantum de-

Digitized by Google

decoris faſtigium Cardinalitiam dignitatem evexerant, hunc ordinem ſervavere, ut ne Cardinales quidem Epiſcopi ante alios Epiſcopos ordinatione priores ſubſcriberent, nec ſederent, nec Cardinales presbyteri ante Epiſcopos. Cœperunt primo Epiſcopi Cardinales anteire aliis omnibus Epiſcopis; & eo poſtea Cardinales alii paulatim pervenere. Hanc præeminentiam etiam ſuper Archiepiſcopos leguntur habuiſſe ſæculo XI. & XII. in Conciliis Romano & Beneventano. Sed tunc non perſeveravit, dum ſuum locum recuperavere Epiſcopi. In Concilio tamen Lugdunenſi anno MCCLXXIV. ſederunt omnes in eminentiore loco ante Archiepiſcopos: immo in Concilio Lugdunenſi II. ante Latinos Patriarchas, Conſtantinopolitanum, & Antiochenum. Nec mirum: cum ante hæc tempora in Oriente non tantum ſupra Epiſcopos, ſed etiam ſupra Metropolitanos ſederint quinque vel ſex primarii Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconi. In Concilio Lugdunenſi I. Cardinales donati ſunt ab Innocentio IV. galero purpureo, qui vix ante tempora Clementis VI. legitur ad ipſos miſſus in provinciis; ſed ipſi Romam ad illum ſuſcipiendum contendebant. Gregorius XIV. conceſſit eumdem pileum rubrum etiam Cardinalibus ex Ordinibus regularibus aſſumptis. Donavit illos deinceps Paulus II. alio purpureo capitis integumento minore, quo uterentur, quandocumque eis non liceret galerum geſtare. Ante Innocentium IV. donati fuerant purpura, ſi non Cardinales omnes, certe Cardinales Legati; quod poſtea a Gregorio XIV. extenſum fuit ad omnes Cardinales: & ab Urbano VIII. datus fuit ipſis titulus Eminentiæ, quo nemo alius uti poteſt niſi Magiſter Equitum Ordinis Hieroſolymitani, & eccleſiaſtici Electores Imperatoris. Crux a Cardinalibus, niſi Legati ſint, non defertur: ſed id tamen obtinuerunt a Gregorio XI. ut neque Archiepiſcoporum, neque Patriarcharum crux coram ipſis explicari poſſet. Cardinales presbyteri Romanæ urbis, & Cardinales ſimiliter diaconi in titulis ſuis & capellis ſubjectis epiſcopali aut quaſi epiſcopali utuntur iuriſdictione: ita ut viſitandi, interdicendi, excommunicandi auctoritatem habeant. Cardinalium tandem palatia gaudent privilegio aſyli. Aliis permultis potiuntur Cardinales privilegiis, quæ in Canoniſtis & eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptoribus videri poſſunt, ut in Thomaſſino, Van-Eſpen, Fleury, ac in aliis.

Cardinalis titulus adhuc remanet Canonicis Compoſtellæ ac aliquibus aliis. Et Archiepiſcopus Salisburgenſis affert galerum rubrum in ſtemmate, ex titulo quod ſibi aſſumit Cardinalis nati.

Numerus Cardinalium ſæpe mutatus fuit: nempe aliquando plures, aliquando pauciores fuere. Nam quando creatus fuit Nicolaus III. anno ſcilicet MDLXXVII. non erant niſi ſeptem Cardinales viventes; qui eos ſtatuit ad numerum viginti quatuor: & ita etiam ſtatutum fuit in Concilio Baſileenſi. Poſt Concilium vero Baſileenſe Sixtus IV. & Alexander VI. numerum Cardinalium ampliarunt. Sed nemo ex his eos extendit ultra numerum trium & quinquaginta: immo nec eum numerum attigerunt uſque ad Leonem X. qui eos auxit ad quinque & ſexaginta ſimul viventes, quod numquam nec antiquitus, nec recentioribus ſæculis factum fuit. Et hoc exemplum ſecuti ſunt Paulus III. & Paulus IV. qui Cardinales auxere ad numerum ſeptuaginta: iuxta numerum ſeptuaginta ſeniorum quos in ſui ſubſidium aſſumpſerat Moyſes, iuxta divinum mandatum; & ſeptuaginta diſcipulorum quos binos ante faciem ſuam mittendos iuſſit Chriſtus Dominus. Porro Sixtus V. in ſua Conſtitutione quæ incipit *Poſtquam verum*, decrevit ut in poſterum ne ob urgentiſſimam quidem cauſſam hic numerus augeatur.

§. V.

De Epiſcopis, eorumque poteſtate ac functionibus.

Epiſcopus eſt vocabulum Græcum, quod Latine idem ſonat ac ſpeculator: *cap.* Cleros §. Epiſcopus *diſt.* XXI. Epiſcopi ſunt in Eccleſia poſt ſummum Pontificem Romanum principes Sacerdotum in ſua diœceſi, electi a Chriſto Domino ad regendam Eccleſiam Dei. Sunt enim ſucceſſores Apoſtolorum ſicuti Romanus Pontifex, quatenus univerſalis Eccleſiæ viſibile caput, D. Petri Apoſtolorum principis ſucceſſor eſt. Unde ordo Epiſcopatus maximus eſt in Eccleſia Dei, & exinde etiam ipſe ſummus Pontifex ſeſe appellat Epiſcopum, ut notat Gloſſa in *Proœm.* VI. *decretal.* v. *Epiſcopus*. Et revera non ſecus ac Epiſcopus in ſua diœceſi eſt ſpeculator & inſpector ſuper gregem ſuum, ſicut denotat ſolinm aliis eminentius, ubi in ſua Eccleſia reſidet Epiſcopus ut omnes reſpicere queat; ita ſummus Pontifex ſpeculatur & vigilat ſuper fideles omnes univerſalis Eccleſiæ, ne fraudibus hoſtium Chriſtia-

Epiſcoporum varia nomina.

ſtianæ veritatis, ſanctitatis, ac ſalutis in ſpiritualem ruinam inducantur. Epiſcopus igitur congrue dicitur Sacerdos ſummus in Eccleſia: quia ultra ſuum ordinem nullus alius eſt in Eccleſia (*cap.* De his *cap.* Munus *de conſecrat. diſt.* v.) cum Epiſcopatus ſit major Ordo qui ſit in Eccleſia Dei. Gloſſa v. *Epiſcopus in Proœm.* VI. *decretal.* Epiſcopus dicitur Præſul; quia in Concilio præſidet. *Cap.* Quod tranſlati *de tempor. ordinat.* Dicitur Antiſtes: quia ante alios ſtans præeminet populo, & eſt primus templi & diœceſis Sacerdos. §. *Nos autem inſtit. de Artil. tutor. l. Si quemquam*, & alibi. Dicitur Pontifex: *cap.* Pontifices VII. *q.* I. Pontifex enim, ait Scævola v. *Pontifex*, ſic dictus eſt a poſſe, & facere: quia, ut cenſet Alciatus, ius illi erat ſacrificandi. Nam facere apud veteres eſt ſacrificare. Et Epiſcopus poteſt ſacrificare, & facere ſacrificare per Sacerdotes quos conſecrat. Verum hoc nomen Pontificis, quod olim in uſu erat reſpectu cuiuſque Epiſcopi, recentiores nonnulli Papæ proprium facere ſatagunt. Aliquando Legatus Chriſti appellatur: ut in *cap.* Accuſatio quoque *in fin.* II. *q.* VII. & in *Clement.* I. §. Nec ſuper *de pœn.* Epiſcopus enim tamquam legatus Chriſti deſtinatur ad regendas animas. Vocatur Paſtor, ab officio quod habet oves ſibi commiſſas paſcendi. Dicitur Sanctiſſimus in *Authent. de Sanctiſſimis Epiſcopis*. Hinc communis eſt ſententia, quod ſtatus epiſcopalis perfectior ſit quam ſtatus Religionis, & Epiſcopus debeat eſſe ſanctior Religioſo, ut potius exemplis, quam verbis populum ſibi commiſſum ad ſanctitatem alliciat. Dicitur Angelus ſeu Nuntius: quia mittitur ut Angelus ad annuntiandum. Dicitur quoque lucerna ſuper candelabrum, & ſal terræ (*Matth. cap.* V.) quia omnibus prælucere debet radiis probitatis & doctrinæ; & condire ſubditorum mores ſapientiſſimis inſtitutis & præceptis. Epiſcopi olim de ſemetipſis loquentes ſervos huius vel illius Eccleſiæ, ſive ſervos & fideles Dei ſe appellarunt: quam formulam retinet Papa.

Eorum gradus & poteſtas.

In ordine epiſcopali in Eccleſiæ incremento varii ſucceſſive inſtituti ſunt gradus. Alii enim ſunt qui dicuntur ſimpliciter Epiſcopi; alii Archiepiſcopi; alii Primates; alii Patriarchæ. De his omnibus ſigillatim ſermo eſt inſtituendus. Ordiamur igitur ab Epiſcopi.

Quid ipſis competat Ordinis.

Epiſcopalis poteſtas univerſim ad tria capita reducitur: nempe Ordinis, iuriſdictionis, & dignitatis; ſeu alia competunt Epiſcopo ratione Ordinis, alia ratione iuriſdictionis, alia ratione dignitatis. Et ſecundum rationem huius triplicis poteſtatis, diſtribuuntur Epiſcoporum functiones ſeu officia, quorum alia ſunt interiora, alia exteriora. Ratione Ordinis competit Epiſcopo Chriſtianos facere per baptiſmum, Chriſtianos factos per prædicationem inſtruere, adminiculo orationum tueri ac ſuccurrere, firmare in fide per confirmationem, aliis ſacramentis paſcere, Presbyteros ordinare, & Epiſcopos qui ſimilia faciant religionemque uſque ad finem ſæculi propagent, inſtituere. Item conſecrare virgines, templa, altaria ſive fixa, ſive portatilia, ſacella, vaſa; benedicere Abbates, Abbatiſſas, Reges Reginaſque, & veſtes aliaque divino inſervientia miniſterio, ut corporalia quæ de iure canonico Epiſcopo ſunt reſervata; chriſma conficere oleumque infirmorum. Dixi per prædicationem: nam prima Epiſcoporum functio ſeu officium eſt prædicare. In primitiva Eccleſia Epiſcopus ſingulis diebus dominicis, & ſæpius etiam, quoties ſcilicet ſacrum faciebat, verba habebat ad populum. Verum cum nomine prædicationis intelligatur omnium credendorum ac agendorum inſtructio; hinc Epiſcopi debent non ſolum publice, ſed etiam privatim in domibus gregem ſuum in rebus fidei & morum, ut ad exemplum D. Pauli fiebat a priorum temporum Epiſcopis, erudire, memores eorum, quæ Apoſtolus ſcripſit ad Timotheum & Titum de omnis ætatis, ſexus, ac conditionis hominibus ſeorſim inſtruendis. Sic Fleury in ſuis *Inſtit. canon.*

Alterum Epiſcopi officium eſt oratio. Apoſtoli enim in Diaconorum inſtitutione pro quibuſdam miniſteriis orationem & miniſterium verbi ſibi reſervarunt: & Apoſtolus in primis hortatus eſt Timotheum ut varii generis preces pro variis perſonis funderet. Quare oportet ut Epiſcopus totus addictus ſit orationi, tum pro ſemetipſo, tum pro populo ſibi ſubdito. Immo alios quoque ad orandum inducere debet, & publice in Eccleſia præire; necnon fidelibus formulas quibus domi cum ſuis familiaribus utantur, tradere, ac abuſus ſuperſtitionis tollere. Omnium autem excellentiſſima orationis ſpecies facienda ab Epiſcopo eſt ſancta ſacrificii actio, quod proprie ab Epiſcopo offerri decet.

Denique Epiſcopi eſt adminiſtrare ſacramenta, quorum duo nunc ipſi reſervata ſunt tamquam ordinario miniſtro. Et hæc omnia inter functiones Epiſcopi interiores recenſeri

ſeri poſſunt : nempe quæ ratione Ordinis ipſi conveniunt.

Quid ratione iuriſdictionis.

Ratione vero iuriſdictionis reliqua omnia Epiſcopo competunt quæ reſpiciunt ſubiecti gregis regimen. Et hæc dicuntur officia Epiſcopi exteriora, utpote quæ ei non competunt ratione Ordinis, ſed iuriſdictionis quam habet in perſonarum Deo conſecratarum cura & rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione. Epiſcopus rerum omnium quæ ad religionem ſpectant, unicus, verus, & ordinarius eſt iudex. Epiſcopi eſt quæſtiones morales & doctrinales ex interpretatione Scripturæ & Patrum traditione fideliter relata decidere. Quocirca habet poteſtatem examinandi libros omnes, qui in ſua diœceſi vulgantur. Politia eccleſiaſtica ab Epiſcopo pendet, qui ſtatuta condit, mandata edit, conſtitutiones promulgat : modo univerſali Eccleſiæ diſciplinæ & iuri publico ſint conſonæ. Ipſius eſt diſpenſare in caſibus in quibus canones permittunt diſpenſationes, ubi præſens Eccleſiæ utilitas id poſtulet : hiſce tamen exceptis qui longa conſuetudine Sedi Apoſtolicæ reſervati ſunt. Ipſe coadiutores in ſuæ Eccleſiæ miniſterio ſibi adiungit, quos vel ſacris Ordinibus initiat, vel certis beneficiis : nam ipſe eſt ordinarius collator beneficiorum omnium quæ ſunt in ſua diœceſi. Porro Epiſcopus iudicat in cauſſis criminalibus eccleſiaſticis, reoſque punit. Pro tribunali pœnitentiali iudicat peccata, etiam maxime occulta, eorum qui ſponte ſe accuſant. Iudicat peccatores publicos, etiam invitos : eoſque, ſi pœnitentiæ ſe ſubmittere renuant, ab Eccleſiæ gremio excludit. Clericos vero corrigit ac punit ob culpas etiam leviſſimas : utpote qui plenam Epiſcopo obedientiam reddere debent, & ſanctius vivere tenentur quam laici. Tandem lites non ſolum inter clericos, ſed etiam inter ſæculares componit. Porro perſonæ quarum præcipue cura commiſſa eſt Epiſcopo, ſive quæ eius iuriſdictioni ſubiiciuntur, ſunt quotquot exiſtunt intra fines ſuæ diœceſis : & maxime eius curæ commiſſi ſunt clerici, virgines, viduæ, quibus ſucceſſerunt Monachi, Sanctimoniales, & Religioſi omnes, qui principio eidem ſubiecti erant, nunc vero ſpeciali ſanctæ Sedis privilegio ab eius iuriſdictione ſunt exempti; ex quo iure adhuc ſupereſt Epiſcopo benedictio Abbatum & Abbatiſſarum, necnon dandi viſitatores & ſuperiores Deo devotis virginibus. Hic autem obiter notandum eſt, inter ſpectantia ad epiſcopalem iuriſdictionem generice acceptam aliqua dari quæ ſpeciali vocabulo di-cuntur pertinere ad legem diœceſanam. Et hæc non extenduntur ad Regulares, licet ceteroquin non exemptos ab Epiſcopi poteſtate : ſeu vi huius legis ipſe non poteſt obligare Regulares, ſed clericos tantum ſæculares, ut tradunt doctores in *cap. Dilectus*. Aliqua dicuntur pertinentia ad legem iuriſdictionalem. Et hæc extenduntur ad Regulares non exceptos, ut Azorius *Part. II. Inſtit. moral. lib. III. cap.* XXXII. citatus a Fleury in ſuis *Inſtit. canon.* Notandum ulterius eſt, quoad ſubiectionem perſonarum diœceſis, hanc intercedere differentiam clericos inter & ſæculares : quod ſæculares ſeu laici ſubduntur in his tantum quæ concernunt animæ ſalutem, & quoad cauſas & delicta quæ ſpectant ad tribunal eccleſiaſticum, a quo puniri poſſunt eccleſiaſticis pœnis & cenſuris ; clerici vero ſubiecti ſunt etiam quoad cauſſas civiles & omnia crimina pro quibus iudicari nequeunt a laica poteſtate. Eadem cura quæ incumbit Epiſcopo, complecti debet perſonas miſerabiles, veluti pauperes validos & invalidos, orfanos, ſive deſtitutos, ſive ſimul ac nati ſunt, expoſitos, ſenes ad victum quærendum inhabiles, dementes, ſtupidos, peregrinantes præſertim religionis gratia. Hinc Epiſcopus debet examinare pauperes de eorum neceſſitatibus, moribus, religione; vere tales a vagabundis diſtinguere & impoſtoribus ; ac inſpicere ut eleemoſynæ fideliter diſtribuantur. Hæc fuit in primitiva Eccleſia una ex præcipuis Epiſcoporum curis : & hanc Principibus etiam & magiſtratibus commendebant. Sic Fleury *loc.cit.* Res autem Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiectæ ſunt Eccleſiæ parochiales, Monaſteria, Xenodochia, piæ Congregationes Confraternitateſque, aliaque pia loca, niſi ſpeciali privilegio ſint exempta, ut ex toto *tit. de religioſ. dom. in 6. Decretal.* Item eorum res, iura, necnon beneficia omnia ſita intra fines diœceſis, quorum collatio non pertineat ad Apoſtolicam Sedem. Quoad rerum eccleſiaſticarum adminiſtrationem Epiſcopi eſt hortari fideles ad decimas fructuum, primitias, & oblationes liberaliter faciendas; necnon iuxta locorum morem immobilium donationes atque quaſcumque alias fundationes acceptare. Olim bona omnia per diœceſim eius poteſtati erant ſubiecta, de quibus poſt Deum nemini rationem reddere tenebatur. Hodie tamen Epiſcopi nonniſi ea quæ menſæ epiſcopali deſtinata ſunt, adminiſtrant. Unde clare patet ex dictis, poteſtatem epiſcopalem iuriſdictionis multo

ma-

maiorem eſſe quam ſit poteſtas epiſcopalis Ordinis.

Quid ra- tione di- gnitatis. Ratione tandem dignitatis Epiſcopo ea omnia convenire dicuntur in quibus nec epiſcopalis Ordo, nec ulla iuriſdictio exercetur; ſed ſunt potius ſigna honoris aut privilegia dignitatis epiſcopalis: cuiuſmodi ſunt faldiſtorium ſive ſolium, & alia epiſcopalia inſignia de quibus infra.

In poteſtate Ordinis aliiſque eidem Ordine de iure divino adnexis, per humanam poteſtatem a nemine quid auferri poteſt, nec limitari. Unde unus Epiſcopus nequit eſſe altero ſuperior: omnes enim æque valide munia epiſcopalia, prædicationem ſcilicet, ſacramentorum adminiſtrationem, aliaque alia quæ huic Ordini competunt, exercent; non ſeus ac inter Presbyteros quoad poteſtatem Ordinis omnes idem facere poſſunt, ac proinde nullus inter ipſos eſt alio ſuperior. Dixi *valide*. Secus enim quoad licitum poteſtatis uſum: quia hic per poteſtatem humanam coarctari poteſt; immo & in totum ſuſpendi, ut fit quando pœna infligitur ſuſpenſionis. Et, etiam ſecluſa ſuſpenſione, licite profecto non poteſt Epiſcopus miniſtrare ſacramenta Epiſcopo reſervata extra fines propriæ diœceſis, & perſonam ſibi non ſubditam præcipue ſacerdotali Ordini initiare: nam per ſacros canones ad multa incommoda tollenda ex perturbata iuriſdictione id vetitum eſt.

In hoc quoad propriam diœceſim Epiſcopi omnes conveniunt. Differt tamen ſimplex Epiſcopus in poteſtate iuriſdictionis ab Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis: quia ille eam limitatam tenet intra fines ſuæ diœceſis, extra quam nullum prorſus ius ei competit; ſecus illi, quorum iuriſdictio, ut videbimus, extenditur quoad aliqua ſupra Epiſcopos ſibi ſuffraganeos.

§. VI.

De Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis.

Eorum origo & nomen explicatur. Cum Apoſtoli eorumque diſcipuli, ut facilius lumen Evangelii diffunderetur, ad hoc annuntiandum ſuam ſedem, teſte Irenæo, & Tertulliano, fixerint in magnis civitatibus, quæ utpote capita provinciarum frequentem habebant inferiorum civitatum concurſum, unde non ſolum earumdem incolis, ſed aliis quoque inferiorum civitatum ob varia negotia ad illas convenientium fides Chriſti nuntiabatur; necnon celebritas urbium in ſingulis provinciis præcipuarum Epiſcopis ibi reſidentibus quamdam apud gentes minorum civitatum auctoritatem conciliabat: hinc Eccleſiæ iſtæ, & quia ab Apoſtolis vel ab eorum diſcipulis fundatæ, & quia ab his aliæ Eccleſiæ ortæ ſunt, magnum decorem obrinuere, ut poſtea tamquam matres agnoſcerentur. Nam cum ubique Chriſtiana religio diffunderetur, & fideles de die in diem multiplicarentur, ac exinde unus Epiſcopus in civitatibus maioribus reſidens ſatis non eſſet ut tot functionibus & curæ tam ingentis fidelium turbæ vacare poſſet ea ſollicitudine quam ſalus tot animarum expoſcebat; unde opus erat maiore miniſtrorum numero: hinc inſtituerunt etiam in inferioribus civitatibus ſuos Epiſcopos ſuffraganeos qui ſibi coadiutores eſſent in ſollicitudine ſacri miniſterii, ut Chriſti grex facilius in Chriſtiana fide & pietate verbo Dei ac ſacramentorum adminiſtratione excoleretur. Quare paulatim ita excrevit Epiſcoporum numerus, ut ſingulæ civitates provinciarum ſuum haberent Epiſcopum: immo & Eccleſiæ rurales haberent ſuos, qui dicebantur Chorepiſcopi. Quia vero Epiſcopi maiorum urbium provinciæ capitum in inſtituendis Epiſcopis per provinciæ urbes, quoad aliqua, iuriſdictionem ſupra novos Epiſcopos ſibi reſervarunt; ita ut auctoritatem ſuper ipſos haberent, ac proinde eiſdem quoad poteſtatem iuriſdictionis eſſent altioris gradus: hinc factum fuit ut a ſimplici Epiſcopo diſtinguerentur. Nobiliore enim titulo nominari exinde cœperunt, nempe Archiepiſcopi, Patriarchæ, vel Primatis, & communi etiam vocabulo Metropolitani: deſumpta hac denominatione a civitatibus ſuæ reſidentiæ, quæ ut capita provinciarum in Geographia politica tunc Metropoles vocabantur, ideſt capita ſeu matres aliarum provinciæ urbium. Hæc hierarchica diſpoſitio in Epiſcopis multum contulit ad bonum Eccleſiarum regimen, & ſpiritualem fidelium utilitatem: quia cum olim Eccleſiæ quas una provincia civilis coniunxerat, magis inter ſe unitæ eſſent, communi quoque conſilio communes Eccleſiarum cauſſas dirigebant; & ex prærogativa quæ Ordinis gratia data fuit Epiſcopo maioris urbis, factum fuit ut adeſſet qui communi ſaluti potiſſimum in ſingulis provinciis invigilaret. Archiepiſcopi ita appellati ſunt a Græca voce: quia ſunt quodammodo principes Epiſcoporum; ita ut præter gregem quem ſibi habent ſubiectum, præſunt etiam Epiſcopis unius provinciæ, ut explicatur in *cap.* Cleros *verſ.* Inde Archiepiſcopus *diſt.* XXI. Patriarchæ autem

tem & Primates, ſi ſolam vocum ſignificationem conſulas, parum aut nihil inter ſe differre videntur. Nam utraque vox denotat gregem ſibi ſubiectum & poteſtatem ſupra Epiſcopos, necnon ſupra Archiepiſcopos plurium provinciarum: ſicuti ſatis indicat ipſa nominum derivatio. Patriarcha enim Græce ſignificat Patrum princeps (ut exponitur in *cit. cap* Cleros *verſ.* Patriarcha *diſt.* XXI.) Primas autem eſt idem ac habens Sedem in prima civitate (*cap.* Nulli II. *diſt.* LXX.) quo nomine, ut diximus, appellatæ ſunt civitates illæ quæ reliquis provinciarum civitatibus dominantur: ita ut iuxta ſtilum regiminis politici qui tenebat in hiſce civitatibus principaliores Præfecturas, ordinatum fuit regimen eccleſiaſticum, ut in huiuſmodi civitatibus ſedes eſſent Epiſcoporum quibus reliquæ provinciarum ſedes ſubderentur.

Patriarchæ nomen quibus olim tributum

Verum, non obſtante nominum ſignificatione, uſus obtinuit ut Patriarchæ nomen quibuſdam tantum ſpecialibus Primatibus tribueretur, relicto reliquis ſolo nomine Primatis. Præcipui autem Patriarchæ primitus fuere Antiochenus, Alexandrinus, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, infra Romanum Pontificem, qui non ſolum eſt in terris viſibile Eccleſiæ caput, ſed præterea eſt Romanæ urbis Epiſcopus & Occidentalium provinciarum Patriarcha. Infra Romanum Pontificem antiquitus fuit primus Alexandrinus, ſecundus Antiochenus, ut ex *can.* Sacroſancta III. *diſt* XXII. Utraque enim illa Sedes a D. Petro fundata fuit, qui Antiochiæ per aliquod tempus perſonaliter ſedit, & ad Sedem Alexandrinam nomine ſuo fundandam Marcum miſit: & in utraque civitate tunc temporis erant pro politico regimine præcipuæ Præfecturæ. Sedes Hieroſolymitana decorata fuit hoc honore multo tempore poſt; ut conſtat ex *can.* VII. Concilii Nicæni: & hunc titulum obtinuit in Concilio Epheſino; qui ei conceſſus fuit in ſignum honoris, quia in ea urbe peracta ſunt præcipua myſteria, & iacta prima Chriſtianæ religionis fundamenta. Simili decore inſignita fuit Sedes Byzantina ſeu Conſtantinopolitana, cuius Epiſcopus ab initio erat ſuffraganeus Metropolis Heracleenſis in Thracia: & hæc honorificentia delata fuit huic Epiſcopatui, ob maieſtatem imperialis reſidentiæ quam e Romana urbe illuc tranſtulerat Coſtantinus. Tale privilegium ſtatutum fuit in Concilio Conſtantinopolitano I. in quo decretum editum fuit. Unde antiquitus quinque tantummodo erant patriarchales dignitates, Romana ſcilicet, Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, & Conſtantinopolitana. Poſterioribus ſæculis alii Primates hanc dignitatem obtinuere: ut poſt aliqua tempora Aquileienſis & Gradenſis, quarum poſterior translata fuit a Nicolao V. in Epiſcopum Venetiarum, florente tunc in illa Sede S. Laurentio Iuſtiniano, qui idcirco fuit primus Venetiarum Patriarcha. Et ſæculis recentioribus inſtitutus eſt patriarchalis gradus in India Occidentali & in Eccleſia Ulyſſiponenſi in Luſitania.

Metropolitani iura.

Metropolitano competebat iure antiquo electionem novi Epiſcopi confirmare, eum ordinare, monere adinſtar patris & doctoris, corrigere, ad Concilium convocare, cogere Epiſcopos provinciales ad reſidentiam in ſuis reſpectivis Eccleſiis, & etiam contumaces multare per fructuum menſæ privationem, contumaciaque creſcente, denuntiare Romano Pontifici (ut ſtatutum fuit etiam per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. *de reform.*) eligere Epiſcopum pro caſu in quo ab inferioribus electoribus intra tres menſes a die vacationis ſine iuſto impedimento electio celebrata non fuiſſet, in *cap.* Ne pro defectu XLI. *de elect.* Verum de iure recentiore aliqua ex his derogata fuere Metropolitanis, ut poteſtas eligendi Epiſcopum eumque ordinandi, aliiſque modus præſcriptus fuit. Nam hæc omnia ubique reſervata ſunt Sanctæ Sedi, iuxta regulas Cancellariæ Apoſtolicæ.

§. VII.

De electione Epiſcopi.

Ingreſſus ad epiſcopale munus fit per electionem, confirmationem, & conſecrationem, de quibus plura in ſacris canonibus. Chriſtus ipſe ſuos diſcipulos vocavit, & Apoſtolos elegit quos voluit. E mortuis redivivus ad eos inquit: *Sicut miſit me Pater; ita ego mitto vos*. Io. cap. XX. & *Act. cap.* XX. habetur, eos præfectos eſſe a Spiritu ſancto Eccleſiæ Dei regendæ. Conſtat vero ex traditione, Epiſcopos ſemper ab aliis Epiſcopis fuiſſe ordinatos; & eorum electionem factam fuiſſe prioribus temporibus a clero & populo. Et ſane ad hunc actum vocabantur clerici & etiam populus, ne ignotum Paſtorem acciperent. Ad horum deſiderium ut plurimum Presbyter aut Diaconus eiuſdem Eccleſiæ, diuturno miniſterio, exacta virtute, ſcientia, & caritate conſpicuus, in cruciatibus conſtans eligebatur, quem Epiſcopi manuum impoſitione, precibus, ac ieiu-

ieiunio inauguratum in ſolio epiſcopali collocabant. Et præcipui e clero qui conveniebant, erant Epiſcopi vicini, teſte S. Cypriano *Epiſt.* lxvii. Cum vero poſt Conſtantini tempora Chriſtianus populus valde auctus eſſet; omnium ordinum Nobilium, Magiſtratuum, Monachorum ratio habenda fuit: cleri tamen ſemper præcipuæ partes fuere. In regnis ortis e ruina Romani imperii opus fuit Principum conſenſu (ut ex S. Leone *Epiſt. ad Epiſcop. Viennen. cap.* vi. colligitur) qui cum viderent quanta Epiſcoporum eſſet inter novos ſubditos auctoritas, veluti cuncta ſuſpecta haberentur, non facile alios quam quorum fides eſſet explorata, eligi patiebantur. Sic laudatus Fleury.

Defuncto Epiſcopo clerus & populus mittebat aliquos qui id renuntiarent Metropolitano: & hic Epiſcopum illius provinciæ illuc mittebat, qui viduatam Eccleſiam viſitaret, electionem ſucceſſoris promoveret, ac ſtuderet ut cuncta canonice fierent, de quo ipſe Metropolitanus clerum & populum litteris ampliſſimis admonebat. Viſitator ille, convocato clero & populo, prælegi iubebat loca Pauli Apoſtoli & canones quibus Epiſcopi dotes modusque electionis continentur, quæ ut obſervarentur, ſingulos ordines, Presbyteros ſcilicet ceteroſque clericos, virgines, viduas, nobiles, uno verbo omnes ſigillatim admonebat: Monachorum etiam præcipua habebatur ratio: nec canonici ſolum, ſed & clerici quoque urbani & rurales vocabantur: ieiunia, orationes, eleemoſynæ electioni præmittebantur, ut meliore quo fieri poſſet modo res exequeretur.

Electione perafta, decretum electionis munitum ab electoribus mittebatur ad Metropolitanum, qui convocabat Epiſcopos omnes provinciæ in urbem Eccleſiæ vacantis ad electionem comprobandam; & ſimul ut in electo conditiones requiſitæ a ſacris canonibus explorarentur: ita ut ſi electus parum idoneus, aut ſi electio ambitu aut pecunia extorta deprehendebatur; irritam declarabant electionem, aliaque ſuſcipiebatur. Principio ſæculi XIII. Capitula Cathedralium, excluſo clero & populo, eligebant, & Metropolitani, inconſultis Epiſcopis ſuffraganeis, confirmabant electos Epiſcopos: ut patet ex Concilio Lateranenſi anni MCCXV.

Electio fiebat prioribus ſæculis tribus modis. Primo ſcilicet ſcrutinio, per ſuffragia quæ olim dabantur viva voce, poſtea in ſchedis complicatis in calice vel aliud vas poſitis ab electoribus, in quibus electus exponebatur, quæ collectæ & comparatæ a ſcrutatoribus, is qui habebat ſuffragia maioris ſanioriſque patris, declarabatur electus. Secundo, inſpiratione quæ unanimis ſuffragiis ſine præcedenti deliberatione fit: & prioribus ſæculis plura electionis per inſpirationem habentur exempla. Tertio, per compromiſſum, quando totum Collegium paucis impari numero, tribus videlicet vel quinque, additus fuiſſe; eligendi poteſtatem permittit.

Sæculo XIII. & XIV. factum eſt ut plerumque Epiſcopatuum proviſiones devolverentur ad Papam. Cum enim contingeret ut electiones non fierent intra terminum, ſive electiones & confirmationes eſſent vitioſæ, vel alia inconvenientia occurrerent, quorum innumera exempla habentur in decretalibus: hinc ab iis proceſſum eſt ad reſervationes generales in certis caſibus; & tandem Ioannes XXII. in univerſum Eccleſias omnes cathedrales quæ vacaſſent, reſervavit, nonniſi tamen ut in Conciſtorio Cardinalium, prævio diligenti examine, Epiſcopatus conferrentur. Per maximam Italiæ partem Papa Epiſcopatus confert cui vult, in Gallia nonniſi iis qui a Rege nominantur, per concordata anni MDXVI. In Hiſpania Rex & alii Principes ex ſpeciali indulto Papæ nominandi ius exercent, quod ad dies vitæ impetrare ſolent. Nunc vero per recentiora concordata inter Benedictum XIV. & Ferdinandum qui tertius fuit ex Borbonia gente Hiſpaniarum Rex, electio in Regem ibi devoluta eſt. In Germania per concordata inita anno MCCCCXLVII. obtinet adhuc uſus electionum capitularium, quamvis non in omnibus ſervata forma quæ præſcribitur in Decretalibus.

Facta electione, olim confirmabatur Epiſcopus a Metropolitano & ab Epiſcopis comprovincialibus, & aliquando a ſolo Metropolitano; nunc vero a Romano Pontifice. Poſt confirmationem electionis ſequebatur conſecratio novi Epiſcopi, eodem ferme ritu quo hodie, die Dominico. Et fit per tres vel ſaltem duos aſſiſtentes Epiſcopos, quorum maior, præmiſſa lectione Bullæ pontificiæ, præſtito ab initiando iuramento fidelitatis, necnon ex variis eidem interrogationibus præmiſſis, ut habetur apud Canoniſtas, præcipue circa fidem & mores, procedit ad conſecrationem, quam peragit infra Miſſæ actionem, ut in Pontificali Romano. Actione Miſſæ peracta, quam initiandus cum Epiſcopo celebrante recitat, conſecrator thiaram & chirotecas conſecrat, ac ipſi imponit,

nit, eumque collocat in epiſcopali ſolio, quod faldiſtorium vocant.

§. VIII.

De ornamentis ſeu inſignibus epiſcopalibus.

Epiſcoporum communia inſignia ſunt anulus, baculus paſtoralis, ſeu pedo, corona, crux pectoralis, mitra, chirotechæ.

De anulo pontificali ornamento licet nulla in vetuſtis ſæculis mentio habeatur, nihilominus perantiquum eſt, ſaltem apud Occidentales, cum Græci hoc ornamento non uterentur: dum de hoc loquitur Iſidorus, qui etiam eius myſticas indigitat ſignificationes. Datur Epiſcopo anulus propter ſignum pontificalis honoris, vel ut ſignaculum ſecretorum; ne indignis ſacramenta Dei aperiantur. Alii vero dicunt eſſe ſignaculum, quo Epiſcopi Eccleſiarum ſponſos ſe palam profitentur. Thomaſſinus & Van-Eſpen.

Baculus paſtoralis ſeu pedo, ut ab aliis vocatur, aliud eſt myſticum ornamentum Epiſcoporum. De hoc loquitur antiquus ordo Romanus, necnon Concilium Toletanum IV. anno DCXXXIII. *can.* XXXVIII. eum recenſendo inter epiſcopalia ornamenta. Hoc baculo, breviore tamen & ut plurimum ex viliore materia quam argentea, ebore nempe & ebano, utuntur tum Epiſcopi, tum Abbates Monaſteriorum in Oriente (ut ex Iacobo Goario in *Not. ad Ritual. Græc. pag.* 313. *edit. Pariſien.* colligitur) ac eo per viam gradientes ſe ſuſtentant; illoque in ſignum poteſtatis in ſubditos exercendæ donari ſolitos ab Imperatoribus Patriarchas alioſve præcipuos animarum præfectos, ſcribit Codinus *cap.* XX. Et nunc talem habet ſignificationem baculus epiſcopalis in Eccleſia Latina. Antiquitus tamen tum ab Imperatoribus apud quos uſus baculi ſeu virgæ cœpit, tum ab Epiſcopis ad fulciendum gradum, quando longius iter ſuſcipiebant, adhibebatur. Solus Romanus Pontifex nunc non utitur baculo.

Quod ſpectat ad crucis pectoralis epiſcopale ornamentum, incertum eſt apud ſcriptores, quando cœperit mos in Epiſcopis geſtandæ ante pectus crucis aureis appenſæ catenulis. De Romano Pontifice luculentiſſima habentur teſtimonia, & præcipue Ioannis Diaconi, qui inter ornamenta pontificalia Gregorii Magni enumerat etiam crucem, quam vocat phylacterium ſeu reliquiarum techam. Nam crux quam deferebant Epiſcopi, ſicuti etiam hodie, erat veluti techa in qua variæ Sanctorum & præcipue ligni ſanctæ crucis, reliquiæ includebantur. Et valde veroſimile eſt, non ſolum Pontificem, ſed etiam Epiſcopos conſueviſſe ante pectus crucem catenulis appenſam geſtare: eo vel maxime quod priſcis illis temporibus id moris erat apud inferiores quoque clericos & laicos. Verum hæc tandem tranſiit in epiſcopale ornamentum.

Aliud myſticum pontificale Epiſcoporum ornamentum eſt mitra quæ vox Græca eſt. Dicitur etiam tiara, pileum, galea ab Iſidoro, a D. Auguſtino apex, ab Evodio ſertum cum gemmis, ab Ammiano Marcellino corona ſacerdotalis, infula ab Hugone de S. Victore. Mitram deferunt Epiſcopi in ſacris functionibus ex apoſtolica traditione, cum legatur de D. Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo (ut ex SS. Epiphanio & Hieronymo colligitur) quod deferebat in ſolemnitatibus mitram ex auro. Mitra epiſcopalis quæ ſecundum Innocentium ſignificat Chriſtianam magnificentiam, eſt birettum rotundum, apertum in ſummitate, & acutum, ita ut in duo cornua dividatur quæ ſignificant duo teſtamenta, vetus & novum, quorum ſcientia ſplendeſcere debet in capite Paſtorum eccleſiaſticorum. Faſciolæ vero quæ ex ipſa cui ſunt coniunctæ, pendent ſuper humeros Epiſcopi, ſymbola ſunt ſpiritus & litteræ qui in divina includuntur Scriptura. Et hos Prælatus ferre debet ſuper humeros, ideſt exemplo operum virtutis quæ verbis docet. Epiſcopi Græci mitra non utuntur, præter Patriarcham Alexandrinum. Epiſcopi tamen Ruteni & Ruſſi, licet ſequantur ritum Græcum, adhibent mitram.

Uſus mitræ indultus fuit a ſummis Pontificibus aliis etiam dignitatibus, ut Cardinalibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, ac etiam Canonicis quorumdam Eccleſiarum, ut Toleti in Hiſpania, Lugduni in Gallia, Neapoli & Lucæ in Italia. Romanus vero Pontifex præter mitram ferre ſolet imperialem coronam, eminentem, & ornatam tribus coronis: quæ idcirco vulgo dicitur triregnum. Putant aliqui, uſum triregni cœpiſſe a tempore Clodovæi Galliarum Regis, qui cum poſt ſuam converſionem accepiſſet ab Imperatore Anaſtaſio pretioſam coronam, eam in donum dedit ſummo Pontificii Hormiſdæ in ſignum devotionis & reverentiæ erga Romanam Eccle-

N 2 ſiam.

ſiam. Innocentius tamen III. vult, uſum coronæ pontificiæ cœpiſſe a tempore S. Silveſtri, cui donata fuit ab Imperatore Conſtantino. Sic notat Baronius in ſuis annalibus. Hoc triregnum papale, ut videre licet in pluribus imaginibus veterum Pontificum, unam tantum habebat coronam: & alias duas volunt aliqui a Bonifacio VIII. additas fuiſſe; alii vero, ut Spondanus, cenſent a Bonifacio adiunctam fuiſſe ſecundam, & tertiam ab Urbano V. ad ſignificandam triplicem Pontificis dignitatem: imperialem ſcilicet, regiam, & ſacerdotalem. Etenim dum in coronatione ſummi Pontificis eius capiti hoc triregnum imponitur, ſequentia proferuntur verba. *Accipe tiaram tribus coronis ornatam, & ſcias te eſſe Patrem Principum, Regum, & Paſtorum orbis in terra, Vicarium Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt honor in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Aliud pontificale Epiſcoporum ornamentum ſunt chirotechæ ſive manichæ quibus manus Epiſcopi induuntur, quarum uſus (ut vult Honoratus Auguſtodunenſis in ſua *Gemm. Anim. lib. I. cap.* CCXII.) a traditione eſt repetendus. Sed Cardinalis Bona ſuſtinet, hoc non eſſe credibile, cum per aliquot ſæcula nullum harum reperiatur monumentum, nec umquam Eccleſia Orientalis illis uſa ſit. Quidquid tamen ſit, certe perantiquus eſt chirotecarum uſus: cum de eo loquatur vetus Ordo Romanus, & vetus liber ſacramentarius, ſcriptus iuſſu Rotaldi Abbatis Corbienſis ante annum milleſimum: & in *Præfat. ad Sacramentar. S. Gregor.* id advertit Menardus, qui primus illud publicavit. Unde ſaltem concludi poteſt, quod talis ritus non ſit ita recens in Eccleſia. Sic Van-Eſpen & Thomaſſinus.

§. IX.

De pallio archiepiſcopali.

Poſt ornamenta pontificalia omnibus Epiſcopis communia habentur quædam particularia Metropolitanis, ſive Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis, inter quæ unum eſt admodum famoſum, quod pallium dicitur, nec ullis Epiſcopis, ſaltem in Eccleſia Latina, iuxta modernam diſciplinam commune, niſi ſpeciali privilegio Sanctæ Sedis eis indultum ſit. Dicitur ornamentum illud apud Latinos pallium; de cuius uſu & auctoritate ſpecialis habetur titulus in decretali Gregorii IX. Quomodo & quando uſus illius ornamenti inceperit, valde obſcurum eſt, ſive Græcam ſpectemus, ſive Latinam Eccleſiam: & licet prorſus compertum non

De pallii uſu.

ſit, in quo primitus conſtiterit illud pontificale ornamentum quod nunc pallium dicitur; ſatis tamen conſtare videtur, huiuſcemodi ornamentum imperiale fuiſſe, & hoc primum per Imperatores Patriarchis, ac poſtea per hos Metropolitanis, & tandem per Metropolitanos aliquibus Epiſcopis fuiſſe communicatum. Ita tenent Petrus de Marca & Thomaſſinus citati hic a Van-Eſpen. Certum quidem eſt, quod aliquot ſæculis hoc ornamentum non conferebatur tum in Oriente, tum in Occidente ſine Imperatoris voluntate: *Cum enim* (ait P. Thomaſſinus) *veſtimenti id genus initio regium fuiſſet, eoque voluiſſent Imperatores, quæ eximia erat & ſingularis eorum pietas, regale Chriſti decorare Sacerdotium; hanc victiſſim illis per aliquot ſæcula pietatem gratitudinemque rependit Eccleſia, ut illo præter eorum aſſenſum indueretur nemo.* Quo vero tempore, a quo Imperatore, & qua ratione hoc imperiale ornamentum Patriarchis, Metropolitanis Orientalibus, ac Romano Pontifici, ut Occidentis Patriarchæ, immo totius Eccleſiæ, communicatum fuerit; non eſt hactenus ſatis certum. Illud certe ſat conſtat, citius communicatum fuiſſe Metropolitanis Græcis quam Latinis. Cum enim in Orientalibus Eccleſiis etiam primitus uſitatum ſit, quod Metropolitani a ſuis reſpectivis Patriarchis ordinarentur; videtur hoc ornamentum per Patriarchas Metropolitanis omnibus in Ordinatione fuiſſe indultum. Si fides habenda eſſet aliquibus, pallii uſus ſubſiſteret a tempore Conſtantini, quem volunt inter liberaliſſima conceſſa, nempe pretioſas cappas, donaſſe etiam pallium, ut cum maiore pompa diebus ſolemnioribus celebrarent myſteria. Hoc tamen non habet certum fundamentum. Quoad hodiernam pallii formam, eſſe plane a priſtina diverſam, apud eruditos ſatis perſuaſum eſt.

Pallium ſeu ornamentum pontificale admodum veroſimile eſt fuiſſe veſtem talarem in modum chlamydis totum quaſi corpus contegentis, ad modum casulæ ſine manicis & ſciſſuris ullis, & tantum patentem ut poſſet caput inſeri exerique, ut ita veſtem imperialem repræſentaret. Formam porro eius ait Petrus de Marca *lib. VI. de Concor. Sacerdot. & Imper.*) ut indicare videntur veterum Pontificum imagines, referunt indumenta illa quæ nunc cappas aut pluvialia vocamus. Hanc chlamydem nullatenus repræſentare valent hodiernæ laneæ faſciolæ, hodierna pallia conficientes: & veroſimile eſt, pallii formam ornamentum

Pallii antiqua forma.

im-

imperiale præferentem ſenſim in modernam formam tranſiiſſe, poſtquam Romani Pontifices pallium independenter a conſenſu & benignitate imperiali ſua auctoritate tamquam ornamentum mere pontificale Metropolitanis & Epiſcopis communicare cœperunt. Convenientius enim viſum eſt ut veſtis quæ a ſolis Pontificibus exhibetur, non formam chlamydis imperialis, ſed veſtis ſacræ formam repræſentaret, ut ita ab omnibus tamquam pontificale ornamentum reputaretur. Hinc cœperunt hiſce faſciolis laneis cruces imprimi, & quibuſdam precibus & ſacris cæremoniis benedici. Antiquitus etiam (ut hoc ornamentum deſcribens ait Iſidorus Peluſiota) erat laneum, & non lineum, quod in celebrandis divinis myſteriis induebant Epiſcopi; inde dictum humerale, quod eorum humeros tegat: illudque exhibet errantem ovem quam in ovile Paſtor referat. Sic P. Thomaſſinus.

Necnon hodierna deſcribitur. Sacri pallii formam hodiernam, ipſiuſque conſtructionem ac traditionem ſignanter exponit Chriſtophorus Marchiellus Corcyrenſis Archiepiſcopus in *Cæremon. Roman. ſect.* x. *cap.* v. hiſce iiſdem verbis. Cura conficiendorum & conſervandorum palliorum ad Subdiaconos Apoſtolicos pertinet, qui ex lana munda & alba illa hoc pacto conficiunt. Religioſi Monaſterii S. Agnetis, qui ſunt Canonici Regulares S. Salvatoris, offerunt quotannis agnos duos albos ſuper altare illius Eccleſiæ in die feſtivitatis S. Agnetis, dum in Miſſa ſolemni cantatur Agnus Dei: qui agni recipiuntur a duobus Canonicis Eccleſiæ Lateranenſis, quæ eſt Cathedralis Papæ; & ab eis poſtea traduntur Subdiaconis Apoſtolicis, qui agnos ipſos in paſcua mittant, donec adveniat tempus opportunum eos tondendi. Tempore opportuno advento, ex his lana tondetur; quæ ſi non ſufficiat, mixta cum alia lana ordinaria alba & pariter munda, a quibuſdam Sanctimonialibus reducitur in filum, ex quo pallia huiuſmodi contexuntur, latitudine digitorum trium redacta in orbem, quatuor crucibus nigris aut purpureis intextis: ita ut veluti ſtolæ humeros Præſulum ambiant a pectore & renibus, particulam pendentem habentes longitudinis palmi & ſemis, & in earum extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parvam latitudinem in fine orbiculatas, nigro ſerico textas, inſutas ſuper pendentes particulas ante & poſt ſuper humeros utroſque. Sic confecta pallia portantur per Subdiaconos ad Baſilicam Principis Apoſtolorum a ſummo Pontifice benedicenda: & facta benedictione, per Canonicos Baſilicæ ponuntur ſuper corpora SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, ſub altari maiore, ubi factis ex more vigiliis illa per noctem unam relinquuntur, deinde reconduntur in capſula, quæ ponitur & aſſervatur ſuper Cathedram S. Petri, in qua primo ſedit Romæ. Hinc intelligitur, quare dicat Paſchalis II. in *cap.* iv. *de elect.* inſignia hæc dignitatis a B. Petri tantum corpore ſumi. Quia ſcilicet pallium benedicitur & conſecratur a Papa ſuper altare D. Petri, & ibi ponitur, ac ille qui debet uti pallio, ipſum recipit de altari, ſi eſt præſens, vel alius pro ipſo, ideſt ipſius procurator, ſi eſt abſens: & ſic aſſumitur de corpore B. Petri. Et cum pallium de corpore B. Petri aſſumi debeat, etiam a ſolo Romano Pontifice tribui poteſt. Van-Eſpen.

Per tale ornamentum dicuntur accipere Metropolitani plenitudinem poteſtatis: quia ſicut Epiſcopus nondum conſecratus non habet plenum ius in ſuo Epiſcopatu; ita neque Metropolitæ plenum ius habent in ſua provincia, priuſquam pallium recipiant. Idcirco ante pallii receptionem non habet locum appellatio ad Archiepiſcopum ſeu Metropolitanum; cum antea iuriſdictionem Archiepiſcopalem, ut convocare Concilium aut viſitare provinciam, exercere nequeat, nec appellari Archiepiſcopus. Archiepiſcopi aliique Metropolitæ quibus competit ius pallii, intra tres menſes a die eorum creationis pallium apud Sanctam Sedem petere debent per aliquem Conciſtorialem Advocatum, conſtitutum ſibi procuratorem in Conciſtorio, conſuetis formulis.

Papa in omnibus Miſſarum ſolemniis, ſemper & ubique locorum pallio utitur, utpote qui aſſumptus ſit in plenitudinem eccleſiaſticæ poteſtatis in univerſa Catholica Eccleſia: quæ plenitudo per pallium ſignificatur, ut *cap.* Ad honorem iv. *de auctor. & uſu pall.* Archiepiſcopi tamen, Primates, Patriarchæ, aliive qui honore pallii potiuntur, ut Epiſcopus Oſtienſis, Papienſis, Lucenſis, Bambergenſis, eo nec ſemper, nec ubique, ſed in Eccleſia tantum ſuæ reſpectivæ diœceſis & provinciæ, & certis tantum diebus uti debent: idest in præcipuis ſolemnitatibus (ut ſunt tres primæ Natalitiæ, Reſurrectionis, & Pentecoſtes; Circumciſio Domini, Dominica Palmarum, Cœna Domini, Sabbatum Sanctum; Feſta S. Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum omnium, quatuor B. Mariæ Virginis, S. Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiarum, Conſe-

ſecrationis Epiſcoporum, Ordinationis clericorum; & feſta principaliora ſuæ Cathedralis, Dies Anniverſaria ipſius palliati) aliiſque diebus in eorum privilegio expreſſis: quæ particulariter ſunt attendenda, ut in *cap.* Quia nos VII. *de auctorit. & uſu pall.* Archiepiſcopi enim & alii pallio utentes ſtatutis tantum diebus uti debent pallio: quia vocati ſunt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Uti tamen hi poſſunt pallio in locis etiam exemptis. *Clement. cap.* Archiepiſcopi II. *de privileg.* Nequeunt vero eo uti extra Miſſarum ſolemnia, ut ex *cap.* Ad honorem *h. t.* colligitur, nec in aliena provincia ſine ſpeciali Papæ privilegio: etiamſi adſit generalis regni conſuetudo; immo etiamſi conſentiat ille cuius eſt Eccleſia & provincia. Poſſunt quidem uti pallio in Synodo: quod etiam colligi videtur ex *cap.* Quod ſicut XXVIII. §. Præterea *de elect.* Probabile eſt etiam, quod eo uti valeant, ſi ob multitudinem populi celebrare deberent ſolemniter extra Eccleſiam ſuper altare portatile; cum talis celebratio ſubſtituatur in locum eius quæ facienda eſſet in Eccleſia.

Archiepiſcopi aliique qui iure palli potiuntur, tam in ſua, quam in aliena provincia & diœceſi celebrare poſſunt privatim ſine pallio, ſicuti etiam poſſunt, immo debent, ſecluſo ſpeciali privilegio, celebrare ſine pallio in Miſſis defunctorum, ut in citato *cap.* Quia nos VII. *h. t.* Archiepiſcopus nequit pallium ſuum alteri Archiepiſcopo commodare. *Cap.* Ad hoc II. *h. t.* Nam pallium, ut clare declaratur ex ipſo textu, eſt privilegium perſonale conceſſum perſonæ cum reſtrictione ad locum, ideſt ad Eccleſias propriæ diœceſis & provinciæ; ideoque ſequi debet perſonam uſque ad mortem, & cum ea ſepeliri: ita ut Archiepiſcopus translatus ab uno ad alterum Archiepiſcopatum non poteſt uti priore pallio, ſed obtinere debet novum pallium. *Cap.* Bona memoria IV. *de poſtulat. Prælat.* Debet autem ſecum aſportare primum pallium (ex *cap.* Ad hoc II. *h. t.*) ad hoc ut poſſit in morte cum utroque ſpeliri: idemque dicitur, ſi ſimul & ſemel teneret, nempe debet habere duos pallios. Archiepiſcopus vel renuntians Archiepiſcopatui, vel translatus ad Eccleſiam epiſcopalem, non poteſt amplius uti pallio. *Cap.* A. ſupplicatione *de renuntiat.* Immo ſi poſtquam renuntiaverit, iterum ad Eccleſiam archiepiſcopalem promoveatur, licet ad eamdem cui renuntiavit, alio indiget pallio. Si autem Archiepiſcopus pallium acceptum amittat, vel caſu igne comburatur; poterit abſque illo munia pontificalia exercere, donec aliud obtineat pallium: & hoc petere tenetur. *Cap.* Bona memoria *cit.* Pallium conceſſum, & non traditum Archiepiſcopo, cum non poſſit eo amplius uti, comburendum eſt, & cineres in ſacrarium mittendæ. Ita ſacra Rituum Congregatio in cauſſa urbis Subdiaconorum IV. Maii MDCVI. Antiquitus cum Metropolitæ exauctorabantur, exuebantur pallio, ut factum fuit cum Macario Patriarcha Antiocheno.

§. X.

De cruce archiepiſcopali.

Inter particularia inſignia Archiepiſcoporum ſeu Metropolitanorum eſt etiam crux, quam ante ſe elevatam in ſignum iuriſdictionis & poteſtatis deferunt. Uſum circumferendæ crucis ortum duxit a publicis proceſſionibus; & iuſſu S. Ioannis Chryſoſtomi olim circumgeſtatæ ſunt: immo inductus fuit mos prioribus illis Eccleſiæ ſæculis, ut honoris gratia, dum perſonæ dignitate aliqua inſignes aliquam civitatem ingrederentur, eis occurreretur ad normam eccleſiaſticarum proceſſionum cum cruce præeunte. Sic excipiebantur in urbe Romana Exarchi ac Patricii, ſimili pompa prælata cruce. Et in vita Leonis Magni habetur, morem fuiſſe ut huic Pontifici eiuſque ſucceſſoribus, cum equo vecti egrediebantur, Subdiaconi prægeſtarent crucem auream quæ Leoni III. dono data fuerat a Carolo Magno. Ex hiſce vetuſtiſſimis exemplis viſum fuit P. Thomaſſino initium duxiſſe morem crucis quæ præferri cœpit Patriarchis, Primatibus, & Archiepiſcopis. Unde non immerito concludi poteſt, cruces primum prælatas fuiſſe Romanis Pontificibus, inde Legatis pontificiis, & tandem Archiepiſcopis. Et hoc privilegium ac ius præferendæ crucis cum regio diademate & nomine conceſſum fuit a Sancta Sede S. Stephano Hungarorum Regi, eum conſtituendo ſuum Legatum.

§. XI.

De Chorepiſcopis & Archipresbyteris.

Olim floruere ruri Chorepiſcopi in Orientali Eccleſia a ſæculo quarto frequentati: & ſerius viſi ſunt in Occidente, & citius diſparuerunt. Fuerunt autem Vicarii forenſes in loco Epiſcoporum qui (ut refert Euſe-

Digitized by Google

ſebius *lib. VII. Hiſt. Eccl.*) poſt tria priora ſæcula fuerunt etiam ruri, qui cum Presbyteris ſuis præerant: ſed cum poſtea ob decorem epiſcopalis dignitatis aliaſque rationes viſum fuiſſet Epiſcoporum reſidentiam reducendam eſſe ad ſolas civitates; eorum loco ruri & in vicis ſucceſſere Chorepiſcopi, inſtituti ab Epiſcopis ut eorum Vicarii foranei. Et hi in Parochiarum ruralium cura incumbebant, tractumque ſibi ab Epiſcopo aſſignatum viſitabant: unde & Viſitatores in ſacris canonibus appellati ſunt. Ita tamen ſuperiores erant etiam Presbyteris civitatis, ut præ illis poſſent in Cathedralibus offerre ſacrificium. Verum proceſſu temporis facti audaciores, ut præſumerent conferre confirmationem maioreſque Ordines clericis, ſæculo VIII. tempore Caroli Magni per ſententiam Leonis III. fuerunt penitus abrogati. Ita Thomaſſinus in ſua *Diſcipl. Eccleſiaſt.*

Presbyteri per titulos in urbe rurique diſperſi ſemper conſtituere cum clericis in matre, vulgo matrice, Eccleſia hærentibus idem corpus ſub eo tum Archipresbytero, qui primus ſemper fuit ab Epiſcopo, cuius abſentis vice fungebatur in functionibus interioribus. Archipresbyter in Sanctuario primum locum occupavit, clero in univerſum præfuit tamquam ſuperior & morum rector, curamque peculiarem eorum habuit qui publicam ſubibant pœnitentiam. Inde ſæculo IV. plures in eadem diœceſi occurrunt Archipresbyteri, cleri pro regionum diverſitate moderatores. Nonnumquam Decani appellantur; eo quod decem titulis ruralibus præſint, Presbyteroſque eorum regant: & ſæpe fuerunt Curati Eccleſiarum baptiſmalium. Hodie tamen Archipresbyteri fere ſolo titulo utuntur ſine officio, qui certis Parochiis affixus eſt.

§. XII.

De dignitatibus Eccleſiæ cathedralis, & primum de Archidiacono.

Variæ ſunt Cathedralium dignitates: ſcilicet Archidiaconus, Primicerius, Archipresbyter, Præpoſitus, Decanus, Pœnitentiarius, Cantor, Scholaſticus, Theſaurarius, Canonicus Theologalis.

Nota, quod Archidiaconus, Archipresbyter, Pœnitentiarius ſunt officiales Epiſcopi: dignitates autem propriæ Eccleſiæ cathedralis ſunt Præpoſitus, Decanus, Cantor, Scholaſticus, Theſaurarius, Canonicus theologalis.

Archidiaconus olim fuit præcipuus Epiſcopi miniſter in functionibus exterioribus, præſertim in temporalibus. Sicur Diaconi generatim miniſtri erant Epiſcoporum, ac ab illorum nutu in primis dependebant; ita non mirandum eſt, Epiſcopos pro arbitrio per priores Diaconos ab initio negotia Eccleſiarum diſpoſuiſſe: quod cum in perpetuum morem abiret, Epiſcopis in officio ſuo langueſcentibus, tandem plura quæ ad officium epiſcopale proprie pertinebant, illis propria facta ſunt, ut iure quaſi hereditario in quolcumque Archidiaconos tranſirent, in quorum exercitio ab Epiſcopo dependebant. Archidiaconus in Eccleſia curavit ut omnia rite fierent & decenter; clericos ordinandos adduxit ad Epiſcopum, quod hodie quoque facit; ſuum cuique locum ac functionem aſſignavit; populis ieiunia & dies feſtos indicavit; ornamenta & fabricam Eccleſiæ curavit; oblationes & reditus Eccleſiæ, quorum peculiares œconomi non eſſent, adminiſtravit; clericis ratam portionem erogavit; pauperibus, antequam Noſocomia ædificarentur, proſpexit; minorum clericorum & plebis cenſor, morumque corrector, lites vel prævenit, vel compoſuit, vel Epiſcopo indicavit, ac reſtitutionem damnorum poſtulavit; Epiſcopi manus & oculus haud immerito appellabatur.

Tanta Archidiaconi poteſtas in externis quæ in hominum ſenſus incurrunt, potiſſimum ſpectata, illum ſtatim extulit ſuper Presbyteros, rebus ſpiritualibus tantum, doctrinæ, orationi, & ſacramentorum adminiſtrationi intentos. Nihil tamen Archidiacono in hos iuris fuit uſque ad ſæculum VI. Sed ad ultimum non Presbyterorum ſolum, ſed & Archipresbyteri ſuperior factus eſt, primuſque poſt Epiſcopum, cuius iuriſdictionem ac viſitationes nactus eſt, tum per delegationem, tum per abſentiam, tum per vacationem. Inde in pleriſque Epiſcopatibus invaluit ut ante ſæculum XII. Archidiaconi in prima inſtantia iurgia audirent, ac de iis cognoſcerent atque ſtatuerent, ſalva ad Epiſcopum appellatione, ſalviſque cauſſis maioribus Epiſcopo reſervatis. Et hæc Archidiaconi poteſtas in iudiciis facta eſt tandem iuris communis, ut eſſent iudices ordinarii habentes iuriſdictionem propriam, cum facultate etiam delegandi, hoc eſt proprium officialem conſtituendi qui eorum vice præeſſet iuriſdictioni. Iuriſdictio tamen Archidiaconorum pro diverſa diverſarum Eccleſiarum conſuetudine fuit diverſa, & nonnumquam intra certam diœceſis par-

N 4 tem

Digitized by Google

tem redacta. Nam in Germania præcipue, ubi Epiſcopatus ſunt ampliſſimi, ac in aliis regnis plures Archidiaconi conſtituti fuere. Ille autem qui in civitate reſidebat, vocabatur magnus Archidiaconus. Unde a ſæculo IX. cœpit conferri Presbyteris Archidiaconi dignitas, ut etiam nunc temporis fit. Sed poſt ducentos annos leguntur Archidiaconi qui ne Diaconi quidem erant; uſque adeo Ordo aſpernabatur ratione officii: noviſſime vero ſancitum eſt ut Diaconi omnes etiam ordinarii, & præcipue qui beneficium curatum obtinuere, Sacerdotio initientur. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. *de reform.*

Talem ac tantam amplitudinem poteſtatis paulatim ſibi vindicarunt Archidiaconi, & tanta hac tamque inſigni poteſtate eorum plerique adeo abutebantur, ut Epiſcopis ipſis idemtidem repugnarent. Adeo enim quidam libero excommunicandi iure utebantur, ut Epiſcopo abſolventi obſiſterent, vel ab eius abſolutione ad Papam appellarent. Unde non amplius Vicarii, ſed Epiſcopi potius videbantur; cum veri Epiſcopi umbram tantum poteſtatis exercerent. Idcirco, ſæculo XII. ad finem vergente, coniunctis viribus conſpirarunt Epiſcopi ut ſuſpectam Archidiaconorum potentiam aliqua ratione imminuerent. Ineunte igitur ſæculo XIII. Archidiaconis vetitum fuit ne de cauſſis matrimonialibus aliiſque maioribus recognoſcerent, neve delegatis uterentur: ac Epiſcopi alios officiales ad iuriſdictionem contentioſam & voluntariam exercendam inſtituerunt, quos Vicarios generales nuncuparunt, dantes his mandata huiuſmodi quæ revocari poſſint pro arbitrio, quæque proinde periculum omne removerent quominus hi, quemadmodum antea Archidiaconi, in mandantes ipſos, hoc eſt in Epiſcopos, aliquando inſurgerent. Et hic mos inſtituendi Vicarios generales a nutu Epiſcopi dependentes ita invaluit, ut nunc quoque communiter perſeveret. Conſilio tamen tunc non reſpondit eventus, niſi Conciliorum quæ habita fuere ſæculo XIII. acceſſiſſet auctoritas, & Archidiaconorum repreſſiſſet audaciam. Alicubi inſtituti ſunt Vicarii foren ſes Eccleſiarum ruralium, vulgo hodie *Vicarj Foranei*, qui Eccleſiarum ruralium curam haberent: qui etiam Decani rurales ſunt appellati. Cuncta hæc officia nunc Presbyteris mandantur, qui aliunde ſæpe habent beneficium parochiale.

§. XIII.

De Primicerio.

Primicerius qui in aliquibus Eccleſiis hodie Cantor appellatur, dicebatur quiſquis in quibuslibet officiis quæ pluribus communicabantur, primus erat. Primicerius autem ideo dicebatur, quia in catalogo qui erat ex tabulis cereis, primus inſcribebatur, quaſi diceretur primus ceræ. Hoc nomen uſitatum fuit in Oriente, in Italia, & in Gallia. Legitur etiam Secundicerius Romæ: Primicerius ſimpliciter, aut cum addito Notariorum Primicerius, erat clericorum omnium Diaconatu inferiorum caput: &, vacante Sede, gubernacula ipſius Eccleſiæ Romanæ cum Archidiacono & Archipreſbytero tenebat. Qui alibi Primicerius, dicebatur in Hiſpania Primiclerus. Primiclerus autem aut Primiclericus dicebatur, quia totius cleri Diaconatu inferioris caput erat: cum antea toti eidem clero dominarentur Archidiaconi. Sic Thomaſſinus.

§. XIV.

De Archipresbytero Cathedralium.

Inter dignitates Eccleſiarum cathedralium poſt Archidiaconum in pluribus Eccleſiis Archipresbyter recenſetur: & dicitur Archipresbyter urbicus ſive urbicarius, ideſt civitatis epiſcopalis, ad diſtinctionem Archipresbyterorum ruralium, qui hodie aliquibus in locis Decani dicuntur. Dignitas archipresbyteralis attendenda eſt ex conſuetudine ſingularum Eccleſiarum potius quam ex iure ſcripto. Archipresbyteri Cathedralium ſimilem curam auctoritatemque, eaque iura obtinere ſolent in clerum & perſonas eccleſiaſticas urbis epiſcopalis, quæ rurales obtinent in ſuis diſtrictibus: cum hac tamen differentia, quod Archipresbyteri ſeu Decani rurales de conſuetudine ut plurimum nullam dignitatem, ſed merum officium habere cenſentur; Archipresbyteratus vero Cathedralium eſt vera dignitas, muniaque de iure vel conſuetudine adnexa habet iure dignitatis, ideſt iure ordinario, ſicut Archidiaconi, ideoque pro arbitrio Epiſcoporum tolli aut diminui nequeunt. De iure communi Archipresbyter in Epiſcopi abſentia Miſſarum ſolemnia eius vice celebrat, collectam dicit, aut is cui ipſe iniunxerit. Hinc concludunt Canoniſtæ, Archipresbyterum præcedere Archidiaconum in divinis officiis. Quoad celebrationem vero divinorum in abſentia Epiſcopi, attendendæ ſunt ſingularum

rum Eccleſiarum conſuetudines, quæ ſubinde eam curam ad Præpoſitum, Decanum, Archidiaconum tranſtulerunt; quemadmodum cura paſtoralis Canonicorum & cleri Cathedralis ad Decanum aliumve ut plurimum ſpectat: ita ut Archipresbyteri ſolum inferiorem clerum civitatis ſibi habeant ſubiectum; ac proinde indubie hæc dignitas adnumeranda eſt inter eas quibus animarum cura incumbit. Quid autem incumbat Archipresbytero urbano reſpectu cleri & Monaſteriorum ſibi ſubiectorum, facile colligi poteſt ex his quæ de Decanis ruralibus dicta ſunt; cum utrorumque par ſit obligatio.

§. XV.

De Præpoſito.

Præpoſitura in pleriſque Eccleſiis cathedralibus eſt prima poſt epiſcopalem dignitas, & in Eccleſiis collegiatis abſolute prima eſt Præpoſitura: ubi tamen non ſit Archipreſbyter, quæ duæ dignitates ordinarie non videntur ſimul in Eccleſiis collegiatis adeſſe. Dum vigebat inter Canonicos vita communis, gerebant quamdam Prioratus curam ſub aliis Prælatis, ut habetur in Synodo Aquiſgranenſi anni CCXVIII. *cap.* cxxxix. Tunc Præpoſitura erat merum officium; nunc non ſolum eſt beneficium, ſed primaria dignitas. Tunc cura & regimen Canonicorum & cleri viventium in communi ad Præpoſitos ſpectabat; nunc aliquibus in locis nec cura animarum, nec aliquod ſpirituale regimen ipſis incumbit. Præpoſitus etiam in locis ubi cura parochialis non incumbit, ſed ſolum ſuper Canonicos & clerum, ex ſuo inſtituto eſt Canonicorum paſtor: ac ideo de iure naturali & divino ad reſidentiam tenetur, quidquid in contrarium aliqui ſibi perſuadeant. Alii enim hodie quoque dantur quibus alia incumbunt officia: ſcilicet defendere iura, ſtatuta, privilegia Eccleſiæ; ut aperte ſupponit Synodus Colonienſis anni MDXLIX. *Remed.* III. *cap.* v. Iuxta ſtatuta alicuius Eccleſiæ, ut Melchinienſis in Belgio, abſente Epiſcopo, Præpoſiti eius vices in divinis ſupplere debent ſacrumque celebrare, ſecundum præſcriptum tabulæ capitularis; & in deciſionibus ibi habent primum ſuffragium poſt Præſulem. Van-Eſpen.

§. XVI.

De Decano.

Decanalis dignitas inſtituta fuit inter Canonicos, quando vitam communem agebant, ita ut diſciplinæ Monaſticæ æmulandæ cauſſa, non ſecus ac inter Monachos præter Abbatem & Præpoſitum erant varii Decani quorum ſinguli habebant ſub ſua cura decem Monachos, Canonici etiam conſtituerunt ſibi Decanum. Quare in pluribus Hiſpaniarum Eccleſiis cathedralibus Decani olim vocabantur Priores, teſte Innocentio III. *Epiſt.* lxxvii. Cum enim Præpoſiti ob curam temporalium ſpiritualem curam negligerent, & ſæpius ob eam curam temporalem a Congregationibus abeſſe deberent; hinc tandem cura interior tranſlata eſt ad Decanos. Unde ipſi Decani in pleriſque Eccleſiis capita Congregationis, ſaltem quoad diſciplinæ directionem, conſtituti fuere. Hodie in ſingulis Capitulis non eſt niſi unus Decanus, cui totius cleri cura incumbit, & ſolet eſſe caput & præſes. Decani iuriſdictio maxime pendet a conſuetudine. Aliquando iuriſdictio non eſt apud Decanum, ſed penes Capitulum: interdum apud utrumque. Iure communi non habet iuriſdictionem contentioſam, ſed ſolum correctionalem, quæ competit Capitulo vel Decano: & pertinet dumtaxat ad defectus leviores, præſertim ſpectantes diſciplinam conventualem (nam graviora punienda ſunt per Ordinarium) & ſervato ordine iudiciario. Hanc iuriſdictionem interdum Capitulum exercet in Decanum. Poteſt Decanus & Capitulum Canonicos ob indecentiam in veſtibus, aut irreverentiam in Eccleſia, ſuſpendere ab introitu chori & Capituli. Officiales tamen Epiſcopi nequeunt ſuſpendere reſolutiones Capituli in materia diſciplinæ.

§. XVII.

De Cantore.

Cantoris dignitas eadem eſt ac Primicerii, de quo antea dictum eſt. Vocatur nunc alicubi Cantor vel Præcentor: eo quia in Eccleſia ſit Canonicus præfectus cantoribus inſtituendis, edocendiſque ad cantum in choro deſtinatis; & quia divinæ laudes in communi choro decantandæ per eum præordinantur. Sollicite pſallendi ordinem ac orandi modum committere, ſilentium indicere, riſum ac colloquia prohibere debet; necnon delinquentes ſimul monitos propria

Digitized by Google

pria auctoritate corrigere poteſt, eos diſtributionibus privando. Tradit Renatus Choppin *lib. de Polit. Eccleſiaſt. cap.* III. *n.* 10. *ex Gloſſ. Pragmat.* quod in pleriſque Eccleſiis ſit Cantor, præſes ſeu præſul chori dictus, aut chori director, cum ſacra ac iuridica poteſtate in ſacrificulos templi, Canonicos, aliosque eccleſiaſtica dignitate præſtantes. Et in ſignum huius poteſtatis in quibuſdam Eccleſiis utitur in præcipuis ſolemnitatibus baculo argenteo, quem baculum cantoralem vocant, ut in ritibus Eccleſiæ Lugdunenſis.

§. XVIII.

De Theſaurario.

Theſaurarius dicitur a cuſtodia theſauri Eccleſiæ ipſi commiſſa: & eſſe ſolet in pleriſque Canonicorum Eccleſiis. Et licet in pleriſque ſit ſolum officium ſimplex, a quo ſi parum idoneus appareat, removeri poteſt; in pleriſque tamen eſt beneficium vel dignitas, interdum etiam ex primariis. Et revera tempore Innocentii III. Theſauraria Hivernenſis habetur reputata pro dignitate; cum Hivernenſi Theſaurario cauſſæ cognitio reperiatur delegata *Cap.* XXXII. *de offic. iud. deleg.* Ita collapſa eſt, necnon immutata vetus Eccleſiæ diſciplina, ut quod antiquitus non erat in clero niſi ſimplex officium & obedientia, ut loquitur clerus Colonienſis, ex divitiis factum ſit ut in Eccleſiis cathedralibus ac capitularibus varia officia non ſolum in beneficia, ſed etiam in dignitates eveherentur. Unde ſit ut aliquando ille fiat Theſaurarius (ut notat Van-Eſpen) qui ſe ipſum cuſtodire ac gerere neſciat.

§. XIX.

De Scholaſtico.

Scholaſticus ſeu Scholaſtes, dum adhuc vigebat vita communis in Canonicorum Collegiis, erat ille cui incumbebat humanas litteras edocere pueros adoleſcenteſque, ut paulatim ad clericalem vitam informarentur: ut etiam in Concilio Lateranenſi II. anno MCCXV. ſancitum fuit, iubendo ut in omnibus Cathedralibus aliiſque Eccleſiis non pauperibus aleretur Grammaticus, qui clericos Grammaticam edoceret. Hinc peculiaris præbenda inſtituenda erat ex decreto Concilii Lateranenſis III. anno MCCXIX. quod in multis Cathedralibus factum eſt. Et hoc confirmatum fuit a Concilio Tridentino *ſeſſ.* V. *de reform.* extendendo hoc munus ad Collegiatas & Monaſteria: ut ſcilicet alere deberent præceptorem qui liberos civitatis gratis edoceat. Vita communi Canonicorum in ſingularem commutata, licet ex hoc pueri ac adoleſcentes cum Canonicis cohabitare deſierint; nihilominus remanſere puerorum ac adoleſcentum ſcholæ in pluribus Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, manſitque unus e clero qui eam curam ageret, qui hodie Scholaſticus, interdum Scholarius, hoc eſt ſcholæ Præpoſitus ſive Præfectus nuncupatur. Olim Scholaſteria ſeu munus magiſtri ſcholarum erat ſimplex officium, a quo non idonei vel ſuo officio deficientes pro ſuperioris arbitrio amoveri poterant. Verum, ſtabilita Canonicorum ſingulari vita, quemadmodum pleraque Canonicorum munia in beneficia, immo & in aliquibus Eccleſiis ad dignitatem evecta fuere; ita ulterius contigit ut ob dignitatis decorem & amplos proventus adnexos munia illa ambiri cœperint, ac Scholaſtici etiam conſtitui qui nullatenus ad hoc erant idonei. Quare, ut huiuſmodi abuſum tolleret, Concilium Tridentinum ſtatuit *ſeſſ.* XXIII. *de reform.* ut de cetero dignitas quæ Scholaſteria dicitur, nonniſi doctoribus vel magiſtris, vel licentiatis in ſacra Theologia aut iure canonico, aliiſque idoneis perſonis, quæ per ſe id munus explere poſſunt, conferatur. Et ex his facile colligi poteſt, quænam cura, ſollicitudo, & opera ad Scholaſticum pertineat. Immo idem Tridentinum Concilium, iuxta Concilii Lateranenſis II. ſub Innocentio II. & Baſileenſis decreta edita pro clericorum inſtructione, ſtatuit *ſeſſ.* V. *cap.* V. *de reform.* ut in Eccleſiis non ſolum metropolitanis & cathedralibus inſignium civitatum vel populoſarum, ſed in Eccleſiis quoque collegiatis inſignis oppidi, etiam nullius diœceſis, ſi ibi clerus numeroſus fuerit, & nondum in his reperiatur aliquod præſtimonium vel præbenda aut ſtipendium pro Canonico theologali, præbenda quomodocumque, præterquam ex cauſſa reſignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile non ſit, ad eum uſum ipſo facto conſtituta ac perpetuo deputata intelligatur. Si vero in ipſis Eccleſiis nulla ſit præbenda ſufficiens, Metropolitanus vel Epiſcopus ipſe curet ut per applicationem fructuum alicuius beneficii, eiuſdem tamen detractis oneribus, vel per contributionem beneficiariorum ſuæ civitatis vel diœceſis, vel alias prout commode fieri poterit de capitali ita provideat, ut ſacræ Scripturæ lectio habeatur. Si autem cleri vel populi multitudo ſit exigua, ut Theologiæ lectio commode fieri nequeat, ſaltem ab Epiſcopo cum conſilio Capituli aliquis eligatur qui in Theologia Mo-

Morali inſtruat clericos. Circa vero dies, horam, materiamque ſacræ Scripturæ, vel Theologiæ quæ in Scriptura continetur, arbitrio Ordinarii ſtatuendum reliquit. Concilium tamen Baſileenſe, quod ſecuta ſunt plura Concilia provincialia, ſancivit ut bis vel ſemel ſaltem in hebdomada lectio theologalis habeatur. Et ad hoc ut Canonicus theologalis, qui iam ex mente Eccleſiæ & ex natura ipſius præbendæ per ſe, non per ſubſtitutum, ceſſante legitimo impedimento, ſuum officium exercere debet, utilius & fructuoſius ſuo muneri ſatisfaceret, ſtudiiſque liberius vacare poſſet; ſancivit laudatum Baſileenſe Concilium ut, etiamſi abſens fuerit a divinis, habeatur pro præſente non ſolum quoad fructus groſſos præbendæ, ſed etiam quoad diſtributiones quotidianas qualcumque, etiam ex anniverſariis provenientes, præſertim diebus quibus legere debet, ita ut nihil perdat. Res effectum habuit quoad inſtitutionem præbendæ, ac Canonici theologalis: ſed mens Eccleſiæ fraudata eſt quoad intenti muneris executionem; cum Theologi officium redactum ſit ad certum numerum ſermonum, qui alicubi etiam per alios ad populum recitantur.

§. XX.

De Pœnitentiario.

Pœnitentiarius ſeu Confeſſarius generalis eſt novum officium, quod adiunxit Canonico theologali Concilium Lateranenſe II. Eſt autem ille Presbyter qui iuxta inſtitutum eiuſdem Concilii in Cathedralibus, Collegiatis, aliiſque Conventualibus Eccleſiis poſitus eſt in ſubſidium Epiſcopi. Inter coadiutores vicarioſque Epiſcoporum olim fuere Presbyteri qui in excipiendis confeſſionibus imponendiſque pœnitentiis vices Epiſcopi ſupplebant; quod tamen a prioribus ſæculis locum habuit in Orientali Eccleſia etiam pro publica pœnitentia: cum in Occidentali per quinque aut ſex prima Eccleſiæ ſæcula generalis Pœnitentiarius totius diœceſis, quoad publicas pœnitentias adminiſtrandas, fuerit ſolus Epiſcopus, & ſolummodo Epiſcopo abſente vel ægrotante, munus hoc delegabatur Presbytero; immo hoc perduravit fere uſque ad annum milleſimum & ultra, ut ex P. Thomaſſino colligitur. At tandem ſtatuit ac præcepit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. ut ad normam iamdudum receptam in Eccleſia Romana aſſumeretur a quolibet Epiſcopo Pœnitentiarius, quem haberet in confeſſionibus excipiendis generalem coadiutorem: & iam in pluribus diœceſibus etiam ante hoc decretum Concilii Lateranenſis generalis Pœnitentiarius erat in uſu. Huius erat ex quacumque Diœceſeos parte confeſſiones excipere, niſi ſicubi Parochorum, Magnatum, Baronum confeſſiones ſibi reſervaret Epiſcopus. Ad eumdem Pœnitentiarium referebantur ſolvendæ quæcumque in foro pœnitentiali difficultates, tum etiam enormia & atrocia crimina. Poterat pœnitentias ab aliis Confeſſariis iniunctas vel relaxare, vel permutare. Concilium autem Tridentinum Pœnitentiarii munus in perpetuum beneficium erexit: ſanciendo nempe præbendam ei in unaquaque Eccleſia cathedrali conferendam; ipſum vero Pœnitentiarium, quamdiu is confeſſionibus audiendis operam daret, cenſendum choro & officio præſentem. Prima ei locum contulit inter dignitates Eccleſia Gallicana. Thomaſſinus.

§. XXI.

De Canonicis Cathedralium & Collegiatarum.

Quamvis Canonicatus revera, ut communiter docent Canoniſtæ, ſingulos Canonicos ſeiunctos ſumendo non ſit dignitas, cum ſimplex Canonicatus in hoc diſtinguatur a dignitatibus quæ inter eos inſtitutæ fuere, quas hactenus aliquantulum deſcripſimus; ſed ſolum ſit perſonatus cum præeminentia ſuper ceteros de clero: nihilominus ſi coniunctim totus Canonicorum cœtus ſeu Capitulum præcipue Cathedralium ſumatur, eſt valde magni decoris in Eccleſia, utpote cum Epiſcopo conſtituens in diœceſibus ſupremum Eccleſiæ Senatum. Hinc agendo de dignitatibus, ut de eorum etiam inſtitutione, conditione, & natura aliquid lector prælibaret, non incongruum cenſui.

In Eccleſiæ primordiis, quando præter Ordines nulli alii fuere miniſtri Eccleſiæ, incognitum fuit Canonicorum nomen ſeu titulus. Nam Presbyter nihil aliud erat niſi Presbyter, Diaconus niſi Diaconus, & ſic in reliquis. Tantummodo ad unitatem ruendam ſuus cuique ordini Præſes fuit: veluti Presbyterorum primus ratione Ordinationis, qui poſtea Archipresbyter fuit appellatus: qui aliis Diaconis ac univerſo clero inferiori ab Epiſcopo præfectus fuit, Archidiaconus dicebatur; ubi vero clerici minores magno numero fuere, datus fuit ipſis qui eos regeret Primiclericus ſeu Primicerius, iiſ-

Digitized by Google

iiſque plerumque Subdiaconis, & ille vocabatur Primicerius Notariorum, quoniam minores clerici plerumque Epiſcopis fuere ab epiſtolis. Sic P. Thomaſſinus.

Magna pars cleri, ſcilicet Presbyteri & Diaconi, qui in civitate epiſcopali morabantur, & curam animarum gerebant, ſemper fuit a latere Epiſcopi tum in precibus, tum in omnibus functionibus publicis: ita ut cum Epiſcopo unum veluti corpus ipſi conſtituerent, ac Senatum qui hodie dicitur Capitulum, formarent. Etenim in omnibus negotiis Epiſcopus Presbyteros pro eorum conſilio & opere ad ea gerenda convocabat; Diaconis vero ceteriſque inferioribus clericis tamquam miniſtris utebatur. Convocabat nonnumquam ceteros etiam per titulos urbicos & rurales diſperſos; quæ Congregatio Synodus epiſcopalis nuncupata fuit: & hanc Epiſcopus ſingulis annis cogere tenebatur. Ex iis qui ſemper erant a latere Epiſcopi, orti ſunt Canonici Eccleſiarum cathedralium. Nam principio omnes vocabantur Canonici qui ſecundum canones, duce Epiſcopo, vixere: & in matriculam Eccleſiæ relati erant. Sed poſtea Canonicorum nomen proprium factum eſt clericis in communi cum Epiſcopo viventibus; immo iis tantum quos in magno cleri augmento, reliquo excluſo clero, tamquam ſibi proprios elegerat ac aſſignaverat, quorum conſilio & opera diœceſim regeret. Hos autem ſubſequens ætas Canonicos cathedrales appellavit, utpote Cathedræ epiſcopali propius adhærentes: & eorum cœtum Capitulum cathedrale vocavit.

Canonici Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum vocantur communiter ſæculares, ad differentiam Canonicorum regularium degentium in Monaſteriis cum profeſſione ſolemni monaſtica trium votorum, ut conſtat ex Conciliis. Sed ſi antiqua Canonicorum monumenta & temporum hiſtoriæ percurrantur, colligere licet, non ex hoc præcipue nomenclaturam ſæcularium Canonicos Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum ſibi comparaſſe, ſed ex deſertione vitæ communis quam etiam a prioribus ſæculis hi clerici cum Epiſcopo in Eccleſia cathedrali ducebant Pace reddita Eccleſiæ, plures ſancti Epiſcopi, ut Euſebius Vercellenſis aliique, in communi vixere cum ſuo clero. Inſigne inter omnes eſt exemplum S. Auguſtini, qui clericos ſuos ad ſtatum monachalem ſeu paupertatis reduxit, omnique ſublata proprietate, ipſemet veluti minimus inter eos vivebat. Nonnulli communioni vitæ monaſticæ auſteritates adiunxere, quantum per functiones clericales fieri potuit. Clericis ita adunatis peculiari modo nomen Canonicorum aſſignatum fuit, quod adhuc commune erat omnibus clericis ſervitio Eccleſiæ addictis ac in matriculam Eccleſiæ relatis. Talis autem communitas illa eſt quæ hodie Capitulum vocatur. Ibi clerici iuniores educabantur, & ex iis prodibant Paſtores Noſocomiorum & Oratoriorum. Illuc etiam & ſenes invalidi ſe recipiebant. Sæculo VIII. ineunte, cœperunt clerici communiter dici Canonici non amplius ab illo Eccleſiæ canone ſeu matricula cui inſcripti erant; ſed a canone ſeu regula quæ ſervanda ipſis indicebatur: nempe eo tempore quo ad normam temporis Apoſtolorum & D. Auguſtini cœperunt clerici denuo ad vitam communem quam deſeruerant, per ſuos Epiſcopos reduci, ideſt in congregationem adunari; quod præcipue adſcribendum eſt zelo ac ſollicitudini Crodogangi Epiſcopi Metenſis, qui fuit huiuſce diſciplinæ inſtaurator, dum primus ea ætate clericos ſuos ita adunavit, regulaſque ad normam monaſticæ diſciplinæ ipſis præſcripſit. Et ex hoc, qui tali diſciplinæ ſe ſubiecerunt, vocari cœperunt Canonici regulares, nempe a regula ſub qua vivebant adinſtar Monachorum, qui a regula vocari ſolent regulares: abſque eo tamen quod ullo adſtringerentur voto, ut fit apud Monachos poſterioreſque Regulares. Qui autem ſe ſubiicere renuerunt perſiſtendo in vita ſingulari, vocati ſunt ſæculares, utpote qui unus ab alio ad normam ſæcularium vivebant. Exemplum Crodegangi ſecuti ſunt quamplurimi Epiſcopi, præcipue in Galliarum regnis, ubi hæc vita communis clericorum maxime effloruit. Singulis autem hiſce clericis commune erat clauſtrum, dormitorium, refectorium cum ſuo Epiſcopo ſeu Præpoſito. Nam ex his Canonicis alii erant Eccleſiæ cathedralis, collecti iuxta ædes Epiſcopi, ac cum ipſo viventes, ſub ipſomet Epiſcopo aut alio Præpoſito; alii collegialium erant Eccleſiarum, qui nimirum ſub Præpoſito vitam agebant, ſeu in civitate extra ædes epiſcopales, ſeu etiam ruri. Iſtæ omnium clericorum congregationes Capitularia Monaſteria dicebantur.

Verum, connivente Eccleſia, a vita communi denuo ad ſingularem Canonici tranſiere. Nihilominus licet tandem toleraverit Eccleſia hanc in venerabili Canonicorum ordine exterioris diſciplinæ variationem; numquam tamen de obligatione vivendi ſecundum

dum canones ſeu eccleſiaſticas ſanctiones quidquam remiſit : immo immobilem ſemper ſuppoſuit ipſam canonicalem inſtitutionem & profeſſionem , ſi ipſos eſſentiales & interiores ſtatus canonicalis obligationes ſpectemus. Hinc ſæculo XV. de Canonicis non iam in communi viventibus, ſed univerſim vitam ſingularem agentibus , ait Dionyſius Carthuſianus Tract. de vit. canon. *Clerici vocantur Canonici : quoniam regularem & rectam tenentur ducere vitam , vitiorumque obliquitates vitando ſinceriter progredi iuxta præfixa eis a Sanctis Patribus* .

Canonici ſecundum eorum inſtitutum non ſolum tenentur eſſe ſollicìti in perfectione & ſanctitate , ſed intervenire quotidie , dummodo non ægrotantes aut legitime impediti ſint, ad recitandas per ſe horas canonicas omnes, ideſt tam nocturnas, quam diurnas, necnon ad alia officia quæ in ſuis Eccleſiis celebrantur, omniaque alia munia adimplenda iuxta eorum ſtatuta. Nec allici ad hoc debent a diſtributionum utilitate quæ ſecundum Conciliorum ſanctiones præſentibus tantum ſunt diſtribuendæ ; ſed ut gloriam cultumque reddant Deo optimo maximo , impleant fidelium piorum benefactorumque mentem qui tali religioſa intentione ſuas facultates Eccleſiis legarunt , ædificent pio eorum exemplo in perſolvendis divinis laudibus fidelem populum . Idcirco in ſuis Eccleſiis reſidere tenentur. Ita Van-Eſpen , Fleury, P. Thomaſſinus.

§. XXII.

De Parochis , ſeu animarum paſtoribus.

Quia Parochiæ quoque ſunt tituli ſeu eccleſiaſtica beneficia, hinc de Parochis etiam, licet aliqua de his antea attigerim , tamen conſentaneum cenſui hic ſuſius diſtinctiuſque agere , exponendo horum clericorum officium,eorumque primariam inſtitutionem & progreſſum.

Tribus prioribus ſæculis nullæ ruri erant Eccleſiæ nec in urbibus aliæ præter Cathedralem, ut colligitur ex SS. Ignatio & Cypriano, ac ex his quæ de iiſdem ſæculis memorat Euſebius in ſua eccleſiaſtica hiſtoria. Unde die dominico omnes etiam ex agris conveniebant in unum cum Epiſcopo ; & ad eos qui nimis diſſiti erant ab urbe , deferebant Diaconi Euchariſtiam . Et hoc patet etiam ex canonibus Apoſtolorum , ubi damnantur Presbyteri ſeorſim ab Epiſcopo convenientes, & alterum ab eius altari extruentes altare. Solus igitur tunc offerebat Epiſcopus : aderant & Presbyteri oblationis conſortes futuri ; nec vero umquam offerebant, niſi abſente Epiſcopo , vel eo iubente . Immo maximis etiam in urbibus una tantum erat Eccleſia , unum altare tantum , in qualibet Eccleſia niſi Miſſa una celebrabatur . Quarto vero ineunte ſæculo , pace iam Eccleſiæ reddita , cum de die in diem in immenſum excreſcerent fideles ; aliæ cœperunt ædificari Eccleſiæ ſeu oratoria tum in urbibus præcipue ampliſſimis , tum in pagis & ruribus: & unicuique præficiebatur Presbyter, qui populum doceret , baptiſmum poſitis in vitæ periculo , tum etiam pœnitentiam miniſtraret. Immo quarto ſæculo in aliqua Eccleſia præter peculiariter præfectum curæ animarum alii quoque erant Presbyteri : ſed auctoritas erat tantum penes Presbyterum illi Eccleſiæ ab Epiſcopo deſignatum, qui proinde erat Parochus. Exinde ortæ ſunt inſtitutiones ac multiplicationes Parochiarum & Paſtorum : quæ Parochiæ Romæ tituli vocabantur. Ad eas Presbyteri iiſdem præfecti conveniebant cum plebe commiſſa . Erant adhuc ibidem & ſui cœmeterii Presbyteri : & hi ſolummodo ſacrificium offerre poterant , non autem urbanarum Parochiarum Presbyteri , ſed ad iſtos cum plebe ſua congregatos mittebat Epiſcopus de ſuo ſacrificio portionem, quam fragmentum appellabant . Hunc morem innuit Innocentius I. qui ineunte ſæculo IV. Eccleſiæ Romanæ præfuit. Unde licet eo currente ſæculo multæ , præcipue Romæ & Alexandriæ , ac prope Alexandriam , ut teſtatur S. Athanaſius , eſſent Eccleſiæ ſeu oratoria : in ſola tamen Eccleſia maiore, nempe in Cathedrali Miſſa celebrabatur ; & quidem una tantum etiam diebus ſolemnioribus . Nec ad tempora ſolum D. Athanaſii , Alexandriæ hic mos perdurabat, ſed etiam tempore S. Leonis Papæ, qui propterea iuſſit ut non ſolum in maiore , ſed in aliis etiam Eccleſiis Alexandriæ ſacrificium offerretur ; in maiore vero ſeu cathedrali ſolemnioribus diebus iteraretur , cum plurima intereſſet multitudo quæ primo non poterant intereſſe. Quare in civitatibus quibuſdam eſſe cœperunt Eccleſiæ maiores , in quibus erant Epiſcoporum Cathedræ;& minores ſeu tituli Presbyterorum:in civitatibus vero minoribus una tantum Eccleſia cathedralis ſufficiens erat. Hinc adhuc Parochiæ in pluribus Cathedralibus conſpiciuntur.

Origo Parochiarum.

Quamvis prioribus ſæculis Parochiæ nondum erectæ eſſent in titulum ſeu beneficium , nihilominus Epiſcopus non poterat pro libito Parochum removere . Poterat tamen ab una ſuæ diœceſeos Eccleſia ad aliam eiuſ-

eiuſdem diœceſis transferre : ſed non invitum; niſi de Eccleſia agreſti ad ſuam cathedralem, ut conſtat ex canone Concilii Carthaginenſis : quia tunc omnes clerici prius addicti erant Eccleſiæ cathedrali, pro ipſaque ordinabantur. Verumtamen in mutationibus omnibus Epiſcopi conſulebant Eccleſiæ utilitatem. Item poterant Epiſcopi hoſce clericos a Parochia amovere, ſi fuiſſent inobedientes & contumaces. Thomaſſinus in ſua *Diſcipl. Eccleſiaſt.*

Parochi primis ſæculis erant Concilium Epiſcopi & clerus Eccleſiæ cathedralis. Comparantur ſeptuaginta diſcipulis & filiis Aaron. Eorum iuriſdictionem eſſe de iure divino, ſtatuerunt olim graviſſimi Theologi : & dubitari nequit eſſe iuris divini, ſaltem inquantum includitur in Epiſcopatu Sacerdotii fonte & plenitudine, ex quo manant ut rivuli. Olim Parochi poterant excommunicare; immo & eorum Vicarii & Capellani. Exciderunt a tali poteſtate ac iuriſdictione contentioſa, quando Epiſcopi ſibi crearunt Vicarios generales & officiales. Poterant olim Parochi ſuos clericos Subdiaconos gradu movere. Verebantur alias Parochi alterius parochianum ad ſuam Miſſam recipere.

Parochiarum permultæ originem habuere ex capellis oratoriiſque quæ Magnates habebant in ſuis caſtellis aut vicinis agris. Iam viſum eſt antea, quod non in omnibus Parochiis miniſtrabatur baptiſmus; ſed in primævis, a quibus aliæ ortæ ſunt : ideſt in Cathedralibus reſpectu locorum quæ non longe diſtabant a civitate, & in Matricibus. Cum vero Epiſcopi ſæculo VIII. cœperunt inſtituere Capitula congregationeſque clericorum & Monachorum, iis ad ipſorum ſuſtentationem poſt prædia Parochias etiam aſſignavere, ut iſtæ congregationes & Capitula in illis Parochiis functiones obirent Parochorum primitivorum, alioſque ſub ſe Parochos haberent. Canonicorum erat Parochiis illis ſuo Capitulo ab Epiſcopo aſſignatis parochos deſignare; qui tamen a ſuo Epiſcopo inſtituendi erant : itemque ex reditibus iiſdem Eccleſiarum portionem congruam commodamque ſuſtentationem Parochis ſeu Vicariis ſubſtitutis aſſignare; tantam videlicet proventuum copiam, quæ ipſis ſufficeret, alendis pauperibus, & hoſpitibus excipiendis. Thomaſſinus, Van-Eſpen, & alii. Verum non ſolum Parochiarum proventus diſtracti ſunt ab Eccleſiarum Paſtoribus per aſſignationes Parochiarum Capitulis clericorum & Monaſteriis Monachorum; ſed etiam quia eodem ſæculo VIII. fundos

Commenda. ium o. 1140.

non tantum & villas, ſed Eccleſias ipſas (ideſt eorum decimas, oblationes, ceteraſve obventiones quæ Eccleſiarum nomine intelliguntur) præcipue in Gallia ſub Carolo Martello laici invaſerunt. Et hæc beneficia adinſtar feudi ſæcularis ab ipſis laicis poſſidebantur, ut tranſirent etiam ad heredes, & hominum commercio exponerentur. Ne tamen ſacramentorum aliorumque ſpiritualium celebratio a laicis Eccleſiarum poſſeſſoribus pendere videretur, inducta eſt quædam nova verborum diſtinctio : ita ut in una eademque domo pars una Eccleſia diceretur, quoad laicorum iura; & altera altares, quoad iuris ſpiritualis adminiſtrationem, & hanc concedebant Epiſcopo, quem graviſſimum errorem acriter exprobravit S. Abbo ſæculo XI. *Cum ex domo conſecrata & altari unum quoddam fiat, quod eſt Eccleſia; ſicut unus homo conſtat ex anima & corpore.* Altare igitur ſeu ſacramentorum aliorumque ſpiritualium adminiſtrationem & curam alicui Presbytero committebant; Eccleſiam vero ſive decimas, oblationes, ceteroſve proventus ſibi laici iure quaſi dominii & proprietatis tamquam feuda retinebant. Sed ubi poſtea, vel Epiſcoporum commonitione, vel interiore animi carnificina qua ſuis remorſibus eos ſynderefis excruciabat ex huiuſmodi bonorum iniqua poſſeſſione, compulſi ſunt ea in priſtinum ſtatum reſtituere; plerique eorum ad hoc animum adiecerunt, ut eas non Parochis, non Epiſcopis, ſed Monachis redderent & Abbatibus, numerata etiam ſibi non raro ab illis pecunia. Huiuſmodi ſimoniacam perverſitatem damnavit Gregorius VII. Papa, qui etiam, congregato Concilio, compoſuit rixas liteſque ex hoc ortas Epiſcopos inter & Abbates, ſtatuendo ut Monaſteriis remanerent Parochiæ baſtenus acquiſitæ; ac in poſterum nullam, niſi conſentiente Epiſcopo, ſibi compararent, nec Parochi Eccleſiarum eis ſubiectarum, non obſtantibus privilegiis quibus a Sede Apoſtolica donatæ erant Abbatiæ, ab alio quam ab Epiſcopo diœceſis miſſionem curamque animarum ſuſcipere poſſent.

Dum vero ſucceſſu temporis e laicorum manibus ad Monaſteria & Canonicorum Collegia Eccleſiæ pervenerunt, Monachi quoque & Canonici dividere cœperunt Eccleſiam ab altari : ſive decimas oblationeſve ſibi retinere; altare vero ſive ſpiritualium curam Vicariis qui ad altaris miniſterium erant ibi conſtituti, cedere. Immo, impetrato mediante aliqua contributione Epiſcoporum conſenſu, adiecta etiam fuit conventio ut

in

in Vicariorum mutatione quædam pecuniæ ſumma in ſignum recognitionis Epiſcopis penderetur: quæ pecuniariæ ſolutiones dicebantur altarium redemptiones, quæ vox petita videtur ex feudorum uſu, in quibus invaluerat ut domino certa pecunia penderetur pro nova inveſtitura, quæ heredi ultimi poſſeſſoris erat concedenda.

Conceſſio autem altarium dupliciter fiebat ab Epiſcopo: aut retenta apud ſe altaris diſpoſitione, ita ut, mortuo Vicario, liberum Epiſcopo omnino eſſet indulgere Monaſterio ſubſtitutionem, vel eam improbare; aut conceſſa perpetua apud Monaſterium & Capitula Vicarios ſubſtituendi facultate, ſoluto redemptionis pretio, cedente quandocumque aut decedente Vicario. Utraque conceſſio vetita fuit a Concilio Claramontano ut ſimoniaca; & firmata fuit Monaſteriis ac Capitulis libera poſſeſſio altaris, quam per quadraginta aut triginta annos poſſediſse noſcuntur, ſalvo utique Epiſcoporum annuo cenſu, quem ex iiſdem altaribus habere conſueverant.

Quid eſſent Paſtores primitivi.

Cum Monaſteria & Collegia Canonicorum Eccleſias ſeu altaria ſibi incorporata & proprietatis iure poſſidentia, eſſent donata libertate præficiendi Presbyteros qui eorum vice curam animarum gererent; ſe poſtrema hac ætate primitivos Paſtores, Presbyteros vero curæ animarum præfectos Vicarios dixere. Et hæc eſt origo Paſtorum primitivorum, nomen antea ignotum in iure canonico: quod non aliud ſignificat quam poſſidere Eccleſias parochiales aut beneficia incorporata, eorumque curam in Presbyteros transtuliſſe pleno iure quoad munia parochialia, non ſecus ac habent veri Paſtores qui nullum Paſtorem primitivum recognoſcunt, retentis ſibi temporalibus. Hi Presbyteri ſubſtituti ideſt vicarii a Concilio Tridentino Rectores appellantur: & tantum abeſt ut Paſtores primitivi ſe immiſcere poſſint functionibus paſtoralibus, aut ab hoc primitivi Paſtores appellentur; quod ius primitivi Paſtoris competat etiam communitatibus mulierum virorumque laicorum. Sic Van-Eſpen. Paſtores primitivi tenentur ante alios decimatores Vicariis de competenti congrua providere; cum incongruum ſit, Paſtores ex honorariis Miſſarum aut ex oblationibus in adminiſtratione ſacramentorum vivere. Et eo vel maxime quod populi qui Parochorum ſuſtentationi decimas plus quam ſufficientes perſolvunt, maxime incongruum eſt ut denuo ad nova onera & gravia conſtringantur pro Vicarii ſuſtentatione; cum hæc non ſit mens Eccleſiæ: Nam in nullo decreto Pontificum aut Conciliorum, in quo de congrua ſuſtentatione Parochis aſſignanda tractatur, de oblatis in adminiſtratione ſacramentorum mentio occurrit; ſed ubique generaliter præcipitur ut tantum ex decimis Parochis relinquatur quod exinde competentem ſuſtentationem habere poſſint, & epiſcopalia iura perſolvere, aliaque onera debita ſupportare. Et Concilium Tridentinum, nonniſi deficientibus decimis (quod intelligendum de aliis etiam reditibus ex bonis etiam ſtabilibus illius Eccleſiæ) ad collectas procedendum iudicavit. Sic laudatus Van-Eſpen.

Perſonatuum origo.

Ad imitationem Monachorum & Canonicorum factum fuit ut etiam clerici quibus a laicis, vel a Monaſteriis, aut a Capitulis Eccleſiæ parochiales cum emolumentis committebantur, altaria ſive ſpiritualem curam, retentis ſibi emolumentis, Presbyteris committerent; & ſe perſonas, Presbyteros vero ſubſtitutos ſeu vicarios dicerent. Dicebantur ergo perſonæ qui beneficiis ſeu Eccleſiis per vicarios miniſterium exhiberi curabant, dum ipſi potiore fructuum portione fruebantur, dando vicariis portionem multo minorem pro eorum ſuſtentatione. Talis autem abuſus ita invaluit, ut mortua perſona, rurſus alteri committeretur qui ſimiliter Eccleſiæ per vicarium deſerviens, emolumenta ad ſe trahebat. Et ſic contigit ut paulatim inde beneficia ſeu dignitates exortæ ſint quæ perſonatus vocantur, quorum poſſeſſores perſonæ dicuntur, multumque cum Paſtoribus primitivis conveniunt. Unde & perſonatus inter beneficia ſine cura computari ſolent. Inter hæc primitivorum Paſtorum & perſonarum iura, temporalium præcipue & ordinarie, eſſe ſolet decimarum perceptio; interdum quoque, ſed rarius, oblationum aut earum partis communicatio.

Præter hæc nonnumquam Monaſteriis, Capitulis, & clericis qui parochiales Eccleſias ſibi unitas Vicariis demandarunt, reſervata ſunt quædam honoraria: quæ tamen nullatenus animarum curam attingunt, utpote quæ integra apud vicarium remanere debet; ſed celebrandi in iiſdem Eccleſiis certis ſtatutis ſolemnibus diebus, ac ſimilia peragendi. Et nonniſi huiuſmodi iura honoraria prætendere poſſunt.

Quid ſtatutum fuerit circa Parochiarum adminiſtrationem.

Poſt annum milleſimum Monachis Parochias per ipſos adminiſtrandas committi alia Concilia permittunt, alia prohibent; & ſic etiam Pontifices, alii permittunt, vetant alii

Digitized by Google

alii: ſive Parochia ſit in eadem eorum Eccleſia, ipſique unita Monaſterio, ſive aliter res ſe habeat. Et Concilia Pontificeſque a quibus hoc Monachis interdicitur, volunt ut Monachi præſentent Epiſcopo Presbyterum ſæcularem, qui eam tamquam Vicarius adminiſtret. Indulgentius tamen ſe habuere Pontifices & Concilia in Clericos regulares, ipſis concedendo ut Eccleſias parochiales ſibi ſubiectas per ſe regerent: dummodo tamen ſocium, & hunc quoque Regularem haberent ad nutum Abbatis, quamquam non ſine Epiſcopi aſſenſu poſſet amoveri. Si vero quæſtio ſit de Parochiis ſæcularibus, Canonici regulares ex Conſtitutione Gregorii XIII. ſine licentia Romani Pontificis eas adminiſtrare nequeunt. In regionibus, vulgo *Mondo nuovo*, ob Presbyterorum paucitatem conceſſit S. Pius V. Monachis ut ibi Parochias adminiſtrarent. Præcipit Concilium Tridentinum ut Epiſcopi in Parochiis illis quæ Capitulis, Monaſteriis, Conventibus unitæ ſunt, perpetuos inſtituant vicarios, niſi aliter pro bono Eccleſiæ regimine ipſis expedire videatur. Bonifacius VIII. iam Monachos coegerat ut in Parochiis ſui iuris nonniſi vicarios perpetuos inſtituerent. Reſpectu tamen Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum conceſſum eſt ut, ſi Parochia ſit intra eorum Eccleſiam, hanc adminiſtrare poſſint per vicarios revocabiles, ut notat Fagnanus. Optatius eſſet ut eſſent perpetui. Quamplurimæ adhuc videntur Eccleſiæ parochiales Regularibus ſubiectæ, nec Eccleſiæ Monaſterio unitæ, præcipue in Venetorum ditione, quæ habent vicarios revocabiles. Sic P. Thomaſſinus.

Ne duo ſimul Paſtores in eadem Parochia ſint, vetant canones. Nihilominus tamen in celeberrimis etiam civitatibus mos inolevit ut in eadem Eccleſia duo Parochi alternatim adminiſtrent: & pro tali inſtitutione, ideſt duorum Parochorum in eadem Eccleſia, ubi opus fuiſſet, Concilium Tridentum Epiſcopis facultatem contulit.

Parochi functiones ſunt, populum per ſe inſtruere, ſacramenta ut ordinarium miniſtrum adminiſtrare: immo aliqua, baptiſmus videlicet, communio paſchalis, infirmorum extrema unctio, & matrimonium, nonniſi per ipſum aut de eius mandato & licentia adminiſtrari nequeunt: quod reſpectu matrimonii reſpicit eius validitatem. De iis tamen & reliquis quæ ad Parochum ſpectant, & de eius iuribus agunt Canoniſtæ, & nos alias.

§. XXIII.

De Abbatibus Commendatariis.

Quia occaſione beneficiorum eccleſiaſticorum de quibus hic agitur, aliquid innuere ſtatui de præcipuis dignitatibus ſeu titulis beneficiariis: cum commendæ nunc iam redactæ ſint in rationem beneficii abbatialis vel prioralis, unde eius titulares vocantur Abbates Commendatarii vel Priores, prout erat titulus regiminis Monaſterii redacti in commendam; de horum quoque origine & conditione breviter dicendum cenſui.

Commendæ a verbo commendare originem ſuam agnoſcunt. Commendare enim ſecundum eius propriam ſignificationem importat deponere, ſive cuſtodiæ & curæ committere. Hinc Eccleſiam alicui commendare, eſt Eccleſiam alicui cuſtodiendam committere: ac proinde habere Eccleſiam in commendam, idem eſt ac habere Eccleſiam ſuæ cuſtodiæ commiſſam ſive depoſitam. Et in hoc ſenſu perantiquus eſt & probatiſſimus in Eccleſia commendarum uſus. Duplex ratio fuit, quare ab Eccleſia inducta fuerit talis commendatio ſeu depoſitio Eccleſiarum alterius cuſtodiæ & vigilantiæ. Una ſcilicet, cum interdum contingeret ut Eccleſiis vacantibus ſtatim non provideretur, aut provideri poſſet de idoneo rectore; ne iſtæ interea ob defectum rectoris detrimentum paterentur, earum cura ſeu adminiſtratio demandabatur alicui Epiſcopo vel clerico, qui ad tempus illis intenderet, ideſt donec titulatum nanciſcerentur. Et ſi erat Epiſcopus cui talis cura ſeu adminiſtratio commendabatur, in tali vacatione eam Eccleſiam regere ac viſitare debebat: idcirco ii Commendatarii Viſitatores vocabantur. Altera vero (& tunc commendationes erant longiores) dum Eccleſia quæpiam epiſcopalis a barbaris aut alia quapiam natione vaſtata fuerat, nec eius ſupererat Epiſcopus: ut factum fuit in Italia tempore Longobardorum hanc provinciam vaſtantium. Gregorius enim Papa vicinis Epiſcopis vicinas Eccleſias Paſtoribus deſtitutas commendavit, ut earum cuſtodiam curamque haberent, donec de Epiſcopo, Cardinali, ſeu Titulari providerentur. Talis autem Viſitator ſeu Commendatarius e proventibus Eccleſiæ commendatæ nonniſi neceſſaria & modicum laborum præmium tollebat; & reliqui fructus Ordinario ſervabantur. Nonnumquam Epiſcopo quem barbari e ſua Sede deiecerant, dabatur Abbatia qua vive-

Duplex ratio manavit Eccleſiam ad Eccleſiarum commendationem.

vivere poſſet. Clericis quoque aliis leguntur commiſſa Cœnobia & Abbatiæ, ut illi earumdem bona adminiſtrarent: & hi quoque de Cœnobiorum proventibus nihil decerpere poterant, niſi quantum opus fuiſſet ad eorum ſuſtentationem. Quare manifeſte colligitur, quod non in Commendatarii, ſed in Eccleſiæ ſeu Monaſterii quod ipſi commendabatur, utilitatem hæc Eccleſiarum commendatio inducta fuit: nempe ut curam illarum & cuſtodiam ageret Commendatarius, & quantum in ſe eſſet electionem novi Paſtoris, ſi per mortem, vel reſtitutionem eiecti, ſi hac alia ratione vacarent, promoveret; nec alias ut fructus & emolumenta Eccleſiæ in ſuum proprium uſum acciperet (ſicuti poſtea ex temporum iniuria hominumque aviditate factum eſt) ac tamquam fidelis adminiſtrator Paſtori futuro ſervaret, unice attentus ne, vacatione durante, Eccleſia detrimentum pateretur, ipſique populo ſpiritualia deeſſent. Et ita, ſive Cathedrales, ſive Parochiæ, ſive Monaſteria commendarentur, non alio titulo & iure alicui ad tempus commendabantur, niſi ut illorum cuſtodiam haberet qui non in ſuam, ſed dumtaxat Eccleſiarum & Monaſteriorum utilitatem ad tempus intereſſet atque commendata haberet.

Verum pium inſtitutum commendandi Eccleſias viduatas ac Monaſteria pro eorum defenſione ac conſervatione declinavit in deplorabilem abuſum: quia lapſu temporis commendæ Eccleſiarum cathedralium, Parochiarum, Cœnobiorum in perpetuas tranſiere; & id non tam in Eccleſiarum Monaſteriorumque utilitatem, quam in Commendatariorum emolumentum. Ex quo profecto graviſſima ſubſecuta ſunt incommoda. Etenim tam perverſum invaluit ius, ut non ſolum Epiſcopis & clericis darentur Eccleſiæ & Monaſteria in commendam, ſed etiam laicis ac ſæpe militibus profunderentur. Etenim quemadmodum Epiſcopi & clerici (quibus Eccleſiæ vel Cœnobia tantum commendabantur in tutelam, curam, & cuſtodiam, ob earumdem Eccleſiarum vel Cœnobiorum utilitatem, & neutiquam in Commendatariorum commodum; vel proviſionaliter concedebatur aliquod ex proventibus Eccleſiarum vel Cœnobiorum in eorum ſubſidium, præcipue Epiſcopis, dum in barbarorum incurſionibus eiecti ac deturbati erant ab eorum Eccleſiis; vel quia reditus epiſcopales ob eorum tenuitatem non ſufficiebant pro eorum ſuſtentatione) ſenſim perpetuas ſibi reddidere commendas, locorumque commendatorum reditus ſibi vindicarunt, ac ſuo titulo coniunxere; talis graviſſimus & exitialis abuſus invaluit inter laicos quoque, ut etiam militibus ad eorum ſuſtentationem darentur in commendam bona Eccleſiarum Monaſteriorumque non ſolum virorum, ſed etiam virginum: ac proinde veluti laicorum iura poſt unum aliis laicis in eorum vacatione conferebantur; immo apud aliquos Magnates veluti feuda ad poſteros in hereditatem tranſmittebantur.

Et quoad Epiſcoporum commendas alia fuit etiam ratio & via qua ad eorum manus pervenerunt Abbatiæ. Abbates nempe alicuius Monaſterii cum ad Epiſcopatum promoverentur, Abbatiarum ſimul adminiſtrationem retinebant; quæ tandem obtentæ a ſucceſſoribus per Imperatorum gratiam a quibus eas impetrarunt, ſenſim factæ ſunt perpetui iuris Epiſcopatus. Et hoc frequenter contigit. Aliquando enim clericis & Canonicis ſuarum Cathedralium commendabant Epiſcopi Cœnobiorum Abbatias, Parochias rurales, ac ſimplicia beneficia, ea cautione ut Canonicorum gradui ac reditibus renuntiarent, ſoliſque vitam ſuſtentarent fructibus Cœnobii, vel alterius Eccleſiæ, aut beneficii quod ipſis commendarant.

Uſus diſtrahendi Eccleſias Abbatiaſve poſt clericos etiam in laicos, poſtea aviditate, auctoritate, & potentia Magnatum declinavit, præcipue in Galliis, in talem teterrimum abuſum, ut ſæculo VII. vix aliquis eſſet miniſter & officialis regius, qui aliquod Cœnobium vel Eccleſiam non vereretur invadere, & tonſura ſuſcepta Abbatiſque nomine, ſedem ſibi cum uxore & liberis in domo Abbatis figere. Hi autem miniſtri, qui iam Magnates erant & Comites ex regia beneficentia Abbatias poſſidentes, etiam Monaſteriorum Abbates ſe nuncupabant: atque hinc in antiquis monumentis paſſim dicuntur Abbacomites, ut in Gloſſario Du-Change v. *Abbacomites*. Unde duæ claſſes erant Abbatum. Alii quippe legitimi, hoc eſt Regulares, quibus ex Monaſterii reditibus copia permittitur ea adminiſtrandi quæ Cœnobii neceſſitati ſufficiant; alii illegitimi, quibus reliqua bona adiudicantur, milites ſcilicet ſeu Commendatarii. Milites abſolvebant Abbates Regulares onere ducandi militem ad exercitus regios, idque Commendatariis ac ſæcularibus Abbatibus indicabatur munus. Hi tamen Abbates laici niſi temporalia Abbatiarum deſiderantes & ambientes, per Abbatem legitimum ſecundum monachales regulas iam ſtatutum, quem in

in ſuo regimine alicubi relinquebant, vel per Decanos aut Præpoſitos, quos hodie Priores dicunt Monachi, regebantur. Commendatarii enim militares cenſebantur quodammodo ſubſtituti & ſubrogati pauperibus, in quos clerici Monachive tenebantur erogare quæ ex ſua ſuſtentatione eis ſuperflua fuiſſent. Pauperibus in his milites ſubſtituebantur, utpote qui proprio ſuo ſanguine Eccleſias a barbaris defendendo has emerent Eccleſiæ munificentias, quarum fiebant participes. Quod contigit in Abbatiis, id etiam factum fuit in Epiſcopatibus, quos laici ſibi arrogarunt, licet tamen numquam Epiſcopi nomen: cum legatur quidem Abbas Comes, numquam tamen Epiſcopus Comes, ſeu laicus. Ita irrepſerat hic abuſus commendandi Eccleſias Cœnobiaque laicis, ut commendarentur etiam feminis, ſicut factum fuit ſub Lothario, cui (dum iam ob temporum iniuriam tantum malum tolerare debuit) commiſit Hadrianus II. ut Reginæ Teutbergæ uxori quam repudiaverat, Abbatias eidem permiſſas ad eius ſuſtentationem tribueret, donec lis de tali repudio finiretur. Et hoc iuſſit in tali caſu ſine canonum iniuria: quia agebatur de defenſione ac ſuſtentatione Reginæ innocentis & diutinæ perſecutioni obnoxiæ; idcirco ope ac tutela Eccleſiæ indigenti. Sic Thomaſſinus in ſua *Diſcipl. Eccleſiaſt.*

Quanta ex hac laicorum Abbatum uſurpatione Monaſteriis tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus ruina inferretur, abunde teſtantur hiſtoriæ, necnon ſummorum Pontificum Sanctorumque Epiſcoporum contra illas uſurpationes querelæ. Etenim ex tali violento abuſu ædificia Monaſteriorum ac Eccleſiarum deſtructa iacebant, ſtudium ac cuſtodia officii divini perierat, & Monaſteriorum ſubſidia deficiebant. Monaſtica enim diſciplina in plurimis tum Monachorum, tum Canonicorum Monaſteriis multum erat collapſa, & vita communis pene ubique deſierat; bona Monaſteriorum dilapidabantur; Abbates Regulares vivebant non ut Monachi aut Canonici paupertatem profeſſi, ſed ut Comites aut Barones, ſuoſque conſanguineos familiareſque bonis Monaſterii ditare ſtudebant; & iam bonis Monaſterii & bonis Abbatiæ diviſis in pluribus Monaſteriis utebantur Abbates tamquam pleni domini. Hinc occaſio fuit, quod Cardinales aliique Prælati apud Pontifices Regeſque poſtularent ſibi dari ea Monaſteria in commendam, ut ea reformarent ac reſtaurarent: & ita Monaſteria e manibus laicorum in Cardinalium, Prælatorum, clericorumque poteſtatem devenerunt. Verum quia fere umquam ſunt Cœnobiis præſentes, ut videant inconvenientia in diſciplina monachali & ædificiorum indigentias; nec reformatio habetur, immo maior deformatio in Religioſis ædificiorumque ruinam: cum ſub tales commendas deficiat ſuus connaturalis Abbas ac ſuperior, quorum aut unius aut alterius vigilantia & ſollicitudo aliquando tandem providet religioſæ Monachorum obſervantiæ & ædificiorum inſtaurationi; quæ impenſæ fieri nequeunt, dum ſunt tali modo commendatæ, ut proventus Cœnobiorum, detracta Religioſorum ſuſtentatione, cedant reliqui in favorem Commendatarii. Ex quo fiebat ſimul ut Monaſteria exercere non poſſent hoſpitalitatem, pauperum ſublevationem, & Monaſteria ac Eccleſiæ eſſent fere ſemper prope collabentes. Huiuſcemodi deplorabilis abuſus contigit etiam Monaſteriis Eccleſiiſque parochialibus ac cathedralibus Eccleſiæ Orientalis.

Ad hoc ut tanto malo Eccleſiæ providere- tur, ſub eadem tempora frequentes coactæ fuerunt Epiſcoporum Synodi, & ardenti zelo conclamarunt Patres contra laicorum commendas, oſtendendo Principibus gravia ex his mala promanantia: nempe ſacrum monaſticum Ordinem a Deo inſpiratum, ab Apoſtolis fundatum, a nominatiſſimis ſanctiſque viris excultum, atque ab ipſis Principum prædeceſſoribus propagatum, & quædam etiam loca ſpecialius venerabilia contra omnem auctoritatem, rationem, & præcedentium Principum conſuetudinem committi laicorum curæ & poteſtati, cum maximo periculo & Principum hoc concedentium, & laicorum hac conceſſione fruentium perditione. Deinde eoſdem Principes deprecati ſunt ut melius ſuæ æternæ conſulerent ſaluti & ſui regni felicitati, tam teterrimum abuſum in ſuis regnis eradicando, poſtulantes ut, ſuprema eorum interpoſita auctoritate, viris clericali & eccleſiaſtico vel monaſtico Ordine religioſis, ſeu feminis Deo dicatis atque devotis loca venerabilia atque Ordinem ſacrum cuſtodiendum providendumque committant; & ita Deo quæ Dei ſunt, & quæ Cæſaris Cæſari reddant. Quod ſi qui minus perfecte & in divina religione & Reipublicæ utilitate profecerint: aut corripiantur, aut alii eorum loco ſubſtituantur; & non propter pravorum, & aliquando paucorum, nequitiam Ordo religionis & loca ſacratiſſima eis quibus licitum non eſt, committantur. Ita locutus eſt inter alios Dro- *Contra commendarum abuſum ſæpius eſt conclamatum.*

go Metenſis Epiſcopus, qui præſedit Concilio habito apud Theodonis villam. Admonuerunt tandem, quod ſi ob ſalebroſas temporum conditiones tanto malo protinus & omnino mederi nequeant, omnia in integrum reducendo, præcipue ſi Reipublicæ utilitas exigat ut hæc loca adhuc toleranda ſint in manu laicorum; curent ſaltem ut providentia Epiſcopi in cuius Parochia conſiſtunt, adiuncto ſibi Abbate viro religioſo, attendatur qualitas, ſtudium, ac cuſtodia officii & religionis, atque ſubſidium temporalis neceſſitatis in eiſdem locis degentibus iuxta qualitatem & quantitatem moderationis adhibeatur & miniſtretur. Van-Eſpen.

Cœpit Carolus Magnus in Gallia, quantum temporum ſtatus permittebat, huic malo providere, & remoram aliquam ac regulam ſaltem commendis laicorum pónere, excerpendo eas ex eorum manibus, eaſque clericis conferendo. Præcepit inſuper ne qua poſtea fieret rerum Eccleſiæ diviſio, & ex diviſione iactura: ut in ſuis Capitularibus *lib. I. cap.* lxxxiii. Caroli conſilium ſecuti ſunt etiam Ludovicus Pius & Carolus Calvus, tametſi ipſi quoque aliquas commendas induxerint. Sed cum leve hoc remedium eſſet; quia iam abuſus laicarum commendarum perſeverabat: varia congregata fuere Concilia, ut ineunte ſæculo VIII. Romanum & Tricaſſinum. Hiſce tamen Conciliis minime acquieverunt: immo in dies excreſcebant commendæ, ut laici proceres auctoritate propria invaderent quamplures Eccleſias parochiales cum decimis & oblationibus, quas deinde nunc in laicos, nunc in clericos tamquam quædam ſua beneficia effunderent; ex quo probabile eſt, quod plurimi exorti ſint patronatus.

In Germania valde pie res compoſitæ ſunt, ut prodiit decretum Conventus Francofordienſis Epiſcoporum Comitumque ſub Othone I. Statutum eſt enim ut Cœnobia quibus eſſet ius eligendi Abbates, nemini poſthac donari poſſent, ne aliis quidem Abbatiis; quæ vero electionis ius aſſecuta non eſſent, ea Monaſteriis aliis agglutinari poſſent Imperatoriæ Clientelæ. Unde hoc decreto omnes profligantur omnino commendæ.

In Italia ubi pariter graſſabatur tam abominabilis commendarum abuſus ſeu potius uſurpatio, occurrerunt laudatiſſimo zelo Pontifices contra iniuſtas illegitimaſque commendas, ut Ioannes VIII. & Clemens V. Et quia auditi non fuere, alte contra iniuſtas violentaſque commendas conclamatum fuit in Concilio Viennenſi ſub eodem Clemente, quatuor poſt annis a ſua Conſtitutione quam contra eaſdem commendatarias irregulares diſpoſitiones ediderat, celebrato, ſub oculos Patrum Concilii ponendo graviſſima mala quæ ſequuntur, præcipue ex Monaſteriorum eorumdemque beneficiorum commendatione, eo quia hoc pareret totale regularis obſervantiæ diſpendium. Nam inter eos non erat principalis ſuperior qui corrigeret & doceret, hoſpitalitas in dictis Prioratibus & beneficiis conſueta fraudabatur, ac iura & bona Prioratuum diſſipabantur. Sic habetur ex Durandi Metenſis Epiſcopi libello eidem Concilio exhibito. Tunc enim in Italia non ſolum commendabantur Cathedrales & Abbatiæ, ſed etiam Prioratus conventuales aliaque beneficia ſolita regi per Regulares.

Cum tamen lapſu temporis ne Viennenſis quidem Concilii auctoritas conſecuta eſſet intentum, & præcipue durante ſchiſmate quod incepit ab Urbano VII. & uſque ad Martinum V. perſtitit: hinc ſollicitudo Patrum Concilii Lateranenſis ſub Leone X. anno MDXIV. curavit meliore modo quo fieri poſſet tam gravi malo conſulere, ut patet ex Bulla reformationis evulgata *ſeſſ.* ix. Ibi enim poſt deplorata gravia incommoda tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus, quæ Monaſteriis obveniunt ob commendas, ſicut ex ipſa conſtat experientia, ut eorumdem Monaſteriorum indemnitati conſuleretur, ſummus Pontifex vetat Monaſteria hactenus commendata commendari: ſub hac tamen clauſula, Niſi pro conſervatione auctoritatis Apoſtolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis eam impugnantium, pro temporum qualitate aliter de Fratrum conſilio Sanctæ Sedi expedire videatur. Monaſteria autem iam commendata, cum per exceſſum vel deceſſum eorum quibus erant commendata, ceſſaverint, nonniſi Cardinalibus ac qualificatis perſonis ac benemeritis commendari præcipit. Subiicit tandem quaſdam modificationes quibus eiuſmodi Commendatarii etiam Cardinales fructus commendarum percipiant: ſcilicet ut præter Religioſorum ſuſtentationem aliqua pars inſuper excipiatur pro fabricæ inſtauratione; pro ornamentis, veſtibus, paramentis emendis ſarciendiſve; aut pro pauperum alimonia. Idcirco iubet ut litteræ ſuper huiuſcemodi Monaſteriorum commendas nonniſi cum clauſula hoc ipſum ſpecifice exprimente debeant expediri: alias nullius ſint roboris vel momenti. In Galliis pariter

per concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. cautum fuit pro commendarum abuſu.

Quia tamen corruptela hæc tam altius radices egerat, ut nec ultimo Concilio Lateranenſi, nec concordatis quibus proviſum fuerat ne Abbatiæ aliis quam Regularibus darentur, coerceri potuerit; Concilium Tridentinum licet commendas in univerſum non damnaverit, voluit tamen ut Monaſteria commendata intus a Regularibus ſui Ordinis regerentur, in poſterum vero Regularibus conferrentur, atque ex illo tempore ſuperioribus Ordinum reſtituerentur. Verum etiam poſt Tridentini ſanctiones tum in Gallia, tum in Italia uſus commendarum uſque adhuc perdurat quoad Abbatias & Prioratus conventuales quibus Abbates & Priores perpetui Regulares alias præfici ſolebant: ſi ea ſola Monaſteria exceperis quæ ſunt capita Ordinum; idque iuxta Decretum Concilii Tridentini *ſeſſ* xxv. *cap.* xxi. *de reform.* ut obſervat Fagnanus *cap.* Cum ad noſtram *de elect.* Etenim ita explicatum & reſolutum fuit a ſacra Congregatione Cardinalium Interpretum Tridentini Concilii. Concilium videlicet, quando agit de inferioribus Monaſteriis, non loquitur præceptive, ſed conſultive; dum vero agit de capitibus Ordinum, loquitur præceptive, non conſultive: ita ut attribuere in commendam clericis ſæcularibus Monaſteria, committat iudicio ac conſcientiæ ſummorum Pontificum.

Hodiernæ diſferunt ab antiquis. Quidquid tamen ſit de mente & ſenſu Concilii, certum eſt, quod commendæ iuxta hodiernum ſtilum & praxim maxime a commendis antiquitus cognitis & a ſacris canonibus probatis differunt. Nam commendæ antiquæ principaliter in favorem & defenſionem Eccleſiæ concedebantur nonniſi ad tempus, donec Eccleſia vel Monaſterium provideretur de ſucceſſore; & Commendatarii nihil penitus de proventibus commendatæ Eccleſiæ retinebant, niſi prout tali tempore eis opus fuiſſet ad eorum ſuſtentationem. Commendæ vero noſtri ævi, ait ipſe Fagnanus, fiunt principaliter non in favorem Eccleſiæ vel Monaſterii, ſed perſonæ, ut fructibus earumdem & proventibus ſuſtentari queat. Quapropter ubi olim in diplomate conceſſionis cauſa his verbis reddebatur, *Ut Eccleſia interea recte atque ordine adminiſtretur, eam vobis commendamus*: hodie hoc tenore exprimitur, *Ut commodius ſuſtentari valeas, de alicuius ſubventionis auxilio providere cupientes, talia Monaſteria de auctoritate Apoſtolica concedimus & mandamus*. Hodiernæ idcirco perpetuæ ſunt, ideſt ad vitam Commendatarii, iuxta clauſulam diplomatis: *Per te, quamdiu vixeris, tenendum, & poſſidendum*. Unde moderni Commendatarii ad inſtar veri beneficiati & titularis diſponunt iuxta conſuetam formulam pontificii diplomatis: *Ita quod, durante commenda, de huiuſmodi fructibus diſponere & ordinare valeas, ſicuti veri Abbates aut Priores ipſius Monaſterii, qui fuerunt pro tempore, ordinare potuerunt & debuerunt*. Interdicitur tamen Commendatario in eodem diplomate alienatio bonorum immobilium & mobilium pretioſorum. Hinc hodie Commendatarius poteſt præſentare ad beneficia, necnon eligere & conferre (ut Rebuffus *tit. de commend.*) non ſecus ac alius qui titulum habet: quia præſentare, eligere, & conferre, fructus ſunt beneficii. Itemque locare fructus & in omnibus aliis adminiſtrare, ſicuti verus titularis: cum iam hodie Commendatarii pro veris titularibus habeantur (ut Fagnanus ad *cap.* In Eccleſia *de Capell Monach. num.* v.) & commendæ hodie pro titulo reputentur.

Quia vero clerici ſæculares de iure beneficium regulare in titulum poſſidere nequeunt iuxta regulam, *Regularia regularibus*; & tamen commenda perpetua pro titulo reputetur: hodierna commenda eſt proviſio, iuxta Canoniſtas, Papæ diſpenſatoria; cum ſolum circa dictam regulam iuris ipſe diſpenſare valeat. Unde fit, quod hodiernæ commendæ non ſecus ac verum beneficium permutari poſſint cum alio beneficio: quod antiquitus fieri non poterat.

Commendatarii ulterius, tametſi profeſſi non ſint regulam cuius eſt Monaſterium (ut docet Antonius Faber in *Cod. lib. XVIII. tit.* v. *definit.* xxxiv.) habent in Monachos eamdem iuriſdictionem quam haberent, ſi ex vero titulo beneficium poſſiderent: cum Commendatarius habeatur pro vero Prælato & titulari; nec Commendatarium inter & titularem Eccleſiæ rectorem effectu ipſo quidquam interſit, ſed nominis tantum ſono differant. Hanc tamen tam amplam iuriſdictionem iudicatum fuit alicubi ipſi Commendatario non convenire, niſi ſit Cardinalis, vel in beneficio reſideat, & abſit ordinarius Prælatus eiuſve Vicarius: cuius ſane iuriſdictionem præcipuam conſervari & ſalvam eſſe convenit, ut Commendatarii iuriſdictio tantum ſubſidiaria videatur; cum ad Priorem, ac eius loco ad Vicarium ſpe-

ſpectet interior Monaſterii diſciplina. Porro refert Fagnanus ad *cap.* Edoceri *de reſcript.* Breve Innocentii X. in quo ad inſtantiam Generalis Ordinis Ciſtercienſium declaratur & ſtatuitur, non licere Commendatariis Priores, Superiores, ac Officiales clauſtrales inſtituere & deſtituere, viſitare Monachos, eoſdemque corrigere, nec alia quæ inſtitutum regulare concernunt. Et ita declaratum fuit ac ſtatutum pro Monachis Camaldulenſibus ſub die xx. Martii MDLVII.

Commendatarii onera & obligationes. Verum ne Monaſteria deſtituantur conſueto numero Monachorum, divinum ſervitium intermittatur, hoſpitalitas ac conſuetæ eleemoſynæ negligantur, ac Monaſterii fabrica collabatur, apponi ſolet in litteris commendarum ſimilis clauſula, concludendo: *Illius ac dictorum Filiorum Conventus eiuſdem congrue ſupportentur onera conſueta.* Et hoc iniungitur Commendatariis omnibus, etiam Cardinalibus, iuxta decretum Concilii Lateranenſis ſub Leone X. quod confirmavit Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione XVIII. quæ incipit *Superna*, edita pro Ordine Ciſtercienſi. Ex his latiſſime apertiſſimeque patet, Concilia & Papam, ut concludit Rebuffus citatus hic a Van-Eſpen, velle ut cultus divinus non diminuatur, & onera conſueta ſolvantur: ut conſtat ex litteris commendæ. Sed addit: *Nihil fit a multis.* Unde oſtendit, ut iam experientia quotidie cernitur, quod ratione iſtarum commendarum Monaſteria tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus prorſus collabuntur: quia *extranei*, ſubiungit, *qui ita Abbatias poſſident, nihil niſi lac & lanam quærunt*, ideſt utilitatem. Et ſane quid ſuffragantur hæ commiſſiones, hæ clauſulæ: quando non inquiratur, num per iſtos Commendatarios oneribus ſatisfiat? eo vel maxime quod Pontifices ipſi, antequam eſſent in ſummo Eccleſiæ faſtigio, iam viderint propriis oculis lacrymabilem ac horrendam ſimul conditionem & proſpectum Eccleſiarum commendatarum, ut omne aliud quam domus Dei, templum, & regia Deo exercituum conſecrata appareant: ita ut quamplurima animalium ſtabula ſint ornatiora ac decentiora quam Eccleſiæ commendatæ. Hinc in eis evenire videtur quod dicitur in libris Machabæorum contigiſſe divino Hieroſolymorum templo, ex ruinis ac profanationibus quibus Infideles Hebræorum hoſtes, bellorum occaſione, ſanctum locum contaminarunt everteruntque. Quando remedia non adhibeantur, clauſulæ appoſitæ in litteris, reducuntur ad meras Curiæ formalitates.

Porro in Concilio Rothomagenſi celebrato anno MDLXXXI. orta, eſt difficultas, an Abbates Commendatarii recipiendi ſint in Synodis provincialibus inter Abbates ad ſedendum & deliberandum; item inter dignitates ac procuratores Capitulorum Cathedralium contra Abbates Regulares & Commendatarios Cathedralium de præeminentia in proceſſionibus, ſeſſione, & deliberatione. Cum autem hæ difficultates delatæ eſſent ad Sanctam Sedem; ab eadem quoad primum reſponſum fuit Commendatarios inter Abbates recipiendos eſſe: ad ſecundum vero, Canonicos Eccleſiarum cathedralium præferendos eſſe, quando capitulariter procedunt; Abbates benedictos & qui uſum mitræ habent, præferendos eſſe Commendatariis; poſt hos locum obtinere dignitates; & poſt dignitates collocandos eſſe procuratores.

Eadem Synodus conſiderans Commendatarios ſubſtitui ac quodammodo ſuccedere in locum Regularium, proventuſque Monaſterii tamquam beneficiarios ac Eccleſiæ miniſtros percipere: hinc hoſce monet ut, licet non teneantur ad regularem obſervantiam, nec ab omni liberi ſint onere, medium tamen ſtatum teneant atque ordinem Clericos ſæculares inter & regulares in victu, veſtitu, & in omni ornatu; utque tonſura utantur ampliore, habitu propius ad regularem accedente. Non enim putent ſe recepiſſe commendam Monaſterii ad luxum & prodigalitatem, aut ad familiam ditandam; ſed ad piam iuſtamque alienarum rerum diſpenſationem.

Belgii regio quæ ſemper fuit immunis a commendarum gravamine, cum in periculo eſſet ut ſæculo XV. ipſis via aperiretur, Theodoricus Abbas Præmonſtratenſis in eiuſdem Ordinis Eccleſia Percenſi ſtrenue egit apud Sanctam Sedem, regnante Sixto IV. & apparatum commendarum evertit. Verum, hoc non obſtante, & non obſtantibus litteris quæ dictus Abbas a Sixto obtinuerat ad Carolum Burgundiæ ac Brabantiæ Ducem, ne in commendarum impetratione aſſentiretur, Nuntius in eiſdem partibus Apoſtolicus & Cardinalis Matiſconenſis adeo rerum ſuarum ſatis egerunt apud eumdem Sixtum IV. ut uterque impetraverit anno MCCCCLXXVI. Abbatiam in Brabantia ſibi dari in commendam. Aſt ſe totis viribus oppoſuit Præmonſtratenſis Ordo, & præcipue ſupradictus Thodoricus Abbas Per-

Digitized by Google

cenſis cauſſam ſui Ordinis proſequens, quibus & Brabantiæ Duces, & Principes Belgii ſe iunxerunt, omnique vi & ſtudio deſignatos Commendatarios a capienda dictarum commendarum poſſeſſione impedire curarunt. Hinc licet edita altera Bulla, ſupra quinque quas, durante lite, dederat eidem Nuntio, declaraverit ſummus Pontifex, quod nullatenus derogare intendebat privilegiis Præmonſtratenſis Ordinis; attamen eidem per reſervatoria aliaſve Bullas ius nullum nullamque adminiſtrationem umquam obtinuit in Abbatia S. Michaelis quæ ipſi erat commendata. Immo revocavit idem Pontifex anno MCCCLXXX. Bullam qua Cardinali Matiſconenſi Abbatiam Temperbenſem conceſſerat. Sæculo XV. negotium commendarum denuo ſuſcitatum ſub Carolo V. dum ipſe Errardo a Marca Epiſcopo Laodicenſi ſupradictam Abbatiam S. Michaelis in commendam addixerat. Verum, in ſuo læto introitu inſtructo Imperatore a Conventualibus dictæ Abbatiæ, numquam ullam Abbatiam in illa Provincia dandam eſſe in commendam, effectum eſt ut, agente ipſo Carolo & Epiſcopo conſentiente, mediante aliqua notabili penſione, Epiſcopus a prætenſione Abbatiæ deſtiterit, & is qui electus fuerat a Conventualibus, Abbas fuerit inſtitutus. Et uſus eſt Belgii ut Principes in ſuo læto introitu promittant, quod nullas Abbatias, Prælaturas, aut dignitates dabunt in commendam, nec iubebunt, aut ullo modo dari permittent.

Ad hoc vero ut Monaſteria generatim, quæ non ſunt commendata, præcipue Abbatiæ, talia ſe conſervarent, nec darentur laicis aut clericis in commendam, nihil certe efficacius eſſe poteſt quam ut in ipſis Monaſteriis habeatur perfecta bonorum omnium adminiſtratio ac communio, reiecta prorſus diſtinctione ſeu ſeparatione menſæ abbatialis & conventualis, quæ (ut laudatus P. Thomaſſinus, aliique Hiſtorici eccleſiaſtici & Canoniſtæ advertunt) ut plurimum commendis occaſionem attulit. Deinde ut iuxta fundatoris intentionem necnon regulas monaſticæ profeſſionis, Abbates ſic moderate proventibus reditibuſque Monaſterii utantur, ut in omni ſua ſupellectili aut habitatione nihil mundanæ ſumptuoſitatis vanitatiſque ſpeciem præſeferat; unde nihil a religioſitatis profeſſione alienum appareat: & quod ſupereſt, in Chriſtianam hoſpitalitatem & pauperum ſubventionem alimoniamque impendatur; ut reipſa oſtendant, bona Monaſterii patrimonium eſſe pauperum, quod ſine ſacrilegio ad uſus profanos diſtrahi nequit. Hactenus Van-Eſpen *Part. II. cap. III. tit.* XXXI.

Conditio ac forma moribus hodiernis huiuſmodi eſt. Papa ſolus commendat; ſed Epiſcopatus ac virginum Monaſteria nec ipſe commendare poteſt. Sunt tamen curæ Regularium, quæ Presbyteris ſæcularibus commendantur. Commendanda ſunt ſolum beneficia commendari ſolita: quæ conſuetudo infertur ex trinis collationibus continuis, & quadragenaria poſſeſſione. Si vero commenda eſt decretalis, hoc eſt ad dies vitæ titulati; Papa eam denegare poteſt, licet plures invicem ſucceſſerint. Commendatarii partium eſt, ut iam antea notavimus, onera ferre, reparationes ſuſcipere, ornamenta ſuppeditare, eleemoſynas erogare: ceteris proventibus utitur inſtar titulati. Immobilia, immo nec mobilia pretioſa alienare poteſt. Fit collator beneficiorum, habetque locum & omnes honores titulati. Cavere debet ne ſui cauſſa vel publicus cultus, vel Religioſorum numerus minuatur. Religioſi permanent ſub iuriſdictione ſuperiorum Regularium, habentque Priorem clauſtralem, vel alium ſuperiorem Regularem interioris diſciplinæ cuſtodem.

§. XXIV.

De modo acquirendi beneficium eccleſiaſticum.

Beneficium eccleſiaſticum, cum nec licite, nec valide conſequi valeat niſi ſecundum canonicam inſtitutionem, ut habetur in regul. iur. in 6. *Beneficium eccleſiaſticum non poteſt licite* (ſubintellige etiam, nec valide) *ſine inſtitutione canonica obtineri*; hinc tot modis acquiritur beneficium, quot ſunt canonicæ inſtitutiones; quæ numero ſex recenſentur. Videlicet primo, collatione libera: ſecundo, præſentatione cui ſubſequitur inſtitutio: tertio, electione cui adiungitur confirmatio; quarto, poſtulatione quam ſequitur admiſſio: quinto, reſignatione acceptata in favorem alterius: ſexto, permutatione approbata. Verum quia duobus poſtremis modis potius dici poteſt beneficium amitti quam acquiri; idcirco de his agemus, quando de beneficiorum vacatione ſermo occurret. Sex expoſitis modis addi poteſt, interdum ſola electione ius habentium abſque alia confirmatione beneficium acquiri: & tunc dicuntur beneficia electiva collativa; alia autem confirmativa. Hi ſunt tituli, quorum ſi alteruter deſit, poſſide-

ſideri beneficium non poteſt. Titulus enim ita eſt radix & fundamentum poſſeſſionis, ut quævis eccleſiaſtici beneficii poſſeſſio, eo adempto, ſit iniuſta ſimulque ſacrilega alienæ rei uſurpatio: ac proinde intruſi, tenentes videlicet beneficium ſine titulo, inhabiles ſunt ad idem beneficium retinendum ſine ſummi Pontificis diſpenſatione, quæ eſt quædam collationis ſpecies, ut ex *cap.* III. *de exceſſ. Prælat.* Et cum hoc omnes iam fateantur, ſupervacaneum cenſeo rationes congerere ad id comprobandum.

Hic obſervanda eſt, ut notat P. Antoine, regula Cancellariæ de triennali poſſeſſione, in qua regula ſic habetur: *Voluit & ordinavit idem Dominus noſter ut ſi quis quæcumque beneficia eccleſiaſtica, qualiacumque ſint, abſque ſimoniaco ingreſſu ex apoſtolica aut ordinaria collatione aut electione per triennium pacifice poſſederit, ſi ſe non intruſerit, ſuper huiuſmodi beneficiis moleſtari nequeat; necnon impetrationes de huiuſmodi beneficiis ſic poſſeſſis factas irritas & inanes cenſeri decrevit.* Valet autem in utroque foro *ex Clement. de ſequeſt.* quia per Papam ſuppletur id quod deeſt ex iuſto titulo, & cenſetur illud interea conferre. Ad hoc tamen requiritur ſaltem titulus coloratus. Si autem proviſus impedimentum habuerit ſibi cognitum, quando beneficium ei collatum fuit, defectum ætatis v. g. aut cenſuram, regula ſupradicta in tali caſu nihil ſuffragatur, tametſi titulum coloratum habuerit: quia bona fide non poſſedit.

§. XXV.

De libera collatione beneficiorum.

Ordinarius beneficiorum collator Epiſcopus. Sicuti vetus priorum ſæculorum ferebat inconcuſſa Eccleſiæ diſciplina, ut nemo ſacris clericalibus Ordinibus initiaretur, cui non ſtatim functio aliqua ſacra ei aſſignata fuiſſet, eo quia nemo aſſumebatur in clericalem Ordinem, niſi ob aliquod ſpirituale Eccleſiæ ſervitium, ex quo idem haberet temporale ſtipendium ex eccleſiaſticis proventibus ad ſui ſuſtentationem; ita ut nec ab Ordine beneficium, nec Ordo viciſſim a beneficio disiungeretur: & ſicuti erat penes ſolum Epiſcopum clericos ordinare; ita functiones quæ nunc beneficia appellantur, conferre ſolius Epiſcopi erat. In aſſumendo autem aliquo ad clericalem ſtatum & Ordinem, ac munus eccleſiaſticum ipſi conferendo (ut ex Concilio Carthaginenſi IV. *can.* XXII. colligitur) Epiſcopus prius explorare & ſciſcitari debebat populi de promovendo teſtimonium & vota. Unde patet, quod ex primævo iure hæc beneficiorum collatio primario & quaſi naturali iure ſpectat ad Epiſcopum: ita ut ſit probatiſſima omnium Canoniſtarum regula; quod omnia beneficia, iuris communis diſpoſitione primævoque Eccleſiæ uſu attentis, quandocumque & quomodocumque vacantia, ad Epiſcopum ſeu Ordinarium loci ſpectent per totam ſuam diœceſim. Et hoc ius apud ipſum remanſit; cum ſemper Epiſcopus extiterit omnium Ordinandorum ſolus ordinarius miniſter: & eo vel maxime quod ante ſæculum XI. vix ſignatur, beneficia ab Ordinum collatione fuiſſe ſeparatum collata. Idcirco ſicuti Epiſcopus Ordines conferebat; ita etiam & beneficia: ideſt adſcribebat Eccleſiæ ſervitio tamquam eius miniſtros; atque per talem adſcriptionem ius conſequebantur participandi de proventibus Eccleſiæ, & hoc ius eſt quod nunc dicitur beneficium. Neque ante eam ætatem de aliis collatoribus ordinariis beneficiorum, neque de proviſione ſeu collatione beneficii ab Ordinatione diſtincta quidquam legitur. Immo illis temporibus Abbates ipſos a Monachis electos inſtituebat Epiſcopus in titulo Abbatis; cuius iuris veſtigia nunc remanent in Abbatum benedictione.

Et revera ſicut Chriſtus Dominus primus ſummus Paſtor & Pontifex miſſus fuerat a Patre in Mundum ad inſtituendam ſui fidelis populi Eccleſiam, ut per Moyſem Synagogam: eo ferme pacto, iactis ab ipſo fundamentis quorum ipſe eſt lapis angularis, ad Patrem reverſurus ſuos miſit Apoſtolos, eorumque loco ipſorum ſucceſſores, ad eam ædificandam eorum miniſterio regendamque, ut iiſdem ait: *Sicut miſit me Pater, ſic ego mitto vos.* Io. cap. XX. Unde Apoſtoli univerſas fundarunt Eccleſias per ſeſe, vel auſpiciis ſuis, vel per Epiſcopos quos ipſi Apoſtoli ſuos conſtituerunt ſucceſſores, ad quos hanc hereditatem ac ſucceſſionem in ipſiſſimo earumdem Eccleſiarum miniſterio tranſmiſerunt. Hinc manifeſte colligitur, Epiſcoporum proprium illud & hereditarium ius eſſe, ut Eccleſias ipſi regant, vel a quibus regantur, præficiant. Solo igitur Epiſcopo ut Apoſtolorum ſucceſſori fidelis populus a Chriſto Domino commendatus eſt: ac proinde eius eſt probare & adſciſcere ſibi quos idoneos cenſuerit, in quos divinæ ſarcinæ partem deponat. Solus poteſt Epiſcopus miſſione & iuriſdictione canonica inferiores dare Paſtores, qui ſummus ipſe Paſtor ſui gregis divinitus conſtitutus & plena iuriſ-

juriſdictione donatus eſt. Solus tandem Epiſcopus ut ſuæ Eccleſiæ princeps, doctor, & canonum interpres internoſcere poteſt qui ſint idonei beneficiis adminiſtrandis. Iure igitur ac merito cautum fuit in Concilio Pictavienſi anno MLXXVIII. ne quis a Regibus Principibuſve terrenis & laicis quibuſcumque donum accipiat Epiſcopatus, Abbatiæ, Parochiæ, aut cuiusſlibet eccleſiaſtici beneficii: cum hæc divina dona ſint; ac proinde diſpenſari nequeant niſi ab Epiſcopis. Quare Urbanus II. tota animi zeliſque ſui contentione inſudavit ad elidendam inveſtituram laicam, ejuſque quaſi pediſſequam ſimoniam, ac uni ſolique mandavit Epiſcopo, ut merito & virtuti donaret, non pecuniæ aut favori eccleſiaſtica beneficia quæ ſunt quaſi quædam membra Epiſcopatus. Solus igitur Epiſcopus tunc conferebat Archidiaconatum, Decanias, Præpoſituras, præbendaſque ſuæ Eccleſiæ, nullo tum vel raro patrono qui ſe interponeret, rariſſima etiam ad eas dignitates electione. Et hoc rurſum confirmatum fuit a Concilio Melphitano anno MLXXXIX. *can.* 11. Ex quibus colligitur, beneficiorum recenſitorum collationem penes unum fuiſſe Epiſcopum. Immo quando laici vel Epiſcoporum commonitione, vel internis conſcientiæ remorſibus coacti ad reſtitutionem in priſtinum ſtatum Parochiarum quas violenter uſurpaverant, plerique eorum ad hoc animum adjecere ut Monachis & Abbatibus, non Parochis & Epiſcopis redderent, etiam nun raro numerata pecunia, Gregorius VII. qui etiam graviter hanc ſimoniacam perverſitatem damnavit, providere volens acerbiſſimis contentionibus & litibus quæ propter hoc inconveniens efferveſcebant Epiſcopos inter & Abbates, repetentibus jura ſua Epiſcopis, coacto Concilio, ſtatuit ut Monaſteria Parochiales adhuc acquiſitas ſervarent; in poſterum vero ne ullas, nonniſi conſentiente Epiſcopo, ſibi compararent. Et hoc etiam ab Urbano II. in Concilio Melphitano confirmatum fuit. Ex quibus clare patet, omnium Eccleſiarum eccleſiaſticarumque rerum & dignitatum proviſorem & diſtributorem eſſe Epiſcopum. Van-Eſpen, & Thomaſſinus. Licet vero pluribus ab Apoſtolica Sede privilegiis donatæ eſſent Abbatiæ; Parochi Eccleſiarum eis obnoxiarum ab alio quam ab Epiſcopo diœceſano miſſionem animarumque curam ſuſcipere non poterant: ut ex Epiſtola Paſchalis II. ſive in privilegio Cluniacenſis Monaſterii.

Epiſcopi ut in miniſtrorum electione ſecurius procederent, ſui cleri conſilium adhibuere; quin & populi teſtimonium de ordinandorum moribus & converſatione audire jampridem ſolebant. Et hoc ſtatuit etiam Concilium Carthaginenſe IV. *can.* XXII. Sed cum proceſſu temporis Capitulum Eccleſiæ cathedralis quaſi ipſum clerum repræſentare cœperit, ipſumque Eccleſiæ Senatum conſtituere; contendit etiam juxta canonum præſcripta in miniſtrorum electione & in beneficiorum collatione qua clerici functionibus eccleſiaſticis applicantur, tamquam in re ſummi momenti, Capituli conſilium eſſe expetendum. Van-Eſpen *tit.* XXI. *cap.* I. *num.* 8. Et hac præcipue ratione id locum habere videtur in inſtitutione ſeu electione ad præbendas ſeu Canonicatus cathedrales. Cum enim Canonici & Epiſcopus quaſi unum corpus conſtituant; æquum apparet ut ad electionem membrorum corpus totum concurrat. Verum cum labentibus ſæculis dividi cœperit menſa idest proventus Epiſcopi a menſa ſeu proventibus Capituli; & hoc corpus a capite, caput a corpore ſeparari: factum fuit ut etiam eorum negotia ſepararentur, ut & aliqua Capitula Cathedralium ab Epiſcopi juriſdictione ita ſe exemerint, ut excluderint Epiſcopum etiam in Canonicorum electione, ac præcipue dignitatum; & ſic etiam Epiſcopus cœperit in aliis Eccleſiis providere beneficiarios, eiſdemque beneficia ſine Canonicorum conſilio conferre, ut hodierna præſefert diſciplina.

Tametſi etiam ante annum milleſimum factæ ſint aliquæ mutationes in providendis Eccleſiis de ſucceſſore, cum etiam laici varias redegerint Eccleſias in ſua poteſtate, ut earum velut patronos ſe tenerent: nihilominus reſpectu laicorum nulla potuit intercedere legitima & juridica variatio, niſi quoad providendorum electionem vel præſentationem, ut nunc etiam fit per eos qui in aliquibus eccleſiaſticis beneficiis juſpatronatus acquiſivere; neutiquam tamen quoad eorum collationem & in iiſdem inſtitutionem, quæ cum ſint divinæ ac mere eccleſiaſticæ, nonniſi ad Epiſcopos pertinere poterant. Hinc ſtrenue egit zelus ſummorum Pontificum & Conciliorum ut de medio tollerent in Eccleſia abuſum inveſtituræ Epiſcopatuum: quæ cum daretur a Principibus per traditionem anuli & baculi paſtoralis, habebat quamdam rationem ſpeciemque collationis & inſtitutionis in Epiſcopatibus & beneficiis; ac proinde a Conciliis ſummiſque Pontificibus damnata & proſcripta fuit ut ſimoniaca & ſacrilega.

Pro-

Proviſio enim beneficiati per collationem fieri nequit niſi per perſonas quæ eccleſiaſtica potiantur iuriſdictione: puta præcipue per ſummum Pontificem, de quo nunc videbimus, num in tali modo providendi ſe immiſcuerit.

Quid de proviſionibus ad Papæ commendationem.

Quamvis inter iura primæ Sedis recenſuerit Gregorius VII. poſſe Papam novas Abbatias creare ac inſtituere, opulentiorem Epiſcopatum in duos partiri, tenuiores duos in unum conflare; nullum tamen verbum fecit de facultate conferendi omnia ubique beneficia. Ex quo manifeſte ſequitur, quod licet ſummus Pontifex, qui eſt Eccleſiarum omnium caput ac Epiſcopus, potuerit etiam illis temporibus conferre aliarum diœceſium beneficia; attamen uſque ad eiuſdem Gregorii tempora hic uſus non invaluerat, ſed praxis ſemper obtinuerat ut per ſuarum reſpectivarum diœceſum Epiſcopos conferrentur: & eo vel maxime quod cum adhuc non obtinuiſſet univerſim bonorum eccleſiaſticorum diviſio, ſicuti poſtea circa ſæculum XI. vel XII. contigit; nondum inſtituta erant beneficia. Unde proviſiones collatæ ad Papæ commendationem erant tantummodo penſiones, quæ tribuebantur his qui ad aliquam eccleſiaſticam functionem Eccleſiæ a qua recipiebant hæſce penſiones, aſſumpti erant. Et revera, ſæculo XII. ineunte, Papa clericos Roma venientes vel meritis graves ſolum commendabat Prælatis, quibus cum gratificarentur Prælati ſemel atque iterum, quadam inſita religione, reverentia, & æſtimatione erga Sanctam Sedem, commendationes frequentabantur, nec certa aliquando habebatur cura ac ſollicitudo. Unde preces ſeſe converterunt in mandata. Monitoriis enim (ita primas litteras appellabant) iungebantur præceptoriæ, executoriæ, vel executoriales, ut dicebantur. Nam ne ab initio collatores ordinarii conquererentur imminui iura ſua, non ſtatim & primis litteris mandato compellebant eos ad conferendum vacans vel proxime vacaturum beneficium. Primo ſcribebant monitorias: ſi hiſce non obtemperabant, præceptorias mittebant: tandem ſi perſeverarent in contumacia, dabant executorias, quibus contumaciam ceſſantium collatorum puniebant. Ideo autem executoriæ vocantur, quia iiſdem litteris delegabant & concedebant executorem, qui recipi faceret impetrantem, & provideret de beneficio quod tunc vacabat, vel erat proxime vacaturum. Quando tamen proceſſu temporis huiuſcemodi litterarum cœpit auctoritas invaleſcere, non amplius tres litteras diverſis temporibus, ſed unam tantum dederunt, addito etiam ſtatim executore qui, ceſſante ordinario collatore, conferret. Iſtarum litterarum monitorialium, præceptoriarum, & executoriarum frequenter occurrit mentio in decretalibus, præcipue Innocentii III. Honorii III. ac ſignanter in *cap.* XXX. XXXVII. XXXVIII. XL. *de reſcript.* Primus omnium Hadrianus IV. qui univerſæ Eccleſiæ adminiſtrandæ anno MCLIV. præpoſitus eſt, videtur poſtulaſſe ab Epiſcopis & Capitulis præbendas vel dignitates quaſdam, ut quidam privati de Eccleſia optime meriti providerentur. Mandata autem apoſtolica, ſi ſint ad vacatura beneficia, dicuntur etiam expectativa. Unde Papa ſcribere ſolet pro beneficiis vacaturis per expectivas. Aliquando vero mandat provideri per reſervationes: quando nimirum ſuæ diſpoſitioni aliqua beneficia vacatura reſervat, cum inhibitione electoribus & collatoribus facta ad eorum electionem & collationem, vacatione adveniente, procedendi ſub pœna nullitatis. Hæ autem reſervationes aliæ ſunt ſpeciales, quando certum aliquod beneficium in individuo vacaturum Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervatur: aliæ generales, ſi omnium regni vel certi loci beneficiorum vel perſonatuum ſeu dignitatum fieret ampliſſima reſervatio; qualis eſt omnis illa reſervatio quæ dicitur clauſa in corpore iuris, itemque contenta in regulis Cancellariæ.

Quid de expectativis & reſervationibus.

Mandatorum apoſtolicorum de expectativis initia referunt communiter Canoniſtæ ad ſæculum XII. nec antiquiora videntur Alexandro III. Nam evincitur ex *Epiſt.* XL. Abbatis Remigii in *append. ad litter. Alexand. III.* quod tempore huiuſce Pontificis preces papales pro obtinendo beneficio alicui clerico adiunctum haberent mandatum *monentes atque mandantes*. Sed cum neque his obſequerentur collatores ordinarii, iunctæ poſtea fuerunt, ut paulo ante notavimus, litteræ executoriales, vel etiam executores nominabantur qui apoſtolica auctoritate ipſos collatores ad obſequendum mandatis, & interdum per cenſuras, cogerent. Ex citatis litteris Alexandri III. conſtat, quod Pontifices profiterentur ſe huiuſmodi mandatis velle providere viris litteratis, præſertim aliud beneficium unde viverent, non habentibus, vel ordinatis ſine titulo; & quoad hoſce dicebantur in forma pauperum, vel in forma ſecundum Apoſtolum, vel etiam in forma communi: tum quod eſſet ordinaria & communis mandatorum formula; tum

Digitized by Google

tum etiam quod huiuſmodi mandata viderentur unice tendere ad iuris communis executionem, urgendo ſcilicet Epiſcopos ut clericos quos pro ſervitio Eccleſiarum ſuarum ordinaverant, beneficio unde honeſte poſſent ſuſtentari, providerent, cum ſecundum Apoſtolum, qui altari ſervit, de altari vivere debeat. Prætendebant mandatarii etiam beneficia iurispatronatus laici; ſed hæc mandatis non comprehendi declaravit Gregorius IX. Et hæc interpretatio ubique obtinet. Generalem vacantium reſervationem apud Sanctam Sedem primus fecit Clemens IV. Et hæc reſervatio dicitur clauſa in corpore iuris. Clemens V. Ioannes XXI. Benedictus XII. reſervationes ampliarunt: unde variæ exortæ ſunt regnorum & Regum querelæ. Schiſma Avenionenſe incrementum dedit expectativis & reſervationibus. De his autem abrogandis actum eſt in Concilio Conſtantienſi; per Martinum V. & Eugenium IV. reſtrictæ fuere reſervationes; Baſileenſe autem *ſeſſ.* XXIII. *cap.* V. omnes reſervationes revocavit. Hoc tamen decretum non ubique receptum eſt. Nihilominus tamen, ſive per concordata, ut in Gallia & Germania, ſive ob alias rationes, nulla tunc generalis beneficiorum reſervatio a Sede Apoſtolica facta reperitur. Immo in quampluribus beneficiis nunc Romana Curia non habet niſi alternativam cum ordinariis collatoribus. Per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* XIX. ablata ſunt mandata omnia de providendo, expectativæ, & gratiæ quæcumque ad vacatura, quæ olim a Pontifice impetrari ſolebant de beneficiis, ad collationem vel proviſionem Ordinariorum, Capitulorum, aut ſingularum perſonarum ſpectantibus. Item per idem Concilium ſublatæ ſunt reſervationes mentales, quæ fiebant (ait Gonzalez *num.* 67.) quando Papa reſervabat beneficia vel in ſpecie vel in genere, per Bullam, vel per Breve, ut perſonæ gratæ provideret, quam non exprimebat, ſed in mente retinebat: & ſic in nullius perſonæ favorem facta erat reſervatio. Immo ſtatuit Concilium ne huiuſmodi gratiæ & reſervationes mentales aut indulta ad alienas Eccleſias vel Monaſteria alicui, etiam ex S. R. E. Cardinalibus, concedantur, & hactenus conceſſa abrogata cenſeantur. Van-Eſpen *Part. II. cap.* I. *&* II. *tit.* XXIII.

De reſervatis cum alternativa.

Circa beneficia Curiæ Romanæ reſervata cum alternativa, ſi contingat quod intra ſuum menſem Papa non conferat beneficium quod in menſe Papæ vacavit; ceſſat reſervatio, & ius Ordinarii liberatur: cum dici nequeat, quod ſit ius devolutum (non enim datur devolutio a ſuperiore ad inferiorem) ac ideo ad Ordinarium ſpectat providere. Currit hic menſis a die vacationis etiam ignoratæ. In aliquibus autem vacationibus nullum tempus præfixum eſt Pontifici; ideſt in beneficiis prorſus Papæ reſervatis, vel ad ipſum devolutis, ſcilicet in quorum proviſione non datur alternativa inter Papam alioſque collatores: cum de iure ſpectent ad ſolum Pontificem. Etiamſi ordinarius collator contulerit, antequam menſis exſpiraverit, quando Papa non nominet; putant aliqui, talem collationem validam eſſe, ſeu potius non irritari, exemplo collationis factæ ab Ordinario, ſpreto patrono, quæ valida manet, patrono non apparente, & intra tempus non præſentante. Vacante Sede Apoſtolica, ſi contigerit vacare hoc tempore Eccleſias parochiales; Ordinarii poſſunt libere providere: ſicuti etiam, ſi ante, ideſt vivente Papa, & Papa non providerit, ut in *cap.* IV. *de præbend.* in quo hæc ratio redditur; ideſt ne ipſarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre. Unde oſtenditur, quod ſine tali periculo Pontifices beneficia ſibi reſervaverint. Omnes quidem reſervationes a Canoniſtis dicuntur odioſæ: & quatenus iuxta regulam iuris odia reſtringenda, favores ampliandi ſunt; etiam in dubio reſtringendæ ſunt, ob præiudicium quod afferunt collationibus Ordinariorum.

Capitulum vero, Sede vacante, non ſuccedit Epiſcopo in libera collatione beneficiorum, ſive id competat iure collationis ſtricte dictæ, ſive iure præſentationis, ſive iure proprio, ſive iure devoluto: modo collatio vel præſentatio ſit libera, & ſoli Epiſcopo, non ſecus coniunctim cum Capitulo competat. Nam ſi collatio, vel confirmatio, aut inſtitutio tantum competat Epiſcopo ad præſentationem patroni laici vel eccleſiaſtici; vel collatio ſit quidem libera, ſed ſpectet ad Epiſcopum coniunctim cum Capitulo; vel ex privilegio aut gratia beneficium aliquod ſpectans ad ſolius Epiſcopi collationem debeatur certæ perſonæ, puta nominato Academico: in his caſibus poteſt Capitulum vel eius Vicarius, Sede vacante, conferre; cum in his caſibus Capitulum Epiſcopo ſuccedat. Unde dare poteſt collationem, confirmationem, & inſtitutionem, ut docent pro primo caſu iuris canonici interpretes, & praxis communis comprobat. In alio vero, quia talis collatio quæ eſt debita certæ perſonæ ſeu

cer-

certo perſonarum generi, recenſetur inter neceſſarias. Idcirco ſi patronus præſentaret plures æque idoneos, poteſt Capitulum, Sede vacante, inſtituere ex præſentatis quem maluerit.

§. XXVI.

De collationis natura & ratione, necnon diviſione.

Collatio proprie dicta & in ſenſu Eccleſiæ iuriſque canonici communiter definitur, ſignatio ſeu conceſſio beneficii vacantis, facta ab habente poteſtatem. Dividitur autem collatio in liberam, quæ fit ſolo iure collatoris, ita ut non reſtringatur ad aliquam particularem perſonam, ratione iuris alteri competentis; & hæc proprie nomine collationis intelligitur: & in non liberam, nempe quæ fit alicui perſonæ quaſi ex neceſſitate, dum ratione iuris alicuius huic perſonæ competentis alione titulo alicui determinatæ perſonæ eſt facienda collatio; ac eatenus collator libertatem conferendi non habet. Idcirco collatio non libera dicitur, ſi v. gr. reſtringatur ad præſentatum a patrono aut nominatum ab univerſitate, vel ad permutatarium ratione permutationis. Hæc autem collatio vocari ſolet inſtitutio. Collatio libera proprie dicta differt ab electione & præſentatione; quod per collationem acceptatam etiam ante adeptam poſſeſſionem acquiritur ius in re (*cap.* XVII. *de præbend. in 6.*) ita ut tunc beneficium poſſit cum alio commutari; per electionem vero & præſentationem etiam acceptatam ius tantum acquiritur ad rem, ſcilicet ius aliquod, quo mediante, Epiſcopus aliuſve ad quem collatio ſeu inſtitutio ſpectat, conſtringi queat ad collationem ei faciendam, ſi aliud canonicum impedimentum non obeſt. Itaque per collationem, quæ alias, dum libera non eſt, inſtitutio appellari ſolet, beneficium vere acquiritur, ac titulus confertur: atque de hac collatione intelligitur *cap.* I. *de reg. iur. in 6.* dicens: *Beneficium eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri*. Unde concludunt communiter Canoniſtæ, ius collationis laicis omnino competere non poſſe, utpote qui beneficia ſive titulos beneficiarios conferre nequeunt; tametſi Reges aliive nonnulli Principes ſibi competere credant, ac ideo utantur in ſuis litteris verbo collationis ac inſtitutionis.

§. XXVII.

De devolutione beneficiorum.

Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. providere volens ne præbendæ eccleſiaſticæ, quando eas vacare contigerit, maneant in ſuſpenſo ſeu longius vacantes, ſtatuit *cap.* II. *de conceſſ. præbend.* ut intra ſex menſes perſonis quæ digne adminiſtrare valeant, conferantur: & ſi Epiſcopo competat providere, & diſtulerit, per Capitulum ordinetur; ſi autem ad Capitulum pertinuerit, & non providerit intra ſex menſes, hoc Epiſcopus cum conſilio religioſorum virorum exequatur. Hoc autem decretum intelligendum eſt de beneficiis omnibus vacantibus, ſive proviſio facienda ſit per collationem, ſive per electionem: & ſi Epiſcopus negligat, diſponat Metropolitanus ſine illorum contradictione. Declarat tamen Innocentius III. *in cap.* XII. *de conceſſ. præbend.* decretum hoc non ſolum extendi ad Archiepiſcopum & Epiſcopum; ſed etiam ad perſonatus alios & minora eccleſiaſtica beneficia coarctari. Epiſcopalibus autem & maioribus dignitatibus regularibus provideri debere intra ſex menſes, ſtatuit idem Concilium Lateranenſe ſub eodem Innocentio III. *in cap.* XLI. *de elect.* Cum enim agatur de animarum cura, grave in mora periculum incommodorum imminet dominico gregi ob deficientiam Paſtoris, aut Eccleſiæ viduatæ in bonis ſuis & iuribus. Semeſtre aſſignatum ad providendum ex decreto eiuſdem Concilii computandum eſt a die notitiæ, non a die vacationis beneficii, ut declarat Innocentius III. *in cap.* III. *de ſuppl. neglig. Prælat.* & *in cap.* V. *de conceſſ. præbend.*

Si vacatio contigerit, & in loco ipſius beneficii publice innotuit, facile præſumitur in collatore notitia, niſi aliunde ignorantia probetur (*Clement. unic. de conceſſ. præbend.*) & tempus ſex menſium currit de momento in momento. Unde ſi beneficium vacaret, notaque fuit vacatio, puta, die quarta menſis Martii, hora undecima; die quarta Septembris, hora undecima per totam exſpirat, ita ut poſtea providere non poſſit ordinarius collator ſeu elector. Sicut tamen iuſta ignorantia impedit ius devolutionis; eo quod iuſte ignorans negligens dici nequeat: ita quodcumque aliud impedimentum ius collationis ac electionis reſervat. Secus vero, collatores & rectores iure providendi beneficio exciderunt, ita ut ex diſpoſitione iuris, elapſo tali tempore, eorum col-

Digitized by Google

collatio ſeu electio nulla ſit. *Cap.* III. *&* V. *de ſuppl. neglig. Prælat.*

Elapſis ſex menſibus, devolvitur ius beneficii conferendi ad immediatum ſuperiorem non collatoris, ſed beneficii, ideſt loci in quo ſitum eſt beneficium. Si Capitulum negligens fuerit; devolvitur ad Epiſcopum, etiamſi Epiſcopus cum Capitulo coniunctim eligeret non tamen ut Epiſcopus, ſed ut Canonicus. *Cap.* XV. *de conceſſ. præbend.* Si vero Epiſcopus ſit negligens; devolvitur ad Archiepiſcopum, & ab hoc ad Primatem, & inde ad Summum Pontificem. *Cap. fin. de ſuppl. neglig. Prælat.* Si autem collatio ſpectaret ad Capitulum & ad Epiſcopum, qui haberet ſuffragium, & eſſet negligens in indicenda Capituli congregatione; poſſet Capitulum intra tale tempus ad collationem procedere, & Decanus aut ſenior Capituli convocare Capitulum, ne fiat devolutio ad Epiſcopum. Si vero collatio ſpectet ad Epiſcopum & Capitulum, & convenerint ut per turnum ſeu alternative fiat collatio: ſi Capitulum negligat, devolutio fit non ad Epiſcopum, qui eſt par collator cum Capitulo; ſed ad Archiepiſcopum. Ita Garzia *de benefic. Par. X. cap.* III. *num.* 35. Diviſio enim non tollit ac mutat ius devolutionis, quæ eſt ad proximum ſuperiorem, & non ad eumdem inferiorem, qualis eſt in hoc caſu Epiſcopus: dummodo tamen Epiſcopus in ſuo turno ſolus conferat, non quia diviſum ſit ius conferendi, dum ſimultanee conferunt; ſed potius ius deſignandi perſonam, cui poſtea ſimultanee conferant. Nam ſi revera diviſum eſſet ius etiam collationis, ut Capitulum in ſuo turno, excluſo Epiſcopo, integrum ius conferendi in ſolidum haberet: tunc non videtur Epiſcopus a iure devolutionis, negligente Capitulo intra tempus conferre, excludendus; cum in eo caſu non eſſet par cum Capitulo collator. Hæc tamen devolutio ad Epiſcopum intelligitur de non exemptis. Ab exemptis enim & Romano Pontifici immediate ſubiectis, quales ſunt præcipue Regulares, devolutio non fit ad Epiſcopum, ſed immediate ad Pontificem, tamquam immediatum exemptorum ſuperiorem. Hactenus Van-Eſpen *Par. II. cap.* V. *tit.* XXI.

§. XXVIII.

De electione, poſtulatione, & confirmatione.

Quia, ut iam vidimus agentes de beneficiorum collatione, ob iniuriam temporum & immutationem tituli in bonorum diſtributione, ac etiam iuris in eorum acquiſitione & poſſeſſione, tranſivit in titulum perpetui beneficii quod erat tantum eccleſiaſticum officium, pro quo tribuebatur clerico in ſervitium Eccleſiæ adſcripto vel in communi conventu ſuſtentatio; vel in particulari pro eadem ſuſtentatione certa fructuum ac proventuum eccleſiaſticorum portio quæ *ſportula* vocabatur, ut ſunt hodie in Eccleſiis cathedralibus quotidianæ diſtributiones; vel aſſignatio alicuius fundi fructiferi, ut poſt ſæculum V. contingebat, quando Eccleſiæ prædia ac bona immobilia iam cœperant poſſidere: factum fuit ut ius providendi clericos, quod antea erat penes ſolum Epiſcopum, poſtea præcipue ſub titulo electionis vel præſentationis (qui tituli tamen revera non cœperunt niſi ſæculo XI. vel XII.) ad alios, etiam laicos, ſpectaret; ſalva ſemper tamen, reſpectu laicorum, collatione ſeu inſtitutione quæ, ut iam vidimus, eſt ius & actio ſolius eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſeu poteſtatis. Et ut recto ordine procedatur, primum agendum eſt de electione quæ eſt ſecundus modus quo ad beneficium eccleſiaſticum ius acquiritur, cui poſtea alter modus ſubſequitur per patroni præſentationem.

Electionis nomen ex ſuo inſtituto denotat generaliter delectum alicuius rei vel perſonæ e duabus vel pluribus: & hoc ſenſu dicitur in cap. VII. de reg. iur. in 6. *In alternativis debitoris eſt electio.* In hac autem materia reſtringitur ad ſolam perſonam, quatenus perſona ad certam functionem eccleſiaſticam, aut dignitatem e pluribus eligitur. Et hoc modo ſumptum nomen electionis accipi poteſt generaliter, ut non ſolum electionem proprie & ſpecifice, ſed & poſtulationem, nominationem, & collationem comprehendat: nam & in his omnibus eligitur a præſentantibus, nominantibus, & conferentibus perſona idonea ad beneficium vacans. Item accipi poteſt pro electione, quatenus a prædictis modis providendi diſtinguitur: & ſumitur pro deſignatione ſeu electione perſonæ ad certum beneficium plurium ſuffragiis collegialiter ſive capitulariter facienda. Et de hac agitur in decretalibus Gregorii IX. & Bonifacii VIII. *tit. de elect.* Electio igitur in rigore accepta eſt alicuius perſonæ capacis ad Eccleſiam vel Prælaturam ſuo viduatam Paſtore vocatio ſeu deſignatio, canonice facta per ſuffragia eorum quibus ius competit eligendi, ſuperioris auctoritate confirmanda. Per electionem acquiritur ſolummodo ius ad beneficium, Electio quid ſit.

cium: nam ius in beneficio ſola confirmatione obtinetur. Quare ſi quis ſine confirmatione ſe immiſceat adminiſtrationi beneficii, cenſetur intruſus, & amittit ius quod per electionem erat conſecutus. *Cap.* v. *de elect. in 6.* Iſta autem (ut obſervat Rebuffus in *Prax. benefic. Part. I. tit. de elect.*) dicitur proprie electio quæ indiget confirmatione. Altera vero quæ non exigit confirmationem, ſed a Canonicis vel aliis eccleſiaſticis electoribus eligendo confertur, non eſt proprie electio, & vim potius habet collationis quam electionis. Hinc quædam beneficia electiva confirmativa, quædam electiva collativa vocantur: & priora ſolum dicuntur proprie electiva, quando præcipue in ipſis ſervatur forma a Concilio Lateranenſi præſcripta *in cap.* Quia propter *de elect.*

Differt a præſentatione, & a nominatione. Electio differt a præſentatione: quia præſentatio ab uno fieri poteſt, & etiam per litteras; electio autem nonniſi a pluribus capitulariter congregatis. *Cap.* Nullus I. & *cap.* Quia propter XLII. *de elect.* Inſuper ius eligendi ad beneficium eccleſiaſticum non competit laicis (in *cap.* Sacroſancta I. *b. t.*) convenit vero ius præſentandi. Deinde electioni correſpondet confirmatio; præſentationi autem inſtitutio per ſuperiorem facienda. Nam electionem ad Eccleſiam vel Prælaturam de aliquo idoneo canonice factam tenetur ſuperior de iure confirmare; & clericum idoneum a legitimo patrono præſentatum tenetur inſtituere. Differt pariter electio a nominatione: quia nominatio fit de pluribus; & electio de uno tantummodo. Colligitur ex *cap.* Quod ſicut *de elect.* Deinde per electionem, poſtquam eſt acceptata, ius acquiritur in electo; non ſic autem acquiritur nominato per nominationem: ut in *cit. cap.* Ulterius nominatio poteſt fieri alternative; electio autem determinative: electio quippe fit de uno determinato; nominatio autem ſolemnis fit de pluribus alternative, ut ex illis ſuperior vel hunc vel illum promoveat. Fagnanus in *cap.* Bonæ memoriæ III. *de poſtul. Prael num. 68.* Unde nominatio ſolemnis deſcribitur, quod ſit illa per quam duo vel plures excellentiores nominantur ſeu proponuntur ſuperiori, ad hoc ut unum ex illis admittat, eique de beneficio providere dignetur. Et eſt communis. Dicitur autem notanter *nominatio ſolemnis*. Nominatio enim triplex eſt: ut advertunt Abbas in *cap.* Quod ſicut electio XXVIII. *de elect. num.* I. Fagnanus in *cap.* Bonæ memoriæ *de poſtulat. Prael. num.* 79. Barboſa, aliique paſſim.

Nominatio quid & quotuplex. Prima eſt conſultoria, quæ procedit per ſcrutinium: & fit in Collegio aliquos proponendo, ut ſi digni iudicati fuerint, per ſcrutinium eligantur. Et per hanc nullum ius acquiritur nominato, cum per talem nominationem exprimatur ſolum conſenſus de futuro: & tali nominatione non obſtante, poſſunt Capitulares eligere alium, ut obſervant citati Doctores. Secunda eſt nominatio quæ fit in ſcrutinio, quando electores ſecreto aliquem in chartula nominant, iuxta *cap.* Si quis iuſto XLVI. *de elect. in 6.* Et hæc coincidit cum vocatione privata ſingulorum eligentium, atque exprimit conſenſum de præſenti: & licet, antequam publicetur, talis nominatio variari poſſit; tamen publicato ſcrutinio, non poteſt amplius per electores variari. *Cap.* Publicato LVIII. *de elect.* Tertia eſt nominatio illa ſolemnis per quam duo vel tres digniores proponuntur ſuperiori, ut ex illis unum promovere dignetur.

Differt item a petitione. Item differt electio a petitione: quia electio tribuit electo ipſam acceptanti ius ad confirmationem, quæ ſi ſibi iniuſte denegetur, poteſt eam, actione inſtituta, petere: eo quod ex iuſtitia ſibi debetur, ut *cap.* Poſtquam *de elect.* ac notat Abbas *ibid.* quod confirmatio ſit neceſſitatis, licet electio a principio fuerit voluntatis. Simplex vero petitio nullum ius tribuit petito: cum, non obſtante quod plebs ſeu populus aliquem petat ſibi dari in Prælatum, poſſit ſuperior ipſum non concedere. Unde ſimplex petitio deſcribitur, quod ſit ſupplicatio, qua plebs ipſa ſeu populus ſibi petit dari in Prælatum propoſitum, ut colligitur ex *cap.* Nulla ratio I. *diſt.* LXII.

Et a collatione. Differt tandem electio a collatione: quia per electionem acceptatam acquiritur ſolum ius ad rem reſpectu beneficii ſeu Prælaturæ; cum electus ante confirmationem dicere nequeat, beneficium eſſe iam ſuum, ſed ſolum ſibi debitum. Per collationem vero beneficii quam quis ratam habuit, acquirit ius in re & quaſi dominium in ipſum, licet poſſeſſio ipſius nondum acquiſita fuerit, ut iam diximus.

Ad electionem canonicam quid requiratur. Ad hoc ut electio ſit canonica & valeat, primo requiritur ut eligentes ſint ſaltem Subdiaconi, ſi agatur de electione virorum. Unde Fratres laici in Monaſteriis (vulgo *Converſi* vel *non Profeſſi*) ſicuti etiam excommunicati, ſuſpenſi ab officio, & interdicti, ius non habent ſuffragii: ut ex *Clement.* II. *de ætat.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXII. *cap.* XV. Secundo, ut vocentur

qui

qui ius habent eligendi, non obſtante quod aliquis venire noluerit, aut non potuerit (*cap.* II. *de elect.*) ita ut ſi unius citatio neglecta fuerit, poſſit is petere ut electio reſcindatur. Legitime abſens, nec intereſſe valens poteſt per Procuratorem uni de Capitulo votum ſeu ſuffragium demandare: ita tamen, ut ne procuratori quidem innoteſcat ille in quem ſuffragium cadit. In electione tamen Papæ non expectantur abſentes, nec ulla eorum vota recipiuntur. Tertio, ut eligatur is in quem omnes vel maior pars aut ſanior Capituli conſentit, ut ex Concilio Lateranenſi IV. *cap.* XXIII. Pars autem ſanior intelligitur illa quæ in electione omnes canonum regulas ſervat; minus ſana ea quæ non ſervat.

Eius forma triplex

Electionis forma ex Concilio generali Lateranenſi IV. *cap.* XXIV. triplex eſt: ſcilicet *ſcrutinii*, *compromiſſi*, & *inſpirationis*: unde omnes aliæ diverſæ ab hiſce tribus formis, puta per ſortes, reprobantur, & nullæ ſunt, utpote factæ contra diſpoſitionem irritantem, ac ideo vetitæ, ut conſtat ex *cap.* Quia propter XLII. *de elect.* Electio autem per inſpirationem eſt, cum eligentes ſubito quodam motu in unum communiter conſentiunt. Electio per compromiſſum illa eſt quæ fit, quando Capitulares præſentes facultatem eligendi in unum vel plures idoneos viros conferunt, qui vice omnium eligunt, ut ex *cap.* Quia propter *cit.* Ad faciendum compromiſſum pro electione requiritur conſenſus omnium vocalium: ita ut unius diſſenſio compromiſſum impediat; & ſi electio fiat per tale compromiſſum, nulla eſt & irrita, ex *cit. cap.* ut communiter doctores cum Gloſſa. Hoc autem compromiſſum pro electione fieri poteſt etiam in unum ſolum qui non ſit de Collegio (ex *cap.* Cauſſa VIII. *de elect.*) ut contingere poteſt, & aliquando contingit inter Moniales pro electione Abbatiſſæ, quæ compromittere poſſunt in Epiſcopum ſolum, qui non eſt de earum Collegio. Et hoc communiter eſt receptum, ex *cap.* Quia propter, *verb.* Viris *h. t.* Non poteſt tamen fieri compromiſſum electionis in laicum: *cap.* Contingit VIII. *de arbitr.* Unus compromiſſarius non poteſt eligere ſe ipſum; *cap.* Cum ad noſtras *de inſtitut.* ubi ſtatuitur, quod nemo poteſt inſtituere ſemetipſum in beneficium: quia inter dantem & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis; *cap.* Per noſtras XXVI. *de iurepatron.* in quo ſtatuitur, quod nemo poſſit præſentare ſemetipſum ad Eccleſiam, etiamſi de ſuo iurepatronatus. Et hoc eſt communiter receptum iuxta Gloſſam in *cap.* Cum in iure XXXIII. *verb.* Ex ſe vel aliis *de elect.* quia, ut dicit, nemo debet oriri a ſe ipſo; *cap.* In ſcripturis IX. VIII. *q.* I. Si vero compromiſſarii ſint plures, poſſunt hi aliquem ex ſe ipſis eligere: tametſi in compromiſſo hoc expreſſum non ſit; dummodo expreſſum non fuerit oppoſitum. Sic Abbas in *cap.* Cum in iure *h. t.* Compromittentes tenentur excipere ſeu admittere electos a compromiſſariis (*cap.* VIII. *de elect.*) dummodo tamen ſervata fuerit cauſſa compromiſſi: quia ſi alias compromiſſarii terminos ſibi traditæ poteſtatis non ſervaverint, non valet electio inde ſecuta. *Cap.* Cum dilectus XXXII. *cap.* Cum in veteri LII. *de elect.* Electio vero per ſcrutinium illa eſt quæ, præſentibus omnibus qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe, fit per collationem ſuffragiorum circa eum in quem maior aut ſanior pars Capituli conſentit. Ita communiter. Et clare habetur ex laudato *cap.* Quia propter XLII. *de elect.* ex quo (teſte Fagnano *ibid. num.* 30.) colliguntur octodecim ſubſtantiales formæ electionis per ſcrutinium. Nam I. ſubſtantiale eſt, ut fiat per congregatos in unum: II. ut ſcrutatores ſumantur a Collegio: III. ut ſcrutatores ſint tres: IV. ut ſcrutatores ſint de Collegio: V. ut vota ſingulorum exquirantur ſecreto: VI. ut exquirantur ſigillatim: VII. ut exquirantur vota cunctorum: VIII. ut vota in ſcriptis redigantur: IX. ut vota in communi publicentur: X. ut publicentur ſtatim: XI. ut fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum: XII. ut collatio fiat in continenti per publicationem: XIII. ut fiat communis electio: XIV. ut electio fiat ſtatim poſt collationem: XV. ut electio fiat de illo in quem maior & ſanior pars Capituli conſentit: XVI. ut electio fiat verbalis: XVII. ut electio non ſit clandeſtina: XVIII. ut prædictorum omnium ordo ſervetur. Hæc apud Fagnanum: & docet hic Reiffenſtuel *lib. I. Decretal. tit.* VI. *num.* 146. quod non valet electio celebrata a ſaniore parte Capituli, niſi ea etiam ſit maior. *Cap.* Cumana I. *de elect.* & ibi communiter doctores.

Poſtulatio quid ſit.

Poſtulatio, ut iam antea notavimus, eſt obſecratio facta ab electoribus ſuperiori, ut ad vacans beneficium & dignitatem admittere velit aliquem, qui ob impedimentum canonicum quod non eſt vitium corporis aut animæ, eligi non poterat.

Confirmatio quid ſit.

Confirmatio eſt conceſſio iuris in beneficio, facta a ſuperiore ei qui electus vel poſtula-

ſtulatus eſt. Unde non differt ab inſtitutione: niſi quod hæc connotat præſentatum; illa vero electum vel poſtulatum. Porro electus debet, ſecluſo impedimento, intra ſex menſes a notitia electionis acceptatæ petere confirmationem: alias electio eſt irrita. *Cap.* VI. *de elect. in* 6.

§. XXIX.

De præſentatione.

Præſentatio definiri ſeu potius deſcribi poteſt, quod ſit actus, quo idonea perſona legitime per patronum exhibetur Epiſcopo ſeu ſuperiori eccleſiaſtico, ad quem pertinet inſtitutio, quæ eſt conceſſio iuris realis in beneficio facta ad patroni præſentationem. Quare præſentatio ordinem dicit ad tres perſonas: ad patronum ſcilicet qui præſentat iurepatronatus, ad clericum qui præſentatur, ad ſuperiorem legitimum cui exhibetur clericus, ut ipſi beneficium vacans conferatur. Nam merus laicus habens iuſpatronatus, ut quamplurimi habent, poteſt quidem præſentare ſeu nominationem facere; non poteſt tamen iure ordinario rem eccleſiaſticam, ut eſt beneficium, conferre. Præſentatio enim non dat ius in re, ſed ſolum ex diſpoſitione canonum dat ius ad rem: ita ut præſentatum, niſi probetur indignus, inſtituere debeat Prælatus, ideſt beneficium vacans ei conferre. Collatio enim beneficii vacantis, facta ei quem patronus præſentat, ut alias notavimus, dicitur inſtitutio, ideſt collatio neceſſaria: cum ſuperior, niſi ob indignitatem probatam præſentati ac nominati, poſſit a tali collatione recedere. Unde ad clariorem huiuſce rei elucidationem operæ pretium eſt exponere quid ſit iuſpatronatus, quinam ius habeant præſentandi, ut patronus noſcat quem præſentare debeat ne reiiciatur, utque, quoquomodo res ſe habeat, ſecurus ſit in conſcientia.

§. XXX.

De iurepatronatus.

Iurispatronatus origo & definitio. Actio ſeu ius nominandi Presbyterum ad aliquam Eccleſiam in eius vacatione, quod dicitur iuſpatronatus, originem duxiſſe apparet ex Oratoriis & Sacellis, iampridem a viris nobilibus in ſuis villis circa ſuos fundos conſtructis, aut in ſuis domibus ad ipſorum & familiæ commodum, ob diſtantiam parochialis Eccleſiæ. His enim Oratoriis cum conſenſu Epiſcopi Presbyterum præficiebant qui ſacra perageret, ut colligi poteſt ex *can.* XXII. Concilii Agathenſis, necnon ex pluribus aliis canonibus Conciliorum ſæculi VII. & VIII. in quibus ſæpe fit mentio horum Oratoriorum & Presbyterorum. Porro quia hæc Oratoria erant ſæpe ſæpius etiam pro commoditate caſtrorum & villarum, viſum fuit, quod ex mente fundatorum ſequi deberent dominos caſtrorum & villarum; ac per conſequens ad ipſos deferendam eſſe aſſumptionem ſeu nominationem Presbyterorum qui hiſce Oratoriis vel Sacellis deſervirent. Hæc autem nominatio Presbyterorum ad illa Oratoria non erat proprie & ſtricte dicta præſentatio, qualis hodie patronis competit; cum Oratoria erecta non eſſent in titulum beneficii. Nam præſentatio proprie & ſtricte eſt tantum ad beneficia, ſive conſiſtit in nominatione clerici ad beneficia. Verum temporis ſucceſſu Oratoria, pro nobilium eorumque familiæ commoditate erecta & fundata, mutata fuere non tantum in beneficia ſimplicia, ſed etiam in parochiales Eccleſias: ut advertit etiam P. Thomaſſinus in ſua *Diſcipl. Eccleſiaſt.* Immo cum Principes ſubinde plures Presbyteros in ſuis caſtris ac villis adſcripſerint qui ibidem integrum officium peragerent, contigit ut huiuſmodi Oratoria in Canonicorum Capitula degenerarint. Dum igitur prædicta Oratoria vel Sacella tranſierunt in ſimilia beneficia, manſit ius præſentarionis apud illos quibus fuerat ius nominandi Presbyteros, antequam erecta eſſent in beneficia: & hoc eſt ius illud quod dicitur patronatus. Hinc recte advertit qui hanc eſſe cauſſam aſſerit, cur plures Eccleſiæ parochiales & minora Capitula ruri exiſtentia ſint iuriſpatronatus laici. Communiter vero iuſpatronatus deſcribi a doctoribus ſolet, quod ſit poteſtas nominandi ſeu præſentandi aliquem clericum inſtituendum in beneficium aliquod vacans. Dicitur *ad beneficium vacans*; quia ſi non vacat, irrita eſt præſentatio, eo quod ſit contra bonos mores, utpote præbens deſiderandæ mortis occaſionem. Et ob hanc rationem vetita eſt promiſſio beneficii, antequam vacet. *Cap.* II. *de conceſſ. præbend.* ex Concilio generali Lateranenſi III. Quod ſi fiat, nulla eſt; ſicuti proviſio inde obtenta: ex regula duodecima Cancellariæ. Ly autem *vacans* extenditur ad modum omnem quo contingere poſſit beneficium vacare, ſive fiat per mortem, ſive per renuntiationem, ſive per permutationem, ſive per tranſlationem, ſive

per

per unionem: ad quæ tria poſtrema neceſſario requiritur conſenſus patroni.

Eius di. viſio, & cauſæ ex qui. bus ac. quiritur. Iuſpatronatus dividitur in eccleſiaſticum, laicale, & mixtum. Iuſpatronatus eccleſiaſticum illud eſt quod vel bonis Eccleſiæ comparatum eſt, fundando ex illis vel dotando Eccleſiam: vel quod clerico competit ratione alicuius dignitatis eccleſiaſticæ a ſe poſſeſſæ, v. g. Decanatus, Rectoratus, aut huiuſmodi: vel ſi iuſpatronatus laicale alicui Eccleſiæ vel Monaſterio daretur; tunc enim fit eccleſiaſticum, ratione donationis factæ communitati eccleſiaſticæ. Iuſpatronatus laicale illud eſt quod alicui competit ex eo quod ipſe vel aliquis e ſuis prædeceſſoribus Eccleſiam fundavit, vel erexit, vel dotavit. Idcirco iuſpatronatus acquiritur primo fundatione, ſeu dono ſoli ſeu areæ ad Eccleſiam ſuperædificandam: ex *cap.* Nobis *de iurepatron.* Item ſi me inſcio, ut Barboſa aliique contendunt, in fundo meo conſtructa eſt Eccleſia: quia in eam dominium fundi transfertur. Secundo, ipſa Eccleſiæ vel Capellæ ædificatione. Tertio, Eccleſiæ vel Capellæ dotatione, aſſignatis ſufficientibus reditibus: ita ut niſi aſſignentur reditus, non erit patronus, ſed benefactor. Unde poſſunt eſſe plures eiuſdem Eccleſiæ patroni. In hoc autem non attenditur ad perſonam illud poſſidentem, ſed ad motivum quo tale ius primum acquiſitum eſt: & ideo clericus poteſt habere iuſpatronatus laicale, & econtra. Quarto, præſcriptione: ſcilicet multiplicatis præſentationibus per tempus immemorabile, quod aliqui cenſent eſſe quadraginta annorum, ut Melchior Paſtor *tit. 11. num. 15 & 16.* dummodo titulus habeatur; & ſine titulo, centum annos deſiderari credunt. Iuſpatronatus mixtum eſt, quando patronus eccleſiaſticus & laicus vere concurrunt in uſu iuriſpatronatus, ut ſimul præſentent, & litteræ præſentationis utriuſque nomine expediantur. Tunc enim iura illa ſibi invicem quaſi miſcentur, atque unum quodammodo iuspatronatus conſtituunt, quod mixtum tamquam ex duobus compoſitum dici ſolet. Secus vero dicendum, quando licet circa idem beneficium uterque habeat iuſpatronatus, ſimultanee tamen non concurrunt hi duo patroni in præſentatione, ſed per vices ſeu per turnum iurepatronatus utuntur, & litteræ præſentationis unius tantum patroni, ideſt turnarii, mentionem faciunt. Nam in tali caſu non iunguntur hæc iura: & in turno laici iuſpatronatus eſt mere laicale; in turno eccleſiaſtici mere eccleſiaſticum. Quare in turno eccleſiaſtico ſortitur conditionem & qualitatem iuriſpatronatus eccleſiaſtici: & ſic locum habet præventio Papæ. In mixto vero naturam & conditionem utriuſque induit: ita quidem, ut in caſu particulari attendatur conditio unius aut alterius, quæ conſervationi ipſius iuris videatur favere; quia (ut tradit Gloſſa, quam omnes paſſim ſequuntur, in *cap. unic. de iurepatr. in 6.*) propter communionem non privilegiati naturam ſortitur privilegiati. Hinc Fagnanus ad *cap.* Cum propter *de iurepatron. num. 28. & 29.* docet, quod ſi agatur de præſcriptione iuriſpatronatus mixti, in qua Eccleſia eſt magis privilegiata quam laicus; cenſetur patronatus totus eccleſiaſticus, ut requiratur ad eius præſcriptionem id tempus quod requireretur contra Eccleſiam. Et ſimiliter cum patronus laicus tempus habeat ad præſentandum quadrimeſtre, eccleſiaſticus ſemeſtre; ſi mixtus ſit patronatus, uterque habebit ſemeſtre: quia in hoc caſu melior eſt conditio patronatus eccleſiaſtici quam laicalis. Sic econverſo cum iuſpatronatus laicale firmius ſit magiſque privilegiatum quam eccleſiaſticum; ubi de hac prærogativa agatur, patronatus mixtus ex utroque cenſetur laicalis. Et ideo cum in materia derogationis potentior ſit patronatus laicalis quam eccleſiaſticus; licet Legatus de latere poſſit conferre beneficia iuriſpatronatus eccleſiaſtici, non tamen poterit conferre quæ ſunt patronatus mixti: quia in hoc reputantur ac ſi eſſent patronatus ex toto laicalis. Et hoc contingit (ut notat citatus Fagnanus *tit.* XXIII. *cap.* IV.) etiamſi inter plures patronos multo plures eſſent eccleſiaſtici patroni, & unus etiam tantum eſſet laicus.

Difficultas vertitur inter Canoniſtas, num iuſpatronatus quod habent piæ Confraternitates & Collegia laicorum, cenſendum ſit eccleſiaſticum, an vero laicale? Covarruvias cum aliis cenſet eſſe mere laicale: quia licet ſint tales Congregationes inſtitutæ cauſſa pietatis, & alicui adhæreant Eccleſiæ; ipſi tamen ex quibus Confraternitas, Collegium, Univerſitas conſtituitur, & quorum voto ac ſuffragiis fit præſentatio, laici ſunt omnino, & ad laicalem univerſitatem, & neutiquam ad Eccleſiam aut ad eccleſiaſticam dignitatem pertinet præſentatio. Unde eſt mere laicale, ipſique omnes conveniunt iuris laicalis prærogativæ.

Præter fundationem, dotationem, præſcriptionem, Papæque conceſſionem, quod ultimum aliqui, præcipue Galli & Belgæ, non facile

facile admittunt, extat alius modus quo primum ad laicos, deinde ad Monaſteria & Capitula iuſpatronatus ſatis frequenter tranſivit. Vidimus iam antea agentes de commendis ex P. Thomaſſino, quod ſæculo præcipue VIII. & IX. contigit ut Principes, potentes, ac viri nobiles non tantum bona Eccleſiarum ſibi vindicarint, ſed ipſa etiam Monaſteria & parochiales Eccleſias. Principes autem ut plurimum hoc titulo tam a Chriſtiana pietate & iuſtitia abſono ſuis militibus illa tribuebant pro eorum ſuſtentatione & veluti in præmium eorumdem laborum, unde & vitam & ſanguinem expoſuerunt in defenſionem regni & Eccleſiæ, ut dicebant. Et ita in tali iure ſe ſtabilierunt, ut tamquam rei propriæ dominos ſe reputatent ac appellarent, ut ius etiam ad heredes tranſiret. Cum autem laici non poſſent ibi ſacra peragere munia, inſtituebant & pro libito deſtituebant propria auctoritate, inconſulto Epiſcopo, Presbyterum ad illa exercenda, modicis ipſi aſſignatis pro ſuſtentatione alimentis. Porro cum tam deteſtabili modo agendi ſe opponeret Eccleſia, ac in pluribus Conciliis illum ut ſacrilegum deteſtaretur ac damnaret, caveretque ne ulli Presbytero, inconſulto Epiſcopo, daretur Eccleſia (*can.* Neminem XVI. *q.* VII.) cœperunt Presbyteros his Eccleſiis præficiendos Epiſcopo præſentare, & ita iuſpatronatus in iiſdem Eccleſiis habere. Cum autem plures laici ex ſanioribus Epiſcoporum inſinuationibus & exhortationibus, & internis conſcientiæ remorſibus, Eccleſias Eccleſiæ reddere ſtatuerint, quamplurimi voluerunt eas reddere potius Monachis quam clericis: quod tandem, ut iam diximus, ad tollendas lites ac diſſidia Monachos inter & Epiſcopos approbavere Concilia & ſummi Pontifices. Et ecce quomodo Monachi in plures Eccleſias iuſpatronatus acquiſierint.

Iuſpatronatus ulterius dividitur in reale, & perſonale. Iuſpatronatus reale illud eſt quod glebæ ſeu fundo vel caſtro alicui adhæret, & a fundatore adſcriptum eſt. Et iurapatronatus realia ſive alicui fundo adhærentia, quæ tranſierunt cum nexu feudali ad Monaſteria vel Capitula, manent huic fundo adnexa, & reputantur laicalia; & adhuc retinent naturam, rationem, & qualitatem primam iuriſpatronatus laicorum, quæ nec confunditur, nec mutatur. Eccleſia enim alio iure immobilia poſſidet; alio quæ ſunt iuris ſpiritualis ſeu eccleſiaſtici. Porro hoc eſt iuſpatronatus quod tranſit tamquam acceſſorium ex venditione vel donatione feudi vel fundi cui eſt adnexum, ad emptorem vel donatarium feudi vel fundi. Et huiuſmodi iuſpatronatus illud eſt quod antea diximus originem duxiſſe ex Oratoriis & Sacellis, quæ iampridem viri nobiles circa ſuos fundos vel in eorum domibus extruxere ad commodum tum propriæ familiæ, tum villas vel caſtra inhabitantium. Hæc autem Oratoria, ut vidimus, ex mente fundatorum ſequi debebant dominos caſtrorum & villarum; ac per conſequens ipſis deferenda erat aſſumptio ſeu nominatio Presbyterorum qui hiſce Oratoriis vel Sacellis deſervirent: quæ tamen aſſumptio ab initio non erat proprie dicta præſentatio, qualis hodie competit patronis; ſed nominatio. Ius vero patronatus laici perſonale dicitur, quando ex ſupradictis titulis competit independenter ab aliqua certa re cui ſit adnexum, non quia certæ alicui perſonæ adſtrictum ſit, ſed ut ab eo diſtinguatur quod rei inhæret: non alias ac hodie perſonalia nomina aut credita dicuntur quæ certam aliquam perſonam non egrediuntur, nec ad heredes tranſeunt, ſeu prædiis aliiſque rebus non inhærent, neque realizata ſunt, ut loquuntur, at in mera perſonalitate ſubſiſtunt.

Ad acquirendum vero iuſpatronatus ex aſſignatis titulis & motivis requiritur conſenſus Epiſcopi: quia iura exigunt ut hæc fiant auctoritate Epiſcopi aut Capituli, Sede vacante; alias neque Eccleſia conſecrari valet, nec alterius iuri ſubiici. Unde communiter de conſenſu Epiſcopi primarius lapis cum ſolemnitate pro Eccleſia deſignata collocatur. Itidem ad hoc ut per Eccleſiæ fundationem vel ædificationem iuſpatronatus acquiratur, neceſſe eſt ut etiam Eccleſia dotetur ſufficienter, ad miniſtros ſuſtentandos & ad Eccleſiæ miniſteria peragenda. Secus vero, patronatus erit vacuus & ſuſpenſus, donec Eccleſia dotetur. Quare Epiſcopus numquam debet conſentire ut Eccleſia ædificetur, niſi prius conſtruens vel alius ad eam ſufficienter dotandam obligetur. Hinc plures in fundatione Eccleſiæ acquirere poſſunt iuſpatronatus, ex eorum concurſu in eius fundatione; ut ſi unus præbeat ſolum ſeu aream, alii Eccleſiam conſtruant, & dotet alter; omnes in ſolidum patroni efficiuntur. Fagnanus, Van-Eſpen, aliique. Et cum iuſpatronatus non acquiratur, niſi Eccleſiæ conſtructione completa & perfecta: hinc ſi aliquis Eccleſiam inchoaret, & tali opere dimiſſo, ab alio compleretur; iuſpatronatus

non alter qui incepit, ſed ille qui complevit, adipiſceretur. Sic Tournely.

Ad hoc vero ut quis admittatur ad beneficii præſentationem ex titulo iuriſpatronatus, hoc ſuum iuſpatronatus quod habere profitetur, ex aliquo authentico documento probare debet. Et ita ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxv. *tit. de præbend.* ad præcavendas huiuſce tituli iniuſtas uſurpationes: ſicuti gravis ratio urgebat ſuſpicandi ſic rem ſe habere, reſpectu nonnullorum Potentum qui titulo præſumpti patronatus Eccleſias & earum beneficia eccleſiaſtica in ſervitutem redigebant. Et in eodem decreto annullavit ſancta Synodus reliquos omnes patronatus quibuſcumque conceſſos, excipiendo patronatus ſeu iura nominandi & eligendi quæ habent Reges & ſupremi Principes ſuper Cathedralibus, & quæ in favorem ſtudiorum generalium conceſſa ſunt. Cetera vero quæ hic notanda eſſent, videri poſſunt apud Canoniſtas, præcipue Barboſam. Sed antequam ad alia pergamus, nonnulla de iuriſpatronatus ad alios tranſmiſſione ſubiicere lubet.

Tribus modis transferri ad alios poteſt.

Inquirunt hic Canoniſtæ, & præcipue Barboſa, Garzia, Gonzalez, & nonnulli etiam Theologi, quomodo iuſpatronatus ad alios transferri poſſit? & an ſit vendibile? Tres autem modos agnoſcunt quibus iuſpatronatus ab uno ad alios transferri poſſit: nempe iure hereditario, donatione, & cum re vendita. Transfertur iure hereditario non ſolum ad heredes neceſſarios; ſed etiam ad voluntarios, quamvis non ſint conſanguinei. Ius enim abſolute loquitur: *& ubi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* Ita Palaus & a Turre. Per donationem liberalem etiam transferri poteſt. *Cap.* Cura *de iurepatron. in* 6. Et hoc propria auctoritate, etiam nullo Epiſcopi præcedente conſenſu: & quidem, ſi translatio fiat in locum religioſum, ut habetur expreſſe *cap. unic. de iurepatron in* 6. Sed ſi etiam aliis ideſt laicis facienda eſſet talis donatio; valida eſſet ſine Epiſcopi licentia: ut reſolvunt Salmanticenſes cum Suarez, Silveſtro, Palao, & Turre. Item transferri poteſt iuſpatronatus in alium cum re vendita cui affixum eſt illud ius (& hoc docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* c. *art.* 4. *ad* 3.) ſive transferatur per venditionem rei cui affigitur, ſive per eiuſdem rei donationem: eo quod acceſſorium ſequatur ſuum principale cui adhæret; ſicut in hoc caſu ſe habet iuſpatronatus reſpectu rei venditæ vel donatæ, quæ eſt principale cui tale ius adhæret. Extra hos tres modos nullo alio transferri poteſt iuſpatronatus: quia hæc poteſtas transferendi iuſpatronatus non convenit ex natura rei. Nam in hiſce rebus non eſt alia natura, niſi quam ius canonicum eis præſcribit: & ideo ius canonicum præcipit ut privata auctoritate non transferatur, niſi tribus allegatis modis ab Eccleſia præſcriptis. Sic Abbas in *cap.* Quanta *de conſued.* Suarez, Palaus, Turre. Unde tale ius nullatenus eſt vendibile per ſe ſolum & ut principale: & non ſolum ex iure eccleſiaſtico; ſed etiam, iuxta probabilem, ex iure divino. Barboſa *Part. III. de poteſt. Epiſc. alleg.* 71. Azorius, aliique.

Patronorum honores & onera.

Ille autem qui ſibi acquiſivit ſua beneficentia iuſpatronatus in aliqua Eccleſia, ſimul ſibi acquiſivit primo ius honoris, ut habeat honorem & poteſtatem ad præſentandum clericum ad beneficium vacans. Aliquando patronus ius non habet ut præſentet, ſed tantum ut aſſenſus eius poſtuletur: ut cum in Eccleſia conventuali patronum habente eligendus eſt ſuperior. *Cap.* xxv. *de iurepatron.* Secundo, habet primum locum in ſedendo in Eccleſia, in choro, in proceſſionibus, etiam ante ipſos Toparchas: & denique dum exhibentur communia obſequia, debet aliis præferri, dando ei primo oſculum pacis, candelas, ramos benedictos, & illum ante alios thurificando. Honores prædicti patrono etiam honorario reddendi ſunt; ſi nempe ſuum ius præſentandi in aliquam Eccleſiam tranſtulerit. Tertio, habet onus & obligationem protegendi tum Eccleſiam, tum eius iura & bona. Ob hoc ius defenſionis fundatores vocati ſunt etiam advocati, patroni, & defenſores: & tale ius competebat etiam eorum heredibus. Sed hoc officium advocati & defenſoris delatum eſt etiam ad alios: & puto pro Eccleſiis quæ non habebant præcipuum patronum laicum earum fundatorem. Immo hoc officium quod initio dabatur ſcholaſticis ſeu cauſidicis, tandem collatum eſt perſonis nobilibus & potentioribus. Et huius advocati adhuc ſuperſunt in aliqua Eccleſia reliquiæ. Primi ſeu cauſidici patrocinabantur Eccleſias in cauſſis civilibus; ſecundi vero defendebant Eccleſias contra oppreſſiones. Van-Eſpen. Inſuper invigilare debent patroni circa celebrationem divini officii: ſicuti etiam admonere Sacerdotes qui iuxta intentionem fundatoris bona ab ipſo Eccleſiæ relicta rite non adminiſtrant; ac eos Epiſcopo vel iudici corrigendos deferre, ſi honeſtam admonitionem ſpernant. Quarto, habet

bet emolumentum: quod ſi ad ſummam egeſtatem devenerit, & Eccleſiæ bona, detractis impenſis neceſſariis, ſuperſint; teneatur Eccleſia non tantum ex caritate, ſed ex iuſtitia illi ſuppeditare neceſſaria abundantius quam aliis indigentibus. Hæc autem ſubventio patrono debetur ipſo fundationis vel dotationis titulo. Unde ius ad Eccleſiam recurrendi ei primo competit, tametſi ſuo præſentandi iuri renuntiaverit: ſecundo, tametſi in fundatione nihil ſibi fundator reſervaverit circa temporalia. Etenim poteſt fundator de conſenſu Epiſcopi moderatos quoſdam reditus ſibi vel alio tertio reſervare in actu fundationis: ut ex *cap.* XXIII. *de iurepatron.* & *cap.* XVI. *de cenſib.*

Succeſſor patroni mutare nequit naturam ſeu conditiones beneficii; quia voluntas defuncti modis omnibus conſervari debet: immo ne fundator quidem ipſe, ſi perfecta ſit fundatio, quidquam in deterius murare poteſt. Poteſt tamen vel ipſe vel eius ſucceſſor novas apponere conditiones, quæ Eccleſiæ utiles ſint: modo accedat Epiſcopi conſenſus. Ita Panormitanus. Ab Epiſcopo pariter nulla fieri poteſt notabilis mutatio, ſi fundatoris diſpoſitio certa ſit & rationabilis. Mutatio vero levis, ut quod ſemel aut iterum alibi quam in loco fundationis Miſſa celebretur, ab Epiſcopo aut patrono fieri poteſt. Si fundatoris intentio dubia ſit; eius interpretatio ad Epiſcopum loci pertinet. Si diſpoſitio rationi & Eccleſiæ legibus non congruat; poteſt & debet Epiſcopus ſe opponere, eamque, etiam renitentibus heredibus, reformare. Extra hoſce caſus, niſi magna urgeat neceſſitas, in qua etiam convenit ut conſenſus ſucceſſorum patroni requiratur, non eſt a beneficii conditione recedendum. Unde ſi petierit patronus ut e certa familia eligatur Capellanus; aliunde eligi non poteſt. Si ſolus hoc ſepulcro tumulari voluerit; nemo ibidem, etiam extincta eius familia, ſepeliri poterit: cum benefactor ita vivere voluerit in hominum memoria, eoſque ad fundendas pro ſe ſuiſque preces excitare. Tournely.

Iuſpatronatus finitur & exſpirat primo ceſſione. Et in hac non datur regreſſus, niſi beneficium ætatis reſtitutionem indulgeat, ait Paſtor *tit.* XX. *num* 15. Secundo, privatione ex delicto: ut ſi quis iuſpatronatus vendere præſumpſerit, vel bonorum ſuorum confiſcationem promeruerit. Tertio, præſcriptione.

§. XXXI.

De præſentatione ex iurepatronatus.

Iuſpatronatus eſt actio quæ conſiſtit, hodie præſertim, in præſentatione ſive iure præſentationis clerici ad Eccleſiam vacantem: & hoc apud omnes compertum eſt *ex cap.* 1. *de præbend. in* 6. Unde iuſpatronatus eſt ius præſentandi rectorem Eccleſiæ: ita ut iuſpatronatus & ius præſentandi tamquam ſynonima accipiuntur a Pontifice. Revera tamen iuſpatronatus & ius præſentandi diſtinguuntur: cum certum ſit, patrono vi iuriſpatronatus plura iura præter ius præſentationis competere, ut ſupra notavimus. Immo poteſt patronus iura habere honorificalia patronis competentia, & non ius præſentationis: ut quando huic renuntiavit, retento nihilominus iurepatronatus.

Olim cum collatio ſeu inſtitutio beneficiorum ſeiuncta non eſſet ab Ordinatione, in qua clerici Eccleſiis adſcribi ſolebant; ac per eam adſcriptionem iidem ius accipiebant ſuſtentationis per communicationem proventuum eccleſiaſticorum, ſicut hodie per beneficiorum collationem ſeu inſtitutionem acquirunt: vigente tali diſciplina, patroni clericos Epiſcopo offerebant in Ordinatione, ſcilicet ut eos ordinaret in Presbyteros ſuorum Oratoriorum ſeu Eccleſiarum quarum patroni erant, eoſque per Ordinationem ſuis Eccleſiis adſcriberet. Nunc tamen, poſtquam ipſa beneficiorum collatio ſeiungi cœpit ab Ordinatione, non amplius per Ordinationem, ſed per tituli beneficialis collationem ſeu inſtitutionem Eccleſiis adſcribuntur. Unde patroni ſive fundatores non ordinandos, ſed in beneficiis vacantibus inſtituendos Epiſcopo offerunt: quæ oblatio vocari ſolet præſentatio, quaſi ipſi patroni ſeu fundatores ſollicitam curam Eccleſiarum a ſe vel a maioribus fundatarum habentes Epiſcopo offerant ſeu præſentent qui in harum Eccleſiarum miniſtros aſſumi poſſunt.

Cum autem ex fundatorum & patronorum præſentatione præcipue Eccleſiarum proviſio pendeat, iampridem legimus admonitos fuiſſe patronos ut tempeſtive idoneos clericos præſentarent, ne ob diuturniorem vacationem Eccleſiis diſpendium inferatur. Et quidquid ſit, num antiquitus præfixum eis fuerit aliquod tempus: certum eſt, ut magis ſollicitarentur ad præſentationem, in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. tempus trium menſium præſcriptum fuiſſe, (De tem. pore præſentationi præfixo)

P 2 quo

quo elapſo, ſtatuit ut ordinet Epiſcopus Eccleſiam, ſicuti viderit melius ſecundum Deum ordinandam. Et hic canon loquitur de iurepatronatus laicali, ut ex canonis contextu; cum loquatur de fundatoribus eorumſque heredibus. Verum quia in nonnullis editionibus huius canonis pro *tres menſes* legatur *quatuor menſes*, uti in nota marginali ad hunc canonem in collatione Conciliorum generalium indicatur: ſic etiam a nonnullis dari cœpit ſpatium quatuor menſium, præſertim poſtquam hæc lectio recepta eſt in decretalibus Gregorii IX. nimirum in *cap.* III. *de iurepatron.* Cum autem idem Concilium Lateranenſe definiſſet tempus ſex menſium ad beneficiorum collationem (ut *cap.* Non vacantis *de conceſſ. præbend.*) cœptum eſt extendi hoc tempus ad præſentationem patronorum ad Eccleſias vacantes, & nominatim ab ipſo Alexandro III. *cap.* XXII. *de iurepatron.* Et licet ex textu non appareat de quo patrono loquatur, eccleſiaſtico ne, an vero laico: nihilominus tamen decretalium interpretes, ut hanc decretalem conciliarent cum *cit. cap.* III. quo quatuor dumtaxat menſes conceduntur, cœperunt hanc decretalem interpretari de iurepatronatus eccleſiaſtico, & dictum caput tertium de laico; & ita a doctoribus recipi cœpit diſtinctio antea ignota iuriſpatronatus eccleſiaſtici & laici, quæ tandem probata fuit a Bonifacio VIII. in *cap. unic. de iurepatron. in 6.* ubi ſimul declarat ſummus Pontifex, quod ſemeſtre competat etiam Eccleſiæ vel Monaſterio cui a laico iuriſpatronatus collatio facta eſt.

Tempus autem præſentationi præfixum collatoribus non currit niſi a die notitiæ, ſeu ab eo tempore quo probabiliter cognoſcere potuerunt vacare beneficia. Non enim omnino neceſſaria eſt certa & vera ſcientia patroni; ſed tantum interpretativa, ut morali quodam modo loquendi ſcire potuerit & debuerit vacare beneficium: puta ſi mors beneficiarii publice nota ſit in loco vel in Eccleſia vacantis beneficii, ubi palam ſepultus fuerit.

Differentia porro inter patronatum eccleſiaſticum & laicum non tantum inducta eſt quoad terminum temporis ad præſentandum; ſed inſuper ex communi doctorum interpretatione invaluit, quod laicus intra tempus a iure definitum poſſit ſucceſſive plures præſentare, committendo Epiſcopi iudicio, ut quem maluerit ex præſentatis eligat & inſtituat, adeoque a priore præſentatione recedere non debeat. Hinc hæc facultas patroni laici plures intra ſtatutum tempus præſentandi, ideſt variandi præſentationem, a Canoniſtis appellari ſolet accumulativa, qua præſentati multiplicantur, abſque eo quod nemo a patrono excludatur; ſed relinquuntur Epiſcopi arbitrio, ut quem maluerit ex illis inſtituat. Unde in hoc etiam differt iuſpatronatus laicale ab eccleſiaſtico, quod eccleſiaſtico non concedatur illa variatio ſeu plurium præſentatio intra tempus tali patrono præfixum: ſed unum tantum hic poteſt præſentare; & ſi de facto plures ſucceſſive præſentaverit, prior omnino præferendus eſt. Quare recepta eſt vulgaris diſtinctio: patronus laicus poteſt intra ſtatutum tempus variare; ſecus vero eccleſiaſticus. Et hoc nunc apud omnes doctores communiter probatum eſt. Tametſi enim expreſſo iuris textu non ſit inductum; habuit tamen ſuam originem ex decretali Lucii III in *cap.* XXIV. *de iurepatron.* Nam quæſtioni de pluribus a patrono ſucceſſive præſentatis reſpondit: *Iudicio Epiſcopi credimus relinquendum, ſi laicus fuerit cui ius competat præſentandi.* Verum ſi Collegium vel eccleſiaſtica perſona præſentationem haberent; *qui prior eſt tempore, eſt potior in iure.* Variatio vero quæ laico conceditur, intelligitur, donec res integra ſit, ideſt nondum Epiſcopus aliquem inſtituerit: quia ſi iam collationem inſtitutionemque feciſſet; non amplius habet locum variatio. Ex hoc enim arguunt Canoniſtæ, præſentationem patroni laici, tametſi prima ad aures Epiſcopi, nullum ius tribuere præſentato; cum laici nihil iuris ad beneficium conferre queant: quod contra dat præſentatio patroni eccleſiaſtici, utpote quæ ſe habeat veluti collatio ſeu electio quæ per ſecundam præſentationem auferri nequeat. Et hanc conditionem videtur indicare Gloſſa ad *cap.* XXIV. *de iurepatron.* Idcirco clericalis variatio eſt interdicta: quia illorum præſentatio vicem habet electionis.

Nec huic doctrinæ officit dictum Canoniſtarum, nimirum etiam præſentationem laicalem dare ius ad rem: quia id procedit reſpectu Epiſcopi, qui laici præſentationem admittere tenetur. Hinc factum fuit ut canones circa ſæculum XI. & XII. urgerent ut præſentati non audeant ſe beneficiis ingerere, niſi prius ab Epiſcopo inſtitutionem receperint. Licet aliqui Canoniſtæ putent, patronum laicum ſemel tantum intra tempus ipſi præfixum variare poſſe; verior tamen videtur opinio illorum qui contrarium tenent, quando agatur de variatione accumu-

Digitized by Google

mulativa, ex qua nullum præiudicium inſertur Epiſcopo ordinario beneficiorum collatori: immo econtra quo plures præſentantur, tanto amplior datur Epiſcopo eligendi libertas.

Ex hac differentia alia invaluit, quod ſi eccleſiaſticus clericum ineptum quem talem cognoverit, præſentaverit, pro hac vice ius ſuum præſentandi amittat: ita ut Ordinarius pleno iure vacantem Eccleſiam conferre poteſt. Si vero laicus indignum præſentaverit, ne pro ea vice quidem iure ſuo privatur, ſed alium adhuc præſentare poteſt: ut communiter doctores ad *cap.* XV. *de iurepatron.* quod probat *ibid.* Fagnanus, etiamſi ſcienter indignum præſentaverit.

Si patronus laicus intra quadrimeſtre, & eccleſiaſticus intra ſemeſtre non præſentaverint; inſtitutio tunc ad Epiſcopum ſpectat, non ex iure tantum devoluto ob negligentiam patroni, ſed ex iure ordinario, ideſt vigore iuris primitivi collatoris, quod ſemper penes Epiſcopum remanſit, & impeditur a iure inducto patronatus. Et ex tali fundamento receptum eſt, collationem ordinarii collatoris validam eſſe, tametſi factam ante exſpirationem temporis patronis conceſſi ad præſentationem; eamque validam ex tunc remanere, ſi patronus tacite vel expreſſe nullum præſentet, aut invalide præſentet, conſentiat, aut ſe non opponat. Secus vero dicendum, ſi Archiepiſcopus & Pontifex contulerit titulo iuris devoluti, dum tempus devolutionis nondum ſit elapſum; tametſi poſtmodum fiat locus devolutioni: quia cum Archiepiſcopo & Pontifici nullum ius competat, niſi iure devoluto per lapſum temporis; ante temporis præfixi conſummationem anticipata eorum collatio non convaleſcit, nec fit valida. Hæc ſententia præcipue ſuſtinetur a Gallis & Belgis, cum per ipſos Pontifici in beneficiis iurispatronatus aliud ius non competat in illis providendi, niſi iure devoluto; non ſecus ordinario: quod ſecundum ius ex praxi primæva non recognoſcunt niſi in Epiſcopo, quem ſolum volunt eſſe ordinarium beneficiorum ſuæ diœceſeos collatorem. Hactenus Van-Eſpen.

Præſen. tatio quo modo facienda. Præſentare dicitur patronus, quando clericum Epiſcopo aut alteri ius habenti inſtituendi exhibet inſtituendum ſive ordinandum; vel dum eum deducit ad diœceſanum Epiſcopum, ut dicitur in *Novell.* XVII. Non eſt tamen neceſſe ut patronus perſonaliter accedat ad Ordinarium, eique clericum per ſe ipſum præſentet ſeu offerat; ſed poteſt ipſi clerico litteras per ſe ipſum deferendas ad Ordinarium tradere. *Cap.* VI. *de iis quæ fiunt a Prælat.* Immo hodie approbata eſt & recepta conſuetudo præſentandi per litteras, ut nulla niſi per litteras admitti ſoleat. Litteræ tamen præſentationis non ſecus ac litteræ collationis in forma authentica expediuntur. Ut tamen præſentatio perfecta ſit, ſuumque habeat effectum, non ſufficit litteras præſentationis eſſe legitime expeditas & acceptatas, ſed requiritur ut præſentatio facta ſit a præſentante, & realiter exhibita ſuperiori; in cuius abſentia ſatis eſt ut præſentatio fiat per inſtrumentum quod præſentatus intra quatuor menſes deferat ad eumdem ſuperiorem, ipſumque coram eo præſentet. Quamdiu vero litteræ præſentationis ſuperiori non ſint exhibitæ; adhuc præſentatio eſt informis, & poſſunt patroni, tam laicus, quam eccleſiaſticus, variare non ſolum accumulando ſecundam præſentationem priori, ſed in toto a prima recedendo, ut communiter Canoniſtæ ad *cap.* XXV. *de iurepatron.* Quinimmo poteſt patronus eccleſiaſticus a Papa præveniri, quando præſentatio ad aures Epiſcopi non pervenerit, licet expeditæ ſint litteræ præſentationis: quia & præſentato traditæ ut eas mox Ordinario exhiberet; ac is illas tradere neglexerit. Tunc enim ſequitur, quod ob defectum exhibendi litteras, tametſi expeditas intra præfinitum tempus, quia nulla tunc extat realis præſentatio, elapſo termino dato ad præſentandum, poſſit Ordinarius libere cui maluerit beneficium conferre.

Si plures ſint patroni, ipſique collegium aut corpus aliquod conſtituant, ipſumque iuſpatronatus corpori ſive ipſis tamquam corpus conſtituentibus competat: tunc præſentatio collegialiter fieri debet; neque valeret extra collegium facta, licet eam ſinguli de collegio approbarent. Quod enim ſinguli extra collegium faciunt, dici nequit a collegio ſeu corpore factum. Et revera dum præſentatio ad plures ut collegium ſeu corpus ſpectat, præcedit præſentationem faciendam Ordinario quædam ſpecies electionis perſonæ præſentandæ, in qua electione ea quæ in electione collativa canones obſervari præcipiunt, fere obſervanda ſunt: nempe quod omnes convocandi ſint, quod unus neglectus irritam præſentationem reddere poſſit, eo quod neglectus ſit, ut ſupra.

Quod ſi iuſpatronatus competat pluribus diviſim, ſive ſingulis; tunc ſeparatim præſentare poſſunt, nec requiritur quod con-

ſenſus ipſorum eodem tempore præſtetur: immo nonnunquam per diverſa inſtrumenta ſeparatim præſentationem facere poſſunt, aut per idem inſtrumentum, ſed diverſo tempore a ſingulis ſignatum.

Quid ſi Patroni diſſentiant.

Si autem contingat ut de perſona præſentanda inter patronos non conveniat, ad vitanda incommoda quæ ex hac diviſione oriri poſſunt, permittitur in *Clement.* II. *de iurepatron.* ut plures ad vacantem Eccleſiam poſſint eo modo præſentare perſonas, quarum una per Epiſcopum eligi valeat & admitti. Et id quidem, ſi a ſingulis perſonis unus præſentetur. Quod ſi ad plures quam duos præſentatio ſpectet; tunc qui a pluribus præſentatur, ceteris præferendus erit iuxta decretum Concilii Lateranenſis in *cap.* III. *de iurepatron.* Non enim ſecus quam in electione hic quoque ex maiore ſuffragiorum parte concludi debet. Si autem ſinguli patroni iure ſuo uti volentes præſentent plurimos, nec ille qui maioribus meritis & pluribus ſuffragiis iuvatur, ſine ſcandalo ab Epiſcopo inſtitui valeat; tunc vult Concilium Lateranenſe ut ordinet Antiſtes Eccleſiam, ſicuti melius ſecundum Deum viderit ordinandam.

Quid ſi lis inter ipſos moveatur.

Quando autem contingat controverſiam inter plures moveri, cui iuſpatronatus competat, & ob eam controverſiam diutius Eccleſiæ proviſio differatur: Alexander III. Epiſcopo Lingonenſi reſpondit in *cap.* XII. *de iurepatron.* fas eſſe Epiſcopo, appellatione remota, in eadem Eccleſia perſonam inſtituère. Et licet hic nullum tempus definiat intra quod lis ſit terminanda, & quamdiu expectandum ſit, antequam Epiſcopus ſuo iure perſonam idoneam inſtituere valeat; ſtandum tamen eſt decreto Concilii Lateranenſis ſub eodem Pontifice celebrati, in quo præſcripti ſunt quatuor menſes, intra quos lis terminanda ſit. Et ſecundum hoc decretum in ſimili caſu Innocentius III. reſpondit Epiſcopo Conventienſi: ne ſcilicet, elapſis quatuor menſibus, ulterius differat Eccleſiam de perſona idonea ordinare. Unde concludunt hic Canoniſtæ, tempus præſcriptum ad præſentandum currere, etiam lite pendente. Nec tunc obſtat communis regula iuris: *Contra non valentem agere, non currit præſcriptio*: ut in hoc caſu in quo patronus non potuit præſentare. Hoc enim ſpecialiter in favorem Eccleſiarum introductum eſt, ne ob diſſidia patronorum diutius vacarent: ut Innocentius III. in ſua decretali *cap.* XXVII. ubi Pontifex ait: *Cum propter diſcordias laicorum non debeat Eccleſiis præiudicium generari*. Decretum vero Concilii Lateranenſis locum non habet, ſi controverſia ſit Epiſcopum inter & patronum: ut ſi prætendat Epiſcopus clericum ſibi præſentatum ex cauſſa non eſſe admittendum; aut Eccleſiam non eſſe iuriſpatronatus, ſed ad ſe pleno iure ſpectare. Nam ſi in hiſce caſibus ob litem pendentem privaretur patronus iure præſentandi; ius præſentationis, lites huiuſmodi ſuſcitando & protendendo, ſemper quodammodo caderet in manus Ordinariorum.

Inſuper ſi lis vertatur inter duos patronos, ſed alter eſſet in quaſi poſſeſſione præſentandi; hic certe præſentare poterit: unde & tunc quæſtio ceſſat, ut monet Hoſtienſis ad *cap.* III. *de iur. præſentat.* Quare ut obtineatur decretum Concilii Lateranenſis, ſupponi debet, neminem ex contendentibus eſſe in poſſeſſione.

Denique ſi ſufficienter conſtet, Eccleſiam eſſe iuriſpatronatus, & quæſtio dumtaxat ſit, utri ex duobus ius præſentandi competat: ſi uterque, ſalvo ſuo iure, in eamdem perſonam conſentiat; inſtitutio neganda non erit, ut iam ſuppoſuiſſe videtur Synodus Oxonienſis anno MCCXXII. *can.* V. ſtatuens ut ſi, lite pendente, nullus poſt quatuor menſes fuit præſentatus, ne præiudicium ulli per ex patronis contendentibus inferatur, Epiſcopus pro hac vice nulli Eccleſiam conferat.

Ceterum cum lites de iurepatronatus nunc ut plurimum iudicentur a tribunali regio; hinc non ita facile habet locum citatum decretum Concilii Lateranenſis de inſtitutione facienda ab Epiſcopo poſt quatuor menſes, iuxta Principum œconomiam: ne ulli ex patronis ius ſuum præiudicetur; ſicuti fieret, ſi exequeretur illud dicti Concilii decretum. Van-Eſpen.

§. XXXII.

De beneficiis canonice conferendis.

Cum eccleſiaſtica beneficia canonice conferenda ſint: advertendum eſt, collationem ſeu proviſionem canonicam dici ac eſſe eam quæ fit ſecundum præſcriptum ſacrorum canonum, hoc eſt ſine vitio tum conferentis (quocumque modo ad collationem concurrat: ſive per liberam collationem, ſive per præſentationem ex iurepatronatus, ſive per electionem) tum recipientis, tum formæ conferendi: ita ut ſi alio modo fiat, aliquando invalida, aliquando illicita ſit collatio. Sic communiter Canoni-

noniſtæ iuxta regulam 1. iuris in 6. *Beneficium eccleſiaſticum non poteſt ſine inſtitutione canonica licite obtineri*: & Regulam LXIV. eiuſdem iuris in 6. *Quæ contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Unde in quacumque collatione ſeu proviſione beneficiorum ſervanda eſt forma a iure communi, vel legitima conſuetudine, aut particulari ſtatuto vel fundatione præſcripta: aliter collatio nulla erit; cum forma det eſſe rei. *l.* Iulianus §. Si quis rem ff. *ad exhibendum*. Et, forma non ſervata, corruit actus. *Cap.* Quia propter XLII. §. Aliter *de elect.*

Ut igitur valida ſit collatio ſeu proviſio eccleſiaſtici beneficii reſpectu tum collatoris, tum patroni, tum electoris, fieri debet primo gratis, ſine ullo pretio ſeu contractu oneroſo. Secundo, ſine ullo pacto, conditione, aut privata partium conventione: alias eſſet ſimoniaca labe infecta, ac ideo ipſo iure nulla, ex *cap.* Si quis detur, *cap.* Quæſitum, *cap.* Quam pio 1. *q.* II. Tertio, libere, ideſt ſine ulla coactione: alias erit nulla. Quarto, ut collatio beneficii non ſit obtenta ſubreptitie, aut obreptitie, hoc eſt per expreſſionem falſitatis, aut ſuppreſſionem veritatis de iure exprimendæ: aliter non teneret collatio, nulliuſque eſſet momenti. *Cap.* Cum adeo XVII. *cap.* Ad audientiam XXXI. *de reſcript.* Quinto, quod fiat palam, hoc eſt coram teſtibus fide dignis, quibus probari poſſit proviſio, ne lites oriantur. Licet tamen occulta proviſio in foro conſcientiæ ſit valida, cum conſtet de mente conferentis; in foro tamen exteriore fieri debet palam, maxime in proviſione Pontificis, ut poſſeſſio accipiatur: alias ſine litteris plumbatis nulla erit, iuxta textum *cap.* Iniunctæ *extra. de elect.* Sexto, quod provideatur ſine diminutione, ut in *cap.* Maioribus *de elect.* Hinc nulla eſt, ſi Epiſcopus ex beneficio aliquid ſibi, vel cognatis, aut aliis reſervet. Septimo, ut proviſio ſit perpetua, ideſt non ad determinatum tempus; cum perpetuitas ſit de eſſentia beneficii, ut ex *cap.* Præcepta *diſt.* LV. & *cap.* Satis perverſum *diſt.* LVI. Octavo, quod ſit certa, & non ſub dubio aut diſtinctione, ex *cap.* II. *de elect. in 6.* Et idem eſt, ſi idem beneficium duobus conferatur (*cap.* Tuæ fraternitatis, *cap.* Dilectus *de præbend.*) quia duo in eodem beneficio non ſolum ius in re habere nequeunt, ſed nec unus ius in re, & alius ad rem habere permittitur.

§. XXXIII.

De forma conferendi beneficia.

Ad legitimam beneficii eccleſiaſtici conſecutionem, præter prædictos modos quibus conferuntur, & conditiones a ſacris canonibus ſtatutas ad canonicam electionem, ea forma quoque tenenda eſt quam iidem canones præſcripſere in beneficiorum proviſione. Porro quia diverſi generis ſunt beneficia (curata ſcilicet, quibus cura adnexa eſt animarum: & non curata, quæ animarum curam non habent, ac proinde non tantam exigunt ſollicitudinem in eorum proviſione, & ſic non eamdem formam) ut ſuo ordine procedatur, ſeorſim de ſingulis eſt agendum.

§. XXXIV.

De requiſitis ad formam proviſionis Eccleſiarum curatarum ſeu parochialium.

Beneficia, ut ſæpius dictum eſt, alia ſunt quæ adnexam habent animarum curam, & dicuntur parochialia; alia libera ab hoc munere, & lato modo omnia dicuntur ſimplicia: tametſi, rigoroſe loquendo, aliqua ita vocari nequeant, ut dignitates, quæ Canoniſtis potius placuit appellare duplicia. Cum beneficiorum curatorum collatio magni ſit momenti; hinc viſum eſt Concilio Tridentino ut eorum proviſio fieret cum examine per concurſum. Et cum hoc tam cito fieri nequeat, ne in tali vacatione Eccleſiam & illius populum damnum ſpirituale pati contingat, ſtatutum eſt ab eodem Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. *de reform.* ut ſtatim ac ad aures Epiſcopi perveniat, Eccleſiam aliquam parochialem orbatam eſſe ſuo Paſtore, ſive per eius mortem, ſive per voluntariam reſignationem, idoneum ſtatuere debeat Vicarium cum congrua fructuum portione pro arbitrio deſignanda, niſi lege vel conſuetudine ſit iam ſtatuta; donec vacans Eccleſia de novo Paſtore provideatur. Interim vero Epiſcopus, ſi beneficium liberæ ſit collationis vel iurispatronatus eccleſiaſtici, intra decem dies vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum debet indicere examen per concurſum, ideſt per edictum publicum eos vocare qui examinari volunt: & tranſacto illo tempore deſignato, qui deſcripti ſunt, examinandi ſunt coram ipſo Epiſcopo, ſive eo impedito, coram eius Vicario, a tribus ſaltem Examinatoribus ſynodalibus electis in ultima

Hæc proviſio facienda cum examine per concurſum.

P 4 Syno-

Digitized by Google

Synodo, vel ſi in aliis electi, ſaltem in extrema confirmati; aliter concurſus erit nullus, ut cenſuit in huiuſmodi caſu ſacra Congregatio Concilii die XIII. Iulii anno MDCXXX. Sic etiam iuxta eamdem ſacram Congregationem in altera ſua reſolutione XV. Decembris anni MDCXXV. nullus eſt concurſus, in quo cum Examinatoribus ſynodalibus alter interveniat qui non ſit Examinator ſynodalis. Item nullus eſt, ſi Examinatores ſynodales non præſtarint iuramentum iuxta præſcriptum Concilii Tridentini *in cit. cap.* XVIII. ubi ſtatuit ut omnes Examinatores vocati pro examine iurare debeant per ſancta Dei Evangelia ſe, quacumque humana affectione poſtpoſita, munus ſuum executuros: & cavere debent ne quidquam prorſus, ſive antea, ſive poſt examen, eius occaſione accipiant. Examine peracto, renuntientur quotcumque ab ipſis iudicati fuerint idonei ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis requiſitis ad gubernandam vacantem Eccleſiam opportunis, ex quibus Epiſcopus eum eligat quem ceteris magis idoneum iudicaverit, atque illi, non alteri Eccleſiæ collatio ab eo fiat ad quem ſpectabit, eam conferre. Si autem, tranſacto tempore aſſignato pro examine per concurſum, nullus ex adſcriptis concurrentibus inveniatur idoneus, aut nullus ſe examini præſentaverit; tunc Epiſcopus ſine novo concurſu quærere poterit idoneum miniſtrum, eique parochialem Eccleſiam conferre: quia in tali caſu ſi obligaretur aliud edictum publicare, donec adſcriberetur idoneus; hoc eſſet procedere in infinitum cum gravi Eccleſiæ detrimento, quæ ita remaneret diu viduata Paſtore. Et ab ipſo Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XIX. expreſſis verbis hoc remedium Epiſcopo conceditur. Si autem poſt decem dies deſignatos unus tantum compareat & adſcribatur, & idoneus per examen repertus fuerit; non tenetur Epiſcopus per alios decem dies decretum prorogare, ſed poterit ei ſtatim beneficium conferre. Ita definivit ſacra Congregatio Concilii, ut refert Garzia citatus hic a Salmanticenſibus.

Per viam concurſus conferri debent beneficia curata etiam iuriſpatronatus eccleſiaſtici. Immo ſi beneficium curatum iuriſpatronatus eccleſiaſtici in menſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis vacaret, Epiſcopus ipſe, nulla habita ratione patronorum, debet edicta concurſus proponere, idoneum eligere, ac Romam mittere cum fide ipſius Ordinarii a ſummo Pontifice inſtituendum, ſicuti fit in aliis curatis quæ non ſunt de iurepatronatus. Sic referunt deciſum fuiſſe a ſacra Congregatione Concilii Gonzalez, Gloſſa, Riccius *reſol.* 351. *num.* 6. ubi addit, tunc ad concurſum admittendos eſſe & nominatos a patronis, & alios ab ipſis non nominatos. Et ita cenſuit ſacra Congregatio in *Florent. Paroch.* anno MDXCIX. quam declarationem ſecuta eſt Rota in dicta *Florent.* anno eodem XXVIII. Martii coram Iuſto, necnon *Part. II. recent. deciſ.* 458. *num.* 1. coram Sacrato x. Decembris anno MDCXII. in qua deciſione dicitur, quod diſpoſitio Concilii de habendo concurſu procedit nedum in Rectoriis de iurepatronatus eccleſiaſtico; verum etiam in Vicariis perpetuis, ut per eamdem Congregationem fuit reſolutum. Intellige tamen, concurſum requiri in Vicaria perpetua, quando in Vicarium tranſlata eſt totalis cura. Tunc autem totalis cura tranſlata eſt in Vicarium, quando certa congrua ſeu portio aſſignata eſt Rectori Eccleſiæ, ceteris fructibus remanentibus apud Vicarium: & econtra, ubi certa portio ſeu congrua aſſignatur Vicario, cura beneficii uniti dicitur tranſlata in Rectorem Eccleſiæ cui fit unio, & ſolum nudum exercitium remanet penes Vicarium. Ita Rota in *Deturſen. Vicar.* VIII. Novembris MDCXVI. coram Ubaldo.

Beneficium etiam iuriſpatronatus laicalis confertur per concurſum inter plures præſentatos, ſi ipſi præſentati habeant æquales voces: & tunc ex ipſis ſolum præſentatis qui in examine idonei ab Examinatoribus renuntiati fuere, Epiſcopus eum eliget quem ceteris magis idoneum iudicaverit, atque illum, & non alium, debet inſtituere. Ita Rota in *Pampilone Paroch.* XXVIII. Ianuarii anno MDCXIV. coram Coccino Decano. Immo ipſa Parochialia beneficia iuriſpatronatus laicalis quæ ob negligentiam patronorum intra præfixum tempus devoluta ſunt ad ius epiſcopale, conferenda ſunt per concurſum: ut deciſum fuit a ſacra Congregatione Concilii XX. Novembris anni MDC. Præbenda quoque theologalis & Canonici pœnitentialis in Cathedralibus conferri debet per concurſum, ex noviſſima diſpoſitione Benedicti XIII. Conſtitutione incipiente *Paſtoralis*, edita XIV. Chalendas Iulii anno MDCCXXV.

Conferuntur vero ſine concurſu primo Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarum ſeu incorporatarum aliis Eccleſiis, Monaſteriis, beneficiis, Collegiis, vel locis piis in quibus non proprie Parochus, ſed Vica- Quænam conferantur abſque concurſu.

rius

Digitized by Google

rius ponendus eſt, qui non habet niſi ſolum exercitium curæ. Hæ enim conferuntur ſolum ad nominationem ſeu præſentationem illorum quorum Eccleſiæ, Monaſterio, Collegio, vel loco pio Parochialis unita eſt: ita ut, prævio ordinario examine, Vicarii inſtituendi ſunt. Sic expreſſe ſtatuit S. Pius V. in Conſtitutione xlvii. quæ incipit *Ad exequendum*. Et ratio eſt manifeſta: nempe quod propter unionem perpetuo factam Eccleſia parochialis cenſetur acceſſoria alteri, Eccleſiæ Collegio, Monaſterio, loco pio (ex *cap.* Extirpandæ xxx. §. Qui vero *de præbend.*) atque per ſe cenſetur numquam vacare (iuxta *Clement. unic.* §. Quidam etiam Eccleſias *de exceſſ. Prælat.*) aſſumitque naturam, conſuetudinem, & privilegia principalis cui eſt adnexa (Gloſſa *cap. unic.* Ne Sede vacante v. *Uniendo*) ac ideo attenditur qualitas & natura beneficii principalis, non acceſſorii. *Cap.* Per litteras iii. *de præbend.* & iuxta regulam xlii. iuris in 6. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*. Quare Concilii Tridentini decretum quod exquirit concurſum in providendis Eccleſiis parochialibus, locum non habet in Vicariis ſeu Eccleſiis perpetuo & acceſſorie unitis alteri Eccleſiæ, Monaſteriis, Collegiis, aliiſque piis locis ubi Vicarii ſeu Parochi habent ſolum exercitium. Rota *Part. II. recent. deciſ.* 59. *num.* 2. & alibi. Secundo, confertur ſine concurſu Parochialis unita ſeu adnexa dignitati ſeu Canonicatui Eccleſiæ cathedralis ſeu collegiatæ. Rota *Part. II. deciſ.* 30. & 32. ubi dicit, ſic cenſuiſſe etiam ſacram Congregationem, & hanc ſententiam approbatam fuiſſe a ſummo Pontifice, ut Fagnanus *lib. I. decretal. in cap.* Cum ſit ars *num.* 19. Sufficit enim ſolum examen & approbatio Epiſcopi. Tertio, ſine concurſu confertur cura animarum quæ in Eccleſia collegiata exercetur per Canonicos vel Hebdomadarios (ut ex *cap* Statutum *de elect. in 6.*) quia in iſto caſu dicitur cura eſſe penes Collegium, & non penes ſingulos, aut quemcumque Canonicum per ſe, ita ut Canonicus dicatur curatus. Sic referunt Gonzalez, Gloſſa *num.* 158. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſ. alleg.* 60. *num.* 29. Quarto, beneficium curatum quod vere eſt dignitas: & deciſum eſt a ſacra Congregatione, ut refert Galet. *in Margar. caſ conſcient.* v. *Beneficium* & v. *Canon.* Quinto, Eccleſia parochialis, quando ſubiecta aut adnexa eſt Monaſterio, vel de eius menſa: tunc enim Monaſterium nominat Rectorem. Ita Rota in una *Tiraſ. iur. præſent.* coram Babulo xxv. Maii anno MDLXXXVIII. Sexto, beneficia regularia, quæ Regularibus conferri conſueverint. Sic deciſum fuit a ſacra Congregatione Concilii, ut referunt Gonzalez & Garzia. Septimo, dignitas Abbatiæ, licet ſit ei adnexa parochialis Eccleſia: dummodo hæc unio facta ſit auctoritate Apoſtolicæ Sedis perpetuo & acceſſorie. Sic decrevit ſacra Congregatio, uti habetur ex Garzia, Gonzalez, aliiſque. Octavo, Parochialis quam quis acquirit per regreſſum, & prius poſſedit: ut, referente citato Garzia, deciſum fuit a ſacra Congregatione Concilii. Nono, Parochialis reſignata ad favorem alicuius in manu Papæ: ut, teſte Gonzalez, deciſum fuit a ſacra Congregatione. Decimo, in permutationibus Eccleſiarum parochialium: dummodo tamen non habeatur magna illarum inæqualitas; aut permutantes non fuerint examinati eo tempore quo Parochiales adepti ſunt; aut permutatio ſit de beneficio ſimplici & curato. Licet enim tunc neceſſarius non ſit concurſus; eſt tamen neceſſarium examen: & utrumque deciſum refert Garzia a ſacra Congregatione. Undecimo, quando vel ob exiguos Eccleſiæ reditus, vel ob aliam rationem, nullus comparuit, vel ex comparentibus nullus vult ſe examini ſubiicere: quia, ut alias diximus, tranſacto aſſignato tempore pro concurſu, & nemine adhuc comparente, poteſt Epiſcopus ſine alio concurſu Parochialem conferre. Sic, teſte Barboſa & Garzia, deciſum fuit a ſacra Congregatione. Duodecimo, ſine concurſu conferuntur beneficia iuriſpatronatus laicalis, & mixti ex laicali & eccleſiaſtico, quod ſequitur, ut iam vidimus, conditionem ac privilegia mere laicalis: cum præcipiat Concilium Tridentinum *cit. cap.* xviii. ut inſtituatur ab Epiſcopo quem patronus præſentaverit, quando ab Examinatoribus ſynodalibus in examine quem ſubire debet, idoneus invenatur. Si tamen plures fuerint æquanimiter præſentati a patronis: tunc examen fieri debet per concurſum; ſed inter illos tantum. Idemque dicendum eſt, quando iure devoluto collatio beneficii iuriſpatronatus ad Epiſcopum attinet. Sic Gonzalez, Garzia, Riccius *in Prax. for. eccleſiaſt.* Tandem ſine concurſu conferuntur Eccleſiæ parochiales Monaſteriis ſubiectæ, vel de eorum menſa, tametſi per clericos ſæculares adminiſtrentur, ſeu ſolitæ ſint clericis ſæcularibus commendari.

Nota, non licere Epiſcopo auctoritate ordinaria ſibi aſſumere Examinatores non Synoda-

nodales, qui ſuppleant etiam in caſu quod non exiſtant Examinatores ſynodales numero ſufficientes ad concurſus faciendos, eo quod ob penuriam virorum habentium qualitates doctoratus ſimileſve, non potuerint in Synodo diœceſana eligi. Ne poteſt quidem in locum demortuorum Examinatorum ſynodalium alios ſubrogare uſque ad novam Synodum. Ita declaravit ſacra Congregatio Concilii in *Vationen.* XIII. Decembris anno MDCXXVII.

Proviſi tamen de Parochiali, non ſervata forma Concilii, eo quod ob varias difficultates non potuiſſet haberi Synodus, nec deputari Examinatores ſynodales, non removendi ſunt: ſed danda eſt Epiſcopo facultas deputandi Examinatores extra Synodum. Monendus tamen ut quanto citius Synodum congreget, eo meliore modo quo poteſt. Sacra Congregatio in *Trevìren.* XXVI. Maii anno MDCXXVII.

§. XXXV.

De requiſitis quoad formam collationis beneficiorum ſimplicium ſeu non curatorum.

Hactenus egimus de forma ſervanda in collatione Parochialium, ideſt beneficiorum curatorum. Supereſt nunc ut ſermo inſtituatur de collatione beneficiorum ſimplicium non curatorum, ſed proprie ſeu ſtricte ſimplicium. Verum cum forma ſervanda in proviſione dignitatum ac Canonicorum Eccleſiarum cathedralium iam antea expoſita ſit, ubi de beneficiorum collatione egimus; hic ſolum breviter explicandæ ſunt conditiones ſervandæ in beneficiis ſimplicibus, quæ profecto pauciores ſunt quam in beneficiis curatis. Etenim ad proviſionem proprie ſimplicium non requiritur citatio per edictum, nec concurſus; ſed tantum quod conſetenti innoteſcat, illum cui confert huiuſcemodi beneficium, eſſe idoneum: ut ex Gloſſa *cap.* Monaſterium XVI. *q.* V. & in *cap.* III. *de iurepatron.* v. *Qui maioribus*, & ibi Abbas *num.* II. Hæc vero intelligenda ſunt de beneficiis quæ ſunt de libera Epiſcopi electione. Quod ſi de illis ſint ad quæ patroni præſentant & nominant; nequeunt inſtitui aut admitti ab Epiſcopo, niſi prius examinentur: ut traditum eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ.* VII. *cap.* XIII. *de reform.* & *ſeſſ.* XXV. *cap.* IX. *de reform.* Quæ doctrina locum habet præcipue in præſentatis ab eccleſiaſticis perſonis. Hi enim, ſi inſtitutio pertineat ad inferiorem Epiſcopo, neceſſario ab Epiſcopo examinandi ſunt: quia in hiſce beneficiis examen requiritur pro forma in locis allegatis Concilii Tridentini, ut docent Garzia & Barboſa in *cit. cap.* XIII. eiuſdem Concilii. Notandum hic vero eſt, quod approbatio & examen aliud non requiritur, niſi quod ſufficiat ad Ordines recipiendos. Idcirco qui approbatus eſt ad Ordines, ſi beneficium exquirat pluſquam primam tonſuram, approbatus creditur ad beneficia ſimplicia: ut in *cap.* Accepimus *de ætat. & qualit. Ordinand.*

§. XXXVI.

De iis quibus beneficia eccleſiaſtica conferenda ſunt.

Cum beneficia eccleſiaſtica, ut iam vidimus, diverſimode conferantur; nempe aut per liberam collationem, aut per patroni præſentationem, aut per electorum nominationem, aut in beneficiis curatis non exceptis per concurſum ad iudicium Examinatorum: certum eſt, quod quicumque ad collationem eccleſiaſtici beneficii concurrunt (ſive libere conferendo, ſive præſentando, ſive eligendo, ſive in concurſibus parochialibus examinando) ut non ſolum valide, ſed licite conferant, ſerio attendere debent ut collatio fiat perſonæ quæ habeat requiſita a ſacris canonibus ad capacitatem eccleſiaſtici beneficii, de quibus infra. Verum præcipue animadvertere debent ut iuxta iuris præſcriptum idonea ſit ad munus quod beneficium exigit, rite & recte perſolvendum, & talem eccleſiaſticam proviſionem canonice participandam: ſcilicet ut Eccleſia ex illius ſervitio & animi dotibus utilitatem reportet & decorem, ut fert beneficiorum inſtitutio, in qua unice & principaliter intenditur utilitas Eccleſiæ & decus. Idcirco pro viribus curare tenentur ut nonniſi qui dignus ſit, in beneficio inſtituatur. Et hoc præcipue uberem differendi copiam in præſentiarum ſuppeditat. Suo autem loco de aliis requiſitis, ætate, qualitate, ac conditione, ſermonem habebimus. Beneficia quæcumque non conferenda niſi idoneis.

Et ſane communiter conveniunt doctores, beneficia eccleſiaſtica nonniſi dignis idoneiſque conferenda. Cum enim beneficium conferatur propter officium (ex *cap.* Quia per ambitioſam XV. *de reſcript. in 6.*) repugnat rectæ rationi, aſſumere perſonam ineptam & indignam ad officium ſpirituale, & conſequenter ad eccleſiaſticum beneficium. Hinc

Con-

Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxI. *cap.* xxI. cohærenter ad *cap.* Grave nimis xxIx. *de præbend.* in quo graviter praxis contraria arguitur, & iuxta Conſtitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranenſi quæ incipit *Quia nonnulli*, ſtatuit inferiora beneficia eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, non conferenda niſi perſonis dignis & habilibus, quæ per ſe ipſas curam ipſam exercere valeant. Quare evidenter patet, quod quicumque promoventes indignum ad quodcumque beneficium eccleſiaſticum, peccent mortaliter. Idcirco graviter peccant patronus & electores qui viro ſibi ignoto beneficium tribuunt. Nam non ſufficit ut nihil mali de præſentato vel electo noverint; ſed requiritur ut moralem de eius idoneitate certitudinem habeant. Peccant parentes, qui dum corruptos filiorum ſuorum mores norunt, curant aut permittunt iis beneficia conferri. Ita Tournely ex Comitolo. Qui in eccleſiaſtici beneficii certamine quod ex decreto Concilii Tridentini inſtitui ſolet, alios habuit competitores vita & ſcientia ſe digniores, quibus tamen præripuit beneficium; triplex ſibi crimen fecit: unum in petendo, alterum in obtinendo, tertium in retinendo. Et eo vel maxime quod indignorum promotio cedit in grave damnum Eccleſiarum, quod iiſdem Eccleſiis huiuſcemodi promotores compenſare tenentur: ut communiter ſentiunt etiam non rigidiores Theologi. Ante omnes tamen talia damna compenſare tenentur indigni qui talia beneficia ſibi curarunt; poſt indignos illi qui iniuſte beneficia contulerunt indignis; denique cooperatores.

De providendo digniore, ubi quædam præmotantur.

Verum quia inter dignos alii ſunt aliis digniores; hinc exſurgit difficultas, num in beneficiorum eccleſiaſticorum proviſione ſatis ſit habere rationem de dignis, relictis dignioribus; an vero neceſſe ſit ut relative ad dignos dignioribus conferantur? item num omnes, quocumque iure ac modo ad collationem concurrant, videlicet num etiam patroni & collatores ad hoc teneantur? & num eadem regula locum habeat in quocumque beneficiorum eccleſiaſticorum genere; ſcilicet tam quoad beneficia curata ſeu parochialia, quam non curata ſeu quæ ab onere parochiali ſunt immunia.

Pro faciliore autem intelligentia advertendum eſt, nomen digni pro eccleſiaſtico beneficio hic non accipi iuxta ſtilum ſæcularium hominum. Hi enim probum vocare ſolent & honeſtum qui non furatur aut non mœchatur, tametſi raro & tepide oret, parcus ſit in pauperes, tempus otioſe terat. Uno verbo probi in hac ætate reputantur ac dicuntur clerici quos non maculant flagitia quæ legibus puniuntur: licet mundum & ea quæ mundi ſunt, diligant; bonis temporalibus inhient; multo minore zelo moveantur erga domum Dei quam in familiæ ſuæ honorem & augmentum; ludo indulgeant & epulis; inutilibus plane colloquiis ſæpe perniciofis, etiam cum mulieribus, ſeſe immiſceant. Dignus igitur cenſendus eſt qui talis ſit iudicio piorum hominum: qui innocentiam vel conſervavit, quod hodie perrarum eſt; vel ſeriæ pœnitentiæ laboribus reparavit, quod (teſte S. Ambroſio) rarius eſt: qui cum omnibus corporis, animi, ac gratiæ dotibus neceſſariis inſtructus ſit, inſatiabili Dei gloriæ & ſuæ aliorumque ſalutis ardore conſumitur. Quare indignus erit qui ad officium debite præſtandum ineptus eſt ob pravam vitam, ignorantiam, ingenii aut corporis morbos, aliaque id genus impedimenta: qui iudicatur non futurus utilis Eccleſiæ, nec ſatisfacturus officio: qui verſatur in habitu alicuius peccati mortalis; quia per quodlibet peccatum mortale (ait S. Thomas *Quodlib.* vIII. *quæſt.* Iv. *art.* 6.) aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale officium. Hac igitur regula facile dignoſci poteſt, quinam digni ſint, quinam digniores, utpote in virtutibus, ſcientia, zelo Dei gloriæ & fidelis populi ſalutis excellentiores.

Ad ſtatuendum vero circa digni vel dignioris proviſionem in beneficiis, præcipue in competentia dignioris, ſupponendum eſt I. quod hic non loquimur de beneficiis quæ ex eorum fundatione certo perſonarum generi aut alicuius oppidi perſonis conferenda ſunt, qualia ſe habent patrimonialia ſeu iuriſpatronatus: quia tunc ſufficit ut dignior inter perſonas vocatas promoveatur, ceteris aliis alterius loci vel familiæ etiam digniſſimis prætermiſſis, ex *cap.* Nullus xIII. *cap.* Obitum xvI. *diſt.* lxI. Hinc quia nunc ſummus Pontifex ex Collegio Cardinalium eligitur, ex iis dignior eligendus eſt: licet alius non Cardinalis dignior inveniatur, ex *cap.* Oportebat III. *diſt.* clxxIx. & ex Concilio Romano celebrato ſub Stephano Papa III. In hoc tamen oppoſitum contra multos ſentit Sotus, aſſerens ſe audiviſſe a D. D. Cardinalibus nullo iure ipſos cogi ad Pontificem eligendum ex Collegio tantum Cardinalium.

Supponendum eſt II. quod nomine dignioris intelligitur qui ad miniſterium aſſumptum uti-

utilior eſt. Unde contingere hoc poteſt in minus doctiore & ſancto, ob maiorem eius prudentiam & aptitudinem ad officia beneficii exercenda, quæ maxime in regiminis officio utiliora ſunt maiore ſcientia & pietate. Ita Concilium Tridentinum *v.* *digniores* explicat *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. *de reformat.* ideſt quos Eccleſiæ magis utiles iudicarint. Et non obſcure hoc tradit Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* LXVI. *art.* 2. Hic enim ſatis clare docet, quod hæc maior dignitas ad eccleſiaſtica beneficia non eſt accipienda ſimpliciter & abſolute, ſed reſpective ad utilitatem communem Eccleſiæ & fidelium. Ex doctrina Angelici Doctoris recte cum aliis infert Barboſa *Part. III. de poteſt. & offic. Epiſc. alleg. 6.* illum iudicandum eſſe digniorem qui ceteris paribus, primo cum altero cum quo concurrit, ſit ſenior: ſecundo, ille de cuius bonis fundata eſt Eccleſia: tertio, Sacerdos in concurſu non Sacerdotis; dummodo tamen ſi non Sacerdos ſit clericus qui ab Examinatoribus reputetur ceteris doctior & habilior: quarto, originarius de gremio Eccleſiæ reſpectu extranei: quinto, graduatus in aliqua ſcientia: ſexto, qui præditus eſt maiore prudentia, integritate, & moribus, præferendus ut dignior illi qui ſola ſcientia ornatus eſt; & ideo minus doctus cuius mores ſunt noti & approbati, præferendus eſt magis docto cuius vita ignoratur: ſeptimo, qui nullum habet beneficium, præferendus eſt habenti: octavo, potens & nobilis, quia hæc aliquando ſolent non parum conducere ad Eccleſiæ bonum adverſarioſque comprimendos: nono, pauper præferendus diviti; quia Eccleſia *mater pauperum* dicitur, eoſque *dominos bonorum ſuorum* Dominus dicit: ultimo, dignior iudicandus eſt qui aptior eſt ad beneficium, & ad eius munera exercenda ac onera obeunda. Unde omnes haſce qualitates penſare debent electores, ut ſine paſſione recte iudicent, quis dignior habendus ſit ad beneficia obtinenda.

Supponendum eſt III. quod beneficia eccleſiaſtica primo & principaliter inſtituta fuerunt ad utilitatem Eccleſiæ, ut dignos habeat miniſtros. Etenim primitiæ, oblationes, decimæ quæ a fidelibus oblatæ fuere, & identidem offeruntur, ex quibus fundata ſunt, & ſæpe fundantur beneficia, non alio fine & intentione collata fuere, & conferuntur, quam ut Eccleſia dignos miniſtros habeat, & prædictis ſtipendiis alantur, ne ad ſæcularia exercitia pro eorum ſuſtentatione ſe divertere cogantur. Unde habetur in Lateranenſi Concilio ſub Leone X. *Beneficium dari propter officium*. Pariter inſtituta fuere beneficia eccleſiaſtica in præmium eorum qui ob virtutem & ſtudia de Eccleſia bene meriti ſunt, ut patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. ubi ait: *Digniores eligendi ſunt non precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus; ſed eorum exigentibus meritis*. Igitur ex Tridentino merita habent exigentiam ad beneficia; & conſequenter beneficia non ſolum inſtituta ſunt in bonum Eccleſiæ, ſed etiam in meritorum præmia. Ceſſarent enim ſtudia & honeſta æmulatio in eis proficiendi, niſi quis ſciret ſuis laboribus & meritis præmia fore rependenda. Item nulla eſſet perſonarum acceptio in conferendis beneficiis minus digno, ſi beneficia ſolum inſtituta eſſent in bonum ac utilitatem Eccleſiæ, & non etiam in miniſtrorum præmia.

Supponendum ultimo eſt, quod collatio & electio indigni nulla ac irrita eſt, ut iam conſtat, & docet Navarrus *cap.* Si quando *excep.* XVI.

Hiſce poſitis, variæ ſunt Theologorum ſententiæ circa onus conferendi eccleſiaſtica beneficia dignioribus. Quidam enim putant, collatores beneficiorum eccleſiaſticorum, cuiuſcumque ſint generis, ſive curata, ſive non curata, ſuo oneri in conſcientia ſatisfacere, ut nequaquam letalem culpam incurrant, ea dignioribus non conferendo; dummodo non indignis, ſed dignis conferant: ex *cap.* Cum nobis olim *cap.* Inter Canonicos *de elect.* in quo præcipitur confirmari qui licet non ſit eminentior, tamen nullum habet impedimentum. Unde concludunt, in conſcientia non eligendum eſſe digniorem, ſed ſatis eſſe quod dignus eligatur. Et hoc comprobant tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* VII. *cap.* III. *de reform.* ubi allegans Conſtitutionem Alexandri III. & Gregorii X. ſolum exigit, quod beneficia curata dignis & habilibus conferantur: tum ex beneficiorum eccleſiaſticorum inſtitutione, quæ fuit tantummodo ut hiſce ſtipendiis idonei miniſtri providerentur, non ut eorum meritis præmia rependerentur, proindeque qui officia beneficii debite exercet, dignus eſt mercede accepta, quæ eſt fructus beneficii. Sed præter tot alias rationes, doctrina Tridentini Concilii *ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. *de reform.* ubi reos iudicat letalis criminis illos qui beneficia dignioribus & bene meritis non conferunt, & propoſitio etiam damnata in decreto Innocentii XI. hanc exprobrat proſcribitque ſententiam.

Variæ Theologorum placita circa hoc.

tiam. Ita enim habetur in proſcripta propoſitione num. 47. *Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare qui niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles iudicaverint, ad Eccleſias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus*. Ecce enim tria hic docet ſummus Pontifex. Primo, quod dum præcipit Concilium, quod digniores eligantur ad beneficia curata, poſitive excludit qui digni tantum ſunt, dum digniores ad manus habentur. Secundo, quod Concilium improprie non loquitur ſumendo τὸ *digniores* pro dignis, excludendo tantum indignos; ſed loquitur proprie ſumendo τὸ *digniores* pro iis qui aliis concurrentibus vere digniores ſunt. Tertio, quod Concilium hoc non reſtringit ad ſola beneficia quæ per concurſum conferuntur, ſed quod extendit ad omnia beneficia, quocumque modo conferantur, ſive per concurſum, ſive non.

Hinc alii ſentiunt, omnia cuiuſcumque generis beneficia (ſive curata, ſive non curata, ſive curata liberæ collationis per concurſum, ſive iuriſpatronatus per præſentationem patroni vel electionem ab Univerſitate, Collegio, vel Monaſterio) ab electoribus conferenda eſſe dignioribus ex iis qui eligi valeant. Et hoc probant ex variis auctoritatibus, tum Concilii Tridentini ex *cit. ſeſſ.* xxiv. *cap.* i. *de reform.* tum iuris canonici ex *cap.* Metropolitano *diſt.* lxiii. ex *cap. unic. Ut eccleſiaſt. benefic. ſine diminut. conferant.* ex D. Auguſtino *Epiſt.* xxix. *in cap.* ii. *Iacob.* & ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* clxxxiii. *art.* 3.

Probabilior ſententia proponitur, & firmatur. Alii vero (& videtur probabilior, quia communior & in praxi etiam Romanæ Curiæ uſitatior) diſtinguunt beneficia inter curata & ſimplicia. Curata alia ſunt liberæ collationis per concurſum: alia ex primæva fundatione, ſtatuto, vel conſuetudine conferri debent certo perſonarum generi, v. g. talis familiæ, patriæ, civitatis, ſeu loci, vel ei qui ex certa communitate eligendus eſt, ut Papa ex Cardinalium Collegio. Simplicia item alia dicuntur mere ſimplicia, ut ſunt ea quæ nec iuriſdictionem habent, nec adminiſtrationem, aut præeminentiam aliquam; & dicuntur a doctoribus ad debitum Eccleſiæ ordinem ſuperflua, ac proinde non adeo gravis momenti, qualis eſt Capella quam aliquis ad familiæ ſuæ ſepulturam erigit, aut Eccleſia collegiata quæ pro Canonicis non neceſſariis fundatur: alia dicuntur duplicia, quæ habent aliquam ſolemnem iuris qualitatem, v. g. iuriſdictionem in clerum & populum, adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum, vel aliquam localem præeminentiam, qualia ſunt Cardinalatus, dignitates Eccleſiarum cathedralium, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, ſæcularia officia Theſaurarii Eccleſiæ, Primiceriatus, Archipresbyteratus, Canonicatus, Perſonatus (quorum duo poſtrema licet nullam habeant iuriſdictionem ſeu adminiſtrationem; in clericorum tamen conventu, in choro, in proceſſionibus, in ſuffragiis dandis honorificum locum habent) & dicuntur ex ſe quodam ſenſu ad debitum Eccleſiæ cultum neceſſaria, ac ideo magni momenti.

Igitur ſecundum hanc tertiam ſententiam beneficia curata liberæ collationis per concurſum conferenda ſunt digniori; ita ut qui ſecus agit, mortaliter delinquet. Et hoc maniſeſtiſſime docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxiv. *cap.* i. *de reform.* ubi eos alloquens qui a Sede Apoſtolica habent poteſtatem eligendi Epiſcopos, *eos hortatur & monet ut in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam & populorum ſalutem utilius facere poſſe, quam ſi bonos paſtores & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint, non quidem precibus*... *ſed, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Et cum eadem ratio locum habeat in omnibus aliis curatis, eo quod omnes ſint animarum paſtores: ſequitur, quod omnia beneficia curata, & præcipue quæ ſunt liberæ collationis per concurſum, dignioribus ſub mortale ſint conferenda. Et ſane eadem Tridentina Synodus de iiſdem ſpecifice curatis beneficiis loquitur *ſeſſ.* xxiv. *cap.* xviii. *de reform.* dum præſcribit, quod promovendi ad beneficia curata examinari debeant ab Epiſcopo & a tribus ſynodalibus Examinatoribus, ubi ſtatuit ut, peracto examine, ex iis qui iudicati fuerint idonei & ad vacantem Eccleſiam opportuni, eum eligat Epiſcopus quem ceteris magis idoneum ipſe iudicaverit. Igitur ex mente Tridentinæ Synodi ad beneficia curata promovendi ſunt digniores. Et hoc tanto robore confirmavit S. Pius V. Conſtitutione incipiente *In conferendis beneficiis*, ut ſi fiat quod dignior poſtponatur, ius

ius habeat appellationis tamquam de iniuſtitia circa id quod ipſi de iure ſpectat, ad Metropolitanum Sedemve Apoſtolicam, ut electio minus digni, cognita iniuſtitia, annulletur in favorem dignioris. Et Innocentius XI. ſupra a nobis relatam propoſitionem in qua per exitialem verborum Concilii Tridentini explicationem docebatur eligi poſſe dignum pro digniore, anathemate confixit, utpote quæ Concilio Tridentino contraria eſt, & Eccleſiæ utilitati animarumque ſaluti, quæ a Paſtorum delectu præcipue pendet, adverſatur. Et hoc idem conſtat etiam ex variis textibus canonicis. Nam in *cap.* Metropolitano *diſt.* lxiii. hæc habentur: *Ex Presbyteris eiuſdem Eccleſiæ optimus ordinetur*. Sic in *cap. unic. de benefic. eccleſiaſt. conferend.* Innocentius III. damnat electionem ad beneficium Cancellariæ, factam ab Epiſcopo Mediolanenſi, dicens: *Debuiſti eccleſiaſticum officium & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare*. Sic alibi.

Ratio quoque aperta & evidens hoc comprobat. Epiſcopi enim, cum non ſint domini, ſed diſpenſatores beneficiorum, debent ea conferre iuxta præſcriptum & ex toto rigore iuſtitiæ diſtributivæ. Ex quo fit, quod omnes Theologi & Canoniſtæ unanimes ſentiunt, ac potius ſupponunt, beneficia eccleſiaſtica conferenda eſſe ſecundum iuſtitiam diſtributivam: & inſuper concordibus ſententiis Theologi pariter & Canoniſtæ conveniunt, iuſtitiæ diſtributivæ opponi vitium acceptionis perſonarum, quod acriter exprobratur a ſacris canonibus & Patribus; adeoque concludunt, quod qui recedit a tramite iuſtitiæ diſtributivæ, incidat in vitium acceptionis perſonarum. Violantur autem leges iuſtitiæ diſtributivæ, & fit acceptio perſonarum in re gravi, quando in collatione beneficiorum minus dignus digniori præfertur, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxiii. *art.* 2. *ad* 3. Nam præferendo perſonam dignam digniori, pro motivo præferendi acceptatur aliquid veluti cauſſa quod cauſſa non eſt; & circumſtantia nihil ad cauſſam conferens ſubſtituitur pro circumſtantia ad cauſſam conferente. Et exinde D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxv. *art.* 3. affert hæc verba D. Hieronymi: *Quidam non quærunt eos in Eccleſia columnas erigere quos cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti vel dediti, vel pro quibus maiorum quiſquam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem perſonarum; quæ in talibus eſt grave peccatum*. Unde qui in conferendis beneficiis, præſertim curatis, per acceptionem perſonarum aut alio ſimili motivo dignioribus minus dignos anteponunt, non minus rei ſunt ac ſi pretio venderent. Hinc a Sanctis Patribus id ipſum ſemper fuit damnatum; ut patet ex verbis D. Hieronymi a S. Thoma allatis: *Conſiſtit enim æqualitas diſtributivæ iuſtitiæ* (ait laudatus Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. lxiii. art. 1.) *quod in hoc quod diverſis perſonis diverſa diſtribuuntur, ſecundum proportionem ad dignitatem perſonarum. Si ergo aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ propter quam id quod ei confertur, eſt ei debitum; non eſt acceptio perſonæ, ſed cauſſæ.... Puta ſi aliquis promoveat aliquem ad magiſterium propter ſufficientiam ſcientiæ; hic attenditur cauſſa debita, non perſona. Si autem aliquis conſideret in eo cui aliquid confert, non id propter quod id quod ei datur, eſſet ei proportionatum vel debitum, ſed ſolum quod eſt ipſe homo (puta Petrus vel Martinus) hic eſt acceptio perſonæ: quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam cauſſam quæ faciat eum dignum, ſed ſimpliciter attribuitur perſonæ. Itaque in iuſtitia diſtributiva* (pergit Sanctus Doctor ibid. ad 1.) *conſiderantur conditiones perſonarum, quæ faciunt ad dignitatis vel debiti cauſſam. Sed in acceptione perſonarum conſiderantur conditiones, quæ non faciunt ad cauſſam*. Quid clarius deſiderari poteſt, ut conijciatur violari iuſtitiam diſtributivam, & peccatum acceptionis perſonarum perpetrari, ſi beneficia eccleſiaſtica non conferantur dignioribus? eis videlicet qui cum magis ſpiritualibus polleant dotibus; ſperatur ex eorum electione Eccleſiæ utilitas, & ſimul merita electi compenſantur. Unde rite & recte tunc providetur officium eccleſiaſticum de miniſtro qui magis ad illud exercendum idoneus videtur; & ſecundum æqualitatem quam exigit iuſtitia diſtributiva in bonorum communium diſtributione, confertur beneficium cui ob maiora merita eſt debitum. Iuſtitia enim diſtributiva eſt virtus quæ in diſtributione rerum communium, v. g. beneficiorum, ſervat æqualitatem proportionis ad qualitatem perſonarum, ad cauſſam, non ad perſonam ſpectantis. Unde evidenter ſequitur, quod qui in diſtributione beneficii eccleſiaſtici aliter ſe gerit dignum digniori præferendo, iuſtitiam diſtributivam violat, & acceptionis perſonarum peccatum committit: ac ideo eſt iniquus diſtributor, graviſque iniuſtitiæ reus. Hactenus Van-Eſpen.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Beneficia curata etiam iuriſpatronatus digniori a patronis conferenda ſunt.

Benefi. cia cura. ta a pa. tronis ſunt con. ferenda digniori.

A ſupra allata iuſtitiæ diſtributivæ regula ac debito in collatione beneficiorum eccleſiaſticorum eligendi digniorem non eximuntur electores quoque patroni, omneſque alii qui vi iuris quo pollent, quoquo modo concurrunt in beneficiis eccleſiaſticis curatis providendis de ſucceſſore: ita ut quantum in ipſis ſit, ſive in libera ipſorum diſpoſitione, tenentur graviter in conſcientia ex officio & fide debita Eccleſiæ diſtribuere officia & beneficia, ſicut bonum Eccleſiæ animarumque ad quod inſtituta ſunt, exigit, & utilitatem Eccleſiæ quantum poſſunt pro munere ſuo promovere; quod præſtare nequeunt niſi digniores dignis præferendo. Hinc Tridentina Synodus *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. *de reform.* monet & intendit, patronos teneri ad præſentandum Epiſcopo pro beneficiis curatis quem digniorem iudicaverint. *Si vero*, aiunt ibi Patres Concilii, *iuriſpatronatus eccleſiaſtici erit; ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non ad alium pertineat: is quem patronus dignior inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cum vero inſtitutio ab alio quam ab Epiſcopo erit facienda; tunc Epiſcopus ſolus ex dignis digniorem eligat, quem patronus ei præſentet ad quem ſpectat inſtitutio.* Locum enim habet etiam reſpectu patronorum eadem ratio quæ reſpectu libere conferentium per concurſum examinis: videlicet, quod quicumque qui iurepatronatus ſive alio iure præſunt diſtributioni ſeu proviſioni beneficiorum, non ſint beneficiorum domini, ſed ſolummodo diſtributores conſtituti ab Eccleſia ut tamquam fideles ſui diſpenſatores utantur tali facultate ſecundum fines ab Eccleſia in beneficiorum diſtributione intentos; ideſt ut conſtituant miniſtros *ad confirmationem Sanctorum, in opus Miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Idcirco ipſi quoque non ſecus ac Epiſcopi in libera collatione per concurſum ſervare tenentur in beneficiorum diſtributione iuſtitiam diſtributivam. Et hoc ita certum eſt apud Theologos omnes & Canoniſtas, ut a nemine in dubium vocetur. Igitur patroni ceterique ius habentes beneficia conferendi conſtringuntur vi officii ſui iuriſque diſpenſandi, ut partes exerceant veri diſpenſatoris fideliſque Eccleſiæ miniſtri, unice præ oculis habentes bonum utilitatemque ipſius Eccleſiæ in ſacris providendis miniſtris qui eidem Eccleſiæ ſint utiliores: ac proinde ſe diſpenſare nequeunt a dignioribus magiſque idoneis eligendis. Immo ut tali obligationi ſatisfaciant, omni ſtudio & diligentia ipſis elaborandum eſt, ut rei magnitudo exigit, ut peritiores convenientioreſque ſpirituali Eccleſiæ ædificio præponantur: alias ſuo muneri graviter deeſſent, ſi minus dignum ex aliqua humana affectione digniori præferrent; graveque infidelitatis, iniuſtitiæ, perſonarumque acceptionis facinus committerent. Defraudarent enim Eccleſiam notabili fructu per digniorem præſtando; gravis ſpiritualis detrimenti cauſſam præberent; & quod dandum eſt tantum intuitu Eccleſiæ boni (quæ, ut antea notavimus cum D. Thoma, eſt vera ac legitima cauſſa quæ principaliter movere debet in beneficiorum collatione) conferrent moti ex carnali affectione, quod eſt perſonarum acceptio, ſicut antea explicatum fuit. Ita P. Antoine.

Dicet forſan aliquis, ex mente Synodi Tridentinæ *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. *de reform.* ſufficere ut patronus laicus ad beneficium etiam curatum præſentet idoneum. *Quod ſi iuriſpatronatus laicorum fuerit* (ait ibi ſacra Synodus) *debeat qui a patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis examinari, & nonniſi idoneus repertus fuerit, admitti.* Videtur igitur ex Concilio Tridentino ſatis eſſe, ſi præſentatus a laico ineptus non ſit. Reſp. quod idem Concilium alio in loco eiuſdem capitis loquitur de præſentando a patrono, *quem digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit*. Unde vult ut etiam a patronis præſententur digniores. Et conceſſo quod etiam ſolum idoneus reſpectu præſentationis laicorum ſufficiat, relicto digniore; hæc eſſet prudens Eccleſiæ tolerantia, qua eodem motivo quo ſuſtinet electionem minus digni, neglecto digniore (ut nimirum litium occaſiones amputentur; quia alias omnis electio calumniam pati poſſet) ita ſuffert præſentationem patroni laici de minus digno. Sed ſicuti ante omnem electionem omnia iura clamant ut meliores ſanctioreſque eligantur; poſcunt etiam ut meliores & ſanctiores præſententur. Et ſicuti peccant contra iuſtitiam diſtributivam qui, omiſſo digniore, dignum eligunt, ut poſt S. Thomam notant omnes Canoniſtæ; ſimiliter peccant contra iuſtitiam diſtributivam qui, omiſſo digniore, præſentant dignum. Sic Van-Eſpen.

Non deſunt, hoc non obſtante, qui volunt pa-

Digitized by Google

patronum laicum ad Parochialem ſui iuriſpatronatus non teneri præſentare digniorem, ſed ſufficere dignum ac idoneum. Ita reſolvunt Lambertinus *de iurepatron. Par. I. lib. II. quæſt.* x. *art.* III. *num.* 17. Petrus Navarrus *de reſt. lib. II. cap.* II. *num.* 150. Barboſa in *cap.* XVIII. *ſeſſ.* XXIV. *Concil. Trid. num.* 152. Gloſſa in *cap.* Quoniam III. *de iurepatron.* v. *Qui maioribus*, & Fagnanus *ibid. num.* 15. hoc deducere prætendit ex ipſo laudato capite Tridentini. Ait enim: *Si in Parochialibus liberæ collationis & iuriſpatronatus eccleſiaſtici iuſſerit Concilium digniorem eſſe eligendum*; *tamen in Eccleſiis iuriſpatronatus laicorum voluit ſatis eſſe ut præſentatus ab Examinatoribus ſynodalibus examinetur*, & *idoneus repertus admittatur*. Advertit tamen hic Tournely: *Ubi prævaleat hæc opinio, pie provideque faciet collator, ſi patronis digniores proponat præſentandos; modo ſit ſpes, futurum ut ii pro ſuo in Eccleſiam amore acquieſcant*.

Quid de iis quæ certis perſonis ſunt conferenda.

Ceterum, licet beneficia curata aliave officia iuriſdictionem ſpiritualem habentia, ut ſunt Generalis, Provincialis, Abbatis, Prioris in Religionibus, quæ ex primæva eorum fundatione, inſtitutione, ſtatuto, ſeu conſuetudine certo perſonarum generi, familiæ nempe, patriæ, civitatis, loci, congregationis ſint conferenda, dummodo ex vocatis extent qui digni ſint; & minime extraneis, ideſt aliis qui non ſint ex tali origine vel cœtu, tametſi longe eſſent digniores: hæc tamen beneficia, officia, ſeu dignitates quæ iam regimen ſpirituale ſecum afferunt, non excipiuntur a legibus iuſtitiæ diſtributivæ; ſed æque in huiuſmodi beneficiis liberæ collationis collatores, patroni, electores ſtricte tenentur aſſumere ſeu promovere ad talia beneficia, officia, dignitates eos qui ex eadem familia, natione, loco, cœtu ſunt digniores. Nam ex una parte non repugnat ſacris canonibus, quod ex aliqua vocata familia, natione, loco, cœtu, inſtituto idonei & habiles præferantur extraneis, quamvis etiam valde dignioribus; ut Rota *Part. II. recent. deciſ.* 120. *num.* 10. & alibi: & ex altera, pia mens fundatorum, inſtitutorum, & Eccleſiæ quæ talia iura aliquibus conceſſit, fuit & eſt ut ſe gerant tamquam fideles iuſtique diſtributores, ſemper attendendo ac reſpiciendo in eorum electionibus ad maius Eccleſiæ fideliumque bonum, & ad Dei gloriam promovendam augendamque, providendo intra genus illud perſonarum magis idoneos & digniores. Solummodo enim per huiuſcemodi electiones haberi poteſt utilius Eccleſiæ ſervitium & gloriæ Dei augmentum, iuxta intentionem fundatorum, inſtitutorum, & Eccleſiæ quæ talia iura ipſis permiſit. Et hoc valet & fieri poteſt non illicite etiam in beneficiis curatis liberæ collationis & iuriſpatronatus liberi, ideſt non addicti certo perſonarum generi ac conditioni. Licet enim ex iure communi *cap.* Ad decorem *de inſtit.* poſſint conferri cuicumque idoneo, cuiuſcumque nationis ſit, ſive regni; poſſunt tamen collatores licite præferre indigenam, licet minus dignum, alienigenæ digniori: immo ex iure particulari nunc ſere omnium regnorum ac ditionum debent beneficia quæcumque ſolummodo naturalibus ditionis & regni in quo beneficia extant, conferri; dummodo tamen leges diſtributivæ iuſtitiæ, ſerventur, ut nonniſi dignioribus ditionis & regni conferantur. Nam dum digniores habeantur, in omni genere proviſionis, ad curata beneficia, dignitates, officia ſpiritualem iuriſdictionem habentia, hoc inviolabiliter ſervandum eſt; cum ſemper verum ſit, collatores proviſoreſque beneficiorum eccleſiaſticorum non eſſe eorumdem beneficiorum dominos, ſed mere diſpenſatores: ac proinde ſemper ſervare tenentur leges iuſtitiæ diſtributivæ, ſervando videlicet æqualitatem iuxta maiorem idoneitatem & meritum providendorum, magis idoneos digníoreſque minus idoneis & minus dignis ex iis quos eligere poſſunt, præferre.

Num conſanguinei poſſint præferri.

Nec ſolum poſſunt collatores ac patroni in beneficiorum proviſione exteris naturales præferre, ſed etiam, ceteris paribus, ideſt ſi ſint ex dignioribus, nempe ſervato iure iuſtitiæ diſtributivæ, etiam conſanguineos licite & ſine reatu acceptionis perſonarum naturalibus anteponere poſſunt, tametſi ex quodam naturali ſanguinis affectu ad eos præferendos inducantur. Quia irregularis quidem, iniuſta, & perſonarum acceptionis vitio infecta eſt collatio beneficii facta conſanguineo, ſi in collatione reſpiciatur ſola perſona, ideſt ratio ſeu conditio conſanguinitatis, nulla de illius idoneitate Eccleſiæque utilitate habita ratione, ita ut ſanguinis affectus ſeu conſanguinitas ſit prima ratio movens ad beneficium conſanguineo conferendum: non vero ſi, concurrentibus in conſanguineo meritis & qualitatibus ad cauſſam ſpectantibus, ſive quæ ipſum beneficio ſeu miniſterio eccleſiaſtico digniorem reddant, affectus ſanguinis ſit tantum concomitans ad collationem ipſi faciendam. Nam in tali caſu conſanguinitas ipſa

per

per ſe ſpectata non obſtat quominus ipſi abſque perſonarum acceptione fieri queat collario, conſiderando ſaltem principaliter ſolas perſonæ conditiones quæ faciunt ad dignitatis vel debiti cauſſam. Quare patroni, ut licite etiam conſanguineo idoneo conferre poſſint beneficium quod ex ſua fundatione non eſt ligatum familiæ, neceſſe eſt ut ſuſpectum habentes ſuum iudicium de meritis ac qualitatibus conſanguinei, conferant inter ſe qualitates conſanguinei & extranei, ut ſecundum iuſtitiam diſtributivam, illis inter ſe collatis, beneficium conferatur, ideſt ſecundum proportionem ad qualitates perſonarum: & in hoc implorare debent divinum auxilium, ut Apoſtoli in electione S. Mathiæ, clamando: *Tu, Domine, qui corda noſti hominum, oſtende quam elegeris*. Item in præſentatione conſanguinei patronus ſeu collator cavere debet ne ipſius præſentatio ſeu collatio in ſcandalum cedat puſillorum, ut poſt D. Thomam notat Petrus Cantor Eccleſiæ Pariſienſis in *Verb. Abbrev. cap.* xlii. Hic poſtquam oſtendiſſet, quod ædificent Sion (ideſt Eccleſiam) in ſanguinibus impietatis qui beneficia non pro meritis, ſed pro affectu carnali largiuntur, ſubiungit & quærit: *Sed quid, ſi æque honeſtus eſt* (conſanguineus) *& dignus ut extraneus? Sed & hoc periculoſum eſt*, inquit, *niſi probitas eius extinguat & excludat omnem infamiam, ſcandalum, & malum exemplum: quod de facili non fit. Non enim exemplum a bene geſtis noſtris ſumitur; ſed a cortice, ſpecie, & ſuperficie illorum, non a veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam; alii meo utentur exemplo, ut dent ſuis propter naturam magis quam propter gratiam, dicendo: Nonne meis, ſicut & ille ſuis, dabo?* Ita Van-Eſpen.

§. XXXVIII.

De proviſione beneficiorum ſimplicium quoad electionem ſeu prælationem digniorts.

Duplex eſt quoad ben. ſimplicia doctorum ſententia. Circa beneficia ſimplicia num ſubiaceant eidem legi iuſtitiæ diſtributivæ, ut hæc pariter, cuiuſcumque conditionis ſint, ſive liberæ collationis ab Epiſcopo, ſive iuriſpatronatus, nonniſi dignioribus conferenda ſint; non conveniunt inter ſe doctores. Volunt aliqui eamdem rationem conditionemque in ſimplicibus quibuſcumque, ſcilicet etiam meræ ſimplicia conferenda eſſe digniori; ita ut ſine gravi culpa non poſſit ſimpliciter minus dignus digniori præponi. Et hoc probant ex *cap. unic. ut eccl. benefic.* ubi Innocentius III. agens de beneficio non curato, ait: *Non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti eccleſiaſticum officium & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare*. Item ex Sanctis Patribus, præcipue Angelico qui 2. 2. *quæſt.* lxiii. *art.* 2. generaliter & ſine ulla exceptione ſentit ac docet, acceptionem perſonarum committi, ſi digniores prætermittantur. Item quia beneficia inſtituta ſunt primo ad maiorem Dei gloriam Eccleſiæque utilitatem: ſecundo, ut ſint præmia virtutum, quibus digniores in Eccleſia honorentur ac iuventur. Uterque autem finis, aiunt ipſi, impeditur, ſi minus digni præferantur. Unde cum relinquens digniores deficiat in re gravi contra debitam Eccleſiæ fidelitatem; idcirco graviter peccat: nam violare fidem in re gravi ex officio debitam, eſt mortale. Ita ſentiunt hic Salmanticenſes, P. Antoine, Wiguer, Solonius, aliique.

Verum quamplurimi alii contrarium ſuſtinent: videlicet quod in beneficiis ſimplicibus quæ curam animarum adnexam non habent, ſtandum non ſit in conſcientia legi beneficiorum quibus cura animarum incumbit; ac proinde licite & ſine mortali culpa conferri poſſe etiam minus digno, digniore prætermiſſo. Et ita ſentiunt Garzia, Navarrus, Lugo, Sanchez, Barboſa *Part. III. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 60. *num.* 103. Nam, aiunt ipſi, neque Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxiv. *cap.* 1. & xviii. nec S. Pius V. in ſua citata Conſtitutione quæ incipit *In conferendis*, nec ſupra allata propoſitio ab Innocentio XI. proſcripta loquitur de beneficiis ſimplicibus, ſed de curatis. Præterea tantum malum, inquiunt, inde non imminet; neque ex iis adeo pendet bonum Eccleſiæ, ſicut in curatis: ac proinde excuſari poſſent electores, qui ſaltem ſemel atque iterum digniorem prætermittunt; dummodo alter ſit vere dignus & idoneus. Et ſic abſolute tenet Rota *Part. X. recent. deciſ.* 262. *num.* 1. dicens præcile, quod dignus in beneficiis ſimplicibus eligi poteſt, digniore omiſſo: ex quo antiqua iura admodum ſunt dubia, propter conſuetudinem introductam a Papa præferendi in huiuſmodi beneficiis dignos dignioribus; & hoc præcipue aliqui permittunt fundatori. Nam durum eſſet, quod inſtitutor Capellaniæ eam inſtituere non poſſet pro ſuis nepotibus; ſi occurrerent alii clerici eis digniores.

Utraque explicatur.

Quia tamen utraque ſententia validis fulcitur rationibus, ſumendo beneficia ſimplicia generatim, prout hoc nomen includit & mere ſimplicia, & ſimplicia dupliciter; ita ut, ſi ſeorſim accipiantur, utraque ſententia poſſit eſſe ſimul vera, dum alteri horum beneficiorum generi eorum rationes maxime conveniunt: hinc verior videtur ſententia eorum qui diſtinguunt beneficia in mere ſimplicia, & ſimplicia dupliciter. Hæc habent functiones magni momenti & præminentiam, ut habent Canonicatus & dignitates in Cathedralibus, & ex ſe ſunt quaſi neceſſaria ad debitum Eccleſiæ cultum: illa vero non aliud habent quam recitationem horarum canonicarum, & aliquando Miſſæ in tali Eccleſia vel altari celebrationem; quæ non ſunt gravis momenti. Item mere ſimplicia diſtinguunt in ſimplicia liberæ collationis Epiſcopi, & ſimplicia iuriſpatronatus. Igitur iuxta hanc ſententiam in conferendis beneficiis ſimplicibus dupliciter, ideſt quæ adminiſtrationem habent bonorum eccleſiaſticorum, vel iuriſdictionem, vel functionem magni momenti, vel præeminentiam, valet eadem regula iuſtitiæ diſtributivæ, ut ſcilicet digniores anteponantur minus dignis. Etenim tunc agitur de diſpenſandis beneficiis magni Eccleſiæ boni maioriſque Dei gloriæ: multum enim intereſt Eccleſiæ Dei ut officia divina quam decentiſſime ac devotiſſime celebrentur; quod fieri nequit, niſi promovendo illos qui ſunt aptiores ad æccleſiaſtica miniſteria. Quare indignos & minus aptos ad illa aſſumendo, Eccleſiæ miniſterium peiore modo perficitur, & cultus Dei valde minuitur, non ſine gravi electorum vel collatorum culpa: cum illicitum ſit, concurrere ad hoc ex quo fit ut Eccleſiæ miniſterium modo notabiliter peiore peragatur, & Dei cultus minuatur. Et in hoc ſenſu vera eſt prima ſententia, qua generaliter ſtatuitur, beneficia etiam ſimplicia, generatim ea accipiendo, providenda eſſe cum electione dignioris; ita ut peccent qui ad ea minus dignos aſſumunt (ideſt quod intelligatur de beneficiis ſimplicibus dupliciter, quæ functiones habent ſeu officia ſibi adnexa magni momenti) utpote qui magnum afferant Eccleſiæ nocumentum, iuſtitiam diſtributivam violent, necnon fidelitatem debitam Eccleſiæ quæ ipſis facultatem conceſſit beneficia diſpenſandi, ea lege ut illa diſtribuerent ſecundum fines ab ipſa intentos, ideſt ipſius Eccleſiæ utilitatem maioremque Dei gloriam.

Quod vero ſpectat ad beneficia mere ſimplicia liberæ collationis, ea quoque danda ſunt vi iuſtitiæ diſtributivæ magis dignis. Cum enim inſtituta ſint ſecundario, ut præmia ſint virtutum quibus digniores in Eccleſia honorantur ac iuvantur: ſi diſtribuantur minus dignis, agitur contra finem inſtitutionis beneficiorum, fit iniurias dignioribus, iuſtitia diſtributiva graviter violatur, & collarores incidunt in gravem culpam acceptionis perſonarum.

Secus autem res ſe habet, ſi beneficia ſimplicia ſint iuriſpatronatus laici. Cum enim hoc inſtitutum ſit a particulari perſona vel familia; gravis habetur præſumptio de eius intentione in ſavorem familiæ (ut ſi ex ea aliquis clericus idoneus ſit, hic eligatur: & in defectu, poſſit heres præſtare favorem præſentationis alicui idoneo extraneo) & Eccleſiam liberalius erga patronos conceſſiones diſpenſationis indulgere. Neque vero ita ſtricte tenetur particularis in fundatione Capellæ, eam præciſe & unice inſtituere, ut ſit maiorum virtutum ac meritorum præmium (quæ eſt præcipua ratio, quare conferenda eſſent huiuſmodi beneficia) ita ut eius heredes non poſſint ſuam beneficentiam exercere erga clericum qui ſimpliciter dignus ſit, per ipſius electionem; ſed ſemper digniorem eligere teneantur; quod nimis durum eſſet. Et eo vel maxime quod in altero fine, ideſt maioris utilitatis Eccleſiæ in eius ſervitio a miniſtro magis idoneo, nullum damnum ipſa patiatur ex electione miniſtri minus idonei. Cum enim beneficia mere ſimplicia præter privatam horarum recitationem, aut Miſſæ celebrationem, nullam habeant functionem & miniſterium in Eccleſia exercendum; idcirco ſive magis, ſive minus idoneus ſit, reſpectu ſervitii Eccleſiæ ex minus digni electione nullum detrimentum ob miniſterium modo notabiliter peiore a minus idoneo præſtitum, & exinde nulla divini cultus imminutio ſubſequitur. Et ſic reſpectu beneficiorum huiuſce generis, pro vera cenſeri poteſt illorum opinio qui ſuſtinent, non teneri patronos conferre beneficia non curata ſeu ſimplicia dignioribus.

Varii caſus ennodantur.

Ceterum varii ſunt caſus in quibus etiam rigidiores, ut Wiguerius & Habertus, fatentur poſſe abſque peccato etiam veniali patronos ac collatores in diſpenſandis beneficiis ſimplicibus recedere a regula de conferendis digniori, ac etiam minus dignos in huiuſcemodi caſibus inſtituere. Primo videlicet, cum id poſtulat caritas, vel

vel alia iuſta cauſſa ad maius bonum Eccleſiæ ſpectans aut redundans: ut ſi alimenta ſubminiſtranda ſint Paſtori infirmo qui, utpote paſtorali officio iam impar, ab animarum cura removeri debeat. Secundo, ſi quis Sacerdos aut clericus non aliter ex inopia revelari poſſit, quam ſi aliquod ſimplex beneficium ei conferatur: quia hæc diſpoſitio commodum Eccleſiæ affert. Cum enim beneficia eccleſiaſtica inſtituta ſint ad pauperum ſuſtentationem; clerici inopia in cauſſæ partem tranſit. Videndum tamen, num dignioris promotio Eccleſiæ profutura ſit: quatenus Eccleſiam dotaturus, eamque ſuis debitis exoneraturus. Tertio, ſi minus dignis conferantur beneficia ſimplicia, ut reſerventur digniores pro beneficiis curatis. Quarto, poteſt collator inſtituere quem patronus præſentavit, licet alios digniores neglectos cognoſcat. Tunc enim collator ſe habet ac ſi unus tantum eſſet idoneus: cum præſentatum, modo dignus ſit, reiicere nequeat, ne præſumatur iura patroni velle uſurpare, patronum offendere, præſentatum odiſſe. Immo & quælibet præſentatio, ut alias iam notavimus, calumniam pati poſſet. Ita Habertus. Idem quoque ſentiunt aliqui de reſignante & permutante: tum quia, inquiunt, ius non adverſatur, neque id improbat Eccleſia; tum quia reſignans & permutans non ſe habent ut bonorum communium diſtributores, ſicque ipſa, cui voluerint, dummodo dignus ſit, largiri poſſunt. Verum contrarium docent Navarrus, Silvius, Van-Eſpen, aliique. Nam cum reſignantes & permutantes ſe habeant adinſtar patroni & collatoris, utpote qui id efficiant quod ad eoſdem patronos & collatores ſpectat; hinc æque ac illi eamdem regulam de præferendo digniore ſequi tenentur, ut ab ea citra iuſtitiæ diſtributivæ violationem recedere non valeant. Idcirco abſque perſonarum acceptione, omni humano erga aliquem affectu depoſito, in eorum reſignatione vel permutatione minus digno digniorem qui eſt in promptu, præferre tenentur; cum reſignantes etiam & permutantes inſpicere debeant utilitatem Eccleſiæ, cuius ratio in quavis beneficiorum diſtributione unice & principaliter habenda eſt. Beneficia enim propter Eccleſiæ bonum inſtituta ſunt, ac ideo pro dignioribus, a quibus ſecurius tale bonum ſperatur & attenditur; nec ab Eccleſia facultatem reſignandi vel permutandi accipiunt, niſi cum eodem onere quod cuicumque beneficiorum diſtributioni impoſitum eſt.

Nec eos excuſat facilitas ſuperiorum in admiſſione permutationum & reſignationum abſque ullo examine, num hoc contingat in digniore, an vero in minus digno; cum ad eos ſpectet admittere vel reiicere. Nam error ſuperiorum errorem reſignantium vel permutantium non excuſat; ſed cum ipſis rei fiunt: hi agendo, illi conſentiendo. Niſi dicere velim, quod forſan Prælati aliique ſuperiores, ſicut ut plurimum contingit in hodierna praxi, tolerare cogantur reſignationes ac permutationes factas perſonis minus dignis, reiectis dignioribus: in quo caſu reſignantes & permutantes unice huiuſce mali cauſſa ſunt, ideſt quod minus digni pro dignioribus in beneficia intrudantur. Nec pariter reſignantem iuſtificat, quod beneficium reſignet ei qui æque ac ipſe reſignans dignus ſit, tametſi alter dignior exiſtat: & quod, ſi poteſt beneficium apud ſe retinere, non incongruum videatur poſſe illud alteri æqualis idoneitatis reſignare. Beneficiarius enim ius habet acquiſitum ad retinendum beneficium; non vero ad illud alteri conferendum, quem ſcit eſſe minus idoneum quam ſint alii qui in vacatione idem beneficium conſequi poſſent. Quare iis tali reſignatione viam occludit ad beneficium aſſequendum: præcipue ſi, ut ſæpe contingit, reſignans ſit annis grandior, & reſignatarius iuvenili ætate florens, ut proinde nulla omnino de illo aut de alio idoneo ſucceſſore providendo, niſi poſt plurimos annos, ſpes affulgeat.

§. XXXIX.

De debito reſtitutionis, quod incumbit iis qui indignos, & iis qui minus dignos, poſthabitis dignioribus, ad beneficia eccleſiaſtica promovent.

Cum beneficium detur propter officium, quando promotus nequeat ob ſuam inſufficientiam officium implere, ſine dubio reſtituere tenetur beneficii fructus: & eo vel maxime, quod cum irrita fuerit eius proviſio, numquam extitit legitimus, ſed iniuſtus poſſeſſor; ac exinde non tantum fructus reſtituere, quinimmo beneficium ipſum dimittere tenetur. Reſtituere autem tenetur beneficii fructus: quia cum ſua inſufficientia damnum Eccleſiæ inferat, iure naturali illud reparare debet; dummodo læſus iuri ſuo non cedat. Porro non eſt credibile, Eccleſiam iuri ſuo cedere ei a quo magnum damnum paſſa eſt, & inceſſanter,

dum ipſe perſeverat in beneficio, patitur ex iniuſta ac violenta poſſeſſione bonorum, quæ a piis fidelibus & ab ipſa Eccleſia conſtituta ſunt ut ab eorum poſſeſſoribus utilitatem ac decorem ipſa percipiat: quod nonniſi a dignis præſtari poteſt.

Reſtitutio cuinam facienda. Circa vero debitum reſtitutionis in præferendo minus dignos dignioribus, dum de miniſtris beneficia providentur; diſtinguunt hic Theologi inter beneficia quæ conferuntur per concurſum, & ea quæ ſine concurſu diſtribuuntur. Et omnes communiter conveniunt etiam Canoniſtæ, in beneficiis quæ diſtribuuntur per concurſum, ſi minus dignus præferatur digniori, faciendam eſſe digniori prætermiſſo fructuum beneficii reſtitutionem. Nam licet is, ſecluſo concurſu, non habeat ius ſtricte ſumptum in beneficio; habet tamen hoc ius, poſito concurſu: eique, ſi prætermittatur, fit iniuria proprie dicta. Ubi enim eſt ſponſio & pactum implicitum, ac ideo & virtualis contractus, quo convenitur ut qui talem impleverit conditionem, tali mercede donetur; impleta conditione, ſi merces propoſita denegetur, ſine dubio læditur iuſtitia proprie dicta. Cum autem vocatio ad concurſum contineat includatque implicitam ſponſionem & pactum dandi beneficium ei qui, ceteris paribus, dabit experimentum in examine maioris ſuæ idoneitatis ſuper alios qui tali pariter conditione & expectatione ſe præſentant; ſequitur evidenter, quod ſi magis idoneus defraudetur, fit ei iniuria, violatur iuſtitia proprie dicta, ac proinde ipſi facienda eſt reſtitutio, utpote qui ex iudicio Concilii Tridentini *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. & S. Pii V. in ſua Bulla quæ incipit *In conferendis beneficiis*, anno MDLXXVII. edita, ius habet inclamandi contra talem iniuſtitiam, appellando ad Metropolitanum & ad Sanctam Sedem.

Quod ſi beneficium ſit ex iis quæ non ſunt conferenda per concurſum; non conveniunt doctores etiam ex rigidioribus circa debitum talis reſtitutionis, & partem cui facienda ſit, digniori videlicet prætermiſſo, an Eccleſiæ. Quidam enim ſuſtinent, nullam faciendam eſſe reſtitutionem; quidam cenſent faciendam eſſe, ſed Eccleſiæ. Ego tamen primo dicerem, reſpectu huiuſmodi beneficiorum, ſive curata ſint, ſive ſimplicia dupliciter (quia de mere ſimplicibus mihi videtur ſupervacaneum hoc inquirere, præcipue ſi beneficium ſit iuriſpatronatus laicalis) minime faciendam eſſe reſtitutionem digniori prætermiſſo; cum nullus interveniat actus, quo ius aliquod hic acquirat in proviſione alicuius iſtiuſmodi beneficii. Nec ratio dignioris dici poteſt quod ius tale ei conferat: tum quia ſi plures eſſent æque digniores; cui eorum facienda eſſet reſtitutio? tum quia obligatio reſtituendi exſurgere nequit niſi ex violatione iuſtitiæ commutativæ; non vero diſtributivæ, quæ tale onus non inducit. Quare cum in præferendo minus dignum digniori in huiuſcemodi beneficiis non lædatur niſi iuſtitia diſtributiva, quæ ſola eſt regula in diſpenſatione ſeu diſtributione officiorum ac beneficiorum; hic nulla eſt obligatio reſtituendi digniori omiſſo pro minus digno, ſed Eccleſiæ vel communitati cuius iura violantur, & damnum eidem in ſuis bonis infertur, utpote quæ illa utilitate privetur quæ in ipſam redundat ex iuſta ac fideli ſuorum officiorum ſeu beneficiorum diſpenſatione perſonis quæ magis idoneæ ſunt ac digniores.

Quid in hoc caſu attendendum. Et quoad reſtitutionem Eccleſiæ faciendam in defectu iuſtæ diſtributionis beneficiorum, priuſquam ſtatuatur in aliquo minus digno tale debitum, attendendus eſt gradus ſeu exceſſus damni quod patitur Eccleſia, habendo miniſtrum minus aptum & dignum pro aptiore & digniore. Si enim deficientia minus idonei in ſuo munere rite & recte exercendo valde parum diſtingueretur a perfectiore ſervitio ſeu miniſterio dignioris; ac proinde Eccleſia fere eamdem haberet etiam a minus idoneo utilitatem: cum in tali caſu non contingeret niſi leve & nullius momenti detrimentum Eccleſiæ & communitati (in cuius utilitatem & commodum primario inſtituta ſunt beneficia; non vero propter peculiare beneficiarii emolumentum, niſi quatenus in commune bonum ex ſe ordinetur) & levia in ſimilibus non conſiderentur; nullum reſtituendi debitum reſultaret. Si autem econverſo ob minus digni inſufficientiam damnum alicuius momenti pateretur Eccleſia vel communitas; ipſi Eccleſiæ & communitati cui in tali caſu fieret iniuria per iniuſtam diſtributionem, & neutiquam digniori prætermiſſo, facienda eſſet reſtitutio. Etenim ſicuti œconomus cui ex officio incumbit conducere idoneos operarios in vineam ſui domini, ſi muneri ſuo deficiat ineptos conducendo, tenetur ad damnum ipſi compenſandum quod ex tali inconvenienti contingere poteſt, non vero dignioribus operariis neglectus: ita diſpenſator bonorum eccleſiaſticorum qui ſe habet tamquam œconomus Eccleſiæ & communitatis quæ ex

ipſius

Digitized by Google

ipſius negligenti vel malitioſa cura in promovendis miniſtris detrimentum pati poſſet, ipſi Eccleſiæ vel communitati reſtituere debet in detrimenti compenſationem, non vero digniori cui minus dignus prælatus eſt. Nam ſola violatio iuſtitiæ commutativæ obligationem inducit reſtituendi ei qui impeditur ab aliquo bono conſequendo, ad quod ius habebat. Cum autem is qui digniorem negligit, ut vidimus, non violet iuſtitiam commutativam, ſed ſolum diſtributivam; nullum idcirco incurrit debitum eidem in damni compenſationem reſtituendi. Et ſi iuſtitiam commutativam violaret minus dignus; deberet ex iuſtitia beneficium dimittere, ſtatimque deprehendere ſe digniori fuiſſe prælatum: quod in praxi non admittitur, nec ſine omnium perturbatione admitti poteſt. Tournely cum aliis.

§. XL.

De conditionibus ſeu dotibus requiſitis in promovendis ad beneficia.

Conditiones requiſitæ a ſacris canonibus ut quis capax ſit eccleſiaſtici beneficii, ſunt ſequentes. Primo videlicet, quod ſit de gremio Catholicæ Romanæ Eccleſiæ: ac proinde inhabiles ad beneficia ſunt hæretici, eorumque fautores, receptatores, defenſores, necnon eorum filii uſque ad ſecundam generationem. *Cap.* Quicumque II. *de hæret. in 6.* Item ſchiſmatici: *cap.* Qua diligentia V. *de elect.* ubi ſchiſmatici electio ad unionem Eccleſiæ redeuntis diſpenſatione ſolum permittitur confirmari, iuxta Abbatem & Barboſam. Hæretici enim & ſchiſmatici non ſolum in corpore iuris canonici, ſed variis etiam ſummorum Pontificum, & præcipue Pauli IV. Pii V. Gregorii XIII. Conſtitutionibus, ipſo iure privati ſunt Eccleſiis omnibus, etiam cathedralibus, metropolitanis, parochialibus, atque quibuſcumque aliis eccleſiaſticis beneficiis & dignitatibus. Nam per eaſdem Conſtitutiones ſchiſmaticis ipſis ſublata eſt facultas eiſdem conceſſa a Concilio Lateranenſi conferendi atque obtinendi eccleſiaſtica beneficia. Similiter qui obtinent beneficia precibus hæreticorum, ipſo facto privati ſunt & inhabiles fiunt ad alia obtinenda, ex *cit. cap.* Quicumque II. *de hæret.* Secundo, requiritur quod orti ſint ex thoro legitimo: nam illegitime nati, ſive naturales, ſive ſpurii, ſunt incapaces beneficiorum ob irregularitatem, a qua ſolus Papa diſpenſare poteſt quoad omnes Ordines, & omnia beneficia;

Epiſcopus vero nonniſi ad primam tonſuram, minores Ordines, ac ad beneficium ſimplex. *Cap.* I. *de fil. Presbyter. in 6.* & *cap.* XX. *de elect.* Tertio, requiritur clericalis ſtatus, ſcilicet quod ſaltem prima tonſura ſint initiati, ſine qua irrita eſt omnis beneficii collatio. *Cap.* VI. *de tranſact.* & *cap.* II. *de inſtitut.* Nam beneficium fundatur in ſpirituali officio, ac propter illud confertur: cuius quidem officii incapax eſt laicus. Quod ſi beneficium ex ſua inſtitutione, lege, aut conſuetudine requirat aliquem Ordinem ſacrum; carens illo Ordine eſt ad beneficium iſtud inhabilis. *Cap.* XXII. *de elect.* Ex conſuetudine tamen ſatis eſt, ſi intra annum is Ordo ſuſcipiatur, ex *Clement.* II. *de ætat.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXII. *cap.* IV. Quarto, requiritur ætas idonea, ut ex Concilio Lateranenſi III. in *append. tit. Quibus & Quando cap.* I. & ex Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. & ex iure canonico *cap.* VII. *de elect.* Ætas autem pro varietate beneficiorum varia exigitur. Nam ad Epiſcopatum requiritur ætas triginta annorum completorum; ad Abbatias, dignitates, ac parochialia beneficia annorum viginti quinque inchoatorum: ad dignitates tamen quibus adnexa non eſt cura animarum, ſufficit annus viceſimus ſecundus completus; & ad beneficia ſimplicia annus quartus decimus inchoatus a Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VI. requiritur. Ad Canonicatum vero Eccleſiæ cathedralis iure novo requiritur annus viceſimus primus; quia adnexum habet Subdiaconatum: ex conſuetudine tamen confertur etiam habenti annum quartumdecimum. Quinto, ut promovendus ſit cælibs, ideſt non uxoratus: ita ut ſi clericus minorum Ordinum matrimonium ineat, ipſo iure beneficium amittit, ſi aliquod habet. Ita communiter ex Concilio Lateranenſi III. in *append. cap.* Si quis clericorum I. *cap.* Sane II. *cap.* Quod ad te III. V. & VIII. *de cleric. coniug.* Unde uxoratus admitti non debet ad beneficia; niſi forte perpetuam voverit caſtitatem, & qui unicam & virginem habuiſſet uxorem: ut habetur *cap.* II. *eod tit.* Sexto, quod promovendus nullo ſit innodatus cenſuræ vinculo, & irregularitate, etiam occulta. Quare incapaces ſunt eccleſiaſtici beneficii excommunicati excommunicatione maiore, ſuſpenſi, interdicti: ita ut collatio beneficii quæ illis fieret, iure ipſo nulla eſſet & irrita, ut ex *cap.* Cum dilectus VIII. *de conſuetud.* & *cap.* Ad hæc I. *de poſtulat. Prælat.* Dicitur, *excommunicati excom-*

municatione maiore: quia ſi beneficium conferatur excommunicato excommunicatione minore, vel hic ad illud eligatur, collatio & electio non eſt ipſo iure nulla ac irrita; ſed ſolum per iudicis ſententiam irritanda, ut colligitur ex *cap.* Si celebret x. *de cleric. excommun. miniſtr.* Item irregulares: *cap.* Henricus *de cleric. pugnant. in duel.* Septimo, requiritur probitas morum. *Cap.* VII. *de elect.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *cap.* I. Nam maxime refert, Eccleſiæ ac Dei miniſtros ornatos eſſe virtutibus: utpote qui exemplo, monitis, & precibus debent alios inpietate promovere. Si tamen fieret improbo collatio; non eſt ipſo iure irrita, ſed irritanda: niſi crimen eſſet ex iis quibus adnexa eſt cenſura vel irregularitas, ut ex *cap.* XI. *de exceſſ. Prælat.* Unde cum infamia ex perditis moribus incurratur, & maxime dedeceat miniſtros Eccleſiæ tali macula inficiari; infames inhabiles ſunt ad eccleſiaſtica miniſteria & officia, ideoque ad beneficia, ex *reg.* VIII. *iur. in 6.* ubi hæc habentur: *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Rota *Part. XII. deciſ.* 105. *num.* 6 Octavo, ſcientia pariter exigitur: ea nempe quæ ad omnia munia beneficio adnexa recte peragenda requiritur. Ex *cap.* VII. *de elect.* ex Concilio generali Lateranenſi III. & ex Tridentino, & ex ipſa beneficiorum inſtitutione maniſeſtiſſime patet; cum propter officia obeunda inſtituta ſint beneficia. Immo ſi beneficium eſt curatum; ipſius incapaces ſunt & inhabiles, qui loqui neſciunt in idiomate illius nationis in qua curam gerere debent, ut ex Conſtitutione VI. Urbani VIII. quæ incipit *Sanctiſſimus*. Nono, corporis aptitudo: ea videlicet quæ ad officium præſtandum neceſſaria eſt. Unde cæcus & mutus incapaces ſunt beneficii, utpote qui recitare non valeant horas canonicas. Cæcitas tamen ſuperveniens non privat beneficio prius acquiſito. Item furioſi, mente capti, laborantes morbo caduco. Rota *Part. II. deciſ.* 190. *num.* 3. *&* *deciſ.* 236. *num.* 2. Decimo, divina vocatio ad clericalem ſtatum, & ad beneficiorum officia, præcipue curata: quia nempe promovendi ad beneficia & ad ſacra miniſteria debent eſſe vocati tamquam Aaron in lege veteri, & præelecti ſicut Apoſtoli in nova. Nam ad ipſum Deum ſpectat ſibi miniſtros eligere per vocationem: alioquin promotus ſe exponeret periculo perpetuæ damnationis; cum hic ſtatus graviſſimis multiſque obligationibus ſit obnoxius. Undecimo, neceſſaria eſt in promovendo ad beneficium eccleſiaſticum intentio perſeverandi in ſtatu eccleſiaſtico, & Ordinem muneri ſuo neceſſarium ſuſcipiendi: niſi forte occurrat poſtea iuſta cauſa quæ ad alium ſtatum eum advocet. Beneficia enim eccleſiaſtica inſtituta ſunt & deſignata pro iis tantum qui ſtatuerunt ſe ſtatui eccleſiaſtico ac Eccleſiæ miniſterio mancipare: ita ut ſi beneficium reciperet cum intentione fruendi fructibus beneficii, donec uxorem convenientem inveniret, vel ſtudia abſolverit; vel reſignandi illud alteri; vel alia conſimili intentione: ſecundum communem ſententiam ac teſtimonium Leſſii citati hic a P. Antoine, mortaliter delinqueret; nec talis eſſet abſolvendus, donec mutaret intentionem aut beneficium dimitteret. Et ita ſentit etiam Toletus. Quoad fructus tamen perceptos, docent plurimi, hunc non teneri ad reſtitutionem; dummodo muneri ſuo ſatisfecerit: quia ius id nuſquam ſtatuit, niſi de eo qui beneficium curatum ſuſcepit ſine intentione ſuſcipiendi Sacerdotium intra annum. Et ut intentio plene adæquet debitum quod affert ſuſceptio beneficii eccleſiaſtici, præter animum permanendi in ſtatu eccleſiaſtico Ordineſque ſuſcipiendi, Dei gloria in eius ſervitio, propria perfectio, animarum ſalus, ſi beneficium a ſe ſuſcipiendum munus aliquod habeat quod circa ſpiritualem populi curam verſetur, debet eſſe ſolum motivum ſuſcipiendi beneficii ob hunc finem inſtituti, ſemota omni prava cupidine divitiarum, honoris, ac alterius temporalis commodi.

§. XLI.
De obligationibus beneficiariorum.

Variæ ſunt obligationes quæ beneficiariis quibuſcumque generatim incumbunt. Primo videlicet, ut deferant habitum & tonſuram clericalem. Secundo, ut quilibet beneficiarius omnia ſui beneficii munera vitæ ſanctitate & decenter impleat & exerceat, principaliter ad gloriam Dei, quæ eſt finis inſtitutionis officiorum ſeu beneficiorum in Eccleſia; non ſecus intuitu fructuum beneficii percipiendorum, niſi ſecundario & remote ob ſui ſuſtentationem. Tertio, tenentur ex iuſtitia quotidie integrum divinum Officium recitare, ſive in ſacris ſint, ſive non, ſive beneficia inſtituta ſint poſt, ſive antequam imponeretur onus recitandi horas canonicas: cum nulli nunc beneficium niſi cum tali onere concedatur; ita ut ſit veluti contractus quo datur ut fiat. Quarto, reſidere debent in loco beneficii ad munia beneficii

ficii peragenda. Quinto, fructus beneficii legitime diſpenſare adſtringuntur. Sexto, unum tantum ſufficiens beneficium debent poſſidere.

De habitu & tonſura clericali deferenda, ac de implendis muneribus beneficii ſermo redibit, ubi præcipuas certorum ſtatuum & officiorum obligationes ſigillatim indagandas ſuſcipiemus. Cum autem ea quæ de horarum canonicarum recitatione, de reſidentia, & de fructuum beneficialium diſtributione ibi dicenda occurrent, levi calamo perſtringantur: idcirco conſentaneum cenſui, de iis quæ ibi breviter ſtrictimque, dicuntur ſermonem hoc loco inſtituere.

§. XLII.

De horis canonicis recitandis a beneficiariis.

Expendimus iam, dum ageremus de horis canonicis, ea quæ reſpiciunt obligationem beneficiariorum, qui in Eccleſiis cathedralibus vel collegiatis eas publice in choro recitare tenentur, ad percipiendas quotidianas diſtributiones quæ diſpenſandæ ſunt ſolummodo inter eos qui earumdem horarum publicæ recitationi interſunt. Unde hic ſolum diſſerendum aggredimur de recitatione quæ ſaltem private fieri debet tum a beneficiariis Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum, quando non interfuerunt, vel intereſſe nequeunt publice in choro; tum ab omnibus aliis beneficiariis: ut illi præbendæ, iſti ſui beneficii fructus legitime retinere valeant, nullo excepto, cuiuſcumque generis ſint, ſive beneficia curata ſint, ſive ſimplicia. Nam beneficia eccleſiaſtica dantur propter officia, ex *cap.* Quia xv. *de reſcript. in 6.* & ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. XV. decret. de diſpenſation. *Beneficia propter officia conceduntur.* Nomen officii hic non ſolum ſignificat illa quædam munia quæ aliquibus beneficiis ſunt adnexa; ſed præcipue & principaliter recitationem divini Officii, ut ex *cap.* Dolentes IX. *de celebrat. Miſſar.* & ex Conſtitutione VII. Leonis X. incipiente *Supernæ diſpoſitioni*, necnon ex Conſtitutione CXXXV. S. Pii V. quæ incipit *Ex proximo*. Beneficiarii itaque omnes, licet ſacris non initiati Ordinibus, tenentur ex iuſtitia recitare quotidie horas canonicas, ideſt integrum divinum Officium: ita ut ſi illud, ſive in totum, ſive in parte, poſt ſex menſes pacificæ poſſeſſionis omiſerint ſine legitimo impedimento; peccant mortaliter, quotieſcumque omittant, & iuxta quantitatem omiſſionis, ideſt totius, vel partis tantum, non faciunt

Tenentur beneficiarii ad horas canonicas.

ſuos fructus correſpondentes omiſſioni, ſed eos ex iuſtitia pauperibus vel Eccleſiæ reſtituere tenentur, ut expreſſis verbis habetur in Concilio Lateranenſi V. *ſeſſ.* IX. ubi ſic legitur: *Statuimus & ordinamus ut quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis Officii & temporis, ſed eos tamquam iniuſte perceptos in fabricas Eccleſiarum huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.* Et ſimilibus verbis hanc obligationem expoſuit ac confirmavit in ſupra allata Conſtitutione *Ex proximo* S. Pius V. Sub hoc enim onere beneficia conferuntur & recipiuntur, iuxta ſupra adductam regulam: *Beneficium datur propter officium.* Et hoc docuerunt ac confirmarunt *ſeſſ.* XXI. *cap.* III. Tridentini Concilii Patres.

Nec a tali onere ullatenus excuſat tenuitas beneficii, quando ſciens tenuitatem illud acceptavit, nec dimiſit: unde in hoc nullam patitur iniuriam. Non enim excuſatur beneficiarius a reſidentia, tametſi ex beneficio ob eius tenuitatem neceſſaria victui non percipiat, ut communiter ſentiunt doctores, ex *cap.* Conquerente VI. *de cleric. non reſident.* Igitur nec ab Officii recitatione. *Sibi imputet* (ait Cardinalis in *Clement. num.* 9. *de celebr. Miſſar.* inquit) *ſi beneficium non ſit competens, qui petiit, vel ſaltem conceſſit ad hoc intitulari, & retinet.* Nam diſtrictior eſt obligatio horarum canonicarum recitationis, quam reſidentiæ: cum plurima beneficia reſidentiam non requirant, ut ſunt præſtimonia ac præſtimonialium portiones; & tamen qui illa obtinent, tenentur ad Officii recitationem. Ita expreſſe ſtatuitur in *Extra.* S. Pii V. iam antea laudata *Ex proximo.* v. *Declarantes* ubi cum loquatur de beneficiis, quatenus huic oneri ſunt obnoxia, utitur verbis univerſalibus: *Et qualiacumque beneficia*: quæ verba comprehendunt etiam minima. Ubi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Omnia autem iura ad Officium obligant beneficiarios omnes ſine exceptione, ut conſtat ex Lateranenſi Concilio, Toloſano celebrato anno MDXC. & Burdigalenſi anno MDLXXXIII. Et hæc eſt communior ſententia contra aliquos qui probabiliter docent, non teneri beneficiarium ad divini Officii recitationem, niſi habeat ſaltem tertiam mediocris ſuſtentationis partem ex fructibus beneficii. Quare in quocumque beneficio, ſive pin-

Tenue beneficium eos non excuſat.

pingue ſit, ſive tenue, contrahit beneficiarius in conſcientia aliud onus ac debitum: nempe quotieſcumque omittat Officium, ſive in toto, ſive in parte, reſtituendi fructus qui Officio vel horæ omiſſæ poſt ſex menſes pacificæ poſſeſſionis pro rata correſpondeant, ex *cit. Decret.* Concilii Lateranenſis V. & Conſtitutione S. Pii V. decretum hoc confirmante, eoſdem fructus in fabrica beneficiorum vel in pauperum eleemoſynas impendendo. Dixi *poſt ſex menſes pacificæ poſſeſſionis*: quia ſicuti ante poſſeſſionem ius nullum beneficiarius exercere, nullaſque functiones obire poteſt; ita æquum non eſt ut eius onera antea ſubeat, iuxta regul. v. iur. in 6. *Qui ſentit onus, ſentire debet & commodum*. Nam ante poſſeſſionem beneficium, etiamſi collatum ſit, cenſetur adhuc vacans; & non ſecus vacans cenſetur Officium privatum. Verum quidem ceteroquin eſt, quod differens ſua negligentia beneficii poſſeſſionem, tenetur ſub mortali, ut Pontaſius docet, ad recitationem divini Officii: quia iuxta regul. xxv. in 6. *Mora ſua cuilibet eſt nociva*. Secus vero, ſi impediatur, & pro viribus illam tentet. Item hi qui ante initam poſſeſſionem magnos quoſdam fructus beneficii actu percipiunt, ut in certis contingit, utpote qui iam fruantur præcipua beneficii parte. Licet autem non teneatur beneficiarius ad fructuum reſtitutionem, niſi poſt ſex menſes pacificæ poſſeſſionis; tenetur tamen prima die qua poſſeſſionem obtinuit, ad divini Officii recitationem, ac ideo ad portionem fructus beneficii pro rata reſtituendam.

Secus, ad reſtitutionem tenentur. Varii caſus reſolvuntur.

Ad hanc reſtitutionem tenetur beneficiarius in conſcientia ante omnem iudicis ſententiam, ut definitum fuit ab Alexandro VII. anno MDCLXV. in proſcriptione propoſitionis quæ ordine eſt 20. *Reſtitutio a Pio V. impoſita beneficiariis non recitantibus horas, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam iudicis: eo quod ſit pœna*. Neque hanc reſtitutionem cenſetur compenſare poſſe beneficiarius per eleemoſynas quas antea largitus ſit, etiam ex fructibus beneficii propter quos ad horas recitandas tenetur: ut manifeſte patet ex poſteriore decreto quo idem Alexander VII. die XVIII. Maii anno MDCLXVI. alteram damnavit propoſitionem num. 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit*. Satisfacit quidem per eleemoſynas quas poſt omiſſas horas elargiatur; licet non cogitet de tali debito ſatisfaciendo, neque expreſſe dare intendat ad hanc exſolvendam obligationem. Nam per eleemoſynam quam poſtea impartitur, ponit opus quod in pœnam eſt præceptum, ideoque ſatisfacit præcepto; cum virtualis intentio dantis eleemoſynam ſit ut per illam ſatisfaciat omni ſuæ obligationi. Sic Lugo, Layman, aliique. Non liberatur tamen a debito reſtitutionis qui Officium quod omiſit, aliis ſequentibus diebus recitat: nec ille qui ſola præſentia adeſt in choro, dum horæ recitantur. Non primus: quia onus reſtituendi impoſitum eſt omittenti recitationem quotidianam horarum divinarum; quæ cum cuilibet diei affixa ſit, altero die impleri nequit. Non alter: quia ſatis non eſt ut ſatisfiat huic debito ſimpliciter audiendo recitantes divinum Officium; ſed ab ipſo beneficiario recitandum eſt vel totum per ſe ipſum, vel alternative in choro, vel private etiam cum ſocio, dummodo attentionem adhibeat ad partem quam recitat chorus vel ſocius, ut ex Bulla toties laudata. Hinc Alexander VII hanc damnavit propoſitionem, quæ numero eſt 21. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet*.

Si quis autem non ſponte, ſed coacte beneficium accipere obſtrictus fuiſſet, & metus quo coactus fuit, eſſet gravis: certe hic non teneretur ad Breviarii recitationem, niſi vel de novo in beneficii collati acceptionem conſentiat; vel eiuſdem fructus qui iam non dantur niſi propter officium, percipiat; vel metus fuerit levis, cum hic non tollat libertatem etiam in iis quæ plenam exigunt libertatem, ut eſt matrimonium & religioſa profeſſio. Ceterum, ſi metus qui gravis fuit, ceſſet, & ipſe perſeveret in repugnantia habendi beneficium: tenetur beneficium renuntiare. Pontas *caſ. XIV. de divin. Offic.*

In caſu vero quod duo contendant de beneficio, & ambo poſſeſſionem inierint, & ius utriuſque ſit dubium: neuter ad horarum recitationem tenetur; cum talis poſſeſſio non ſit pacifica, nec ius ullum certum tribuat. Onus enim certum ex iure admodum incerto ſequi non debet. Si autem alterutri de iure ſuo certo cônſtet, ſive ex iuriſperitorum quos conſuluit, ſententia, ſive aliter, ideſt quod etiamſi de litis ſucceſſu certus non ſit, tamen pro interim ei adiudicata fuerit beneficii poſſeſſio: certe hic tenetur ad Breviarii recitationem.

Hic

Digitized by Google

Hic enim de facto fructus beneficii percipit; vel gravis & valde probabilis ei ſpes eſt illos percipiendo.

Difficultas vertitur, an beneficiarius privetur ex omiſſione Breviarii fructibus omnibus correſpondentibus iis diebus quibus recitationem omiſit, dum implevit alia beneficii munia? Et cenſent aliqui, ut Suarez, Reginaldus, Azorius, Navarrus, omnibus privari: eo quod Concilium Lateranenſe dicit generaliter, Officium negligentes non facere fructus ſuos; & ſine ulla diſtinctione & exceptione loquitur etiam S. Pius V. ideſt ſive beneficia ſint curata, ſive ſimplicia. Alii tamen, & non pauci, & meo iudicio probabilius, contrarium ſentiunt ac docent: nempe non teneri niſi ad partem fructuum omiſſo Officio reſpondentem, ſpectata quantitate redituum & onerum. Cum enim alia onera beneficio adnexa, puta prædicatio, miniſtratio ſacramentorum, celebratio Miſſæ, pariter in Eccleſia ſint munia quæ veluti proprio ſuo nomine dicuntur officia, ac cum horis canonicis veniant vi regulæ iuris: *Beneficium datur propter officium:* hæc etiam concurrunt ad inſtituendum ius percipiendi beneficia, ideſt beneficiorum fructus, qui ſunt loco ſportularum quæ antiquitus pro huiuſmodi aliiſque ſimilibus officiis quæ peragi ſolebant in Eccleſia, tribuebantur. Idcirco beneficia quæ earumdem diſtributionum locum tenent, intelligenda ſunt non ſolum propter divini Officii recitationem, ſed etiam propter alia officia quæ ratione beneficii peragenda ſunt: ac proinde in obligatione reſtituendi fructus ob defectum recitationis Breviarii in huiuſcemodi beneficiis illi ſolummodo adiudicandi ſunt debito reſtitutionis qui correſpondent oneri Officii divini, non vero qui aliorum officiorum oneribus correſpondent, ita ut ſatis ſit, ſi hoſce tantum reſtituat qui Officium divinum neglexerit. Et in hoc ſenſu decretum Concilii Lateranenſis & Conſtitutio S. Pii V. intelligenda eſt: nempe de fructibus correſpondentibus horis canonicis; non de iis qui accenſendi ſunt aliis qui ob alia officia ſeu miniſteria rribuuntur. Et intelligi debet pro materia ſubiecta, vel ſaltem ea decreta non fuiſſe recepta cum tanto rigore, ſed cum hac iuſta ac rationabili moderatione: ut qui alia onera habent quibus ſatisfecerint, poſſint fructus iis correſpondentes retinere. Et hæc ſaninr mihi videtur: quidquid dicat Suarez cum aliis, legem potuiſſe punire talem tranſgreſſionem, nempe huiuſcemodi Officii omiſſionem, privatione omnium fructuum etiam reſpondentium aliis ſervitiis. Alii vero conſulunt, pro maiore conſcientiæ ſecuritate petendam eſſe compoſitionem cum Sacra Pœnitentiaria. Sic P. Antoine.

Num vero beneficiarii qui ſine ſua culpa nullum fructum percipiunt ex ſuo beneficio, teneantur ad horarum divinarum recitationem? videndum eſt, utrum ita nunc non percipiat, ut deinceps tamen percepturus ſit; puta ſi nunc non percipiat ob iniuriam hominum, ob ſterilitatem, ob belli vaſtationes, ut ceſſante ſterilitate, bello, & uſurpatorum violentia, poſtea percepturus ſit; an vero numquam ſit percepturus; ut ſi domus incendio aut aquis abreptæ perierint, vel fundi ab hoſtibus occupentur, vel fluminum inundationibus facti ſint prorſus ac perpetuo infructuoſi. Si primum: nullum occurrere deberet dubium, quidquid aliqui in contrarium ſentiant, beneficiarium non eximi ob hanc temporariam & accidentalem fructuum deficientiam ab Officii divini recitatione. Nulla enim ratio ab hoc debito nunc eum valet excuſare: quia cum fertilioribus annis abundatiores fructus percipit, non plus pro fundatore precatur; idcirco ad perfectam æqualitatem non minus orare debet, quando uno aut altero anno, aut nullos aut pauciores fructus percipit. Quoad alterum vero caſum, ideſt quando ſpes nulla affulgeat fructus in poſterum percipiendi, diſcrepant in hoc Theologi. Nam quidam etiam plures numero ſuſtinent, in tali omnino deſperata fructuum perceptione, ideſt in hac totali ac perpetua deficientia beneficii, non teneri ad Breviarii recitationem: cum beneficium detur propter officium. Nullus enim beneficiarius neque ex ſe, neque ex fundatorum intentione ſe obligat ad ullum onus ſeu officium ſine aliqua ſtipendii perſolutione: & beneficii fundatio eſt quidam contractus do ut des, vel do ut facias; ita ut ſi una pars non impleat, nec altera implere teneatur. Alii ex oppoſito volunt, non obſtante hac perpetua fructuum beneficii deficientia, adhuc obſtringi lege & obligatione recitandi divinum Officium: quia, aiunt ipſi, & inter ipſos P. Medina, quando beneficia inſtituta ſunt, ſimul impoſita eſt obligatio perpetua Officii; licet fieri nequeat quin aliqui eiuſmodi caſus decurſu temporis contingant. Qui autem beneficium ſemel acceptat, ſicuti omnia iura & emolumenta percipit, etiam ſuſcipit in ſe omnia pericula, & cum periculis ſe obligat,

ligat, ad omnia eius onera ex tacito pacto ipſum inter & Eccleſiam. Inſuper ſi, ut ſupra ſtatutum eſt, qui tenue poſſidet beneficium, ex vi clericatus & tituli, non præcipue ſtipendii reipſa inſufficientis, horas perſolvere debet: idem dicendum etiam occurrit in noſtro caſu. Nam ad quid titulum beneficii ſumit, & in eius poſſeſſione perſeverat, qui vult ita ſe gerere, ac ſi reapſe beneficio careret? Et obligatio huiuſmodi beneficiarii omni fructuum perceptione ab aliquo fortuito caſu ſpoliati manifeſtiſſime probatur exemplo illius qui dum omnes beneficii fructus reſignanti dimittit per modum penſionis, ut omnes fatentur, ab horarum recitatione non eximitur, utpote qui ſponte & lubens beneficium cum tali onere ſuſcipit: cum idem eveniat in eo de quo loquimur, qui ſponte ſuſcepit beneficium ſine ulla ſpe fructus ex eodem percipiendi. Hinc non ſecus ac ille, hic quoque non eximitur a divinarum horarum penſo. Et hæc ſecunda ſententia, tametſi priore durior videatur, eſt tamen tutior ac probabilior, ac plures habet patronos. Hic tamen notandum occurrit, quod vix ullus inveniatur qui ſimpliciter beneficium ſine aliquo redituum emolumento ſuſcipiat ac retineat: niſi defectus emolumenti aliunde compenſetur; quia v. g. ſine certis reditibus alligata ſunt beneficio quædam iura aut honorifica, ut ius aſſiſtendi choro alicuius Cathedralis, vel alia utilitas. Et hæc iura quæ a multis magis quam pecunia æſtimantur, videntur officium aliquod expetere in gratiam Eccleſiæ. Quare in dubio quid pro hiſce iuribus clericus Eccleſiæ præſtare debeat, dicendum eſt, nihil ſecurius amplecti poſſe quam in hiſce aliiſve huiuſcemodi caſibus conſulere Epiſcopum, ei repræſentando beneficii mendicitatem, ac parendum eius iudicio: aut denique recurrendum ad locorum conſuetudines quibus Præſules non obſiſtant, ut deprehendatur, num generalis Officii lex recepta ſit cum hac reſtrictione, Niſi beneficiorum reditus ſint nimis tenues. Nam talis conſuetudo cenſeri nequit æquitati adverſari: tum quia in talibus beneficiis cenſeri poteſt, quod recitatio Officii B. Mariæ Virginis, & aliquibus diebus Officium maius ſit ſervitium exiguis correſpondens reditibus; tum quia beneficiarii illi communiter tenentur ad certum numerum Miſſarum, qui tenues illos reditus ſatis compenſant. Sic Habertus, Tournely, aliique.

Ad quid tenean. tur pen. ſionarii. Habens penſionem clericalem ſuper eccleſiaſtico beneficio conſtitutam non tenetur ad recitationem Breviarii, ſed ad recitationem Officii B. Mariæ Virginis. Et ad hoc ſub mortali & pœna reſtitutionis: tum quia ſic ſtatutum fuit in citata Conſtitutione S. Pii V. ubique iam circa hoc recepta; tum quia, ut notant Navarrus, Fagnanus, Pontas, aliique, & præcipue Suarez, hodie penſio non ſecus ac beneficium confertur propter officium. Et hoc onus contingit etiam in clerico, qui conveniſſet penſionis ſuæ redemptionem, ut tenet Tournely. *Dixi penſionem habens clericalem:* quia qui habet penſionem laicalem ob aliquam non ſpiritualem operam quam Eccleſiæ præſtat, organa v. g. pulſando, ad nullius magni vel parvi Officii recitationem conſtringitur. Conſequentes præſtimonia ſeu præſtimonias, ut a S. Pio V. appellantur (idest penſiones quæ abſtrahuntur a beneficiis, & deſignantur ut iuvenes clerici ſuſtententur, dum ſtudiis vacant, ut inde Eccleſiæ inſerviant) præcipue ſi ſint perpetuæ & ad nutum non revocabiles, ſtando iuri communi, recitare tenentur ut alii beneficiarii divinum Officium, ſicuti habetur in Conſtitutione alias allata S. Pii V. Præſtimoniæ enim perpetuæ omnes habent notas beneficii, utpote quæ nonniſi clerico ab Epiſcopo conferuntur, dantur ſine pacto aut conventione, ac locum habent tituli eccleſiaſtici. Igitur qui ſentit commodum, ſentire debet & incommodum. Verum circa hoc ſtandum eſt conſuetudini locorum, vi cuius aliquibus in locis ad nihil tenentur præſtimoniarii; in aliquibus onerantur ſola recitatione quinque Pater & Ave. Sed, ut ſecurius procedatur, ſi fieri poſſit, videndæ ſunt fundationes & Epiſcopi conſulendi. Hæc Tournely. Qui habent commendam perpetuam, tenentur ad divinum Officium, utpote qui ſubſtituuntur beneficiariis titularibus cum toto eorumdem onere ſeu obligatione: & eo magis nunc, quando Commendatarii perpetui habentur pro veris titularibus, ac commenda perpetua beneficio æquiparatur, ut ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* VII. *cap.* II. *& ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVII. Etenim commenda perpetua vim habet & effectum tituli, & ius præbet perpetuum fructus percipiendi. Coadiutores vero præciſe ratione coadiutoriæ non tenentur ad recitationem horarum, tametſi inſtituantur cum futura ſucceſſione; quia nondum ſunt beneficiarii: niſi forſan habeant ius plenum adminiſtrandi ob beneficiarii amentiam aut ſimilem infirmitatem, vel aſſumantur ad totum onus beneficii in defectu beneficiarii; cum in tali caſu teneantur

& præſtimoniati. Commendatarii. Et coadiutores.

ad

ad totum onus ad quod ſunt aſſumibiles. Iuvenes ratione ſtudiorum non eximuntur ab huiuſmodi obligatione: cum a Concilio Lateranenſi ſupra laudato comprehendantur in ſuo decreto per vocem *Quilibet:* & beneficium non datur niſi propter officium.

§. XLIII.

De obligationibus beneficiariorum qui ex natura ſuæ præbendæ addicti ſunt choro.

Quamvis, dum ageremus de horis canonicis, expoſita ſint ea quæ reſpiciunt publicam earum recitationem quæ fit in Eccleſiis cathedralibus & collegiatis, in quibus beneficiarii, cuiuſcumque generis ſint, ſive Canonici, ſive manſionarii ac præbendati, ſive alii alio titulo ſint ex corpore eorumdem beneficiariorum, tenentur quotidie intereſſe ad horas canonicas cum aliis publice in choro recitandas; nihilominus non abs re futurum iudico, ſi ſaltem ſummatim huiuſcemodi beneficiariorum onera iiſdem qui forſan hæc legerint, ſub oculos ponantur.

Beneficiarii igitur Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum, non ſolum ut lucrentur quotidianas diſtributiones quæ ibi fiunt ſolummodo inter præſentes, ſed etiam ut obligationem ſuarum præbendarum impleant, quæ cum, ut ſupra diximus, inſtitutæ ſint pro publica horarum recitatione (licet eas private recitando ſolvantur a debito reſtituendi ſructus) choro ad eas publice perſolvendas intereſſe tenentur: ita ut ſi aliqua legitima cauſſa eos non excuſet, mortaliter peccant ad ſuum penſum implendum non interveniendo. Immo ſi ab choro abſint ultra tempus a iure eis conceſſum, præter mortalem reatum, incurrunt etiam debitum fructus perceptos reſtituendi. Ita habetur ex *can.* III. *diſt.* XCI. *ex tit. de cleric. non reſident.* & ex Concilio Tridentino ſeſſ. XXIV. cap. XII. *Obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus quæ longius ſervitii tempus requirunt.* Et ita ſtatuere etiam multa Concilia provincialia. Et Concilia nihil plus præceperunt huiuſcemodi beneficiariis, quam ipſis præcipiat intrinſeca ratio beneficiorum quæ poſſident: quia cum iuxta intentionem Eccleſiæ & piorum fidelium qui bona ſua Eccleſiis legarunt, illa ad hoc inſtituta ſint, ut ea obtinentes intereſſe debeant choro ad horas canonicas ſtatutis temporibus publice recitandas; hoc implicito pacto ipſis collata fuere, & iidem beneficiarii ea recepere ſecundum regulam ſæpe laudatam: *Beneficium datur propter officium.* Unde ex ſtricta iuſtitia per ſingulos dies ad omnes horas intervenire, ac quiſque per ſe ipſum cum aliis divinam pſalmodiam recitare tenentur. Hinc definitum fuit a ſacra Congregatione Cardinalium die XX. Aprilis anno MDCII. Canonicos in choro per ſe ipſos non recitantes minime ſuæ ſatisfacere obligationi: ut iam nos ſuſius antea probavimus. Dixi *ad omnes horas:* cum integrum Officium, non partem recitare debeant. Et hanc obligationem ſerio & graviter inculcavit ac iuſſit clericis omnibus, etiam Canonicis choro adſtrictis, Concilium Lateranenſe IV. *cap.* XVII. *ut in virtute ſanctæ obedientiæ divinum Officium nocturnum & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent ac devote.*

Quoad quantitatem vero eorum abſentiæ a choro ultra duos aut tres menſes ſecundum Eccleſiarum conſuetudines ad incurrendam letalem culpam, ſive componatur hæc abſentia ex continuo tempore, ſive ex diſcreto ſeu interrupto; ſicuti etiam quoad exemptionem a choro con eſſam per quinquennium operam dantibus in aliquo Collegio aut Univerſitate ſtudiis ſacræ Theologiæ ac ſacrorum canonum, vel earumdem facultatum lectioni, etiam in ordine ad perceptionem fructuum ſuorum beneficiorum: iam ſatis ſuperque dictum eſt, dum ageremus de horis canonicis; ſicuti etiam quando de quotidianis diſtributionibus quæ præſentibus ſunt diſtribuendæ, abſentes a choro poſſint participare, vel non, necnon de iis qui ab eodem choro excuſantur.

Colligitur ex dictis, ut iam citato loco demonſtravimus, nulla conſuetudine vel eorum ſtatuto excuſari Canonicos a recitandis per ſe ipſos horis canonicis in choro; ita ut non ſatisfaciant ſuo debito per ſolam eorum præſentiam: cum iam ſatis manifeſte contrarium declaraverint laudata Concilia, Lateranenſe & Tridentinum. Et ita ab iis exigunt iuſtitia, vi intentionis piorum fidelium benefactorum, ac eorumdem beneficiorum inſtitutiones. Nam illi bona ſua Eccleſiis cathedralibus & collegiatis reliquerunt; & beneficia inſtituta fuere ad hoc ut qui bona fidelium & beneficia ex iis conſtituta poſſident, laudes Deo per ſe ipſos perſolvant: quod fieri nequit per ſolam choro

per-

perſonalem intereſſentiam; ita ut qui aliter facit, teneatur ex iuſtitia ad fructuum reſtitutionem.

§. XLIV.

De reſidentiam beneficiariorum.

Eccleſiæ diſciplina circa reſidentiam.

Cum antiqua Eccleſiæ diſciplina non ferret ullum initiari ſtatui clericali, niſi ſervitio adſcriberetur alicuius Eccleſiæ cui inſervire debebat; & hoc Eccleſiæ ſervitium erat titulus ſuæ Ordinationis, ſine quo nullus poterat ad Ordines promoveri: idcirco nullus tunc erat clericus qui reſidere non teneretur in Eccleſia cui erat adſcriptus, a qua vel victum in communi cum aliis clericis, vel manuales diſtributiones quæ dari non ſolent niſi præſentibus, ad ſuam ſuſtentationem recipiebat; quarum loco ſucceſſerunt beneficia ſimplicia. Quare nullum eſt beneficium etiam ſimplex, quod de iure communi non exigat reſidentiam: ut inter alios diſerte docet P. Thomaſſinus in ſua *Eccleſiaſt. Diſcipl.* Invaluit tamen, poſtquam inſtituta ſunt beneficia, conſuetudo ut quædam eorum quæ dicuntur vere ſimplicia, non exquirant perſonalem reſidentiam: niſi aliter conſtet de mente ac diſpoſitione fundatorum; ut ſunt quædam præcipue recentioris fundationis, quorum poſſeſſores hac lege inviolabiliter obſtrinxit fundator, nempe ut reſideant in loco beneficii, & illi Eccleſiæ inſerviant, interveniendo ad divina Officia quæ ibi celebrantur, canendo cum aliis, & recitando in choro divinas laudes & preces.

Beneficia tamen quæ dicuntur ſimplicia dupliciter, ut ab iis diſtinguantur quæ curam adnexam habent animarum, cuiuſmodi ſunt dignitates, Canonicatus, omniaque alia beneficia quæ in Eccleſiis cathedralibus & collegiatis inſtituta ſunt, pro chori ſervitio perpetuæ reſidentiæ inviolabile onus important: utpote non ſolum ad hoc in beneficiorum erectione inſtituta; ſed multo magis quod præcipue in Eccleſiis cathedralibus, quæ ſunt primariæ vetuſtioreſque Eccleſiæ, talia beneficia erecta ſint ex reditibus, collatis a primævis fidelibus pro ſuſtentatione ſacrorum miniſtrorum qui eiſdem Eccleſiis in divinis celebrandis officiis inſervirent. Porro ex iis reditibus vel in communi collegialiter congregati alebantur, vel iiſdem tribuebantur hebdomadariæ vel menſuales diſtributiones quæ ſportulæ vocabantur, pro eorum ſuſtentatione, ne alio diverterentur ut inter ſæcularia negotia & occupationes hanc ſibi providerent: eo vel maxime quod non multum temporis ex Eccleſiæ ſervitio eis ſupererat, ut hanc aliunde ſibi curarent. Immo cum poſtquam ſæculo XI. vel XII. inſtituta fuere beneficia, ex quo clerici non ex alterius manu attendere vel percipere debebant victuarias proviſiones, ſed per bonorum aſſignationem in erigendis beneficiis in titulum per ſe ipſos a fundis aſſignatis percipiebant; cœperunt fieri deſides in chori frequentatione: ita ut ex eorum infidelitate propriæ obligationi ſeu oneri beneficii quod poſſidebant, ſuo Eccleſiæ defraudarentur ſervitio. Idcirco Concilia generalia & provincialia quæ poſterioribus temporibus celebrata fuere, ſollicite ſuis legibus curarunt ut omnino tales beneficiarii ad onus ſuum perſolvendum adſtringerentur: pœnas pro contumacibus ſtatuendo, ut etiam fructibus beneficii privarentur, ſi diutius abeſſent; & ſi contumaces perſiſterent, etiam ex ipſius beneficii poſſeſſione deturbarentur. Ita enim habetur præcipue ex ultimo generali Concilio Tridentino, a quo *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. ſtatutum fuit quod, non obſtante quocumque ſtatuto aut conſuetudine etiam immemorabili (ut, referente Fagnano, explicavit ſacra Cardinalium Congregatio) non liceret Canonicis & aliis beneficiariis Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum abeſſe ultra tres menſes; immo minus etiam in Eccleſiis quæ iuxta ſuas conſtitutiones ab eorum beneficiatiis longius ſervitium exquirunt. Et idem Concilium Tridentinum hoc ſuo decreto innovavit ac ſtatuit quod antea etiam ſæpe ac ſæpius in aliis Synodis univerſalibus & particularibus cautum fuit ab Eccleſia, ne cum maximo beneficiariorum æternæ ſalutis detrimento Eccleſiæ debito eorum ſervitio privarentur, & Deus ea gloria quam in publicis ſacrorum miniſtrorum officiis ſemper intendit Eccleſia & pii fideles qui ad hoc proprias facultates obtulerunt ac reliquerunt Eccleſiis, vel nova beneficia inſtituerunt. Et revera reſidere, iuxta ſacrorum canonum & Tridentinæ Synodi ſenſum ac mentem, eſt deſervire: cum ſecundum Fagnanum reſidentia in beneficio importet non ſolum in loco beneficii commorari; ſed magis proprie deſervire. Reſidentia enim hic accipi non debet, ut otioſa ſit, ait idem Fagnanus; ſed ut laborioſa: ita ut non revera dicendi ſint Epiſcopi vel Parochi reſidere, etiamſi commorentur in ſua diœceſi vel parochia ut ſint canes muti non valentes latrare, cum tempus con-

Reſidere quid ſit.

cio-

cionandi & latrandi urgeat. Quare Canonici aliique huiuſcemodi beneficiarii, ut dicantur reſidere ad mentem ſacrorum canonum, tenentur divino Officio integre aſſiſtere per ſe ipſos canendo: alias eorum aſſiſtentia non ſecus ac reſidentia otioſa eſſet, deſidioſa, ac oppoſita ſpiritui Eccleſiæ in beneficiorum inſtitutione, quæ fuit providere Eccleſiam de miniſtris ad munia ſacra pro Dei cultu obeunda. Idcirco ſatis non eſt ad veram reſidentiam ad quam tenentur tales beneficiarii, ſi interſint aliquibus horis canonicis; ſed opus eſt ut omnibus ſint præſentes non ſolum perſona, ſed etiam opera recitationis vel cantus divinarum laudum & precum quæ in choro celebrantur.

Hinc notant Canoniſtæ, quod habentes præbendas liberas ab omni alio officio, puta concionandi, docendi, confeſſiones audiendi, aut ſimili alio onere non gravatas, ut rite ſuam reſidentiam peragant, non ſufficit ut ad unam aut alteram horam præſentes ſint in choro ad canendum, etiamſi ex conſuetudine talis Eccleſiæ huiuſcemodi exceptiones permittantur; ſed divinis intereſſe debent officiis omnibus ad pſallendum, ita ut excuſandi non ſint a gravi culpa qui ſine iuſta cauſa deficiunt. Nam ordo Canonicorum, non ſecus ac aliorum beneficiariorum Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum principaliter, ne dicam unice, ad divinam pſalmodiam inſtitutus eſt: nempe ut horis nocturnis & diurnis aſſiſtant ad Deum laudandum, ad gratias ei pro beneficiis agendas, ad orandum pro populo ut iram ſuam ab ipſo Deus avertat, iuxta illud Ioel. cap. II. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo*. Et hoc titulo ex bonis Eccleſiæ ſuſtentationem recipiunt. Igitur ex proprio officio & ex Eccleſiæ intentione ac voluntate ad hæc ſedulo curanda & præſtanda adſtringuntur. Dixi cum Canoniſtis, *qui habent præbendas liberas:* quia in iis quæ alio onere ſunt gravatæ, Eccleſia quaſi commutavit officium chori in aliud munus ſibi & populo magis utile & neceſſarium; unde qui illas obtinent, merito a chori officio excuſantur.

De conceſſione abſentiæ ad tres menſes. Nota, conceſſionem ſive permiſſionem abſentiæ ad tres menſes, cuius meminit Tridentinum, non ſic eſſe accipiendam, quaſi Canonici libere ac licite abeſſe poſſint a choro tanto tempore pro libito; ſed hoc ſenſu intelligendam eſſe, quod ſolum hoc poſſunt ob honeſtas cauſſas ſine ſpeciali licentia ſuperioris, ſeu quod legitima ipſius abſentiæ cauſſa Canonicorum ac beneficiariorum huiuſmodi conſcientiæ relinquatur. Immo Concilium tempus nullum conceſſit; ſed ſolum ſtatuit ne longiore trium menſium ſpatio abſint.

Hinc colliges I. cum Tournely, Canonicum qui ab aliqua integra hora ex minoribus abſit, peccare, & pro rata ad reſtitutionem teneri. Nam illæ horæ pertinent ad integritatem Officii: nec canones diſtinguunt inter maiores & minores horas; ſed indiſtincte compellunt ad Officium diurnum & nocturnum. Immo S. Pius V. ſatis expreſſe notavit eas decantandas in choro: ita ut Canonicus qui omnes vel aliquam ex his minoribus horis non decantaverit, privetur parte diſtributionum.

Colliges II. abuſivum eſſe ſtatutum quo aliqua Capitula ſanxerunt ut quis lucretur totius diei diſtributiones, modo ex ſeptem horis interſit tribus ſolummodo; vel ut quis una die in hebdomada poſſit ultra tempus abeſſe a Tridentino vel ſpeciali locorum lege ſtatutum. Capitulum enim Canonicorum non poteſt derogare legibus Concilii generalis, Tridentini videlicet a quo contrarium ſtatutum fuit *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII. *de reformat.*

Colliges III. ſimiliter vanum eſſe & irritum ſtatutum quod ediderunt quædam Capitula, ut Canonici quos Iubilatos vocant, illi ſcilicet qui per annos triginta Canonicatum poſſident in aliqua Eccleſia, ab omnibus diſpenſentur officiis, præterquam diebus dominicis & feſtis: cum nullum Capitulum derogare poſſit iuri communi, a quo ſancitum eſt ut Canonici omnes extra tempus induciarum intereſſe debeant, niſi obſtet iuſta & rationabilis cauſſa: corporalis nimirum infirmitas, vel neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas, ut ſupra ex Tridentino. Unde Archidiaconus, Theologalis, Pœnitentiarii, & ii qui ſunt de comitatu Epiſcopi, extra caſum quo ſint propter hæc officia impediti, ſi non interſint choro, mortaliter peccant, atque ad reſtitutionem tenentur: cum talis ſit Eccleſiæ intentio, quam expreſſit Concilium Baſileenſe, hæc ſtatuens: *Tollens prorſus abuſum illum quo Præpoſiti, vel Decani, aliive Officiales, ex hoc ſolum quod Officiales ſint, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt*.

Colliges IV. falſiſſimum eſſe quod aliqui putant, præceptum aſſiſtendi choro eſſe ſolummodo pœnale, nec obligare in conſcientia. Contrarium enim manifeſtiſſime patet

tum.

tum ex *cap. unic. de cleric. non reſident.* tum ex *cit. cap.* Concilii Tridentini.

Si ita tamen ſtricte reſidentiæ legibus obnoxii ſunt beneficiarii beneficia ſimplicia dupliciter poſſidentes, dum eorum officium, tametſi utile ac neceſſarium Eccleſiæ ad divinum cultum pietatemque fidelium promovendam fovendamque, non tamen tantæ utilitatis eſt ac neceſſitatis, ſicut in beneficiis curatis; cuiuſmodi ſunt epiſcopalia & parochialia, a quibus tamquam a capite præcipue pendet tota fidelium pietas eorumque ſalus, utpote quæ inſtituta ſunt ad communicanda populo omnia ſacra Eccleſiæ beneficia ad eorum fidem, Chriſtianam perfectionem, & ſalutem per verbi Dei prædicationem & ſacramentorum aliorumque ſacrorum adminiſtrationem, ita ut tales beneficiarii ſint magiſtri, patres, doctores, paſtores, cuſtodes gregis Chriſti: quanto maior erit eorum obligatio ut in propriis beneficiis operoſe reſideant? Idcirco de Epiſcoporum & Parochorum reſidentia verba facturi, propius ad rem accedamus.

§. XLV.

De Epiſcoporum & Parochorum debita reſidentia.

Chriſtus Dominus, dum elegit Apoſtolos non ſolum ut magiſtros, ſed etiam ut Paſtores ſuæ Eccleſiæ per ſe ipſos ſuo ſanguine fundandæ, eis præcepit, & eorumdem nomine quibuſcumque qui eorum loco ſucceſſuri erant in animarum cura ac regimine, oves ſua agnoſcere, pro iis ſacrificium offerre, verbi divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, omniumque bonorum operum exemplo paſcere: immo cum voluiſſet Petrum totius Eccleſiæ caput conſtituere, in trina interrogatione de ipſius erga eum amore, ſemper eidem impenſe inculcavit ut ſi ipſum amaret, ſicuti teſtabatur, paſceret eius oves: *Petre, amas me?... Paſce oves meas.* Clare igitur conſtat, animarum curatores, Epiſcopos videlicet & Parochos, teneri iure divino & naturali in loco ſuæ Eccleſiæ per ſe officium præſtare, paſcendo ſpirituali pabulo ſuum & Chriſti gregem, ac eius ſalutem & utilitatem ſpiritualem promovere quantum valeant, opera virtutum inſpirando, vitia ac ſcandala, quantum fieri poteſt, impediendo. Ita perſuaſum erat prioribus Eccleſiæ ſæculis, teneri Paſtores apud fideles ſuæ Eccleſiæ reſidere, & ut amantes patres ac vigilantes cuſtodes inceſſanter excubias agere ſuper ſuum gregem, eumque ſpirituali pabulo enutrire: ut ne cogitaverint quidem umquam quæſtionem inſtituere de onere reſidendi quod Paſtoribus animarum ſtrictiſſime incumbit; ſicuti ex quorumdam Paſtorum evagatione factum eſt hiſce corruptis temporibus, ut ſuper re tam certa & evidenti inſtitueretur diſputatio, ne dicam potius, cavillatio.

Quam neceſſarium ſit, ut Epiſcopi ac Parochi permaneant inceſſanter apud ſuam Eccleſiam, nec alias fidelium curam cuſtodiamque alicui ſubſtituto mercenario committant, manifeſte demonſtrat Chriſtus Dominus exemplo boni paſtoris, & famuli mercenarii: quorum prior, quia ipſius ſunt oves, propriam vitam periculo exponit ut a lupo eas ſervet; econtra vero mercenarius, quia non eſt paſtor, nec ipſius ſunt oves, ſi videat lupum venientem, fugit, & oves dimittit, unde lupus eas rapit & diſpergit. Fugit autem mercenarius: quia cum ſit mercenarius, & non paſtor ovium; nihil ad eum pertinet de ovibus, ſive ſalvæ permaneant, ſive pereant. Ita enim fit, quando Paſtores, ut evagentur, aliquem ſtatuunt, pacta mercede, ad Eccleſiam in ſua abſentia populumque regendum. Cum enim hic vicarius ſit, ideſt non Epiſcopus, non Parochus illius Eccleſiæ & populi, ſed purus mercenarius: adveniente diabolo ad diſpergendam populi pietatem, & vitia in ipſo ſeminanda & ſcandala; hic quia mercenarius eſt, & non paſtor, nec ipſius ſunt oves, fugit, ideſt ſilet, nec nullatenus ſe opponit ingruentibus, ſed relinquit vitia germinent & peccata. Paſtoralis reſidentiæ neceſſitas.

Suſcipere alicuius Eccleſiæ paſtorale regimen, ſemper iudicatum fuit in Eccleſia ſpecies quædam ſponſalium: unde Paſtor Eccleſiæ tamquam ſponſæ velut matrimonio copulatur. Hinc non ſecus ac uxores, mortuo marito, viduæ vocantur; quando Eccleſiæ vacant, ideſt ſuo carent capite ſeu Sacerdote earumdem paſtore, dici ſolent viduatæ paſtore: & Patres ac Concilia priorum Eccleſiæ temporum damnabant tamquam quoddam adulterium ab una tranſire ad aliam Eccleſiam, ſeu priorem derelinquere ſponſam, & alteri uniri. In tali enim ſenſu accipiendum etiam eſt illud Apoſtoli I. *ad Timoth. cap.* III. ubi inter Epiſcopi requiſita recenſetur quod debeat eſſe unius uxoris vir: nempe unius Eccleſiæ paſtor & ſponſus. Quare ſicuti maritus carnalis tenetur perpetuo cohabitare cum uxore ad pro-

Digitized by Google

prolem propagandam, & ad bonam familiæ gubernationem; ita ſponſi ſpirituales Eccleſiarum, Epiſcopi videlicet & Parochi, debent continuo commorari & reſidere in ſua Eccleſia, ut eorum miniſterio progenerent fideles animas Chriſto & cælo, ac familiam totam, diœceſim ſcilicet vel parochiam, ſanćte pieque regant gubernentque, filios ſpirituali pabulo alendo, ac ſalutaribus inſtructionibus atque monitis ad viam æternæ ſalutis dirigendo. Sic hortatur & incitat D. Petrus *Epiſt. I. cap. v.* Paſtores omnes animarum, ut pabulum quod ex divino Chriſti præcepto gregi ſuo præbere tenentur, ſolliciti præſtent: *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum .... forma facti gregis.*

Quare cum proximis ſæculis quæ præceſſerunt Concilium Tridentinum, invaluiſſet horribilis ac lacrymabilis abuſus, ut Paſtores Eccleſiarum immemores ſtrictiſſimæ obligationis quæ ex divino præcepto & ratione ſuſcepti muneris ipſorum conſcientiis incumbebat, in ſuis reſpectivis Eccleſiis reſidendi ad gregis ſibi commiſſi curam vigilantiamque, longe ab ipſis vagantes morarentur, vel una Eccleſia non contenti aliis ſimul præfici curarent, vel utramque, vel unam ſaltem miniſterio alicuius mercenariæ perſonæ regerent cum gravi Eccleſiarum fideliumque pernicie; idem Concilium Tridentinum tam ingenti malo ac inconvenienti mederi ac providere enixe deſiderans, oſtendit Paſtores omnes divino adigi præcepto, cuius vigore eos admonet teneri perſonaliter in ſuis Eccleſiis paſtoralibus reſidere, ac iniuncto ſibi officio fungi ſuas oves agnoſcendo: idest ſacrificium pro eis offerre; divini verbi prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, ut ipſis omnibus præcepit Chriſtus Dominus; pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere; & in cetera paſtoralia munera incumbere. Hæc autem omnia nequaquam ab his præſtari & impleri poſſunt qui gregi ſuo non invigilant. Declarat inſuper ſacroſancta Synodus, eos non poſſe a ſuis Eccleſiis abeſſe, niſi ex cauſſis quas ſigillatim in tali decreto exponit: ibique etiam decernit & declarat tum quoad culpam tranſgreſſorum, tum quoad pœnam amiſſionis fructuum aliaſve Curatis præcipue infligendas.

Et hoc Epiſcoporum Parochorumque onus reſidendi ratio ipſa manifeſtiſſime comprobat. Quicumque enim qualecumque officium ſuſcipit cum emolumento, perſonam ſuam obligat ad illas functiones quas tacite in munere accipiendo promittit a ſe, quantum res patitur, obeundas. Non enim aliter niſi hoc pacto, ſaltem implicito, officia committuntur. Neque hic ſuffragatur regula illa: *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.* Etenim hoc valet & ſufficit ut proprium munus per alium impleatur, quando res, eo quia non ſit magni momenti, non exigat quamdam peculiarem aptitudinem, zelum, ſollicitudinem, aliaque requiſita quæ in aliis non ita facile ſimul concurrunt: ut contingit in negotio curæ animarum, quæ idcirco nemini committenda eſt, niſi magna adhibita diligentia, explorando in promovendis, num habeant ea quæ requiruntur, ita ut poſſint ſuum munus fideliter implere. Unde iure ac merito munus paſtorale cenſetur communiter perſonale: cum is Paſtor conſtituatur, cuius cura, diligentia, & induſtria electa eſt ad paſtoralia munia obeunda. Et quia in re tanti momenti ſemper valde ſollicita fuit Eccleſia, ne per eorum abſentiam a ſuis reſpectivis Eccleſiis umquam muneri ſuo deficerent animarum Paſtores; cenſuit etiam opportunum, eos ſuis legibus cogere ad reſidendum in propriis Eccleſiis, officiumque ſuum ac paſtoralem curam præſtandam: ut patet tum ex toto *tit. de cleric. non reſident.* tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. *de reform.* tum ex aliis Conciliis provincialibus. Quotieſcumque igitur Epiſcopi & Parochi ſine iuſta cauſſa notabili tempore abſint a ſuis Eccleſiis; peccant mortaliter contra ius non ſolum divinum & naturale, ſed etiam eccleſiaſticum. Et ſi iuſta occurrat cauſſa ſuæ abſentiæ; curare debent per alium idoneum gregi ſuo ſufficienter providere. Et circa hoc utrumque graviter Concilium Tridentinum *loc. cit.* eorum conſcientias onerat, propoſito Dei timore: & iuſtas abſentiæ cauſſas exponit, ut videbimus infra. Ita P. Antoine cum aliis.

Et quoad obligationem reſidendi ex iure divino, nihil obſtat, quod patroni contrariæ ſententiæ opponere ſolent ſuper tali reſidentia Papam aliquando diſpenſare: unde, dicunt ii, indicat Pontifex reſidentiam de ſolo iure eccleſiaſtico, & neutiquam de iure divino ſuper quo nequit Eccleſia diſpenſare, ex *cap.* Sunt quidam XXV. *q.* I. D. Thomas I. 2. *quæſt.* XCVII. *art.* 4. *ad* 3. Nam (ut ex Richardo & Cardinali in *cap.* Cum ad Monaſterium §. Abbas *num.* 16. *de ſtat. Monachor.*) diſpenſatio accipi poteſt dupli-

pliciter : & pro iuris relaxatione ; & pro iuris declaratione. Et hoc ſecundo modo Papa diſpenſare poteſt ſuper iure divino ; illud videlicet declarando : ut factum fuiſſe conſtat ex *cap.* In omni IV. & *cap.* Licet XXIII. *de teſtib. & teſtation.* & notat Gloſſa in *dict. cap.* ubi expreſſe dicit , Papam diſpenſare in Evangelio , ipſum interpretando ſive declarando . Unde licet Papa non diſpenſet cum Epiſcopo ſuper reſidentia , ſumpta diſpenſatione proprie & rigoroſe ; diſpenſat tamen diſpenſatione ſumpta pro iuris declaratione : interpretando & declarando , ius divinum in eo caſu propter aliquam circumſtantiam non obligare . Ita Covarruvias *variar. reſol. lib. III. cap.* XIII. *num.* 9. v. *Fateor enim*.

§. XLVI.

De cauſſis excuſantibus Epiſcopum ac Parochum a reſidentia.

Dupliciter contingere poteſt , Epiſcopum abeſſe a ſua diœceſi : & ad certum non longius tempus , puta ad paucos menſes ; vel ad multos menſes , vel etiam annos , non tamen abſque ulla rationabili cauſſa . Et hæc poteſt eſſe & iuſta tantum , non tamen gravis ; & iuſta , ac ſimul gravis . Hinc Concilium Tridentinum diverſam ſtatuit regulam circa eorum abſentiam , ſecundum cauſſæ qualitatem . Certum eſt , quod ſi nulla prorſus adſit cauſſa diſcedendi ; nullatenus Epiſcopus ad nullum tempus ſuam reſidentiam deſerere poteſt . Si autem occurrat ſola iuſta cauſſa , non gravis ; indulſit Concilium ut abeſſe poſſit ad bimeſtre , vel ad ſummum ad trimeſtre , ſine ulla ſuperioris petita licentia , ut *ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. *de reform.* Si vero gravis cauſſa ei ſuperveniat ; abeſſe poterit etiam ad bimeſtre & trimeſtre , temporibus etiam a Concilio exceptis , nempe Adventus , Quadrageſimæ , Nativitatis & Reſurrectionis Domini , Pentecoſtes , & Corporis Chriſti : & in tali caſu tenetur petere licentiam a ſummo Pontifice , eidem gravem cauſſam exponendo quæ ipſum ad longiorem vocat abſentiam . Cauſſæ vero graves quibus cum debita licentia abeſſe poſſunt Epiſcopi ultra bimeſtre vel trimeſtre a ſua reſidentia , quinque allatæ ſunt a Tridentino Concilio *ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. videlicet *Chriſtiana caritas* , *urgens neceſſitas* , *debita obedientia* , *ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas* . Chriſtiana caritas intelligitur , quando urget proximorum utilitas ; ut ſi aliqua Eccleſia quæ verſatur in magno hæreſis periculo , ſuccurri poſſit per Epiſcopi prædicationem , vel ob pacem Magnatum componendam : dummodo tamen in tali abſentia non ſequatur Eccleſiæ ſuæ notabile detrimentum ; quia hoc eſſet contra ordinem caritatis . Ita cum aliis paſſim Barboſa . Urgens neceſſitas intelligitur , quando Epiſcopus reſidendo grave malum vitæ incurreret propter morbum , curabile tamen & temporaneum ; vel propter aeris intemperiem , ad aliquod tempus ; vel propter aliquam perſonalem perſecutionem ; vel ob inimicitias ; vel ob Principis vel populi furorem declinandum : dummodo tamen ex tali abſentia non immineat ſuarum ovium ſpirituale detrimentum , quia v. g. ſtudeat tyrannus vel hæreticus nocere ovibus in ſpiritualibus ; quia in tali caſu debet potius omne periculum etiam vitæ ſubire quam deſerere gregem : *Bonus enim paſtor dat animam ſuam pro ovibus ſuis* : (Io. cap. x.) ut fecerunt S. Thomas Cantuarienſis , S. Staniſlaus Cracovienſis , aliique plurimi . Debita obedientia intelligitur , quando Papa propter aliquod negotium ad ſe vocat Epiſcopum : idcirco Cardinales Romano Pontifici aſſiſtentes iuſtam habent cauſſam ut abſint a ſuo Epiſcopatu . Ita Azorius & Barboſa . Evidens Eccleſiæ utilitas , quando nempe abeſt Epiſcopus ad defendenda ſuæ Eccleſiæ iura ; vel vocatus accedit ad Concilium generale vel provinciale , quamdiu ſcilicet perdurat Concilium . Ita communiter . Evidens Reipublicæ utilitas , ideſt ſi abſit Epiſcopus pro utilitate ſuæ civitatis aut totius regni ; ut cum mittitur Legatus ad Pontificem ſeu ad Regem pro tractandis negotiis fidei , aut pro pace componenda , ubi alius quam Epiſcopus dextere tractaturus non facile invenitur : & , exigente evidenti Reipublicæ utilitate , poteſt etiam eſſe Legatus & Orator Principis ſæcularis , ut ex *cap.* Cum parati XIX. *de appellat.* & *cap.* Si Epiſcopus XII. *diſt.* XVIII. & cum aliis pluribus Barboſa .

Quæ cauſæ Epiſcopum excuſent a reſidentia.

Epiſcopus ſolummodo de licentia Papæ eximi poteſt a reſidentia ſui Epiſcopatus , ut in Curia Regum fungatur munere & officio regii Præſidis , Conſiliarii , Proregis , Confeſſarii , & eiuſmodi : ſi talis hominum huiuſcemodi daretur penuria , ut alii ſatis idonei minime reperiantur qui talia officia præſtare valeant . Ita Azorius .

Tempore peſtis , decretum Concilii Tridentini pro Parochorum reſidentia multo magis valet & vigere debet pro Epiſcopis , ob

ob maiorem eorum obligationem: ac proinde hi etiam cum periculo vitæ remanere debent in ſua reſidentia, quæſitis tamen, ſi velint, locis in ea potioribus; & inde ſpiritualibus indigentiis ſui gregis providere. Sic ſtatuit Gregorius XIII. anno MDLXXVI. ut refert Fagnanus *lib. III. decretal. in cap.* Clericus XVII. *de cleric. non reſident. num.* 46. *&* 47. Immo, ſicuti alias, nec tunc pariter, licet habeat ſuum coadiutorem, cenſeri poteſt exemptus ab onere reſidendi: ſicut declaravit ſacra Congregatio Epiſcoporum in *Neapolit.* XXIV. Martii MDXCVII.

Poteſt autem Epiſcopus reſidere in quolibet loco ſuæ diœceſis, præcipue ſi aeris inclementia ſit ei moleſta: dummodo pergat ad ſuam Eccleſiam cathedralem temporibus a ſacro Concilio Tridentino requiſitis *ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. Non debet tamen removere Vicarium & tribunal a civitate: ut declaratum fuit a ſacra Epiſcoporum Congregatione die XXVIII. Ianuarii MDCIII. & alias. Non poteſt vero ob inclementiam aeris eui ſubiacet epiſcopalis civitas, præter trimeſtre extra diœceſim morari: præſertim ſi intra fines diœceſis aliqua ſint loca aeris ſalubrioris, ubi ſine periculo degere poteſt. Nec contraria conſuetudo ullatenus ipſi ſuffragatur. Unde a Metropolitano cogi poteſt ad reſidentiam, iuxta decretum Concilii Tridentini & Clementis VIII. qui ſuo conſiſtoriali decreto inhibuit Epiſcopis ne remaneant longe a ſua reſidentia, niſi obtenta licentia per Breve, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, amiſſionis fructuum, facultatis teſtandi, & Eccleſiarum adminiſtrationis, ipſo iure incurrenda, aliiſque pœnis arbitrio Papæ inferendis. Tournely. Ceterum, exigente etiam ſola iuſta, non tamen gravi cauſſa, bimeſtre aut ad ſummum trimeſtre conceſſit Epiſcopis Concilium Tridentinum *loc. cit.* ſingulis annis (& hoc confirmatum fuit etiam ab Urbano VIII.) ut poſſint abeſſe a ſua diœceſi, præterquam temporibus Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis & Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, quibus diebus tenentur apud ſuam cathedralem Eccleſiam reſidere: ita ut aliter ſuæ obligationi non ſatisfaciant, niſi munera epiſcopalia eos alio vocent. Ceterum ſi hiſce diebus abſint, non incidunt in pœnas a ſacro Concilio Tridentino ſtatutas contra abſentes ultra trium menſium intervalla. Dixi *ſine gravi cauſſa*: quia, uttiam noviſſime Benedictus XIV. ſtatuit, non indulget hoc tempus Concilium, ut pro libito utantur, & iuſtitia cauſſæ ſuæ conſcientiæ remittatur; ita ut pro tali tempore non teneantur eam ſuperiori exponere, licentiamque diſcedendi expetere. Quod ſi ultra tres menſes ſine iuſta cauſſa, & petita licentia, abſit a ſua reſidentia; peccat mortaliter: & ſi perſeveret in ſua abſentia ad ſex menſes; incurrit pœnam amiſſionis quartæ partis fructuum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* VI. *cap.* I. Epiſcopus abſens a ſua Eccleſia ultra tempus a iure ſtatutum, & commonitus non rediens ad reſidentiam, videtur habere Eccleſiam pro derelicta; & poteſt ea exſpoliari per Papam ſine citatione & ſententia. *Cap.* Qualiter IV. *de cleric. non reſident.*

Epiſcopus, ſi habeat præter Epiſcopatum alia beneficia aut dignitates eccleſiaſticas quæ reſidentiam exigant, ab hac liberatur, dum reſidet in ſua diœceſi. Sic decretum fuit a ſacra Congregatione Concilii, ut eum aliis Barboſa *Collect. Apoſt. deciſ.* v. *Epiſcopus circa reſidentiam num.* 8.

Sicuti autem Epiſcopo ad trimeſtre conceſſum fuit a Tridentina Synodo ut ex iuſta cauſſa abeſſe poſſit a ſua diœceſi; ita etiam Parochis ab eodem Concilio *loc. cit.* indultum fuit ut ad bimeſtre, iuſta interveniente cauſſa, a ſua Eccleſia abſcedere poſſint. Verum Epiſcopum inter & Parochum, quoad talem eorumdem abſentiam, hæc intervenit differentia: quod Epiſcopus non tenetur pro ſuo trimeſtri licentiam petere a ſuperiore, cauſſamque ſuæ abſentiæ eidem exponere, ſed ipſius conſcientiæ hoc relinquitur; Parocho vero ex iure incumbit ut etiam ad bimeſtre eius abſentiæ, ex legitima cauſſa a Tridentina Synodo conceſſum, abſcedere non valeat a ſua reſidentia ſine licentia Epiſcopi. Barboſa in *Sum. Apoſt. deciſ.* v. *Parochus quoad reſidentiam num.* 6. Fagnanus *lib. III. decretal. cap.* IV. *de cleric. non reſident. num.* 3. aliique, qui omnes teſtantur, ſacram Congregationem Concilii cenſuiſſe, Parochos ſine tali licentia ne una quidem hebdomada diſcedere poſſe: quæ licentia, cauſſa cognita, in ſcriptis concedenda eſt. Sic Barboſa *de off. & poteſt. Paroch. Part. I. cap.* VIII. *num.* 55. *& ſup. Concil. Trident. ſeſſ.* XXIII. *de reform. cap.* I *num.* 27. Leſſius, aliique contra Navarrum, qui vult in duobus menſibus a Concilio conceſſis poſſe Parochum, ſive continue, ſive diviſim, ex iuſta cauſſa abeſſe ſine Epiſcopi licentia. Sed nemo non videt, quantum ſententia Navarri aberret a vero: cum Concilium Tridentinum *loc. cit.* claris expreſſiſque ver-

Eædem excuſant Parochum; ſed diverſo modo.

bis de eadem licentia loquatur, hæc ſtatuens: *Quandocumque eos, cauſſa prius per Epiſcopum cognita & probata, abeſſe contigerit . . . . . . diſcedendi licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſſa, non obtineant*. Quid clarius deſiderari poteſt? Immo ex verbis ipſius Concilii clare colligitur, ſatis non eſſe pro abſcedendo petere licentiam; ſed requiri ut in ſcriptis concedatur: ita ut, ſi a Prælato ei denegaretur, ſine recurſu ad ſuperiorem qui compellat Ordinarium ut illam eidem impertiatur (ut declaravit ſacra Congregatio Concilii, referente Fagnano *loc. cit. num.* 13.) abſcedere nequeat. Si tamen occurrat aliqua repentina gravis cauſſa quæ tempus non concedat pro recurſu ad Ordinarium, quia ita periculum ſit in mora, ut dilationem non admittat; tunc Parochus, relicto idoneo Vicario, diſcedere poterit ſine licentia ſuperioris a Concilio exquiſita: cum neceſſitas non habeat legem, ut ex *cap.* Quoniam I. *q.* VII. & *cap.* Quod non eſt licitum IV. *de regul. iur.* Tenetur tamen, quanto citius fieri poteſt, certiorem reddere Ordinarium de ſuo diſceſſu & de urgente neceſſitate, ut is de cauſſa cognoſcat, ac licentiam concedat; niſi brevi ſit reverſurus. Sic Abbas, Fagnanus *loc. cit. num.* 14. aliique.

Parochus abeſſe nequit a ſua parochia, etiam relicto in ea idoneo Vicario approbato cum congrua mercede, ut doceat in civitate Grammaticam; licet alius idoneus ad hoc munus non inveniatur, & ipſe ſingulis diebus feſtis ad Eccleſiam ſuam accedere vellet. Sic ſacra Congregatio Concilii, referentibus Gonzalea, Barboſa, aliiſque. Si tamen Parochus habeat ſuam Eccleſiam in civitate; poteſt ibi ſacram Scripturam in publica Univerſitate legere: dummodo tamen ex hoc nihil animarum cura per ipſum exercenda detrimenti patiatur, ut a ſacra Congregatione declaratum fuiſſe cum aliis refert Barboſa.

Parochus ex alio loco oriundus propter aeris intemperiem extra parochiam habitare nequit, tametſi ibi idoneum Vicarium approbatum relinquat; adeoque etiam tempore peſtis omnino reſidere tenetur, ut ſi diſcedat, contra ipſum procedendum ſit. Poteſt tamen per alium miniſtrare ſacramenta baptiſmi & pœnitentiæ, ut pro utroque caſu declaravit ſacra Congregatio, teſte Barboſa cum aliis *loc. cit. num.* 13. & 16. Parochus item nequit abeſſe a ſua parochia, etiam relicto idoneo Vicario ab Epiſcopo approbato, ſine Ordinarii licentia, ut ſacra Congregatio reſpondit, referentibus Garzia, Barboſa, aliiſque. Immo ubi adſit talis Ordinarii prohibitio, non poteſt ſine tali licentia ultra biduum abeſſe, ſicuti eadem ſacra Congregatio declaravit apud laudatos Garziam & Barboſam. Et hoc prohibere poteſt Epiſcopus ſub pœna pecuniaria arbitraria; dummodum dimidium non excedat: non tamen ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut iuxta teſtimonium Garziæ & Barboſæ declaratum fuit a ſacra Congregatione *ad ſeſſ.* XXIII. *Concil. Trident. cap.* I. *de reform.* Ubi tamen non adeſt talis prohibitio, docent doctores, poſſe per unum & alterum diem abeſſe ſine Ordinarii licentia, idoneo Vicario ab Ordinario approbato interim hic relicto. Et eſt communis, ita approbante univerſali recepta conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres. *Cap.* Cum dilectus LXXXI. *de conſuetud.* Nam iuxta antiquos canones hac brevi abſentia videtur non abeſſe; cum ſtatim ſit reverſurus. Immo Barboſa *de offic. & poteſt. Paroch.* aliique volunt, ſine Ordinarii licentia poſſe Parochum abeſſe ex cauſſa ſibi legitime viſa per ſex aut ſeptem dies; dummodo idoneum & ab Ordinario approbatum Vicarium relinquat.

Hæc facultas concedendi licentiam Parochis intra tempus a Concilio Tridentino præſcriptum ex iuſta cauſſa non fuit Ordinariis adempta, ut declaravit ſacra Congregatio, teſtibus Garzia, Barboſa, aliiſque, per Conſtitutionem S. Pii V. evulgatam menſe Iunio MDLXVIII. ſuper reſidentia Canonicorum habentium beneficia parochialia. Nomine vero Ordinariorum veniunt etiam aliqui Epiſcopo inferiores, ut ſunt Abbates aliique iuriſdictionem habentes in proprium territorium, ſicuti etiam Capitulum, Sede vacante. Ordinarii igitur concedere poſſunt Parochis licentiam ut abſint a ſua Eccleſia ad bimeſtre, ob quamcumque iuſtam cauſſam: veluti etiam honeſtæ recreationis, viſendi ſuos conſanguineos ac etiam amicos, & huiuſmodi. Ultra vero bimeſtre hanc indulgere nequeunt niſi ob aliquam gravem cauſſam, ut clare habetur ex Concilio Tridentino *cit. ſeſſ.* XXIII. *de reform. cap.* VII. Cauſſæ vero graves ob quas concedi poteſt Parochis licentia abſcedendi ultra bimeſtre, ſunt eædem quas ſupra notavimus, aſſignatæ a Concilio Tridentino *loc. cit.* quoad Epiſcopos: videlicet *Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas*. Sic Barboſa

Digitized by Google

boſa *de offic. & poteſt. Paroch.* Et cum hæc cauſſæ, ſicut generaliter, ita individualiter eædem ſint quoad Parochos ac Epiſcopos; hinc ſupervacanea videtur earum individualis explicatio, utpote quæ videri poſſint, ubi eas expoſuimus agentes de iiſdem cauſſis gravibus Epiſcopos a reſidentia excuſantibus. Parochi ſtudiorum cauſſa poſt Concilium abeſſe nequeunt a ſuis parochiis; nec talem licentiam eis concedere poteſt Epiſcopus: neque eis ſuffragatur, ſi forſitan detur, ut ex declaratione ſacræ Congregationis Concilii ſub die VIII. Maii MDXCV. apud Barboſam in *Summ. loc. cit. num.* 18.

Epiſcopus non poteſt uti opera Parochi in viſitatione vel in alio ſuæ Eccleſiæ ſervitio ultra duos menſes iuxta Tridentinam Synodum alias laudata *ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. *de reform.* Idcirco non poteſt eumdem occupare in aliquo officio ſuæ Cathedralis, Vicarii ſcilicet, Viſitatoris, Secretarii, Fiſcalis, & huiuſmodi, ut ſacra declaravit Congregatio, teſtibus Garzia & Barboſa: quia cum ſint officia incompatibilia in eadem perſona; ut bene exerceat alterum ex iis officiis, alteri deficeret, iuxta declarationem ſacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium in *Meſſan.* XIX. Ianuarii MDCIII. Hoc tamen intelligendum eſt de Parochis ruralibus extra civitatem, non de iis qui Eccleſiam habent in civitate: & multo magis, ſi habeant etiam extra Diœceſim. Adde, quod non excuſatur ne propter officium quidem quod habeat Inquiſitoris, ut Barboſa *loc. cit. Summ. num.* 24. ex ſacræ Congregationis ſententia.

Parochus qui iuſtam cauſſam fingendo quam revera non habet, licentiam obtinet, peccat letaliter, & reſtituere tenetur fructus in tali abſentia perceptos. Nam Concilium ad fructus iuſte percipiendos in ſua abſentia duo requirit: nempe iuſtam cauſſam, eiuſque approbationem ab Ordinario. Hinc cum prima deſit in præſenti caſu, quia eſt falſa; altera inutilis erit: quia tota ratio fructus percipiendorum pendet a iuſta cauſſa. Ita Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. Part. III. alleg.* 53. *num.* 99. *de offic. & poteſt Paroch. Part. I. cap.* VIII. *num.* 60. & alibi paſſim.

Pœnæ contra Parochos non reſidentes.

Parochus ſine legitima cauſſa & licentia ſui Ordinarii non reſidens in ſua parochia, præter mortale peccatum quod incurrit (niſi brevitas temporis eum excuſet, ſicut limitat Fagnanus in *cap.* IV. *de cleric. non reſident. num.* 41.) pro rata ius non acquirit ſuper fructus; quos proinde reſtituere tenetur, ut habetur expreſſe ex Concilio Tidentino *cit. ſeſſ.* XXIII. *cap.* I. *de reform.* ubi etiam addit fructuum eorumdem reſtitutionem faciendam eſſe irremiſſibiliter fabricæ Eccleſiæ vel pauperibus, ut locum habere nequeat quævis compoſitio. Et ad hanc reſtitutionem tenetur ſtatim in conſcientia ſine ulla iudicis ſententia, ut ex *cit. cap.* ubi declaratur, non requiri ad talem reſtitutionem ullam citationem vel monitionem. Quod ſi Parochus contumaciter perſeveraret in ſua abſentia; ſtatuit Concilium Tridentinum remedia ut compelli poſſit, uſque ad privationem beneficii, ſicuti expreſſe habetur loco alias laudato *ſeſſ.* XXIII. *de reform.* Dicitur ſecundum verba ac ſenſum cit. cap. *poſſe compelli uſque ad privationem beneficii*: ex quo ſatis clare patet, quod Parochus non reſidens, etiam monitus, non eſt hodie ipſo iure privatus beneficio, ſicuti erat olim in veteri Eccleſiæ diſciplina (ut ex *cap.* Conquerente VIII. *de cleric. non reſident.* & ex aliis ſimilibus, præcipue & ſignanter *cap.* Extirpandæ XXX. §. Qui vero *de præbend.*) alias ſtatim procedendum eſſet ad declarandum illum privatum, & non eſſet in Epiſcopi arbitrio quo remedio ex relatis in *cit cap.* Concilii Tridentini uti vellet: quod dici nequit; cum ſacra Congregatio (referente Fagnano *lib. III. Decretal. in cap.* Ex tuæ XI. *de cleric. non reſident.*) in contrarium declaraverit. Proinde ut Parochus non reſidens beneficio privetur, non eſt neceſſe quod prius procedatur per alias pœnas; nempe per cenſuras eccleſiaſticas, ac ſequeſtrationem, & fructuum ſubtractionem, aliaque iuris remedia: quidquid in contrarium dicant alii ex quodam decreto ſacræ Congregationis Concilii VI. Decembris MDCLXV. Nam in hoc decreto loquitur ſacra Congregatio de caſu ſpeciali: nempe de procedendo contra Parochos tempore peſtis non reſidentes, contra quos tunc vult ut non priventur ſuo beneficio, niſi prius aliæ pœnæ per ordinem præmitterentur. Extra vero illud tempus reliquit Epiſcopi arbitrio, ex altero ipſius decreto antea allato, ut procedat contra non reſidentes remedio quo voluerit: nempe vel cenſuris, vel ſequeſtratione, vel fructuum ſubtractione, vel beneficii privatione.

§. XLVII.

De pluralitate beneficiorum.

Poſita certiſſima obligatione beneficiariorum beneficia poſſidentium quæ perſonalem in eorum Eccleſiis reſidentiam expoſtulant, ſtatim ex hoc capite manifeſtiſſime patere incipit præcipua ratio incompatibilitatis plurium ſimultaneæ poſſeſſionis ſaltem huius generis beneficiorum. Sicut enim nemo naturaliter eſſe poteſt eodem tempore cum perſona ad realiter phyſiceque agendum diverſis in locis; ſic non poteſt eodem tempore in disiunctis locis implere officia quæ de iure exigunt eamdem perſonam quæ beneficium poſſidet, utpote quod propter officium confertur, ideſt confertur hæc proviſio perſonæ, ut hoc peragat officium. Præterea cum proventus eccleſiaſtici a nemine licite percipi queant, niſi quantum ei ſufficiat ad decentem ſtatus clericalis ſuſtentationem; quando ex uno beneficio hæc habeatur, ulterius quærere & accipere, eſt iniuſta ac ſacrilega rerum eccleſiaſticarum uſurpatio, ac idem eſt ac res eaſdem furari.

Pluralitas beneficiorum prioribus Eccleſiæ ſæculis erat impoſſibilis.

Prioribus Eccleſiæ ſæculis, quando nondum inſtituta erant beneficia, & quod vicem beneficii gerebat, ab Ordine non disiungebatur, beneficia tunc non aliud erant quam officia quæ nonniſi cum Ordine conferebantur, nec aliud erant quam muneris accepti Ordinis exercitatio, pro qua (ideſt pro ſervitio a clericis initiatis Eccleſiæ præſtito) non aliud beneficium clericis conferebatur ad eorum ſuſtentationem, quam diſtributiones quæ ſportulæ dicebantur, ſcilicet portio quædam bonorum Eccleſiæ, quæ omnia tunc in communi poſſidebantur; ſicuti nunc fit præcipue in Cœnobiis & Congregationibus Regularibus, quales ſunt Congregationes Presbyterorum ſæcularium Oratorii & Miſſionis: ita ut, licet non in ſingulis de clero eodem modo ac menſura, ſed pro cuiuſque labore ſportulæ ſeu diſtributiones diſpenſarentur; ſic tamen illæ fiebant, ut ſervatis religioſiſſimis legibus quas dictaret paupertas, amor pauperum, caritas, nihil alicui deeſſet, ſupereſſet nihil. Nam ex iiſdem Eccleſiæ bonis non ſolum clerici, ſed etiam pauperes, orphani, viduæ ſuſtentari debebant. Ita P. Thomaſſinus. Unde ſicuti quicumque clericali Ordini initiabantur, non ſolum initiabantur propter officium, ſed prout etiam miniſtri qui tale officium peragerent in aliqua Eccleſia, vel ſaltem regulariter loquendo, quia valde utiles ad talia officia ob Eccleſiæ decorem; ſic in ipſa collatione Ordinis & officii illius Eccleſiæ ſervitio adſcribebantur, ut eidem inſervirent, ac ab ipſa pro eorum ſervitio ſuſtentationem reciperent, quæ nonniſi ſibi inſervientibus ab Eccleſia tribuebatur: ita ut ſi a ſervitio Eccleſiæ quis receſſiſſet, non amplius ei diſtributiones conferebantur. Proinde ſicuti non poterant clerici eodem tempore duabus Eccleſiis inſervire; ita duplicem diſtributionem, ſcilicet duplex beneficium a diverſis Eccleſiis percipere ſeu obtinere non poterant. Cum igitur ordinari ad aliquam Eccleſiam eique in ipſa ordinatione adſcribi eſſet beneficiarium conſtitui, iuxta illius temporis diſciplinam; pluribus Eccleſiis adſcribi & intitulari idem erat ac plura beneficia in diverſis Eccleſiis obtinere. Hinc intelligitur, quod ubi canones antiqui vetant quemcumque duabus Eccleſiis adſcribi vel intitulari; reipſa prohibuerunt plura beneficia in diverſis Eccleſiis ab eodem poſſideri. Et in hoc ſenſu veriſſimum eſt, iampridem ſacris canonibus pluralitatem beneficiorum fuiſſe vetitam. Ita Van-Eſpen.

Eius origo.

Non potuit igitur ſerpere in Eccleſia pluralitas beneficiorum, niſi ubi exoleſcere cœperunt primigeniæ leges uſuſque ſanctiſſimi priorum ſæculorum: poſtquam videlicet cœperunt ordinari clerici ſine ullo actualis officii minorum Ordinum exercitio, ideſt ſine ulla functione quam obirent in Eccleſia; poſtquam collati ſunt Ordines illis etiam qui nulli Eccleſiæ adſtringerentur; poſtquam beneficiariis non diſtributiones tantum, ſed & agri ac prædia cœpere diſtribui, ſecto in portiones Eccleſiæ patrimonio; poſtquam non in commune tantum, ſed privatim cœpere Eccleſiæ bona poſſideri; poſtquam non amplius ſpectata eſt Eccleſia ut pauperum omnium procuratrix & altrix, ex quo frugaliter & diſcrete ſuos alebat miniſtros, ut ſupereſſet quod in egenorum omnium alimoniam refunderet. Hæc omnia mutata ſunt, & ſerpſerunt in Eccleſia pedetentim in temporali ac ſpirituali ipſius adminiſtratione. Unde emerſit illa in cleri diſciplina portentoſa fœditas, de qua dolent gemuntque mirum in modum pii & cordati homines: alios rebus neceſſariis deſtitui, dum alii ſacras opes & patrimonia pauperum otio & luxu diffluentes dilapidant. Ita diſerte laudatus P. Thomaſſinus in ſua *Eccleſiaſt. Diſcipl. Tom. II. lib. II. cap.* 1.

Initio tam peſtiferi deteſtabiliſque abuſus occurrit Concilium Chalcedonenſe, dum ne

hoc

Digitized by Google

hoc malum radices ageret in Eccleſia Dei, ac illæſa & firma ſervaretur æquitas ac ſanctitas religioſiſſimæ veteris diſciplinæ circa unius tantum beneficii vel officii poſſeſſionem quod quiſque clericus obtineret, dum Ordini initiaretur in Eccleſia cuius ſervitio in hac ſua promotione fuerit adſcriptus, vel ad alterius miniſterium fuerit a ſuo Epiſcopo tranſlatus, ſtatuit *can.* x. ne quis clericus duabus Eccleſiis inſcribatur; iubetque deturbari ex ea Eccleſia cui inſeri ambitioſus anhelaverat, & in eam remitti cuius pertæſus fuiſſe videbatur, cum in ea tamen ordinatus fuiſſet. Si vero iam ſecundæ Eccleſiæ inſcriptus fuerat; abſtinere poſt hac iubetur regimine & proventibus prioris, eiuſque Capellarum aut Xenodochiorum. Si qui ſecus aliquid tentaverint; hi pluralitati beneficiorum quaſi præluſores canonica depoſitione exauctorentur.

Ex huiuſce canonis ſenſu manifeſte aperitur ſcaturigo unde erupit inſigne malum pluralitatis beneficiorum, quod paulatim ſerpens tandem cum maximo eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimento Eccleſiam totam pervaſit. Nempe cum ex novis Oratoriorum ac Xenodochiorum fundationibus quæ prioribus ſæculis, reddita Eccleſiæ pace, identidem fiebant, clericalia officia multiplicarentur in Eccleſia: aliquando opus erat transferre clericos a priore Eccleſia cui ſua initiatione adſcripti fuerant, ad officium alicuius novi Oratorii ac Xenodochii; aut ipſi etiam clerici allecti cupiditate inanis gloriæ pertendebant ad ea potiora confugere, ipſiſque adſcribi. Dum autem iam conſortes erant emolumentorum novæ Eccleſiæ, callide ſtudebant ſibi reſervare & retinere proventus etiam prioris Eccleſiæ a qua diſceſſerant: & ita duo beneficia in ſe ipſis eodem tempore accumulare. Hinc ſolliciti Patres Concilii Chalcedonenſis ut tam teterrimam peſtem ab Eccleſia Dei diverterent, damnarunt tranſlationes per ipſos clericos pertentatas ab una ad aliam Eccleſiam, iuſſeruntque ut deinceps perpetua ſtabilitate illi Eccleſiæ affigerentur cui ordinatione ſeu vocatione divina eſſent illigati. Et ſi tranſlati iam ſint; vetant eiuſdem Concilii Patres ne ullatenus participent de bonis ſeu proventibus prioris Eccleſiæ a qua receſſerant, ſub pœna depoſitionis iis qui contrarium agere auſerint. Immo ut meliore modo quo poterat Synodus Chalcedonenſis mederetur huic malo pluralitatis beneficiorum, iuſſit ac ſtatuit *can.* vi. ne in poſterum quiſquam abſolute ordinaretur, niſi adſtrictus alicui Eccleſiæ urbis, aut vici, aut Oratorii, aut Xenodochii, aut Monaſterii: declarando irritas habendas eſſe Ordinationes vagas. Nulla enim erant tunc beneficia ſimplicia, vel reſidentiæ lege ſoluta: unde & illud conſequens eſt, ut nulla eſſent quæ cum aliis beneficiis ſociari poſſent.

Hiſce poſitis, plura poſſidere beneficia, prorſus illicitum eſt, utpote quod iuri omni adverſetur, ideoque ſemper apud Eccleſiam Dei inviſum ac deteſtabile, cuicumque etiam dignitate inſignito, ſtricte ab eadem in pluribus Conciliis generalibus damnatum fuit ac vetitum; cum maculet ac deſtruat unum ex principalioribus punctis ſeu regulis, a quo maxime pendet pietas, iuſtitia, ac religioſitas ipſius diſciplinæ: qui vero hanc pluralitatem ſine legitima cauſſa in ſe ipſo accumulare inquirit, redditur avaritiæ & ambitionis ſuſpectus. Vix, ut iam notavi, hic graviſſimus morbus ſerpere cœpit, ſtatim acriter ſe oppoſuit Eccleſia; & ne ſuccreſceret, omni vi illud eradicare ſtuduit & contendit. Et hoc factum fuit, ut antea retuli, per Concilium Chalcedonenſe *cit. can.* x. & *can.* xv. in quo Patres ipſius Synodi expoſuere rationes quæ ipſos ad proſcribendum vetandumque hunc tam teterrimum abuſum moverunt: quæ revera graviſſimæ ſunt. Namque non ita facile contingere poteſt accumulatio ſeu poſſeſſio plurium beneficiorum; eodemque tempore in duabus Eccleſiis intitulari ſeu adſcribi eſt quædam negotiatio ac turpe lucrum, ab eccleſiaſtica conſuetudine prorſus alienum ac pariens incompatibilitatem utrique Eccleſiæ fideliter inſerviendi, iuxta Chriſti monitum Matth. cap. xxiv. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet*. Proinde eiuſdem Concilii Patres cum Apoſtolo præceperunt ut in quo quiſque vocatus eſt, debeat permanere, & in una Eccleſia illius ſervitio aſſidere, ne fiat turpe lucrum in eccleſiaſticis negotiis. Sic Van-Eſpen. Et poſterioribus ſæculis quandocumque hunc abuſum repullulare ſenſit Eccleſia, eodem ardenti zelo ipſum de medio ſui cleri tollere ac deturbare enixe curavit: ut factum fuit in Concilio Lateranenſi III. a quo plurium eodem tempore ab eodem clerico beneficiorum poſſeſſio, nulla interveniente iuſta ac rationabili cauſſa, ut iniuſta ac illicita proſcripta eſt atque damnata; ſicuti habetur in *append. eiuſd. Concil. tit. Uni plura* & *cap.* Sancto-

Omni iuri eſt contraria.

rum 11. *diſt.* lxx. & *cap.* Quia in tantum *de præbend.* ubi Alexander III. ait, quod multitudo præbendarum canonibus inimica *diſſolutionis materiam & evagationis inducit, certumque animarum periculum continet*. Præterea in *extra.* Execrabilis *de præbend.* exponit Ioannes XXII. varia incommoda quæ ex tali abuſu enormi patitur Eccleſia: nimirum hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur, divinus cultus minuitur, Eccleſiæ ſuo defraudantur ſervitio ac protectione, animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculoſe præbetur.

Verum cum poſt Lateranenſe Concilium denuo hic invaluerit abuſus pluralitatis beneficiorum, ut tempore Tridentini Concilii non ſolum plura ſimul poſſiderentur beneficia ſimplicia, ſed etiam curata, immo ipſi quoque Epiſcopatus, ut permultæ Eccleſiæ ac diœceſes ſuo carerent Paſtore, & per ſubſtitutum vicarium regerentur; idem Concilium Tridentinum maiore qua potuit vi ſtuduit ac curavit ut tam ingens malum tandem ab Eccleſia penitus exſtirparetur. Et quia hic abuſus præcipue graſſabatur ex beneficiariorum abſentia; prius de hoc agere ſtatuit, ipſoſque cogere beneficiarios ad reſidentiam: nam, hac poſita, cum naturaliter incompatibile ſit in duobus diſſitis locis adeſſe; ſic invincibilis opponitur obex ad plura ſimul poſſidenda beneficia, præcipue curata aliaque ex ſua inſtitutione perſonalem reſidentiam exigentia. Verum cum non ita facile fieri poſſet ut debita perſonalis reſidentia intenta a Concilio ſuam praxim obtineret, ac proinde ceſſaret ſimultanea plurium beneficiorum poſſeſſio quam penitus exſtirpare peroptabat Concilium: hinc ut hæc pia intentio effectum conſequeretur, *ſeſſ.* VII. *cap.* II. *de reform.* ſtatuit, neminem etiam quacumque dignitate fulgentem plures in poſterum metropolitanas ſeu cathedrales Eccleſias in titulum ſeu commendam aut alio quovis nomine contra ſacrorum canonum inſtituta ſuſcipere ac retinere præſumat. Tum *cap.* IV. circa plura curata aliaque huiuſce generis incompatibilia eccleſiaſtica beneficia, ſive per viam unionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine ac titulo, decrevit ut quicumque contra formam ſacrorum canonum, & præſertim Conſtitutionis Innocentii III. quæ incipit *De multa*, huiuſcemodi beneficia de cetero recipere aut ſimul retinere præſumpſerit, beneficiis ipſis iuxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem ipſo iure, etiam præſentis canonis vigore, privatus exiſtat. Tandem *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVII. *de reform.* talem abuſum radicitus evellere cupiens, decretum edidit quod obſervari iuſſit in quibuſcumque perſonis quocumque titulo, etiam Cardinalatus honore fulgeant: videlicet *ut in poſterum unum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem ſi ad vitam eius cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri*. Et hoc decretum extendit ad omnia quæcumque beneficia cuiuſcumque generis quæ perſonalem exigunt reſidentiam, ſive ſæcularia ſint, ſive regularia: ita ut ſicuti inter clericos ſæculares nemo habere poteſt duo beneficia curata, vel curatum & præbendam in Cathedralibus, dummodo per vicinitatem Eccleſiarum utrique abſque neutrius præiudicio inſervire queat; ſic regularis non poteſt ſimul poſſidere duas Abbatias v. g. aut Prioratus, quorum neutri per ſe poſſit aſſiſtere. Unde ex Concilio Tridentino concludendum eſt, beneficia eſſe incompatibilia, ſi perſonalem reſidentiam exquirant, ſive ratione curæ, ſive ratione ſervitii; ut duo Epiſcopatus, duæ Parochiæ, Canonicatus & Parochia quæ in diſſitis locis extent, duo Canonicatus, ſive in eadem, ſive in diverſa Eccleſia. Et ſic explicata remanet ac firmata differentia beneficiorum compatibilium & incompatibilium antiquitus inaudita & incognita, dum beneficia omnia etiam ſimplicia, ſcilicet animarum curam non habentia, perſonalem reſidentiam exquirebant.

Ex duplici capite eſt incompatibilis.

Hæc autem pluralitas beneficiorum ab eodem ſimul retentorum quam adeo ardenti zelo inſectata eſt Eccleſia, ac ſæpe ſæpius conata eſt ut tam noxium malum funditus eradicaret, generatim loquendo, ex duplici capite redditur incompatibilis: ſcilicet vel ex ipſa beneficiorum inſtitutione ac conditione; vel quia cum ex bonis ſeu proventibus eccleſiaſticis percipere non liceat niſi quantum ſatis ſit ad honeſtam ſuſtentationem, quando unum tantummodo ad hanc non ſufficiat, tunc plura compatibilia, ex iis videlicet quæ reſidentiam non exigunt, accipere & retinere nefas eſt. Et quoad primum caput, incompatibilitas plurium beneficiorum ex ipſorum inſtitutione ſeu fundatione maniſeſtiſſime ex eo patet, quod beneficiorum inſtitutio eo tendit, ut plures conſtituantur Eccleſiæ miniſtri, ut perſonali officio ac exercitio in Eccleſia in qua fundata ſeu erecta ſunt, ad

ma-

maiorem Dei cultum inſerviant; ac proinde perſonalem in eadem Eccleſia ſuæ fundationis reſidentiam exquirunt. Cum igitur qui plura beneficia poſſident quæ perſonale exigunt officium, ac ideo perſonalem reſidentiam, nequeant requiſitum officium eodem tempore utrique Eccleſiæ præſtare; quia nequeunt eſſe perſonaliter reſidentes in duabus diſſitis Eccleſiis: ſequitur, quod alterutri debitum officium reddere deſinant. Porro ſic alterutra Eccleſia ſervitio fraudatur, miniſtrorum numerus minuitur, deluditur intentio fundatoris, fini fundationis cuiuſcumque ac divini officii cultui detrahitur: quod prorſus oppoſitum eſt iuri non ſolum poſitivo, a quo præcipitur ut debitum Eccleſiæ officium ſeu ſervitium præſtetur, & ne plura beneficia quæ hoc impediunt, ſuſcipiantur ac retineantur; ſed etiam naturali, quod vetat ne quis ſuo iure in iis quæ ipſi ſunt debita, fraudetur. Quocirca evidenter ſequitur, quod poſſeſſio plurium beneficiorum ſit prorſus incompatibilis & iniuſta ex ipſa beneficiorum inſtitutione quæ perſonale officium exigunt: ac proinde nemo plura huiuſcemodi beneficia tuta conſcientia retinere poteſt, ut ex *cap.* Ad hæc XIII. *cap.* Præterea XIV. & ex *cit. extra*. Execrabilis *de præbend.* ubi Ioannes XXII. alte ac acriter exprobrat in uno eodemque poſſeſſore pluralitatem beneficiorum, utpote quæ in Eccleſia, propter illa tot gravia incommoda ex tali abuſu ſubſequentia quæ antea recenſuimus, redditur omnino illicita; præveniendo etiam omnis iuris poſitivi conſtitutionem ſeu prohibitionem. Proinde dicta inconvenientia efficiunt ut conſuetudinem plura retinendi beneficia tamquam corruptelam & abuſum improbet Pontifex *cap. I. de conſuetud. in 6.* eo vel maxime quod ſit impudentia valde deteſtabilis, ſuſcipere ac retinere plures dignitates quæ pluribus officiis obeundis adſtringunt; cum unum officium vix digne valeat aliquis adimplere.

Ex alio pariter capite pluralitas beneficiorum incompatibilis redditur; nempe ex ſufficienti ſeu honeſta ſuſtentatione quæ ex uno tantum beneficio habeatur, quamvis ſint ex eorum ordine ſeu claſſe quæ ſecundum ſtilum hodiernæ diſciplinæ ſunt compatibilia, ut ea quæ dicuntur mere ſimplicia, nempe quæ non exigunt Eccleſiæ ſervitium ſeu perſonalem reſidentiam: quia in eccleſiaſticis negotiis hoc ſapit turpe lucrum. Unde cum hoc quoque cavere ſtuduerit circa hæc beneficia Tridentinum Concilium *ſeſſ.* VII. *cap.* IV. & *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XXIII. *de reform.* monet eos qui improbæ cupiditatis affectu plura beneficia ſimul retinere non erubeſcunt, non Deum, ſed ſe ipſos decipere; ita ut (ſicuti iam docuit Alexander III. *cap.* Quia in tantum *de præbend.*:) multitudo præbendarum canonibus inimica certum contineat periculum animarum. Item apertiſſime conſtat, hæc plurium beneficiorum incompatibilitas & iniuſtitia, quod ſingula beneficia ſuos habent adnexos proventus quibus beneficiarii tamquam Eccleſiæ miniſtri alantur. Iniuſtum autem apparet, ut unus ſtipendia pluribus Eccleſiæ miniſtris deſtinata accipiat. Præterquam quod magis augetur huiuſce abuſus iniuſtitia, quia ex hoc privantur quamplurimi qui ob eorum virtutes vel ob fortunatam inopiam merentur vel indigent adminiculo alicuius eccleſiaſtici beneficii; vel ut Eccleſia eos muneretur, quia digni ſunt, vel ut ſuccurrat, quia pauperes. Hinc ex iis etiam incommodis Ioannes XXII. in ſua alias laudata *extra.* Execrabilis *de præbend.* in communi pluralitatem beneficiorum execratus eſt. Ita enim ibi habetur: *Interdum unus qui unicum quamvis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vindicat ſtipendia, quæ multis litteratis viris vitæ puritate ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abunde ſufficere, æqua diſtributione collata.* Van-Eſpen. Et hanc in uno eodemque plurium beneficiorum incompatibilitatem, ſecluſa utilitate Eccleſiæ aut neceſſitate, quoad utrumque caput comprobat confirmatque ut iniuſtam atque illicitam D. Thomas *Quodlib.* IX. *quæſt.* VII. *art.* II. ob incommoda inordinationeſque ex Ioannis XXII. laudata extravaganti ſupra relatas, quas pluralitas beneficiorum parit. Nam de eadem loquens Sanctus Doctor *loc. cit.* ait, beneficiorum pluralitatem non eſſe annumerandam actionibus per ſe indifferentibus ad bonum & malum, ſed actionibus *quæ abſolute deformitatem vel inordinationem quamdam important: quæ tamen, aliquibus advenientibus circumſtantiis, bonæ efficiuntur. Sicut occidere hominem vel percutere, in ſe deformitatem quamdam importat, ſed ſi addatur, occidere malefactorem propter iuſtitiam, vel percutere delinquentem cauſſa diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum.* Subdit autem ibid. *In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas.* Retinens igitur ſine iuſta diſpenſatione plura beneficia, quando unum ſufficiat ad ſui honeſtam ſuſtentationem, peccat mortali-

Plura obtinens beneficia peccat lethaliter.

taliter; cum hoc opponatur naturali iuri & poſitivo: ac proinde verſatur in ſtatu perpetuæ damnationis. Unde etiam ex D. Thoma pluralitas beneficiorum, ſecluſis circumſtantiis neceſſitatis Eccleſiæ vel utilitatis, vel ſaltem ſi deficiat, ut aliqui putant, evidens meritorum prærogativa, eſt intrinſece mala. Et eo vel maxime quod ex incommodis quæ hoc inconveniens continet, profluunt etiam ſcandalorum occaſiones, & ſuppeditatur materia avaritiæ, luxui, & ambitioni. Hinc Concilium Lateranenſe III. *can.* XIV. inquit, pluralitatem beneficiorum certum continere periculum animarum; & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVII. aſſerit, hac pluralitate perverti ordinem eccleſiaſticum.

Dicet aliquis forſan, quod ſi pluralitas beneficiorum eſſet intrinſece mala, numquam eſſet licita. Reſp. ita eſſe, ſi eſſet mala in omnibus circumſtantiis, ut blaſphemia & periurium. Verum in circumſtantiis in quibus adſit neceſſitas & utilitas Eccleſiæ, non eſt amplius intrinſece mala; non ſecus ac occidere hominem malefactorem publica auctoritate: idcirco legitime poteſt a Papa diſpenſari. Et ex hoc ſoluta remanet excuſatio quam afferunt aliqui qui ſine allatis circumſtantiis plura poſſident beneficia: nempe quod a Papa diſpenſationem obtinuerint huiuſcemodi poſſeſſionis, vetitæ a iure & a Concilio Tridentino; eo vel maxime quod in litteris apoſtolicis diſpenſationis dicatur *non obſtantibus*, vel *motu proprio*. Quando enim unum beneficium ſufficiat ad honeſtam ſuſtentationem, niſi interveniant dictæ circumſtantiæ neceſſitatis & utilitatis Eccleſiæ, non licet accipere ac retinere, etiam cum Papæ diſpenſatione, plura beneficia etiam ſimplicia. Ita cum S. Thoma *loc. cit.* Bellarminus, Azorius, Reginaldus, P. Antoine. Nam Papa non eſt dominus, ſed diſpenſator beneficiorum, qui valide bona Eccleſiæ diſpenſare nequit, niſi in ipſius Eccleſiæ utilitatem ac ad Dei cultum. Et hiſce ſecluſis, quæcumque expreſſio fiat in Bullis diſpenſationis, numquam tamen cenſendus eſt Papa velle derogare Tridentini Concilii decreto, diſpenſando ad retinenda plura beneficia, quando unum illorum ſatis ſit ad honeſtam ſuſtentationem: ſed tantummodo ad ea diſpenſat, quia credit quod aliud vel alia beneficia antea poſſeſſa non ſufficiant; & quod ſecus, Confeſſarii non abſolvant eos, niſi prius talia beneficia ipſis non neceſſaria ad honeſtam ſuſtentationem dimiſerint, vel firmo animo dimittere propoſuerint.

Similiter non poteſt eos excuſare pene univerſalis conſuetudo, ita ut recte ſibi perſuadeant ab hac licitam reddi pluralitatem beneficiorum, tametſi nulla ex iſtis iuſtis cauſſis interveniat: quia, ut paſſim fatentur doctores, contraria conſuetudo etiam immemorabilis non excuſat coram Deo retinentes plura beneficia, quorum unum ad honeſtam eorum ſuſtentationem ſufficiat. Talis enim conſuetudo eſſet irrationabilis; ac ideo abuſus, & non conſuetudo: utpote contraria iuri naturali. Præterea eſſet nutritiva peccati: cum inducat vagationis, avaritiæ, ambitionis materiem & fomentum, ac nimis diminuat divinum cultum, excluſione plurium perſonarum quæ pluries legerent Miſſas, pluries horas canonicas recitarent, & pluries choro & Eccleſiæ aſſiſterent, ſi beneficia ſint ex iis quæ ſervitium exigunt & reſidentiam; ubi unus ſolus pluribus cumulatus beneficiis nonniſi ſemel horas canonicas recitat, Miſſam ſemel legit, choro & Eccleſiæ ſemel inſervit. Rurſus talis conſuetudo fundatorum intentionem everteret, qui plura fundarunt beneficia, quia voluerunt plures miniſtros in Eccleſia; privaret aliquos viros ſcientia & pietate eximios vel aliquem pauperes clericum neceſſario ſubſidio; & plurima alia induceret incommoda quæ ex Ioannis XXII. *extra.* Execrabilis *de præbend.* antea retulimus: ac proinde cum talis conſuetudo inimica ſit ſacris canonibus, & de ambitionis radice proceſſerit, eſt corruptela. Et hæc fuit mens etiam D. Thomæ *Quodlib.* X. *quæſt.* VII. *art.* 2. ubi ait, iura antiqua prohibentia pluralitatem beneficiorum continere ius naturale; & ideo non poſſe per contrariam conſuetudinem abrogari. Idem ſenſere Abbas in *cap.* Quia in tantum v. *de præbend. num.* 2. Fagnanus in *dict. cap. num.* 17. & 18. aliique.

Quando autem intelligatur beneficiarius habere quantum ſatis ſit ex uno vel pluribus beneficiis ad honeſtam ſuſtentationem, iure nullo ſtatutum eſt: & cum ob caſuum diverſitatem ulla certa regula ſtatui nequeat; idcirco relinquitur prudentum iudicio plus minuſve æſtimandum, conſideratia qualitate perſonæ, conditione locorum, temporum diverſitate, aliiſque huiuſce generis circumſtantiis. Et in defectu iudicis prudentis qui dictet, quænam cenſeri poſſit congrua beneficiarii ſuſtentatio, relinquitur ipſius beneficiarii conſcientiæ ut Deum præ ocu-

oculis habendo, ſtudioſus moderationis quæ ſtatui eccleſiaſtico convenit, præſeferat modeſtiam in veſtitu ac domeſtico apparatu, in victu religioſam frugalitatem, ac temperantiam in aliis omnibus, ne mundanam ſapiant mollitiem aut vanitatem, ſed omnia ſpirent ſimplicitatem, zelum Dei, mundanæ gloriæ & ſumptuoſitatis contemptum, ſemper memor, quod Deus qui omnia inſpicit, falli non valeat.

Niſi adſit iuſta cauſſa aut diſpenſatio. Porro, interveniente iuſta & rationabili cauſſa, ſcilicet neceſſitatis aut utilitatis Eccleſiæ, aut evidenti meritorum prærogativa, obtenta Papæ diſpenſatione, quæ cum aliqua ex his cauſſis eſt legitima & valida, licite retineri poſſunt plura beneficia non ſolum ſimplicia ſeu compatibilia, quando unum ſufficiens non ſit ad congruam beneficiarii ſuſtentationem, ſed etiam incompatibilia: ideſt ea quæ vel curam habent adnexam animarum, vel ſervitium Eccleſiæ; videlicet quæ perſonalem exigunt reſidentiam ſive ſub eodem tecto, ideſt in eadem Eccleſia, ut duo Canonicatus in eadem Cathedrali & Collegiata, ſive in diverſis etiam diſſitis Eccleſiis, licet ſint etiam parochialia, ut ex *cap.* De multo §. *fin. de præbend.* Dicitur *iuſta interveniente ac rationabili cauſſa:* alias diſpenſatio, ubi hæc cauſſa deſit, licitam non reddit plurium beneficiorum poſſeſſionem. Et eo vel maxime quod ſi Papa diſpenſet ſine iuſta cauſſa; dicendum eſt, hoc feciſſe vel victum importuna precum inſtantia (iuxta *cap.* Deteſtanda II. *de conceſſ. præbend. in* 6.) vel per falſas narrationes fuiſſe deceptum, ut iam ſæpe contingit; ac proinde, non ſubſiſtente rationabili cauſſa pro ſupplicantem allegata, non ſubſiſteret Papæ diſpenſatio, velut obreptitia vel ſubreptitia. *Cap.* Sede XV. & *cap.* ſuper XXVI. *de reſcript.*

Quod autem non ſit tutus in conſcientia & coram Deo, idcirco reus mortalis culpæ, qui nulla interveniente ex allatis rationabilibus iuſtiſque cauſſis, plura retinet beneficia (ſive incompatibilia, ſeu quæ ratione curæ animarum, ſive ſervitii Eccleſiæ præſtandi eiſdem adnexi, ex iure naturali, divino, & eccleſiaſtico, aut ſaltem ex ſtatuto aut conſuetudine perſonalem expoſtulant reſidentiam; ſive compatibilia ſeu mere ſimplicia quæ ab onere animarum curæ & eccleſiaſtici ſervitii ſunt exempta) etiam cum diſpenſatione Papæ: utpote quæ vel violenter importunitate precum, vel cauſſam rationabilem in ſupplici libello effingendo ſubreptitie vel obreptitie fuit obtenta, vel potius dicam extorta; proindeque nec eſt, nec cenſeri poteſt legitima. Eſt communis ſententia Sanctorum Patrum, Conciliorum, Theologorum, Canoniſtarum, quorum innumerabilia quæ hic congerere poſſem teſtimonia, brevitatis gratia, prætermittere cenſeo; cum hoc ſatis iam mihi videatur probatum: & quia univerſim timorati homines qui rem pie, iuſte, rationabiliter conſiderant, ita iam ſentiunt; immo ſecus cum rectæ rationis ductu ſentire nequeunt. Dixi *ex Papæ diſpenſatione*: quia licet ſine apoſtolica diſpenſatione obtineri nequeant ſub eodem tecto, ideſt in eadem Eccleſia, duo uniformia beneficia quorum utrumque ſervitium exigit per perſonalem reſidentiam, videlicet ex eorum inſtitutione idem prorſus onus habent & officium eodem tempore præſtandum, ut ſunt duo Canonicatus, duo Præſtimonia, duæ Capellaniæ eiuſdem rationis ſeu perſonalis obligationis, etiam iuſta cauſſa interveniente (tametſi alterum ſit iuriſpatronatus) dum alterum eſt ſufficiens ad congruam ſuſtentationem: poſſunt tamen, ſi unum non ſufficiat, etiam ſine Papæ, ſed ſolius Epiſcopi diſpenſatione obtineri ac retineri duo beneficia diſſimilia; nempe quæ idem non habent onus ſeu officium, nec eodem tempore, ſed diſtinctum & diviſo tempore peragendum, ſive unum ex his onus habeat reſidentiæ, ſive non, ut eſſet in diverſis altaribus pro diſtinctis diebus. Et hoc colligitur ex *cap.* Eam te VII. *de reſcript.* Immo volunt multi, quod in tali caſu opus non ſit ne Epiſcopi quidem diſpenſatione: cum ius ipſum iſtud concedat; dummodo beneficiarius, ſpectato ſtatu ſuo, altero diſſimili beneficio pro honeſta ſua ſuſtentatione vere indigeat.

§. XLVIII.

De uſu ac diſpoſitione bonorum eccleſiaſticorum.

Quia ratio tota & vis diſpoſitionis ac uſus bonorum eccleſiaſticorum ab eorum natura & conditione præcipue dependet, ut ad ipſam tamquam certam regulam attendere debeant qui illorum adminiſtrationi præficiuntur, ut ſecundum æquitatem & ſine conſcientiæ gravamine de iiſdem diſponant; hinc non pigeat revocare ad memoriam quæ antea iam diximus, dum prænotavimus quomodo, quo titulo, qua conditione illorum poſſeſſio ad Eccleſiam pervenerit.

Non-

Eccleſiaſticorum proventuum initium.

Nondum nota erat Eccleſia, ideſt dum Chriſtus Dominus adhuc cum hominibus in terris verſabatur iaciens Eccleſiæ ſuæ ſeu Chriſtianæ religionis fundamenta, cœpit ipſa Eccleſia poſſidere aliqua temporalia bona, quæ in ſolis conſiſtebant voluntariis devotis oblationibus ab iis qui ad Chriſtum convertebantur, eidem collatis. Hæ autem oblationes quæ in communi cum ſuis diſcipulis Chriſtus poſſidebat, diſtribuebantur per unum ex ipſius diſcipulis (Iudam ſcilicet Iſcariotem qui conſtitutus erat eorumdem depoſitarius & miniſter) ſecundum Chriſti Domini diſpoſitionem, in neceſſitates ipſius Chriſti Domini & diſcipulorum in prædicatione Evangelii ſecum cooperantium, & in egenorum ſubſidium ac levamen. Fundata vero Eccleſia poſt mortem & reſurrectionem Chriſti Domini, Apoſtoli qui exemplo ipſius Chriſti eorum magiſtri edocti erant circa huiuſcemodi bonorum œconomiam, ſcilicet, ſicuti a ſola fidelium pietate ac devotione accipiebantur, nonniſi in opera pietatis eſſe convertenda, ipſi quoque ea in communi poſſidebant, & quidquid eorumdem ſupereſſet ex iis quæ opus erant pro ſacrificiis ſeu altaris miniſterio, ac pro neceſſaria ipſorum aliorumque ſacrorum miniſtrorum ſuſtentatione, in opera miſericordiæ, ſcilicet in alendis viduis, pupillis, captivis, aliiſque egentibus fideliter diſpenſabant. Sicuti vero Apoſtoli a Chriſto, ita Epiſcopi ab Apoſtolis qui in eorumdem miniſterio ſucceſſere, immo tota ſimul Eccleſia idem didicit; ac proinde hic fuit ſemper communis Ipſius Eccleſiæ ſenſus, omnia quæ a fidelibus Eccleſiæ offeruntur in utilitatem & profectum ſpiritualis ſuæ ſalutis, eſſe bona dicata Deo & ſacrata: unde non ſub alia ratione ac titulo ſemper agnita fuere & expreſſa, quam *vota fidelium*, *pretium peccatorum*, *patrimonium Chriſti & pauperum*; idcirco nonniſi in pios uſus expendenda.

Eorum diſtributio.

Hinc prioribus ſæculis hæc bona, non ut propria in particulari, ſed ut bona Eccleſiæ in communi a clericis poſſidebantur, & Epiſcopus cuius auctoritati & iudicio concredita erat illorum diſpenſatio, ea iuxta priorem apoſtolicæ diſciplinæ regulam per ſuos œconomos diſtribuebat, ſicuti Apoſtoli per Diaconos ad hoc miniſterium conſtitutos; videlicet in ea quæ exigebat decus Eccleſiarum & divinorum officiorum quæ in ipſis Eccleſiis celebrabantur, in neceſſariam clericorum ſuſtentationem, & in providendis pauperibus & egenis. Et adeo ſollicita fuit Eccleſia ut hæc fideliter ſervaretur diſciplina, quod cum poſt tria priora ſæcula reſrigeſcente cleri pietate ac caritate, omnia in proprium commodum cum magno Eccleſiarum pauperumque detrimento clerici ſibi vindicarent, tanto malo mederi volentes & apoſtolicam diſciplinam inſtaurare in eccleſiaſticorum proventuum diſtributione, ſtatuerunt ſummi Pontifices ut Epiſcopi non ultra quartam partem eorumdem proventuum pro ſuo uſu retinerent, alteram quartam adiicerent clero, reliquas duas partes pro fabricis Eccleſiæ & pauperibus: quas apud ſe depoſitas cuſtodiant & ſervent, ut eorum fidei ac diligentiæ commendatas ad hoc ut, quatenus opus fuerit Eccleſiæ in eius fabrica, vel in iis quæ divino altaris miniſterio aliiſque divinis officiis peragendis occurrunt, vel in ſubveniendis pauperum indigentiis, diſpenſent. Unde poſtea præerat quidem ſumma poteſtate redituum eccleſiaſticorum diſtributioni Epiſcopus: non amplius tamen ut ſupremus iudex & arbiter; ſed tantum ut iudex & executor legis portionis canonicæ a ſuperiore Pontificis auctoritate conſtitutæ. Et hæc eſt prima partitio Eccleſiæ bonorum, non tamen immobilium ſeu fundorum ac prædiorum quæ prioribus quinque ſæculis poſſidebat Eccleſia; ſed tantum proventuum & oblationum, ut clare colligitur ex ſcriptoribus qui de tali diſciplina mentionem fecere, & inter alios ex S. Gregorio *lib. III. Epiſt.* XI. qua Epiſcopo Syracuſano mandat ut ſive de præteritis reditibus, ſive de iis quæ obvenerunt vel obvenerint, quartæ ſecundum diſtributionem canonicam diſpenſentur: & ita ſemper de tali partitione loquuntur Patres aliique rerum eccleſiaſticarum ſcriptores. Incertum eſt, ait P. Thomaſſinus, quando facta fuerit hæc eccleſiaſticorum proventuum partitio, licet aliqui attribuant Pontificibus Simplicio & Gelaſio circa V. Eccleſiæ ſæculum. Sed immerito, tametſi ante tempora horum Pontificum nemo de hoc verba faciat. Nam Simplicius loquitur de ea in ſua *Epiſt.* II. ad Severinum Epiſcopum, ut de re uſitatiſſima: & Gelaſius innovavit quidem Conſtitutionem de hac quadripartita partitione, non ſecus prior hanc inſtituit; cum (ut ex ſua *Epiſt.* IX. *cap.* XXIX relata a Gratiano) hanc ſupponat non multo quidem antea iam decretam: *Sicuti dudum* (ait in cit. Epiſt.) *rationabiliter eſt decretum*. Hac tamen partitione neutiquam immutata fuit bonorum eccleſiaſticorum natura ac diſciplina, uti volunt aliqui, ſtatuentes diviſionem bonorum

immo-

immobilium Eccleſiæ a tempore horum Pontificum, Simplicii ſcilicet & Gelaſii: quia hi Pontifices non loquuntur de partitione prædiorum, ſed redituum tantum & oblationum, ut ex verbis ipſis & ſenſu litterarum eorumdem Pontificum maneſeſtiſſime patet. Præterea ſcriptores in tota eccleſiaſtica hiſtoria de tali diſpoſitione ſolummodo proventuum & oblationum, minime prædiorum univerſim loquuntur uſque ad ſæculum fere XII. quando partitio etiam prædiorum ſive bonorum immobilium Eccleſiarum, quæ in aliquibus Eccleſiis circa ſæculum VII. & VIII. invaleſcere cœperat, completa eſt.

Quandocumque tamen bonorum immobilium ſeu prædiorum Eccleſiarum partitio contigerit, ſemper eadem invariabilis remanſit eorumdem bonorum natura & conditio: ut ſi clericis aliquid ex eorum neceſſaria ſuſtentatione ſupereſſet, ſemper tenerentur in pios uſus erogare. Etenim ſemper immutabiliter verum eſt, quod quomodocumque eadem bona clericis tribuantur, bona ſint Eccleſiæ Deo dicata. Idcirco ſemper ſunt *vota fidelium*, *pretium peccatorum*, *patrimonium Chriſti & pauperum*: nec alio titulo ea clericis conferuntur, niſi ut, ſicuti altaris miniſterio inſerviunt, ita ab altari neceſſariam ſuſtentationem recipiant iuxta Apoſtoli regulam, a quo non alius uſus ex altaris ſeu Eccleſiæ proventibus ſacris miniſtris indulgetur, niſi neceſſaria vitæ ſuſtentatio. Qui igitur altari inſervit, de altari vivat: ita tamen, ut ſi a neceſſaria vitæ ſuſtentatione aliquid ex perceptis Eccleſiæ proventibus ipſi ſuperſit, nequeat in conſcientia niſi in opera pietatis de illis diſponere. Etenim partitio eccleſiaſticorum proventuum ſtatuta fuit, ne Eccleſiæ & pauperes defraudarentur ſuo ſubſidio, quod de iure eis debitum erat, ſicuti fieri iam cœperat a quibuſdam non timoratis Epiſcopis. Porro hæc cauſſa fuit ſtatuendi hanc partitionem: non ut clerici ex portione ipſis collata, ſi quid a neceſſaria ſuſtentatione eis ſupereſſet, poſſent in conſcientia ad omnem uſum pro eorum libito etiam profanum diſponere; quod prorſus abſonum eſt a pia ſanctaque mente ſummorum Pontificum, qui partitionem hanc ſtatuerunt ac ordinarunt ut ſacra & æqua huiuſmodi bonorum diſtributio, ubi eſſet collapſa, reſtitueretur, & univerſim per totam Eccleſiam ab omnibus Epiſcopis iuxta regulam per Chriſtum Dominum, Apoſtolos, ſacroſque canones traditam inviolabiliter ſervaretur.

Diſciplina huius partitionis Epiſcopo, clericis, Eccleſiarum fabricis pro earum reparatione, & pauperibus, infirmis, ac peregrinis, uſque ad ſæculum XII. perduravit: quando univerſim obtinuit diviſio terrarum prædiorumque, bonorum ſcilicet Eccleſiæ immobilium. Etenim, licet ante hæc ſæcula pro ſportulis quæ ex dictis Eccleſiæ reditibus ſingulis clericis ſuis ſtatutis temporibus pro eorum ſuſtentatione diſtribuebantur, aliquando alicui facta ſit, durante eius vita, aſſignatio alicuius prædii, ut ex eius fructibus proviſus eſſet: hoc tamen non fiebat, quia hæc prædia eſſent portio ab aliis canonice disiuncta cum fixa aſſignatione tali Eccleſiæ vel officio, ac cum erectione in titulum beneficii; ſed ſola Epiſcopi arbitraria diſpoſitione ſine ullo titulo affixæ aſſignationis, proinde ſi hodie uno clerico aſſignabantur, illo mortuo, clerico alterius officii collata erant, aut ſaltem conferri poterant. Et quamvis ſæculo VII. & VIII. in aliquibus Eccleſiis cathedralibus facta ſit diviſio terrarum & prædiorum Epiſcopum inter & Canonicorum Capitulum, pars tamen quam obtinuit Capitulum, non ſtatim diviſa fuit in ſingulos Canonicos, & in præbendas erecta, quod poſtea contigit; ſed in communi eam poſſidebant, & ex ea vel in vita communi ſuſtentationem percipiebant, vel ſigillatim, ubi deſerta eſſet vita communis, per ſolam proventuum diſtributionem accipiebant. Poſt annum vero Chriſti milleſimum, videlicet XI. & XII. ſæculo, partitio bonorum immobilium Eccleſiarum (terrarum ſcilicet, prædiorum, decimarum, ac feudorum) quæ iam ſenſim prope annum milleſimum induci cœperat, prorſus ac univerſim obtinuit, & inſtituta fuere eccleſiaſtica beneficia: cum circa tempora Alexandri III. paſſim in Conſtitutionibus ſummorum Pontificum ac Conciliorum; immo quotieſcumque de huiuſmodi eccleſiaſticis officiis, ſive a Pontificibus, ſive a Conciliis, ſive a ſcriptoribus, & præcipue quando ſubſequentibus temporibus de eorumdem beneficiorum diſtributione, ſive per collationem, ſive per præſentationem, ſive per electionem ſermo habeatur, ſemper beneficiorum titulo ſeu nomine exprimuntur. Eorum diviſio quando contigerit.

Hic tamen ad præſens inſtitutum duo occurrunt neceſſario obſervanda. I. Quod licet aliquibus in locis occurrat, Epiſcopos (penes quos, ante hanc poſteriorem diviſionem quæ interceſſit in fundis ſeu prædiis aliiſve immobilibus bonis ab Eccleſia poſſeſſis, reſidebat ſuprema poteſtas ac iudicium quoad illorum redituum ac cuiuſcumque al-

terius

terius proventus diſtributionem) ex Eccleſiæ bonis erexiſſe ac copioſe dotaſſe Hoſpitalia & Xenodochia in egenorum ſubſidium, unde dici poſſit, hos in iiſdem locis contuliſſe portionem eorumdem bonorum quæ ad pauperes ſpectabant: paucis tamen in locis huiuſcemodi habentur veſtigia. Nam pia loca quæ ibi extant erecta, ſunt fundationes & dotationes quæ integre factæ fuerunt a fidelium pietate ſine ulla Epiſcoporum ſeu Eccleſiarum contributione. Immo ſive in prima partitione quæ fuit eccleſiaſticorum proventuum, ſive in alia quæ fuit fundorum Epiſcopum inter & Canonicorum Capitulum, fere ſemper portio pauperum & fabricæ Eccleſiarum remanſit penes Epiſcopum; & aliis in locis æqualiter diviſa fuerunt Eccleſiæ bona Epiſcopum inter & clerum, nulla habita conſideratione ad portionem fabricæ Eccleſiæ & pauperum. In ultima vero partitione quæ univerſim invaluit in Eccleſia, in toto Eccleſiarum patrimonio difficillime inveniri poterit aſſignatio ſuæ quartæ partis fabricæ & pauperibus. Nam univerſim fabricæ Eccleſiarum quæ aliquos habent reditus, ſunt pia legata poſt ultimam partitionem a piis fidelibus Eccleſiæ relicta, & ut plurimum cum aliquo onere Miſſarum. Hoſpitalia pariter ac Xenodochia poſt talem partitionem agnoſcunt fere omnia ſuam fundationem & dotationem. Unde nullatenus locum habet quorumdam beneficiariorum prætextus, quo ſe exemptos exiſtimant ab onere erogandi in pauperes vel in Eccleſiæ fabricam quod ipſis ex honeſta ſuſtentatione ſuperſit; quia nempe iam ſua quarta in diviſione bonorum Eccleſiæ poſt beneficiorum erectionem pauperibus & fabricæ Eccleſiæ aſſignata ſit: dum univerſim de hac quarta portione pauperibus & Eccleſiæ fabricis a beneficiorum bonis ſeiuncta vix ullibi veſtigium inveniatur.

Obſervandum II. quod etiam poſt partitionem fundorum, terrarum, prædiorum, & feudorum, adhuc eadem bona eamdem naturam ſervant: ſcilicet quod, non ſecus ac ante, bona ſint eccleſiaſtica. Adhuc enim a fidelibus agnoſcuntur ut bona conſecrata Deo & dicata: ita ut Principes ipſi, adhuc ea conſiderantes veluti ſacra, ſervent iiſdem exemptiones & privilegia, quæ olim ex veneratione erga Deum cui ſunt dicata, illis conceſſa fuere; proindeque ut bona a temporali eorumdem iuriſdictione exempta, ut non audeant etiam in communibus Reipublicæ indigentiis ſine ſummi Pontificis diſpenſatione ea tributis prægravare. Præterea bona beneficiorum, non ſecus ac ante partitionem, ſunt devotæ fidelium oblationes Eccleſiæ dicatæ in honorem Dei & obſequium, ad impetrandam eius miſericordiam pro peccatis, ut in pios uſus per ſacros ipſius Eccleſiæ miniſtros fideliter impendantur: ſive ante, ſive poſt partitionem oblatæ fuerint, ſive nunc offerantur. Porro hinc ſequitur evidentiſſime, quod ſi bonorum eccleſiaſticorum partitio nullatenus eorum naturam immutaverit, ſicuti immutare non poterat; adhuc ſunt, non ſecus ac ſæculis partitioni ſuperioribus, devotæ oblationes, vota fidelium, pretium peccatorum, Chriſti & pauperum patrimonia: ac ideo nonniſi in pios uſus expendenda ſunt; in ſuſtentandis ſcilicet ſacris Eccleſiæ miniſtris, in Eccleſiæ ſeu templi fabricis, & in pauperum alimonia.

Nota I. ut patet ex præmiſſis, hic ſermonem eſſe non de bonis patrimonialibus quæ, ut laici, ita quoque clerici poſſidere poſſunt; nec de quaſi patrimonialibus quæ ex induſtria aut ex aliquo civili officio commune etiam laicis poſſunt acquirere, nempe docendo, ſcribendo, hiſque ſimilia peragendo: ſed de bonis mere eccleſiaſticis quæ clerico intuitu Eccleſiæ & eccleſiaſtici ſpiritualis miniſterii obveniunt, ut ex beneficio, concione, ſacramentorum adminiſtratione, benedictionibus, ſacrificio Miſſæ hiſque ſimilibus. Hæc autem bona nonniſi clericis ex ſacro Eccleſiæ miniſterio conferuntur.

Nota II. reditus eccleſiaſticos beneficiorum dupliciter conſiderari: & ſecundum eam partem quæ neceſſaria eſt clericis beneficiariis ad honeſtam ſuſtentationem; & quoad ea quæ ex tali ſuſtentatione ipſis ſuperſunt. In quo vero conſiſtat hæc honeſta ſuſtentatio, ut alias iam notavi, perdifficile eſt ſtatuere: quia attendendæ ſunt circumſtantiæ perſonæ, loci, conditionis, meritorum perſonæ. Nam plus requiritur pro ſuſtentando debili & infirmo, quam pro robuſto & bene valente; plus ubi res pretio cariore, quam ubi viliore venduntur; plus ad decentem ſuſtentationem viri nobilis & decore inſigniti Doctoratus vel Archipresbyteratus, quam vilis & mediocris conditionis & doctrinæ, & qui ſimplex ſit Parochus. Unde ſecurius erit conſulere prudentes ſapientesque viros, a quorum iudicio, attentis circumſtantiis, regula aliqua accipiatur.

His præſuppoſitis, beneficiarii quicumque iure ullo uti nequeunt bonis ex beneficio eccleſiaſtico perceptis, niſi ad eorum honeſtam decentemque ſuſtentationem; proindeque *Beneficiarii in pios uſus debent illos impendere,*

Digitized by Google

que reliqua quæ ipſis ex illa ſuperſint, in pauperes alioſve pios uſus tenentur non ſolum ex caritate & religione, ſed etiam ex iuſtitia erogare. Si vero aliter ſe gerant ea in uſus profanos expendendo, peccant mortaliter, ſecundum communiorem graviſſimorum Theologorum ac Canoniſtarum ſententiam contra paucos qui contrarium ſentiunt: obnoxii ſunt etiam ad reſtituendum pauperibus vel aliis piis cauſſis: nec ulla contraria conſuetudine excuſari poſſunt; quæ utpote oppoſita iuri naturali, ac ideo irrationabilis, numquam potuit neque poteſt legitime præſcribere, ac proinde eſt merus abuſus. Patres omnes & Concilia quæcumque, præcipue Nicænum I. Carthaginenſe, Toletanum, Hiſpalenſe, Tridentinum, aliaque univerſalia ac particularia quæ per omnia Eccleſiæ ſæcula celebrata fuere, etiam poſt ultimam partitionem quæ contigit in bonis immobilibus Eccleſiæ, conſiderarunt bona omnia quæ ab Eccleſia poſſidentur, eſſe bona a pietate fidelium Deo dicata in ſpiritualem eorum profectum; nec alterius conditionis ac naturæ ea ſemper agnovere, niſi ut pia fidelium vota, pretium peccatorum, patrimonium Chriſti & pauperum; & nonniſi hiſce titulis, quandocumque factum fuerit ut de illis bonis ſermonem haberent, ea nominata & expoſita fuerunt. Exinde autem nihil habetur frequentius ac uſitatius in ſacris canonibus & Sanctis Patribus, quam decantare ac ſimpliciter definire temporalia Eccleſiæ bona vota fidelium, pretium peccatorum, Chriſti & pauperum patrimonium. Porro de eorum uſu concordibus ſententiis Concilia & Patres omnes concludunt, enixe inculcant, ac invariabiliter conſtanterque ſemper repetunt, non alium omnino eſſe poſſe eorum uſum, niſi in pietatis opera: nempe in ſacrorum miniſtrorum neceſſariam ſuſtentationem, in Eccleſiarum divinorumque miniſteriorum decorem, & in pauperum alimoniam. Idcirco mirum videtur, adhuc verſari controverſiam circa doctrinam ac veritatem hanc, quam munit ac protegit graviſſima auctoritas Conciliorum omnium, tot ſummorum Pontificum, ac omnium Sanctorum Patrum qui hac de re egerunt, & in unam eamdemque ſententiam de diſtributione eccleſiaſticorum proventuum deſcenderunt & convenerunt omnes, aſſerentes, nonniſi in pios uſus eos cedere poſſe. Et ita habetur *can.* Pontifex *c.* xii. *q.* iii. & *can.* Quia iuſta lix. *c.* xvi. *q.* i. in quo ſic legitur: *Quia iuxta Sanctorum Patrum traditionem novimus res Eccleſiæ vota fidelium, pretium peccatorum, patrimonium pauperum:* & hoc idem repetit *can.* Apoſtolica xiii. *c.* xii. *q.* i. ubi ita concludit: *Per hoc eccleſiaſticos reditus lædere quos ad propriam utilitatem, & ob eſcam pauperum & peregrinorum ſuſtentationem eſſe decernimus. Quiſquis autem poſt hanc definitionem noſtram contrarium huic Sedi ac univerſali Synodo agere tentaverit; deponatur ut prævaricator divinarum legum & præceptorum.* Ita definivit & ſtatuit Concilium generale VIII. & ſic aliis in locis quamplurimis iuris canonici, Conciliorum, ſummorumque Pontificum. Unde hic notandum occurrit, quod qui præter ſuos uſus in alium uſum quam in pauperum ſuſtentationem eccleſiaſticos proventus converterit, ſit tranſgreſſor legum divinarum & præceptorum. Idcirco manifeſtiſſime ſequitur, quod diſtributio rerum eccleſiaſticarum quæ propriæ ſuperſunt ſuſtentationi, in profanos uſus convertere, ſit contra ius divinum, ac proinde contra iuſtitiam: & ideo cum onere non ſolum mortalis culpæ, ſed etiam reſtitutionis, a qua minime excuſare poteſt contraria conſuetudo, quæ contra ius divinum eſt irrationabilis ac legitime præſcribere nequit, & conſequenter eſt merus ac manifeſtiſſimus abuſus. Totum hoc maxime confirmat ac explicat *can.* Res Eccleſiæ xii. *q.* i. *Res Eccleſiæ*, inquit ſummus Pontifex, *non quaſi propriæ, ſed ut communes & Domino oblatæ, cum ſummo timore non in alios quam in præfatos uſus ſunt fideliter diſpenſandæ.* Quid clarius, quæſo, deſiderari poteſt, ut veritas huius ſententiæ elucidetur ac ad plenam evidentiam dignoſcatur?

Inter Patres vero S. Fulgentius Serm. de Villic. *Nobis*, inquit, *credita eſt diſpenſatio facultatum Domini noſtri, vel ad utendum eis ſufficienter, vel ad diſtribuendum conſervis: ideo non licet eas in expenſas uſurpare ſuperfluas; cum ſit erogationis ratio Domino venienti reddenda.* S. Bernardus *Epiſt.* xi. clericos omnes in unius Fulconis perſona interpellans ait: *Quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt:* & *lib. de vit. & morib. cleric.* hæc habet: *Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur. Sane patrimonia pauperum, facultates Eccleſiarum; & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique domini vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt & veſtitum.* Et circa idem tempus Petrus Bleſenſis in ſua *Epiſt.* v. *ad Carnot. Epiſc.* hæc

Digitized by Google

hæc ſcribit : *Si te illius diſcipulum profiteris qui venit miniſtrare, non miniſtrari; ſic miniſtrabis pauperibus, ut non vituperetur miniſterium tuum, ut patrimonium Chriſti & pauperum ejus, quod tibi commiſſum eſt, in egentium neceſſitates, non in uſus extraordinarios expendatur*. Hic igitur nota, Bleſenſem confundere patrimonium Chriſti & pauperum, tamquam unum ſit patrimonium Chriſti & patrimonium pauperum. Quare cum bona Eccleſiarum quæ a clericis poſſidentur, ſint patrimonium Chriſti, ac ideo pauperum; hinc quidquid clericorum ſuſtentationi ſuperſit, ut eiuſmodi patrimonii pars, debetur pauperibus, nec ſine gravi iniuſtitia poſſunt clerici ea, pauperes defraudando, in uſus profanos diſpenſare. Et hæc eſt ſententia etiam inſignis Theologi, qui *Tom. II. Scholior. in can. pag.* 1318. ait : *Eccleſiaſtica bona non ſolummodo ad clericos, ſed etiam ad captivos, peregrinos, orphanos, viduas, quoſvis pauperes ſtricto & æquo proportionis iure pertinere, eſt lucidum dogma Apoſtolorum, omnium Sanctorum Patrum, cunctarum ſub cælo Eccleſiarum*. Van-Eſpen. Non attuli ſtudioſe teſtimonium aliquod veterum Patrum, ſed eorum tantum qui partitioni fundorum Eccleſiæ ſucceſſere, ut prævenirem diſtinctionem quam obiicere ſolent patroni contrariæ ſententiæ, ex bonorum Eccleſiæ partitione : nempe hoc verum fuiſſe ante eamdem partitionem, non vero poſtea, quando in tali partitione iam ſua portio pauperibus fuit aſſignata. Nam hi Patres ita alloquentes clericos de eorum obligatione erogandi ſuperflua in pauperes, ita eos alloquuntur, poſt ultimam partitionem quæ fuit vera partitio, ideſt fundorum, circa ſæculum XII. ſecuta : quæ non eſt partitio quam affectunt in hac ſua oppoſitione, tempore Simplicii & Gelaſii, ideſt circa ſæculum V. ſtatuta, quando ordinata fuit ab Eccleſia partitio non fundorum, ſed proventuum tantummodo in quatuor partes; ad hoc quidem, ut reſtitueretur ac reviviſceret vetus diſciplina a Chriſto & ab Apoſtolis tradita, impendendi huiuſcemodi reditus etiam in ſartis tectis Eccleſiarum & ſubſidiis pauperum, quæ cœperant a clericis defraudari in eorumdem bonorum diſtributionibus quæ inter ipſos ſolos clericos fieri cœperant. Partitio enim terrarum & prædiorum quæ ſenſim circa ſæculum VIII. induci cœperat, univerſim penitus non obtinuit, niſi poſt annum Chriſti millesimum. Et hæc partitio quæ adverſariis favere poſſet, nullatenus eximit clericos ab erogandis ſuperfluis in Eccleſiarum fabricis & pauperum ſubſidiis; tametſi in hac partitione facta fuiſſet Eccleſiæ & pauperibus aſſignatio ſuæ quartæ partis. Quid quod nullum iam habetur hac de re certum & probabile documentum quod hoc comprobare valeat? cum rariſſima & fere nulla exhibeantur huius aſſignationis veſtigia; ac proinde probabilius præſumendum ſit, eamdem Eccleſiæ & pauperum portionem apud clericos remanſiſſe. Hæc, inquam, neutiquam abſolvit clericos ab iis quæ ſuperſint ſuſtentationi, erogandis in pauperes; etiamſi in eadem ipſis facta fuiſſet ſuæ partis aſſignatio: quia hæc partitio minime immutavit, nec immutare poterat huiuſcemodi bonorum naturam, conditionem, & uſum iuxta tritum Theologorum & Canoniſtarum effatum : Quod ſemel Deo dicatum fuit, ſemper remanet Deo dicatum; ac ideo in pios uſus, & numquam amplius ſine œconomi ſacrilegio in uſus profanos, niſi aliqua gravi interveniente ac rationabili cauſſa, ideſt gravi Eccleſiæ vel fidelium neceſſitate, impendendum. Unde ſicuti bona eccleſiaſtica quæ in titulum beneficii nunc poſſident clerici, non minus ac ante partitionem, nunc quoque ſint omnino eiuſdem naturæ & conditionis, videlicet bona Eccleſiæ Deo dicata, vota fidelium, pretium peccatorum, patrimonium Chriſti & pauperum : hinc nonminus ac ante partitionem clerici tenentur ea in pios uſus erogare; in ſui videlicet ſuſtentationem ut Eccleſiæ ac Dei miniſtrorum, in Eccleſiarum & pauperum ſubſidium, in cultum & gloriam Dei eadem impendere. Hæc enim decernit Concilium generale VIII. *can.* xv. de his bonis inquiens : *Ob eſcam pauperum, & peregrinorum ſuſtentationem eſſe*: & Lateranenſe III. celebratum iam conſummata eorumdem bonorum partitione, *cap.* xix. admonet clericos ut recordentur, *Eccleſiarum bona* (nempe ſuorum beneficiorum) *& clericorum, ac pauperum Chriſti uſibus deputata eſſe*. Quare Gregorius IX. *cap.* ix. *de foro compet.* ait : *Cum valde ſit iniquum, ea quæ collata ſunt pro remedio peccatorum, Eccleſiis vel relicta, aut eis iuſtis modis acquiſita, aliis uſibus applicari*. Tenentur inſuper iure naturali & divino ad huiuſcemodi temporalium Eccleſiæ proventuum œconomiam.

Tenentur primo iure divino : quia, ut vidimus, ſunt bona quæ utpote ipſius cultui dicata, ad ipſum pertinent; ac proinde expendenda in uſus qui in ipſius honorem & gloriam cedant. Tenentur ſecundo iure natu- Idque iure divino & naturali.

natu-

naturali : quia fideles cum tali intentione ac onere, ſolo pietatis ac religionis inſtinctu ac intuitu in Dei honorem, ob ſpirituale animarum ſuarum remedium & utilitatem, ideſt cum pacto implicito ſeu tacito ut in cultum divinum alioſque pios uſus Deo gratos impenderentur, in ſuſtentationem ſcilicet ſacrorum miniſtrorum & pauperum, in fabricam & ornamenta templi eadem bona Eccleſiis legarunt ac reliquerunt. Hinc D. Thomas qui floruit poſt laudatam bonorum Eccleſiæ partitionem, hoc non obſtante, 2. 2. *quæſt.* CXIX. *art.* 3. *ad* 1. hæc habet : *Clerici* (beneficiarii) *ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ quæ ſunt pauperum, quos defraudant, prodige expendendo*. Et S. Petrus Damiani qui pariter floruit poſt bonorum eccleſiaſticorum diviſionem, deplorabat ſuperfluas expenſas quæ fiebant a clericis ex bonis eccleſiaſticis : & indignum reputabat, ut ex his divites epularentur, & pauperes quorum eſt ſubſtantia, excluderentur. Ita *Opuſc.* XX. *cap.* 1. Intentio vero devota fidelium pro pio uſu bonorum quæ Eccleſiæ obtulerunt, ſatis conſtat tum ex objecto cui bona ſua dicarunt, qui eſt Deus; tum ex fine ob quem ea dicarunt, qui eſt eiuſdem Dei cultus & honor; tum ex loco cui ea legarunt, nempe Eccleſia, quæ eſt domus Dei ubi præcipuis religionis officiis ipſe colitur. Unde non alia intentione præſumi poteſt ea donaſſe Eccleſiæ, niſi ut diſtribuerentur in uſus qui cederent in Dei gloriam & cultum : idcirco in pios religioſoſque uſus, quibus ſolis Deus coli poteſt & honorari. Et eo vel maxime quod ex talibus largitionibus quas Eccleſiæ fecere, intendebant officia & opera religionis ſibi ſalutaria, meritoria, & Deo grata exercere; dum eadem nonniſi ut ipſi Deo dicata Eccleſiæ donarunt : quod revera non feciſſent reſpectu eorum quæ clericis ſupereſſe contingeret, ſi ea contuliſſent ſine onere & pacto implicito ſaltem & tacito, quod in uſus pios ac Deo gratos omnia impenderentur. Nam pium opus non eſt, ut notat P. Antoine, præbere bona Eccleſiæ miniſtris, ut pro eorum libito etiam in uſus profanos illa poſſint impendere. Et hoc patet etiam ex ſacris canonibus, præcipue *can.* Pontifex III. *c.* XII. *q.* III. ubi hæc habentur : *Ille qui donat pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur*.

Et ſane hæc ratio fuit quare a Patribus & Conciliis res Eccleſiæ, dum de his ſermonem facerent, non alio titulo ſemper definitæ & appellatæ fuere, niſi vota fidelium, pretium peccatorum, patrimonium Chriſti & pauperum. *Vota* ſane *fidelium* (ait Van-Eſpen) quia primaria intentio fidelium bona offerentium eſt illa Chriſto offerre, & quodammodo conſecrare & vovere; ac ideo dicuntur etiam patrimonium Chriſti. *Pretia* vel *redemptio peccatorum :* quia fideles temporalia Deo offerunt, ut iuxta divinum monitum eleemoſynis peccata ſua redimant. Et hæc ratio fere in omnibus piarum donationum antiquis inſtrumentis occurrit. Hinc dicuntur Sacerdotes comedere peccata populi : eo quia comedant quæ populus in expiationem ſuorum peccatorum offert. Porro cum Deus uſu temporalium rerum non indigeat, eaque ſibi impenſa reputet Chriſtus, ſi pauperibus tamquam fratribus & membris impendantur, ut proteſtatur in Evangelio Matth. cap. XXV. *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* : hinc ſemper indubitanter cenſuit Eccleſia, bona ſibi a fidelibus donata tamquam eleemoſynas pauperibus ut membris Chriſti oblata eſſe & largita; idque ea ſemper appellare conſuevit patrimonium Chriſti & pauperum, ideſt pro pauperum indigentiis ſubveniendis Chriſto oblata. Et ſæpiſſime ex hac pia fidelium intentione bona Eccleſiæ appellata fuere ſimpliciter patrimonium pauperum. Hanc fidelium piam ſimulque unicam in ſuis oblationibus mentem & intentionem clare expoſuit S. Ambroſius *lib. II. de offic. cap.* XX. ubi ait : *Quicumque bonum operarium videt, ipſi confert quod ille ſuo officio diſpenſet, ſecurus quod ad pauperem ſua perveniat miſericordia. Nemo enim vult, niſi pauperi proficere ſuam collationem*. Hunc ſingularem finem bona Eccleſiæ offerentium cum S. Ambroſio agnovit etiam D. Thomas, dum *in Epiſt. II. ad Corinth. cap.* XII. *lect.* V. ait, quod Principes aliique bona Eccleſiæ *non dederunt Prælatis propter ſe, ſed propter pauperes : & ideo non dederunt eis, ſed pauperibus. Prælatis autem dantur, tamquam pauperum diſpenſatoribus*. Similia tradit Concilium Triburienſe can. XIII. *Ideo dandæ* (decimæ) *ut Deus placetur, & miniſtri Eccleſiæ liberiores fiant ad ſpiritualis ſervitii expletionem, necnon ſecundum ſtatuta canonum in ſuſtentationem pauperum & reſtaurationem Eccleſiarum proficiant*. Quomodo igitur ſecundum contrariam ſententiam poterunt beneficiarii poſt bonorum Eccleſiæ diviſionem cenſeri exempti a contribuendis iis quæ, detracta eorumdem ſuſtentatione, ſuperſint, in pauperum & Eccleſiarum ſubſidium? Quis aſſerere audebit,

bit, eos ad ſummum teneri ad hanc contributionem ex caritate, non ſecus ac ex propriis eorum bonis tenentur laici: dum tot manifeſtiſſima atque graviſſima teſtimonia Conciliorum & Patrum qui diſtæ partitioni ſucceſſere, æque ac ante partitionem, docent, ex iuſtitia eos teneri erogare in pauperes & Eccleſias ſuæ moderatæ ſuſtentationi ſuperflua? Igitur iuxta Concilia & Patres, ſecus agentes violant ius divinum ac naturale, & ad reſtitutionem tenentur: tantum abeſt, quod ſolum teneantur ut laici ex mera caritate. Quandonam Patres, Concilia, graviſſimi Theologi aperte ac ſtriſte declararunt, bona laicorum eſſe bona Deo dicata, vota fidelium, pretium peccatorum, patrimonium Chriſti & pauperum; & quod ex tacita intentione & pacto ſuorum maiorum a quibus heredes ſunt inſtituti, teneantur quæ ipſis ſuperſint, in pia opera erogare: ſicuti concordibus animis loquuntur de bonis eccleſiaſticis beneficiariorum a piis fidelibus ex pietate in Dei honorem Eccleſiæ donatis? Laicos ſane numquam prægravant tali onere, niſi late ex fraterna ſolum caritate; non vero ſtriſte, ut alienarum rerum adminiſtratores, ex iuſtitia ſimul: ſicuti prægravant clericos beneficiarios, qui poſſident bona a fidelibus Eccleſiæ intuitu pietatis erga Deum relicta & donata, ut in pios uſus ad ipſius Dei honorem ac gloriam diſtribuantur.

Dixi *Eccleſiæ donata*: quia fideles bona ſua veluti ſacrificia donarunt Eccleſiæ, uti loco Deo ſacrato ad oblationes, ſacrificia offerenda, & cultum quadam præcipua ratione ibi ei reddendum, ita ut intenderint tali munere Deum honorare ac colere; non vero donarunt Eccleſiæ Prælatis, ut in quoſcumque uſus pro libito ſuo diſponerent. Quiſnam tam ineptum abſurdum ſibi perſuadere poteſt, fideles voluiſſe propriis bonis ſuos conſanguineos exſpoliari, ut ea traderent clericis etiam in profanos vanoſque uſus diſſipanda? quando ita zelarunt religioſum uſum ſuorum bonorum per ſacros miniſtros, ut (ne iiſdem quis eorum abuteretur) in Eccleſiis dotandis pro beneficii alicuius erectione caute ordinaverint ut in eorumdem beneficiorum vacationibus nonniſi pius probuſque Sacerdos ſubſtitueretur, ex intentione ſaltem implicita ut bona ſua Eccleſiæ addicta pie adminiſtrarentur ac diſtribuerentur: ut habetur in inſtrumentis vel teſtamentis quibus huiuſcemodi inſtitutiones vel tempore mortis ordinatæ, vel dum adhuc degerent inter vivos, ſtatutæ fuerunt.

Ex his igitur ſequitur evidenter, clericos beneficiarios teneri ex iuſtitia impendere in pios uſus ea quæ ex propria honeſta ſimulque moderata ſuſtentatione ipſis ſuperſint; immo ea quoque quæ propriæ ſuſtentationi ſubtraxerint parcius vivendo. Nam ſive bona quæ eccleſiaſtico ſuperſunt, ſint ſuperflua ſuſtentationi, ſive ex ſtudioſa parſimonia reſervata: in neutro caſu ullatenus eorum natura immutatur, ita ut ſemper ſint bona Chriſti & Eccleſiæ, & pauperum patrimoniu; ac ideo ſemper idem onus ſervant & ſecum habent, ut in pios uſus diſtribuantur. Idcirco ſi aliter agant beneficiarii, ideſt ea impendendo ſive in augendis ſuorum conſanguineorum divitiis, ſive in ſplendidiore ac lautiore ſui ſuſtentatione, ſive in victu, in veſtitu, aliiſque ſumptuoſitatibus quæ eorum conditioni vel clericali moderationi tam ſollicite a ſacris canonibus inculcatæ ac præceptæ non conveniunt, in ludis ſcilicet, deliciis, & vanitatibus ſæculi quæ etiam clericalem honeſtatem ac decentiam maxime dedecent: graviter peccant contra ius naturale & divinum, ut infideles adminiſtratores rei alienæ, Chriſti nempe & pauperum quibus fideles bona ſua donare intenderunt, dum ea donarunt Eccleſiis, ut ſupra demonſtravimus; ac proinde reſtitutioni ſunt obnoxii.

Dixi *ſive in augendis ſuorum conſanguineorum divitiis*: quia ceteroquin poteſt beneficiarius ex bonis beneficii eis opem ferre in iis quibus indigent, ſive ad ipſorum ſuſtentationem, ſive pro nepotum ſecundum eorum conditionem educatione aut pro neptibus cum ſibi æqualibus in matrimonium collocandis, ſive in aliis huiuſcemodi conſanguineorum indigentiis; minime vero in augendis eorum prædiis & facultatibus, ad nobiliorem ſtatum eos elevando, de eccleſiaſticis bonis diſponere valent. Semper tamen in ſuccurrendis conſanguineorum egeſtatibus beneficiarius attendere debet ne plus quam par ſit miſericordiam erga eoſdem exerceat, cum gravi aliorum pauperum detrimento: ita ut conferat quidem parentibus egenis ſubſidium; ſed cum tali ordinata diſtributione, ut aliquid etiam pro aliis pauperibus ſubveniendis ſuperſit. Caveat igitur ne in conſanguineis ſublevandis ipſum decipiat terrenus affectus carnis & ſanguinis, ut non ſemper dirigatur ſola æquitate quam exigit fraterna caritas, adeoque ultra eorum indigentiam eos cumulet, vel cum gravi

Num conſanguineis poſſint opem ferre.

Digitized by Google

vi aliorum pauperum diſpendio. Idcirco habeat ſemper ante oculos illam S. Hieronymi exprobrationem *Epiſt.* xv. quæ gravem metum iniecit Petro Bleſenſi; ut refert ipſe in ſua Epiſt. c11. *Hodie pro filiis quos abſtulit Prælatis Eccleſiæ Deus, habere nepotes in diſſipationem patrimonii Chriſti & in ſalutis diſpendium permittuntur.*

Hic tamen occurrere poteſt difficultas, num beneficiarius poſſit tuta conſcientia ex bonis beneficii ſuperfluis, vel ſaltem quæ cumulavit parcius ſuæ ſuſtentationi indulgendo, compenſare conſanguineos pro expenſis quibus fuerunt obnoxii, ut in ſtatu clericali ipſum conſtituerent? Ad clariorem intelligentiam ſecurioremque difficultatis ſolutionem, dico attendendam eſſe conſanguineorum conditionem, ut deprehendatur, an ex huiuſmodi impenſis damnum aliquod paſſi ſint: cum ex hoc tota vis ſolutionis dependeat. Etenim ſi clerici conſanguinei ſint civilis ac honeſtioris conditionis, ut iam alii eiuſdem conditionis ſoleant filios honorifice educare, in ſtudiis ſcilicet litterariis ac liberalibus artibus (ut etiamſi clericus ſtatum clericalem amplexus non fuiſſet, adhuc parentes eaſdem expenſas ſubiiſſent) vel in honorabilioribus Collegiis, ut ferebat eorum conditio; vel tantas poſſideant opes, ut nullum ex iiſdem expenſis ſenſibile damnum dici poſſit eos ſenſiſſe: in hiſce caſibus clariſſime patet, non poſſe ullo modo in conſcientia ex beneficii reditibus, ſive ſuperfluis, ſive propriæ ſuſtentationi ſubtractis, dictas expenſas conſanguineis compenſare; quia conſanguinei nullum ex hoc revera paſſi ſunt detrimentum. Secus vero res ſe habet, ſi clerici conſanguinei ſint vel valde mediocris fortunæ, ita ut nonniſi ut eumdem ad clericalem ſtatum aſſumerent, eaſdem expenſas feciſſent, & ex eiſdem expenſis non leve nocumentum paſſa ſit res familiaris; vel conſanguinei ſint humilis ac demiſſæ conditionis, ſcilicet villicorum, vel artificum, aliorumve qui ex induſtria proventus ad ſuam ſuſtentationem ſibi vindicant. Licet enim hi aliquando facultates aliquas commodiores poſſideant, eorum tamen conditio fert, ut in tali commodiore ſtatu ſe conſervent, quod tali prudentia rem familiarem, ſicuti omnes alii eiuſdem conditionis agunt, ipſi quoque regant ac moderentur, ut filios ſuos in propria vel in aliqua alia œconomica profeſſione ſeu arte ſine certo diſpendio educandos tradant, ut ipſi proprio opere & labore ſuam ſuſtentationem ſibi providere debeant. Idcirco clericus, ſi in ſtatu laicali permanſiſſet, hanc eamdem ſortem ipſe quoque ſubire debuerat; ac proinde expenſæ factæ pro clerico educando ſunt prorſus extraordinariæ ac ſuperiores conditioni ſuorum conſanguineorum, & cum non levi rei familiaris aliorumque fratrum incommodo ac detrimento. Nam dum alii pro communi ſuſtentatione & rei familiaris conſervatione & augmento elaborare cogebantur; clericus exemptus a tali onere ſuſtentabatur in litterarum ſtudiis, ſive in epiſcopali Seminario, ſive alibi, expenſis communibus rei familiaris, & ex aliorum conſanguineorum laboribus, & exinde non ſine notabili eorum incommodo ac præiudicio. Unde non incongruum videtur, quod huiuſcemodi clericus, ſi aliquod eccleſiaſticum beneficium conſequatur, ſaltem ex iis quæ voluntarie ex competenti ſua ſuſtentatione ſibi ſubtraxerit, attamen ſine clericalis decentiæ ac dignitatis diſpendio, poſſit in conſcientia compenſare conſanguineis damna quæ paſſi ſunt in re familiari, dum tali honorabili commodo quod eorum non ferebat humilis conditio, eum educarunt. Etenim non video ullam infidelitatem ac iniuſtitiam committi ab hoc beneficiario in rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione, ex iis quæ propriæ ſuſtentationi ſubtrahit parcius vivendo, compenſando conſanguineos in expenſis quæ cum ſuo incommodo ſuſceperunt ut in clericali ſtatu eum conſtituerent: eo vel maxime quod ita agendo ſe reddiderint de Eccleſia optime meritos, utpote qui proprio diſpendio ſacrum miniſtrum eidem Eccleſiæ providerunt. Nec ullatenus mihi videtur hoc implicare poſſe, etiamſi commodiores adhuc poſſiderent fortunas: cum eiuſmodi gentis commodior ſtatus non ſit ita facultatibus munitus, ut facilius ex aliquo etiam non tam gravi eventu in deterius non vertatur. Unde iure ac merito ſubſidium talis compenſationis cenſeri nequit ut aliquid abundantius, & per ſe ſufficiens ut conſanguinei beneficiarii per ipſum præciſe & ſimpliciter in meliorem mutentur conditionem.

Verum cum præcipua ratio qua contraria ſententia ſtatuit in clericis beneficiariis onus tantummodo caritatis, non vero iuſtitiæ, erogandi ſuperflua in pios uſus, ac proinde ſi deficiant, non teneri ad reſtitutionem; reſpiciat dominium quod poſt partitionem bonorum eccleſiaſticorum eis [illegible]petere ſupponunt in portione eiſdem ſtatuta: hinc, ut res circa hoc quoque diſcutiatur, operæ pretium eſt ut tale præſuppoſi-

poſitum dominium in clericis beneficiariis expendatur.

§. XLIX.

De dominio beneficiariorum in ſuperfluos ſuorum beneficiorum reditus, iuxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam.

Gravis verſatur difficultas inter doctores, Theologos videlicet ac Canoniſtas, in definiendo, num clerici beneficium aliquod, ſive curatum, ſive non curatum, poſſidentes verum abſolutumque in reditibus ſui beneficii dominium habeant: ita ut iuſtitiam non lædant, ſi in alios quam in pios uſus eos impendant; ac proinde non fiant reſtitutioni obnoxii. Nam talia bona ex primæva ſua origine, utpote Deo & Eccleſiæ in ipſius honorem oblata, & primario ad alendos ſacros miniſtros qui in templo ad eius cultum deſerviunt, videntur non poſſe niſi in pios uſus impendi; ideſt poſt ſacrorum miniſtrorum ſuſtentationem in ſacris templis ornandis & pauperibus alendis: ſicuti prioribus Eccleſiæ temporibus ſancte, religioſe, inviolabiliter obſervatum fuit, & quando Eccleſiæ bona in communi poſſidebantur, & poſtquam etiam vigebat prima diviſio, oblationum videlicet ac redituum quæ ex bonis Eccleſiæ percipiebantur; in qua ſtatutum fuit ut ab Epiſcopo qui erat omnium Eccleſiæ bonorum adminiſtrator, fierent quatuor partes, ſibi ſcilicet, clero, Eccleſiæ, & pauperibus. Difficultas igitur verſatur poſt bonorum immobilium diviſionem & beneficiorum erectionem, in qua partitione ab aliquibus ſupponitur, tametſi abſque certo fundamento, factam fuiſſe ſuam bonorum aſſignationem etiam Eccleſiæ & pauperibus: utrum ſcilicet clerici nunc redituum ſuorum beneficiorum, ut partis ſeiunctæ ab aliis ſibi aſſignatæ, ſint domini, ut pro libito poſſint de eorumdem ſibi ſuperfluis ſine violatione iuſtitiæ & debito reſtitutionis in quoſvis uſus etiam profanos diſponere.

Variæ circa hoc ſunt ſententiæ. Alii enim volunt, clericos beneficiarios eſſe eorumdem bonorum dominos. Alii vero, & eſt communior ac probabilior graviorum doctorum ſententia, hoc negant. Utrique tamen conveniunt, teneri (& inter modernos hæc eſt communior) erogare ſuperflua, ea nempe quæ ex honeſta ac decenti eorum ſuſtentatione ipſis ſuperſint, in pios uſus. Sed eorum qui admittunt dominium eorumdem redituum in clericis, duæ ſunt claſſes. Alii ſcilicet qui cenſent, eos habere tale dominium ſine ullo onere impendendi ſuperflua in pios uſus, & ad hoc non teneri niſi ut laici, ſtrictius tamen & ſub mortali, ex ſola caritate. Alii vero qui clericis beneficiariis hoc dominium concedunt, non liberum tamen, ſed prægravatum onere expendendi ſuperflua in pauperes ſeu alios pios uſus ex ſacrorum canonum præcepto: ac proinde, ſi aliter ſe gerant, illos contra religionem peccare aſſerunt, ideſt ſolo iure eccleſiaſtico ex religionis virtute, ob bonorum conditionem ex quibus inſtituta ſunt beneficia, quæ vota ſunt & oblationes piorum fidelium, ac proinde ex hoc capite agere etiam contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneri. Qui vero negant, clericos beneficiarios dominos eſſe redituum ſuorum beneficiorum, ſuſtinent teneri non ſolum ex iure eccleſiaſtico, ſed etiam ex iure naturali & divino, diſtribuere illorum redituum ſuperflua in pios uſus: ita ut ſi in profanos uſus expendant, peccent contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneantur. Et hæc ſententia, utpote traditioni Patrum & canonum doctrinæ ac ſtatutis prorſus conſona, ac ideo ſecurior & probabilior, nunc eſt communior: & hanc omnes graviores Theologi ac Canoniſtæ ſequuntur.

Verum, antequam procedamus ad momenta quibus veritas huius ſententiæ demonſtratur, obſervandum eſt I. quod hic loquimur de clericis ſæcularibus qui dominium non abdicarunt, non de Regularibus qui ob paupertatis votum individualiter cuiuſcumque dominii ſunt omnino incapaces. Item hic ſermonem inſtituimus de bonis quæ clerici percipiunt ex eccleſiaſtico beneficio; non de eorum bonis patrimonialibus quæ aliquo civili iure ac naturali ad ipſos pervenere, vel de quaſi patrimonialibus: quia cum de his, non ſecus ac laici, domini ſint; licite in quoſcumque uſus etiam profanos eadem impendere poſſunt ſine ulla culpa, dummodo uſus ſit honeſtus, & ſine onere reſtituendi.

Obſervandum II. nomine piorum uſuum ſeu operum intelligi uſus & opera omnia miſericordiæ, tum corporalia, tum ſpiritualia; itemque omnia quæ ad Dei cultum & animarum ſalutem ordinantur: cum bona illa Eccleſiæ donata ſint a piis fidelibus ad ſubveniendum proximum non ſolum in corporalibus neceſſitatibus, ſed etiam in ſpiritualibus; & ad divinum cultum promovendum. Pauperes vero ii cenſentur qui neceſſariis carent tum ad victum, tum ad

Digitized by Google

ſui ſtatus ſuſtentationem, iuxta cuiuſcumque conditionem. Locus vero ubi eſt beneficium, ceteris paribus, aliis eſt præferendus; ita ut ſi ibi graviores ſint neceſſitates, potius hæ quam neceſſitates exterorum ſubveniri debent: ſecus vero, neceſſitatibus loci & etiam exterorum prudenti diſtributione eſt ſuccurrendum; ſemper tamen attendendo ne loci neceſſitatibus opitulatio deficiat.

Clerici redituum diſpenſatores ſunt, non domini.

His poſitis, dicimus cum probabiliore & ſecuriore, clericos non eſſe dominos redituum mere eccleſiaſticorum ſui beneficii, ſed miniſtros & diſpenſatores: idcirco teneri ex iuſtitia, quidquid ex eorum honeſta ac decenti ſuſtentatione ſuperſit ex iiſdem reditibus, expendere in pauperum ſubventionem vel in alia Chriſtianæ pietatis opera. Et hæc doctrina videtur tenenda, utpote quæ manifeſte conſentiens ſacrorum canonum ſtatutis, Patrum traditioni, ac graviſſimorum Theologorum & Canoniſtarum ſententiæ ſecuriorem reddit conſcientiam quam oppoſita: quæ cum ſanioribus & validioribus principiis quam iſta non nitatur; ſine ſuſpicione ſaltem gravis periculi propugnari non poteſt.

Probatur Eccleſiæ traditione.

Concilia omnia & Patres, quotieſcumque contigit ut de bonis Eccleſiæ per omnia ſæcula ante & poſt eorum partitionem mentionem facerent, ſemper ea appellant, ſicuti iam notavi, bona ſacra & Deo dicata; ac proinde omnes ſemper non alio titulo ea explicant quam vota fidelium, pretium peccatorum, patrimonium pauperum: quorum eccleſiaſtici domini non ſunt; ſed tantum diſpenſatores. Ita loquitur Concilium generale Nicænum II. *can.* XII. *Omnium eccleſiaſticarum rerum Epiſcopus ſollicitudinem habeat, & diſpenſet ea, tamquam Deo contemplante. Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei ſunt. Quod ſi pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur.* Similia habet Concilium generale VIII. *can.* XV. Lateranenſe III. *can.* XIII. Gregorius IX. *cap.* XVI. *de for. compet.* & Tridentina Synodus, quorum auctoritates iam in præcedenti paragrapho de uſu horum bonorum attuli. His concordat Concilium Turonenſe anno DCCCXIII. *can.* X. ubi hæc habet: *Rebus Eccleſiæ ita utantur, non ut propriis, ſed ut fili ad diſpenſandum commiſſis*: & Pariſienſe anno DCCCXXIX. allatis multis canonibus & textibus Patrum, *can.* XV. ait: *Sicut igitur præmiſſa documenta declarant; non ſunt res Eccleſiæ ut propriæ, ſed ut dominicæ & a Domino commendatæ tractandæ.* Idem confirmat Concilium Carthaginenſe IV. *can.* XXXI. Cabilonenſe II. *can.* VI. Aquiſgranenſe *can.* XVI. Nannetenſe *can.* X. cum quibus concinit Alexander III. *cap.* Fraternitatem *extra. de donat.* in hæc verba: *Cum Epiſcopus & quilibet Prælatus rerum eccleſiaſticarum ſit procurator, non dominus.* Ex quibus evidenter conſtat, bona eccleſiaſtica ſuperflua, ut res Dei, eſſe pauperum patrimonium: adeoque eccleſiaſticos eorumdem poſſeſſores eſſe non dominos, ſed miniſtros tantum & diſpenſatores. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXV. *cap.* I. *de reform.* beneficiariis omnibus *omnino interdicit ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant: cum & canones Apoſtolorum prohibeant ne res eccleſiaſticas quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant nec diſſipent.* Non igitur ex Concilio Tridentino clerici redituum ſuorum beneficiorum ſunt domini: cum non valeant pro eorum libito ne ſuis quidem conſanguineis, niſi ut pauperibus, præbere. Dixi *ſuorum beneficiorum*: quia etiam tempore Concilii Tridentini nonniſi bona eccleſiaſtica ſuorum beneficiorum adminiſtrabant; cum alia bona eccleſiaſtica, ſicuti v. g. fabricæ, a laicis non ſecus ac nunc adminiſtrarentur.

Conſonæ Conciliis & iuri canonico ſunt Patrum ſententiæ, qui omnes, dum hac de re ſermonem habuere, ſemper ſenſerunt ac docuerunt, res donatas Eccleſiæ a piis fidelibus in pios uſus, ſcilicet in ſacrorum Eccleſiæ miniſtrorum ſuſtentationem, eccleſiarum ornamenta, & ſubſidium egenorum eſſe impendendas; & ideo clericos non eſſe earumdem rerum dominos, ſed tantummodo diſpenſatores. S. Hieronymus *Epiſt. ad Damaſum* ait: *Quidquid habent clerici pauperum eſt.* S. Auguſtinus *Epiſt.* ad *Bonifac.* CXXV. *alias* L. ait: *Non illa noſtra ſunt, ſed pauperum: qui tamen ſi pauperum compares ſumus, & noſtra ſunt, & illorum.... quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem a nobis uſurpatione damnabili vindicamus.* Iulianus Pomerius *lib. II. de vit. contempl. cap.* IX. inquit: *Quiſquis .... cum præpoſitus factus fuerit Eccleſiæ, omnium quæ habet Eccleſia, fit diſpenſator* S. Ambroſius *Epiſt.* XXXI. *ad Valent.* hæc habet: *Nihil Eccleſia niſi fidem poſſidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Poſſeſſio Eccleſiæ eſt egenorum.* S. Gregorius *lib. V. Epiſt.* LV. Protaſium Aquenſem Epiſcopum monet ut Vigilio Arelatenſi dicat

ut penſiones quas prædeceſſor eius per annos plurimos de patrimonio noſtro percepit, & apud ſe retinet, ad nos, quia pauperum res ſunt, ſtudeat deſtinare. Ecce, quod non dubitavit Sanctus Pontifex aperte declarare & dicere, Eccleſiæ Romanæ patrimonium res eſſe pauperum. Unde hic notat celebris Canoniſta Van-Eſpen, quod ſi Sanctus Pontifex res Eccleſiæ Romanæ ut res pauperum reputaverit; indubie ita cenſuit, quia ſciebat ex mente & intentione offerentium bona huic Eccleſiæ, non ſecus ac ceteris Eccleſiis, data & oblata uſibus eccleſiaſticis impendenda, & reliqua pauperibus diſpenſanda: ac proinde beneficiarios nihil aliud eſſe quam rerum eccleſiaſticarum adminiſtratores. D. Bernardus *Serm.* XXV. *in Cant.* inquit: *Timeant miniſtri Eccleſiæ, qui in terris Sanctorum quas poſſident, tam iniqua gerunt, ut ſtipendiis quæ ſufficere debeant, minime contenti, ſuperflua quibus egeni ſuſtentandi forent, impie ſacrilegeque ſibi retineant, & in uſus ſuæ ſuperbiæ atque luxuriæ victum pauperum conſumere non vereantur: duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus abutuntur.* Idem confirmat *Epiſt. ad Fulcon. Epiſc. Lug.* inquiens: *Quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines; tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Hoc autem altius inculcat *lib. de vit. & morib. cleric.* in hæc verba: *Facultates Eccleſiarum; & ſacrilega eis crudelitate ſubripitur, quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique domini vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt & veſtitum*: & rurſus *Epiſt.* XLII. *Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur que, & dicunt: Noſtrum eſt quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis.* Hæc ſcripſit D. Bernardus poſt bonorum ſeu fundorum Eccleſiæ diviſionem, & adhuc rapinæ iniuſtitiæque damnat clericos qui ſuperfluis pauperes defraudant. Addendus etiam eſt S. Thomas, cuius auctoritate adverſarii, irrito tamen conatu, ſuam ſtabiliunt ſententiam. Nam Angelicus Doctor *in cap.* XII. *Epiſt. II. ad Corinth. lect.* V. hæc habet: *Videtur quod male fecerint Principes* & *alii, donando divitias Prælatis*: & ſtatim ſubdit: *Dicendum eſt, quod non dederunt Prælatis propter ſe, ſed propter pauperes: & ideo non dederunt* eis, *ſed pauperibus. Prælatis autem dantur tamquam pauperum diſpenſatoribus.* Idem etiam repetit 2. 2. *quæſt.* C. *art.* 1. *ad* 7. dicens: *Quamvis res Eccleſiæ ſint Papæ ut principalis diſpenſatoris; non tamen domini & poſſeſſoris*: & *quæſt.* CXIX. *art.* 3. *ad* 1. inquit: *Clerici ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ quæ ſunt pauperum, quos defraudant, prodige expendendo.* Igitur ex teſtimonio ipſius D. Thomæ, quem ſibi patrocinari credunt qui liberum dominium clericis aſſerunt in ſuperfluos ſuorum beneficiorum reditus, conſtat manifeſtiſſime, clericos dominos etiam poſt diviſionem bonorum eccleſiaſticorum non eſſe, ſed diſtributores Eccleſiæ redituum: cum poſt talem diviſionem loquatur Sanctus Doctor circa eorumdem conditionem ſupra illis bonis. Et ita loquitur, quia vult talem fuiſſe intentionem fidelium qui illa bona Eccleſiæ miniſtris obtulerunt, ut quæ ipſis ſupereſſent, in pauperum ſubſidium erogarent: quando Pontificem conſiderat non ut dominum & poſſeſſorem rerum Eccleſiæ, ſed diſpenſatorem. Idcirco ſi domini non ſunt, ſi ſolum miniſtri & diſpenſatores, ſi intentio fidelium offerentium, ideſt pactum implicitum ſaltem & tacitum, ut ſupponitur a Sancto Doctore, fuit ut cum tali onere eadem ipſis elargirentur: quis non videt, ſi deficiant fidelitati quæ offerentibus debetur, eorum vota in profanos uſus expendendo; ipſos abuti alienis rebus, peccare contra iuſtitiam, ac ideo teneri ad reſtitutionem? Et profecto quinam melius deprehendere poterant & explicare Angelici mentem, quam duo eius diſcipuli, non minus ſanctitate quam doctrina inſignes, videlicet S. Antoninus & S. Raymundus? Porro uterque conceptis verbis docuit, clericos peccare mortaliter, & ſimul teneri ad reſtitutionem, ſi reditibus ſuorum beneficiorum vel in ditandis conſanguineis, vel in aliis profanis uſibus abutantur. S. Antoninus *Part. III Summ. Theolog. tit.* XV. *cap* I. §. XIX. hæc habet: *De bonis ſeu fructibus beneficiorum quæ dant clerici conſanguineis vel perſonis turpibus, utrum in dando peccent, & teneantur ad reſtitutionem? Super hoc dicit Raymundus, quod clerici qui conſanguineis potentibus . . . . bona eccleſiaſtica pauperibus debita tribuunt, raptores ſunt: quia quidquid clerici habent, pauperum eſt, ut dicit Hieronymus c.* XVI. *q.* I. *can. fin. Nam pauperibus debentur.* Et hanc ſententiam Raymundi adoptando S. Antoninus concludit: *Unde ad reſtitutionem tenentur pauperibus, vel in utilitatem Eccleſiæ.* Et revera S. Raymundus *lib. II. Summ. tit. de raptor.* ſic loquitur: *Dico, Prælatos & clericos qui res Eccleſiæ . . . conferunt etiam conſanguineis, non propter naturam ſuſtentandam,*

Digitized by Google

dum, ſed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi: tales, inquam, dico eſſe raptores; & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium. Quam vero unanimis fuerit in hac ſententia & doctrina Theologorum conſenſus uſque ad tempora Navarri, indicant huiuſce ſequentia verba. *Nemo Catholicorum quos legerim uſque nunc, adfirmavit dominium bonorum Eccleſiæ uſibus deputatorum eſſe penes beneficiarios .... quæ falſa & inſolens concluſio eſt*.

Quædam ſophiſmata convelluntur. Haſce tamen auctoritates Conciliorum & Patrum nihil contra ipſos urgere cenſent: nam aſſerunt nihil ex his in patrocinium noſtrum poſſe concludi. Nam primo Patres eodem modo de clericis ac de laicis loquuntur. Sic enim etiam de laicis S. Hieronymus inquit: *Aliena rapere convincitur qui ultra neceſſaria ſibi retinere probatur*: & S. Auguſtinus ait: *Si non paviſti, occidiſti*. Similia pariter habet S. Ambroſius. Nec tamen ideo a quovis laici defraudantes eleemoſynas pauperibus iniuſtitiæ damnantur, & reſtitutioni obnoxii cenſentur; ſed ſolummodo ut Chriſtianæ caritatis violatores infimulantur. Præterquam quod, addunt illi ad Patres & canones, conceſſo etiam quod in horum doctrinis loquantur de iniuſtitia; hoc verum eſſe potuit reſpectu temporum, quando Patres & Concilia hoc tradidere: quia hoc fuit ante bonorum eccleſiaſticorum quadripartitam diviſionem, de qua iam antea facta eſt mentio, dum res fabricæ & pauperum immixtæ erant ſimul cum rebus eccleſiaſticorum ſub adminiſtratione ſolius Epiſcopi. Unde nunc huiuſcemodi auctoritates nihil concludunt: dum fabricis Eccleſiarum & pauperibus in eorumdem bonorum diviſione aſſignata eſt ſua quarta portio.

Verum fruſtra hæc obiiciuntur. Nam primo, magna diſparitas eſt inter bona patrimonialia vel quaſi patrimonialia quæ poſſident laici, & habere poſſunt etiam clerici iure laicali cui numquam renuntiarunt; & bona eccleſiaſtica beneficiorum quæ poſſident clerici beneficiarii: ac proinde latiſſimum diſcrimen intercedit inter debitum erogandi in pauperes ſuperflua patrimonialia, ac eccleſiaſtica. Etenim bona patrimonialia quæ conſequimur ut nobis debita iure naturali, ut filii bona patris, vel ut nobis relicta ex beneficentia teſtatoris; ex ſe nullum ſecum afferunt ex quovis iure onus ſublevandi pauperes. Bona vero eccleſiaſtica ſunt bona aliena; quia ſunt bona oblata Eccleſiæ a fidelibus ob pietatem devotionemque erga Deum, ea ipſi dando ut in illius honorem pro ſuarum animarum ſalute impendantur: & ab Eccleſia clericis cum eodem onere collata ſunt; ideſt ut ſecundum intentionem fidelium qui ea obtulerunt, nonniſi in pia opera diſpenſentur, ſcilicet ut, detracta honeſta eorum ſuſtentatione, ſi aliquid ſuperſit, in religionis uſum diſtribuant. Dixi *cum eodem onere*: alias Eccleſia quæ tam ſollicita eſt ut offerentium mens impleatur, hanc defraudaret, ſi ea clericis conferret in alios uſus qui in honorem Dei non cederent; ſcilicet in uſus profanos, vel indulgendo cupiditati ad conſanguineos ditandos, vel alicui alteri effectui quo Deus graviter læderetur. Et hoc onus & debitum, incumbens clericis ex talium bonorum poſſeſſione, elargiendi ſuperflua in pauperes, eſt ex iuſtitia; nempe ex iure naturali & divino: quia talis fuit pia mens offerentium, ut identidem in ſuis canonicis conſtitutionibus declarat Eccleſia, & enixe inculcat; ſicut ex iam relatis manifeſtiſſime patet. Huiuſcemodi onere ſublevandi pauperes ex iuſtitia certe non prægravantur laici reſpectu bonorum patrimonialium, quæ vel iure naturali vel teſtamentario poſſident: quia cum tale onus iuſtitiæ non exſurgat niſi ex poſſeſſione rei alienæ; idcirco ad ſubſidia pauperibus eroganda ex propriis ſecundum omnia iura non tenentur laici, niſi ſecundum quod omnibus incumbit lex fraterni amoris, ideſt ex ſola caritate. Nam ipſum poſitivum ius canonicum, cuius eſt explicare ius naturale & divinum, nonniſi ex tali titulo eos ad hoc pium opus prægravatos declarat. Quare Sancti Patres qui circa debitum erogandi ſuperflua in pauperes de clericis æque ac de laicis loquuntur, intelligendi ſunt quoad laicos de tali obligatione in extrema proximi neceſſitate, ut rem clare exponit S. Ambroſius, dum ait: *Paſce fame morientem: ſi non paviſti, occidiſti*. Quiſque enim ſaltem ex ſuperfluis tenetur ex quadam iuſtitia ita indigenti ſuccurrere. Non vero aſſerunt Patres, abſolute laicos teneri ex ſtricta iuſtitia ſuperflua in eleemoſynas impendere: ſicut ex iis quæ propriæ ſuperſunt ſuſtentationi, in bonis eccleſiaſticis quæ poſſident, ob allatas rationes clerici tenentur. Immo addam cum Tournely, quod ſi aliqui Patres viſi ſunt in laicis quoque quamdam admittere neceſſitatem ſuperflua ex iuſtitia pauperibus erogandi; mirum eſſe non debet, ſi ſtrictam in clericis admiſiſſe dicantur.

Porro ſupervacanea eſt illa diſtincta conſide-

ſideratio bonorum Eccleſiæ ante & poſt eorum diviſionem. Nam ſicuti notat Habertus cum aliis, licet, quando diſtribuebantur ſoli reditus, ſervata ſit partitio hæc præcepta in quatuor partes; non tamen conſtat, quod in fundorum diviſione hæc regula locum habuerit. Unde ſicuti debitor qui certus eſt de debito contracto, nec probare poteſt ſe ſolviſſe, ſolvere tenetur: ita pariter in hoc caſu; cum nullum habeatur certum documentum quo evincatur in partitione bonorum Eccleſiæ, ideſt fundorum eccleſiaſticorum, factam fuiſſe aſſignationem ſuæ quartæ partis fabricæ & pauperibus. Etenim Hoſpitalia fere omnia poſt eorum bonorum diviſionem a fidelibus erecta fuere: &, ut credibile eſt, cum tunc nullus eſſet amplius communis diſpenſator qui ex Eccleſiæ bonis ſubſidium eis præberet, eo quia non amplius erant talia bona, ſicut antea, penes Epiſcopum a quo fiebant tales diſtributiones, orbati remanſerunt pauperes conſueto auxilio ſuis indigentiis; inde commota eſt miſericordia fidelium ut aliquo modo eorum egeſtati provideret. Fabricæ vero Eccleſiæ nunc nihil habent niſi quotidianas piorum eleemoſynas: & ſi aliquæ bona poſſident immobilia; hæc ſunt legata a fidelibus identidem poſt diviſionem dictorum bonorum eiſdem relicta, ut probant eorum monumenta. Quare clare patet, quod univerſim in dicta bonorum Eccleſiæ ſeu fundorum partitione facta non ſit aſſignatio fabricis Eccleſiarum & pauperibus: cum fere nullibi, vel ſaltem rarius, hoc conſtet & inveniatur. Immo ex documentis eccleſiaſticæ Diſciplinæ habetur, ut ex P. Thomaſſino & Van-Eſpen, quod in aliquibus Eccleſiis revera facta ſit diviſio in duas tantummodo partes; videlicet Epiſcopum inter & clerum: & exinde in his immixtæ remanſere portio fabricæ & portio pauperum. Sed eſto, quod in diviſione fundorum æque ſervata fuiſſet hæc quadripartita bonorum diviſio: non exinde liberi eſſent clerici ab onere iuſtitiæ impendendi in pios uſus ad Dei honorem id quod ſuperfluum eſſet eorum honeſtæ ſuſtentationi, iuxta eorum intentionem qui talia bona Eccleſiæ obtulerunt, quæ ſemper ſervanda eſt & implenda. Bona inſuper Eccleſiæ poſt diviſionem, ut alias diximus, primævam ſuam naturam minime mutarunt; ita ut etiam poſt diviſionem ſint bona Eccleſiæ & Deo dicata: ac proinde etiam poſt diviſionem Concilia quæ poſtea ſunt celebrata, canones qui ſuper hoc ſunt conſtituti, Pontificum reſcripta, Patres qui poſtea floruere, docent clericos non dominos eſſe, ſed diſpenſatores rerum eccleſiaſticarum; & hi omnes etiam poſt diviſionem unanimes conclamant, hæc bona res Dei eſſe & Eccleſiæ, vota fidelium, pretium peccatorum, patrimonium Chriſti & pauperum. *Eadem eſt quaſi natura, idem ius & conditio* (ait P. Thomaſſinus Tom. II. lib. II. cap. XXII. num. 8.) *totius Eccleſiarum ſubſtantiæ, ut Chriſti & pauperum ſit patrimonium. Quantulaſcumque in portiones hoc diſſecueris, particula hæc eſt; & ſemper erit patrimonium pauperum: nec eam uſquam poteris abſtergere conditionem. Minutiſſimæ etiam particulæ rerum Eccleſiæ, hoſtiæ nihilominus ſunt ſacræ religionis & pietatis pretium, ut ſacrilege & impie faciat quiſque eas voluptati aut pompæ ſæculi impenderit*. Itaque, quacumque facta rerum Eccleſiæ diſtributione, res Eccleſiæ ſemper res erunt pauperum: &, ſepoſito frugali ac modico victu cultuque beneficiarii, reſidua omnia in pauperes neceſſario ſpargenda erunt. Igitur etiam poſt partitionem tenentur clerici bona Eccleſiæ beneficiario iure poſſidentes erogare ſibi ſuperflua in pauperes: cum hoc debitum ſit ipſis ſpeciale, exſurgens ex natura bonorum ipſius beneficii quod poſſident; utpote quæ tali mente & intentione a fidelibus Eccleſiæ donata ſunt. Porro hæc intentio & pactum nonniſi ex gravi & rationabili cauſſa immutari & abrogari poteſt ab ipſa Eccleſia, quæ eſt quædam veluti fidelis depoſitaria, cuſtos, diſpenſatrix talium bonorum ab iiſdem fidelibus inſtituta, dum illa eidem contulerunt, fidentes quod erit iuſtiſſima tutrix, ac eorumdem mentis executrix. Quare Petrus de Alliaco ait de ipſo Romano Pontifice, *quod ſi Papa pro libito ſuo diſtrabat bona Eccleſiæ, & non diſpenſet bona fide* (nota, quod loquitur de reditibus, non de fundis) *de iure non tenet: & non ſolum tenetur ad pœnitentiam de peccato, quaſi propter abuſum rei; ſed infideliter agit, & ad reſtitutionem tenetur, ſi aliunde haberet, cum ſit defraudator rei alienæ*. Secus profecto dicendum eſſet, ſi eſſet dominus: quia in re ſua quilibet eſt ultimus moderator & arbiter. Non igitur per diviſionem bonorum natura rerum eccleſiaſticarum mutari, neque clerici conſtitui potuerunt domini, ut reditus pro eorum libito in omnes uſus profanos diſponere valeant. Nam quod ſemel Deo dicatum eſt, ut tota conclamat Eccleſia, ſemper Deo dicatum eſt; nec poteſt amplius in uſus profanos converti, ut

etiam

etiam declaravit Concilium Mediolanenſe I. *pag.* 39. Siquidem ubi Eccleſiæ bona eſſe cœperunt, eam naturam & conditionem conſecuta ſunt, ut in alium quam ſacrum ac pium uſum eorum fructus convertere nefas ſit.

Validis rationibus firmatur aſſertum.

Quare ratio ipſa evidenter demonſtrat, clericos non eſſe dominos proventuum eccleſiaſtici beneficii, ut pro libito in quoſcumque etiam profanos uſus eos convertere valeant. Nam ex nullo manifeſto titulo conſtat, quod ipſis talia bona ut propria conferantur. Etenim ex voluntate fidelium circa bona quibus erecta ſunt beneficia, & ex intentione Eccleſiæ a qua beneficia clericis conferuntur, qui eſt præcipuus, immo unicus titulus quo tales fidelium oblationes clerici poſſident, nullatenus evincitur, quod eis cum tali iure ac dominio contulerint, ut ſint veluti eorum propria: immo contrarium colligitur & conſtat. Nam quoad fundatores, patet ex inſtrumentis vel ultimis diſpoſitionibus quibus talia bona in Eccleſiæ dominium contulere, firmum eorum propoſitum, ſicuti in ipſis inſtrumentis & teſtamentis expreſſe reperitur, fuiſſe ut alius non fieret ex eis uſus, niſi ad clericorum & pauperum ſuſtentationem, ut præ omnibus aliis quæ nonniſi eodem modo ſunt exarata, indicat formula quæ habetur ac legitur in Capitularibus Caroli Magni: *Offero Deo ac dedico omnes res quæ in hac chartula tenentur inſertæ, pro remiſſione peccatorum meorum ... pauperum ac clericorum alimoniis*. Et ſic omnes aliæ fundationes quibus ex devota fidelium diſpoſitione ad Eccleſiam bona pervenerunt, in teſtamentis aut inſtrumentis piorum legatorum, quibus fideles, ſive ante, ſive poſt toties laudatam partitionem, bona ſua Eccleſiæ obtulerunt, eiuſmodi locutione ac ſenſu exprimuntur. Patet igitur manifeſte, clericos non electos fuiſſe a fundatoribus dominos ſuorum bonorum, ut libero & proprio cuiuſque libito de iiſdem diſponere poſſent; ſed ut, ſibi detracta propria ſuſtentatione, ſuperflua in pauperes alioſve pios uſus erogarent. Non alia pariter eſt, nec ullatenus eſſe & cenſeri poteſt intentio Eccleſiæ etiam nunc, ideſt poſt partitionem, in conferendo clericis hæc bona, dum beneficia quæ in iis fundata ſunt, eis confert, quam ſe accommodare intentioni piorum qui illa ipſius ſanctitati ac fidelitati potius quam ſuis conſanguineis concredita voluere. Et hæc pia fideliſque intentio Eccleſiæ in eorumdem bonorum diſtributione manifeſtiſſime deprehenditur ex eius oraculis quæ habentur in ſanctis Conciliis, in ſacris canonibus, in Sanctorum Patrum invariabili traditione: quæ omnia clariſſimum de hac religioſa ipſius Eccleſiæ mente exhibent teſtimonium. Omnes enim uno ore omni Eccleſiæ ſæculo, & ante, & poſt diviſionem, declarant & decantant, res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretium peccatorum, patrimonium Chriſti & pauperum: & exinde ſimul concludunt, graviterque inculcant & urgent, nonniſi in pios uſus eorum fructus eſſe expendendos.

Quam igitur futilis ſit diverſa bonorum ſtabilium Eccleſiæ conſideratio ante & poſt eorumdem diviſionem, nemo non videt. Etenim primo, quod hæc diviſio fundorum eccleſiaſticorum ſtatuta ſit ab Eccleſia, maxime incertum eſt, & quoad ipſam diviſionem, & quoad tempus quo conſtituta fuerit. Nam (ut habetur ex P. Thomaſſino *Part. III. lib. II. Eccleſiaſt. Diſciplin.* & ex Van-Eſpen *Part. II. tit.* XXXII. *in ius canon.*) cœpit privata auctoritate particularium clericorum: vel ſi publica, aliquarum ſolummodo Eccleſiarum ſæculo VII. vel VIII. & per ipſas particulares Eccleſias circa ſæculum XII. tempore Alexandrri III. completa; quando deſciſcentes Canonici Eccleſiarum cathedralium a vita communi, partiti ſunt inter ſe bona menſæ canonicalis, ut quiſque ſigillatim ex portione fundorum quæ ipſis contigerat, ſuam reſpectivam haberet ſuſtentationem. Unde dici poteſt, quod Eccleſia ſolummodo tolerando ne graviora ex remedio occurrerent incommoda, quodammodo eam approbavit, erigendo ex partibus diſcretis eorumdem bonorum beneficia, eorum collationem in vacationibus ſibi reſervando: forſan ne eadem bona inter particulares disiuncta paulatim ab Eccleſia prorſus per eoſdem clericos poſſeſſores diſtraherentur, ea ſuis conſanguineis ut propria bona in hereditatem relinquendo. Secundo, dato etiam quod hæc partitio facta fuiſſet ab Eccleſia, nihil ex eadem exſurgit & conſequitur quod patrocinetur dominio ac deſpoticæ diſpoſitioni eorumdem bonorum, quam in favorem beneficiariorum ſtatuere contraria contendit opinio. Etenim ex tali partitione, ut iam alias notavimus, natura illorum bonorum minime immutata eſt, nec ex ſe, neque ex Eccleſiæ diſpoſitione. Non ex ſe: quia adhuc res ſunt Eccleſiæ, ac ideo cum radicali & invariabili intrinſeca ſua conditione quam ex primæva ſua origine contraxerunt, ideſt in eorumdem oblatione fidelium piorum Eccleſiæ, in Dei

honorem & ſuarum animarum profectum. Proinde ex ſe verum eſt, bona mere eccleſiaſtica eſſe Deo dicata, vota fidelium, pretium peccatorum, pauperum patrimonium: & ex ſe hoc ita ſemper invariabiliter habebunt, donec iuri & uſui Eccleſiæ ſubiecta remaneant; non ſecus ac ſacra vaſa, quæ donec ab Eccleſia apud ſe ad ſacrorum miniſteria cuſlodiuntur ac ſervantur, ſemper ſacra remanent, ac ideo non ſine gravi ſacrilegio ad uſus profanos diſtrahi poſſunt. Non immutata eſt eorum bonorum natura poſt diviſionem ex Eccleſiæ diſpoſitione: quia cum ſanctiſſimæ Eccleſiæ æquitati a fidelibus talia bona concredita ſint, ea fiducia quod eorum pia intentio de eorumdem religioſo uſu fideliter impleretur: ſuprema qua pollet auctoritate non poteſt transferre ea in clericos alio iure quam eo quo a fidelibus talia bona recepit, ſcilicet ut ſemper in pios uſus impendantur; & nonniſi ex gravi, legitima, ac rationabili cauſſa diſtrahere ac diſpenſare, nempe in ipſius vel Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem. Alias non fieret diſpenſatio bonorum eccleſiaſticorum, ſed diſſipatio. Tertio, non plus iuris nunc poſt diviſionem, immo minus videntur acquirere clerici in bonis eccleſiaſticis beneficii quod poſſident, quam olim ante diviſionem, quando ſolas diſtributionum ſportulas ab Epiſcopo recipiebant: ita ut potiore ratione videtur, quod tunc cenſeri potuiſſent domini quam nunc. Etenim ante diviſionem nullam prorſus bonorum Eccleſiæ tenebant clerici adminiſtrationem, quæ omnino reſidebat penes Epiſcopum, & ab Epiſcopo, non ſecus ac mercenarius diurnus, pro ſervitio Eccleſiæ præſtito, ii qui non vivebant cum aliis in communi, ut erant præcipue clerici coniugati, nihil plus recipiebant quam diurna ſtipendia, prout cuiuſque conditioni opus erat ad moderatam ſui ſuſtentationem: & iam pauperibus & Eccleſiis Epiſcopus neceſſaria providebat. Unde tunc potius videntur illi exiſtimari ac dici poſſe domini cum libertate ad quemcumque uſum ſtipendiorum quæ arctata erant ad ſolam humilemque ſuſtentationem illorum, non ſecus ac mercenarii domini ſunt ſuæ mercedis; quam nunc poſt diviſionem, quando in collatione beneficiorum ex quibus ut plurimum plus percipiunt quam eis neceſſe ſit ad propriam ſuſtentationem: ac proinde nunc non amplius habentur ut mercenarii, ſed ut diſpenſatores eccleſiaſticorum redituum & œconomi conſtituuntur; nec nunc certi ſunt, ſicuti erant olim ante diviſionem, Eccleſiæ & pauperes conſequendi ſuam ſuſtentationem ab Epiſcopis, apud quos nulla eſt amplius poſt diviſionem communium Eccleſiæ bonorum adminiſtratio. Unde ſi etiam adverſarii ultro concedunt ac indubie ſentiunt, clericos ante bonorum diviſionem etiam de ſuis diurnis ſtipendiis dominium non obtinuiſſe; ita ut ſi aliquid eis ſuperfuiſſet, tenerentur in pios uſus erogare: multo minus certe ius dominii, ſed ſolum diſpenſatoris eis competere poteſt poſt diviſionem, quando copioſiorem tenent de eorumdem proventibus participationem. Et ſane clerici quibus in bonorum eccleſiaſticorum diviſione plus quam eis opus erat, collatum fuit, ſe habent non ſecus ac œconomus (ait hic Tournely) cui dominus ob quædam agenda negotia plus confert pecuniæ quam neceſſe ſit; quia prævidere non valet expenſas omnes quæ occurrere poſſunt. Quare ſicut œconomus ea quæ ex expenſis ipſi ſuperſunt, domino reſtituere tenetur; ita clerici quibus plus ab Epiſcopo in bonorum diviſione tributum eſt, vel privata auctoritate ſibi vindicarunt, domini non fiunt eorum quæ ſuperſunt, & ad reſtitutionem tenentur. Immo ſtrictius quam œconomus reſtituere debent: quia Epiſcopus diviſionem faciendo non eſt dominus bonorum Eccleſiæ, ſed diſpenſator, & multo minus ipſi, ſi ea propria auctoritate ſibi vindicarunt; adeoque non magis poterat beneficiariis concedere, vel ipſi cum iiſdem bonis ſibi vindicare facultatem convertendi in uſus profanos id quod iiſdem poſt honeſtam ſuſtentationem ſupereſſet, quam ante diviſionem potuiſſent.

Inſuper doctores omnes ipſique oppoſitæ ſententiæ patroni concedunt ac docent, clericos beneficiarios ſuperflua expendendo in profanos uſus peccare mortaliter. Verum hoc generatim & abſolute contingere nequit ex ſola violatione præcepti caritatis & miſericordiæ, niſi ſimul violetur iuſtitia, ut cum aliis docet Fagnanus in *cap.* Si quis ſane v. *de pecul. cleric. num. 1.* Igitur dici nequit, eos eorumdem redituum eſſe dominos: vel ſaltem etſi iuxta aliam ſententiam ſint domini, gravati profecto ſunt ex eorumdem bonorum conditione, contracta in ipſa eorum donatione Eccleſiæ ex pia offerentium intentione; nempe onere inevitabili in opera pietatis, præcipue in pauperum ſubſidium, ſuperflua erogandi. Lex caritatis & miſericordiæ erga pauperes non obligat ſub mortali, niſi quando ipſis denegetur ſubventio in extrema vel ſaltem gravi neceſſitate

tate

tate conſtitutis, nec ſit eis locus ut aliunde provideantur, ſecundum certiſſimam communiſſimamque omnium Theologorum ſententiam. Cum autem dari poſſit caſus, quod aliquibus in locis nulli huiuſcemodi pauperes extrema aut ſaltem gravi neceſſitate laborantes inveniantur; vel ſi qui tales reperiantur, aliunde eis ſufficienter provideatur: in tali caſu certe dici nequit, beneficiarios ſub mortali peccare contra caritatem & miſericordiam, ſuperflua ex reditibus beneficii ad profanos uſus detorquendo. Nam virtus caritatis & miſericordiæ non habet pro obiecto niſi pauperum ſubſidium, & tantummodo, ut dicebam, communiſſime obligat ſub mortali, quando agatur de ſublevando paupere in extrema aut gravi ſaltem neceſſitate conſtituto. Cum tamen, etiam deficiente caſu quo talem caritatem exercere valeat, adhuc ſecundum omnium etiam adverſariorum ſententiam peccet beneficiarius, ideſt etiam non violata virtute caritatis, impendendo in profanos uſus ſuperflua redituum beneficii: evidenter ſequitur, ipſum in tali abuſu bonorum eccleſiaſticorum peccare non ſolum contra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiam, utpote qui de re aliena, ideſt fidelium qui talia bona pro piis uſibus Eccleſiæ obtulerunt, contra domini intentionem pactumque diſponit, ac teneri ad reſtitutionem; & proinde clericos talium redituum non eſſe dominos, cum dominus de re cuius eſt dominus, ſit ultimus moderator & arbiter. Ita ratio hæc urget, ut aliqui ex iis qui volunt clericos eorumdem bonorum dominos, ſtatuerint eos nihilominus in ſuperfluorum abuſu peccare contra religionis virtutem; quia rem Deo dicatam in uſus profanos convertunt: alii vero etiam contra iuſtitiam, cum debito reſtitutionis; quia licet domini eorumdem redituum, habent tamen dominium gravatum onere elargiendi in pauperes alioſve religioſos uſus, ſi quæ ipſis ex eorum honeſta ſuſtentatione ſuperſint. Et quod peccent contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneantur; ſive ſint diſpenſatores tantum, & non domini, ſive domini, ut volunt alii, cum dominio prægravato: ſententia eſt quæ plurimos habet graviorum doctorum antiquorum & recentiorum ſectatores; immo inter recentiores eſt communior.

Solvuntur obiecta. Nec ullatenus obeſt quod opponere ſolent adverſarii & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXII. *cap.* III. & ex S. Pio V. Concilium enim Tridentinum, inquiunt, *loc. cit.* ſtatuit, beneficiarios quolibet die ſuum debitum officium non perſolvendo, dominium non acquirere in fructibus beneficii: & S. Pius V. declarat, omittentes Officii recitationem ſuos non facere fructus beneficii. Quare cum exceptio regulam firmet in contrarium, inferunt ipſi, ex oppoſito debitum perſolventes Officium ex Tridentini declaratione fieri fructuum dominos; & ex S. Pii placito ſuos facere fructus beneficii qui divinum Officium recitant.

Revera in aliquo nos quoque concedimus, clericos habere dominium utile, ſi ſuo muneri ſatisfaciant, & fructus facere ſuos: ſed quoad eam partem tantum quæ ipſis, ſufficiat ad honeſtam ſuſtentationem; non vero quoad partem redituum qui ſuæ ſuſtentationi ſuperſint. Huius enim partis ſunt tantum adminiſtratores, ita ut de ipſis in omnes uſus diſponere nequeant. Quocirca quoad hanc partem, ideſt ſuperfluorum, ad ſummum dici poſſunt domini lato modo, quatenus ipſis talis adminiſtratio concredita fuerit: ac proinde non habent circa eam dominium abſolutum & liberum; ſed arctatum & gravatum onere, ut in pios uſus eadem bona convertant ac erogent. Poſſunt quidem clerici beneficiarii de iiſdem bonis ſolvere propria debita, etiam contracta ante beneficii conſecutionem: ſed ſolummodo quando non habeant bona patrimonialia quibus illis debitis ſatisfaciant; ideſt tamquam pauperes qui in ſuis indigentiis ea ſibi applicant, non tamquam domini qui de iiſdem ad nutum diſponunt. Hinc fit ut ex ſuperfluis beneficiorum conſtituantur etiam penſiones in favorem alicuius clerici indigentis, vel quia optime de Eccleſia meritus eſt, ut de ſuſtentatione provideatur: quia ſemper talium bonorum diſtributio incipere debet a Sanctuarii miniſtris; cum hi ex iiſdem bonis etiam ſecundum intentionem fidelium qui talia bona Eccleſiæ donarunt, tamquam miniſtri eccleſiaſtici ſuſtentari debeant prius quam pauperes, quibus tantum danda eſt pars quæ honeſtæ clericorum ſuſtentationi ſuperſit.

Nota hic, ex hoc quod in pauperum ſubſidium diſpenſanda ſint ſuperflua, non tamen ſequi, poſſe pauperes ea ſibi ſubripere, aut beneficiarium pro eis conſequendis in ius convenire: eo quod nullus ſit pauper qui habeat ius certum & determinatum in ſuperflua beneficiorum; & ſine tali iure nec licet exigere, nec actionem intendere. Sic clericus particularis litem intentare nequit patro-

patronis, ut ab eis beneficium obtineat; licet alicui clerico beneficium conferre teneantur: cum ex hoc non ſequatur, clericum ius habere in particulari ut ei potius conferatur quam alteri; quia electio eſt ius liberum patroni ad hunc vel alium pro libito ſuo eligendum. Item quia cum honeſta clerici ſuſtentatio conſiſtat in indiviſibili, nequeunt ſcire pauperes, quantum quiſque beneficiarius habeat ſuperflui; vel num ei aliquid ſuperfluum ſit, an ſecus. Tandem extra gravem neceſſitatem improbari nequit beneficiarius, ſi ex ſuis ſuperfluis vel Eccleſiam ornet, vel hiſce in aliis pietatis operibus utatur: ſicuti iam notat Navarrus *monit.* XXVI. qui pia opera appellat ad cultum Dei, pietatem, miſericordiamque pertinentia. Et hoc quoque ibi addit: quod quamvis maioris ſit pietatis ſubvenire pauperes loci quam extraneos; poſſunt tamen licite ab eo ſubveniri etiam extranei, ſive conſanguinei ſint, ſive non.

Reponunt adverſarii, quod ſi beneficiarius ex iuſtitia tenetur ſuperflua erogare in pauperes vel pios uſus, invalida erit donatio quam illorum faciat, non pauperibus: nec poterit per teſtamentum de iiſdem libere in cuiuſcumque favorem, ſive pauperis, ſive divitis, diſponere: nec conſanguinei divites ſuccedere poſſent in eorum bonis ab inteſto, contra hodiernam praxim non reprobatam ab Eccleſia nec ab ulla civili Republica.

Reſp. Revera cum Epiſcopi ac alii clerici beneficiarii ſemper, ut hactenus diximus, reputati fuerint non ut domini, ſed ut diſpenſatores rerum eccleſiaſticarum; & cum diſpenſator de rebus ſibi creditis donare ac teſtari nequeat: hinc a ſacris canonibus vetitum clericis fuit de iiſdem teſtari, ac proinde etiam donare; cum donatio iam æquivaleat teſtamentariæ diſpoſitioni (*can.* xl. inter eos qui Apoſtolici vocantur: & refertur *can.* Sint manifeſtæ XII. *q.* I.) ſecus autem de propriis bonis quæ præter eccleſiaſtica habere potuiſſent. Ita pariter habetur *can.* XXIV. Concilii Antiocheni *can.* XXIX. Concilii Carthaginenſis III. & *can.* XLVIII. Concilii Agathenſis. Immo cum, pace reddita Eccleſiæ, Epiſcopi & clerici cœpiſſent flagrare ardore dumtaxat accumulandi divitias, eccleſiaſtica bona cum propriis confundendo; proindeque ſicut de propriis in morte teſtari ſolerent: vetitum eis fuit *can.* XLIX. Concilii Carthaginenſis III. (relato a Gratiano *can.* I. XII. *q.* III.) ne amplius per teſtamentum diſponere poſſent vel donare, niſi de iis quæ habebant ante Ordinationem; ita ut quæ poſt Ordinationem quocumque titulo acquiſiviſſent, Eccleſiæ conferre deberent. Ita etiam ſtatuit Iuſtinianus in *l.* XLII. §. II. *cod. de Epiſc. & cleric.* & hoc confirmavit S. Gregorius, ut *lib. V. Epiſt.* I. colligitur. Eodem rendunt decreta quæ iubent inquiri, an Presbyteri & alii clerici bona aliqua habuerint ante Ordinationem. Et hæc diſciplina perdurabat etiam ſæculo XIII. uſque ad tempora Concilii Lateranenſis habiti ſub Alexandro III. quod ſanxit *cap.* VII. *de teſtam.* ut retineretur. Et non ſolum non poterant clerici diſponere de bonis quocumque modo acquiſitis poſt Ordinationem immobilibus, ſed ne de mobilibus quidem; nedum ad profanas, ſed nec etiam ad pias cauſſas. Verum tempore Alexandri III. cœperat invaleſcere conſuetudo ut de mobilibus bonis poſſent ad pias cauſſas, pauperibus nempe vel religioſis locis, diſponere: quam dixit Pontifex *cap.* XII. eiuſdem Concilii Lateranenſis non improbandam; & hæc conſuetudo in decretalibus Gregorii IX. quaſi de iure probata fuit. Quare ex tunc poterant clerici de iure rationabile, iuridicum, & legitimum facere teſtamentum de mobilibus: nam de iure immobilia acquiſita de bonis Eccleſiæ, niſi ſuæ Eccleſiæ legare poterant.

Verum, facta in decretalibus relaxatione iuris cum modificatione non improbandæ conſuetudinis, clericos teſtari poſſe de mobilibus, paulatim adeo relaxatus fuit canonum vigor, ut tandem invaluerit conſuetudo diſponendi per teſtamentum etiam de acquiſitis poſt Ordinationem, non ſolum mobilibus, ſed etiam immobilibus, ad cuiuſcumque favorem, ſive Eccleſiæ, ſive conſanguineorum. Et in Italia, ubi non tam cito ſicuti alibi conſuetudo hæc invaluit, clericis relaxabantur a Sancta Sede diſpenſationes teſtandi: ſicuti factum fuit cum civibus Romæ & vicinorum locorum, quibus indultum fuit ut poſſent diſponere de quibuſcumque bonis, etiam poſt conſecutum beneficium, quomodolibet etiam ex fructibus beneficii acquiſitis. Addunt hic Canoniſtæ, Papam diſpenſare poſſe etiam Epiſcopos Regulares, ut teſtentur. In Gallia tamen opus non eſt tali diſpenſatione: cum ibi ex inveterata conſuetudine non ſolum libere diſponant; verum etiam ſuccedant conſanguinei eorum bonis ab inteſtato. Monet tandem Fagnanus, & ita etiam ſentit Navarrus, quod ad uſus profanos nec conſuetudo, nec diſpenſatio Papæ tutos reddit in conſcientia: cum nec conſuetudo, nec Papæ diſpen-

diſpenſatio teſtandi mutet vel alteret naturam bonorum eccleſiaſticorum; ac remaneat onus ipſis bonis adnexum, ſuperflua in pios uſus erogandi. Quapropter Patres Concilii Tridentini, licet non ignorarent in regnis quibuſdam tolerari conſuetudinem ut clerici de proventibus eccleſiaſticis etiam in favorem conſanguineorum non egentium teſtentur, ac in foro externo validas reputari tales diſpoſitiones; nihilominus Epiſcopis aliiſque beneficia eccleſiaſtica poſſidentibus omnino interdixerunt: *Ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant... ſed ſi pauperes ſint, ut pauperibus diſtribuant*. Toleratur quidem in foro externo ut clerici diſponant per teſtamentum de bonis etiam ex proventibus eccleſiaſticis acquiſitis: & eo vel maxime quod non ita facile diſcerni queat, quænam ſint bona propria clerici, quænam ex bonis eccleſiaſticis adepta. Quocirca donationes vel diſpoſitiones factæ ex teſtamento a beneficiario tolerantur ut validæ in foro externo ad vitandas lites & perturbationes: non vero in foro interno conſcientiæ, iuxta illud Innocentii III. *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia, non debent tolerari*. Et merito etiam ex hoc non irritantur in foro externo, quia cum nullus præſumendus ſit malus, niſi probetur; non ita facile cenſendus eſt eccleſiaſticus, quod ſe ipſum prodere voluerit, relinquendo profanis uſibus ſuorum conſanguineorum Eccleſiæ bona: immo præſumendus eſt propria bona per teſtamentum eiſdem reliquiſſe.

Igitur ſequitur ex dictis, laicos qui ex teſtamento aut ab inteſtato ſuccedunt bonis clericorum beneficiariorum (dummodo certo non ſciant ea bona acquiſita ex eccleſiaſticis reditibus, & habeant grave fundamentum præſumendi ea fuiſſe propria ipſorum bona, ſive patrimonialia, ſive ex induſtria adepta) poſſe in conſcientia ea retinere. Secus vero, ſi ſcirent aut gravem haberent coniecturam præſumendi, adepta eſſe ex proventibus Eccleſiæ: quia tunc tenerentur in conſcientia reddere pauperibus vel aliis piis cauſſis; cum donator vel teſtator non potuerit ius eis conferre quod ipſe non habebat, nempe ea ad uſus profanos transferendi iuxta regul. lxxix. iur. in 6. *Nemo poteſt plus iuris transferre in alios quam ſibi competere dignoſcatur*. Nemo enim dat quod non habet. Item qui alea lucrati ſunt aliquid notabile ex bonis illis ſuperfluis, tenentur rem pauperum male partam reſtituere. Sic P. Antoine, qui refert hoc ſtatutum eſſe etiam a Concilio Rhemenſi anno MDLXXXIII.

Reponunt tandem illud D. Thomæ (& hoc argumentum eſt præcipuus illorum achilles) 2. 2. quæſt. clxxxv. art. 7. *Epiſcopi eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores vel procuratores. Unde ſi aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de iis quæ ſunt aliis eroganda, non eſt dubium quin contra fidem diſpenſationis agat: & mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. De iis autem quæ ſunt ſuo uſui ſpecialiter deputata, videtur eſſe eadem ratio quæ eſt de bonis propriis: ut ſcilicet propter immoderatum affectum & uſum peccet; quemadmodum ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ſicuti requirit debitum caritatis*. Et hoc ita iam ſtatuerat *Quodlib. vi. quæſt. vi. art. 2.* ubi, poſita bonorum Eccleſiæ diviſione, ita proſequitur: *In ſecundis bonis non committitur peccatum niſi per abuſum, ſicut de bonis patrimonialibus dictum eſt: unde non tenetur ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam*. Igitur ex D. Thoma beneficiarii domini ſunt redituum ſuorum beneficiorum.

Reſp. ex primo allato textu nihil contra concludi poſſet, immo potius favorabilius noſtræ ſententiæ, quam nulla prorſus affectione, ſed omnino ducti graviſſimorum doctorum auctoritate, a qua non credimus aliquem modernorum diſſentire, ex venerabili ac graviſſima tot ſanctorum canonum omniumque Patrum doctrina, ex communi prorſus Theologorum ſenſu qui uſque ad Navarrum nempe ad ſæculum XV. floruerunt, necnon ex validiſſimis rationibus quas veriorem hanc præſeferunt, ſecuti ſumus. Quod vero Sanctus Doctor in *cit. Quodlib.* docet, evidentiſſime patet ibi oppoſitum tradere. Verum cum Angelicus alibi aliter doceat, ut manifeſtiſſime conſtat ex textibus iam antea allatis ex 2. 2. *quæſt. c. art. 1. ad 7.* & ex *quæſt. cxix. art. 3. ad 1.* Theologicæ ſuæ Summæ, quæ eſt opus vere aureum poſtremo ab ipſo exaratum, & in primo textu, oppoſito ex 2. 2. *quæſt.* clxxxv. *art. 7.* eiuſdem Summæ, multo caſtigatius loquatur, & veluti ſe corrigat, ut fere patenter aliter ſtatuat ac in *cit. Quodlib.* (ut ex legitima eiuſdem textus explicatione conſtabit) videtur non recedendum a tanto magiſtro & doctore cum gravi eximiæ illius doctrinæ iniuria, quaſi oppoſitum ſentiat, ut aliqui ab obiectis textibus ſe expediunt.

Digitized by Google

diunt. Idcirco (quidquid Sanctus Doctor dixerit in *cit. Quodlib.*) certiſſimum eſt & manifeſtum, ipſum aliter docuiſſe in ſua Theologica Summa, quæ eſt opus poſterius Quodlibetis ab ipſo traditum, ut conſtat ex duobus textibus in probationibus allatis, & ex caſtigatiore modo quo loquitur in textu *quæſt.* clxxxv. *art.* 7. oppoſito in obiectione, ubi veluti ſe corrigit ac retractat quæ in *cit. Quodlib.* tradiderat, ut ſerio verba textus expendendo patebit. Etenim dici poteſt ſeu explicari, quod hic Angelicus Præceptor loquatur de iis quæ ſurrahat Epiſcopus vel clericus ex congrua & competenti ſua ſuſtentatione, quæ eſt pars ipſi applicanda, ut illa ſe habeant non ſecus ac ipſius patrimonialia bona; ita ut nonniſi ob eorum abuſum peccare poſſit contra caritatem (cum revera ſuæ congruæ ſuſtentationis dici poſſit dominus, non ſecus ac ſimplex mercenarius ſuæ mercedis; utpote quæ ſit ſtipendium pro ſervitio Eccleſiæ a ſe præſtito ſibi aſſignatum) ac proinde teneri nequeat ad aliquid ex hac in pauperum ſubſidium erogandum niſi ſolum ex caritate. Et hic videtur eorum verborum ſenſus, ubi poſtquam ſtatuit peccare mortaliter *ex infideli diſpenſatione, ac ad reſtitutionem teneri, ſi aliquid ex iis quæ ſunt eroganda in pauperes* (quod recte explicari poteſt de ſuperfluis) *ſibi retineat*: ſubiungit: *De iis autem quæ ſunt ſuo uſui ſpecialiter deputata, videtur eſſe eadem ratio quæ eſt de bonis propriis*: *ut ſcilicet propter immoderatum affectum & uſum peccet; quemadmodum ſi immoderate ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ſicut requirit debitum caritatis*. Nota ly *ſuo uſui ſpecialiter deputata*: quod non alium ſenſum præſeferre videtur quam congruæ ſuſtentationis, quæ penitus ſeiuncta eſt non ſolum a portione quæ fabricæ & pauperibus debetur, ſive in bonorum Eccleſiæ diviſione ſegregata ſupponatur, ſive non; ſed etiam a ſuperfluis quæ in pios uſus ſunt impendenda. Proinde concedi etiam poteſt, portionem ſimplicis congruæ ſuſtentationis eiuſdem cenſeri poſſe rationis ac bona patrimonialia: ut ſi in pauperes non eroget quæ congruæ ſuſtentationi ipſi competunt, non peccet clericus contra iuſtitiam: ſed ſolum ſi ex iis in gravi ſaltem neceſſitate non ſubveniat pauperi, peccet contra virtutem caritatis. Immo, ſi etiam gratificandi gratia concedere velimus, ibi Sanctum Doctorem loqui non de bonis quæ poſſidet clericus vel Epiſcopus poſt bonorum diviſionem, ſed de reditibus omnibus portionis quæ eidem contigit; & ſupponere, quod etiam cum illorum portione immixta remanſerit pars quæ ſpectabat ad fabricam Eccleſiæ & ad pauperes: adhuc per talem textum corruere nequit noſtra ſententia. Nam in eodem textu Sanctus Doctor non tradit doctrinam ut abſolute certam (ſicuti fecerat in *cit. Quodlib.*) ſed ut incertam & ſubdubiam: cum voce *ſubdubia* in eius expoſitione utatur, quaſi corrigendo quod dixerat in *cit. Quodlib.* Non enim dicit æque ac de illis abſolute *eſt eadem ratio*; ſed *videtur eſſe eadem ratio*: & exinde cavit etiam hic, ideſt in Summa, ſubiungere, ut fecerat in cit. Quodlib. *non teneri ad reſtitutionem*, quæ verba in Summa omiſit; ac proinde non negavit, exigere iuſtitiam fundatoribus debitam ut qui augere poteſt Dei cultum ex Eccleſiæ bonis, eidem adaugendo incumbat.

Nota, rem non ita rigoroſe agi quoad reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum quæ ſibi ſuperfuerunt, & in profanos uſus converterunt, ſicuti reſpectu eorum quæ ex rebus prorſus alienis ſibi concreditis & minime ad ipſos ſpectantibus ſibi arrogant, ac in uſus prorſus a dominorum intentione alienos diſtribuunt. Nam negotium clericorum quoad bona ſui beneficii ſuperflua valde ab eo diverſum eſt, unde aliquis conſtitutus eſt ſine ullo iure in iiſdem bonis diſtributor: etenim bona beneficiorum primario clericis ſunt donata ad eorum honeſtum uſum pro ſuſtentatione. Quare cum ius habeant in iiſdem bonis, licet gravatum: hinc multo plus in ipſis requiritur ut mortaliter peccent, & ad reſtitutionem teneantur, ſi eorumdem ſuperflua in uſus non pios diſtrahant; quam in ſimplici miniſtro ac diſpenſatore cui ſuper bona per ipſum diſtribuenda ius nullum confertur.

§. L.

De aliis beneficiariorum obligationibus.

Beneficiarii, ſive curati, ſive ad dignitates ac Canonicatus Eccleſiarum cathedralium promoti, primo tenentur intra duos menſes emittere fidei profeſſionem coram Epiſcopo, aut eius Vicario generali, & (ut alii volunt) etiam coram Capitulo: alias fructus beneficii ſuos non faciunt; & ſi perceperint, eos reſtituere tenentur, ut ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* xxiv. *cap.* xii. *de reform.* & ex Conſtitutione S. Pii V. qui formulam etiam in tali profeſſione ſervandam tradidit. Et hanc fidei profeſſionem per

per ſe ipſos, minime per procuratorem emittere debent. Ita declaravit ſacra Congregatio Concilii in *Segunt.* XVIII. Aprilis MDXC. Attamen dignitates & Canonicatus Eccleſiarum cathedralium faciunt ſuas quotidianas diſtributiones, nec privantur aliis effectibus poſſeſſionis, ideſt voce in Capitulo & præcedentia, a die poſſeſſionis: dummodo aliud in contrarium non obſtet, ut ex ſacra Congregatione relata a Quaranta in *Summ. Bullar.* v. *Beneficii poſſeſſio*. Ceteri autem beneficiarii, etiam ſimplicis beneficii, licet non teneantur ad fidei profeſſionem emittendam vi decreti Concilii Tridentini, tenentur tamen vigore legum diœceſanarum, in quibus fere omnibus id ſtatutum reperitur. Secundo, tenentur ad reparationem Eccleſiæ ſui beneficii: ad quam tenentur etiam Cardinales vi Bullæ VII. Leonis X. quæ incipit *Supernæ diſpoſitionis* §. XXII. Quare Epiſcopus reſpectu Eccleſiarum ſuæ diœceſis quæ indigent reſtauratione, poteſt ſequeſtrare fructus eorumdem beneficiorum, etiam militum Hieroſolymitanorum, ut ex ſacra Congregatione Concilii in *Hierac.* XVIII. Maii MDXC. Tertio, tenentur intra annum ſuſcipere Ordines ſuo beneficio requiſitos: aliter, ceſſante iuſto impedimento, ſi ſint Canonici, carent voce in Capitulo, & amittunt dimidiam partem diſtributionum, donec illum ſuſcipiant; cum ipſi immediate munus ſuum ſeu officium exercere teneantur, puta canere Miſſam & Evangelium. Si beneficium ſit curatum, & non curet promoveri intra annum ad Sacerdotium, iuſta cauſa non interveniente, ipſo facto beneficio privatur. *Cap.* XXXV. *de elect. in 6.* Si quis autem parochiam ſuſciperet ſino animo ſuſcipiendi intra annum Sacerdotium; & multo maius ſi quis abſque intentione perſeverandi in beneficio, ſed animo dumtaxat per aliquod tempus fruendi eius fructibus, vel alteri reſignandi: uterque peccaret mortaliter, & ſecundum aliquos uterque ad reſtitutionem teneretur. Alii tamen volunt, ſi beneficium ſuſceptum non ſit parochiale, & ſuo muneri beneficiarius ſatisfecerit, ad fructuum reſtitutionem non teneri. Immo etiam quoad beneficium parochiale, docent non teneri ad fructuum reſtitutionem, niſi quando illud ſuſcipiat ſine intentione ſuſcipiendi Sacerdotium intra annum; & ad hoc aiunt teneri etiam ante omnem iudicis ſententiam: quia Eccleſia confert beneficium parochiale cum tali onere & ſub tali conditione. Peccaret ſimiliter mortaliter qui acciperet beneficium etiam ſimplex requirens Ordinem, ſine animo Ordinem ſuſcipiendi: cum quiſque teneatur de iure naturali velle eſſe idoneus ad munus quod ſuſcipit, & ſe aptum reddere ad illud rite & cum onere adnexo exercendum. Item ſicuti ſuſcipere debent beneficiarii, præcipue curati, huiuſcemodi beneficia ob ſolam gloriam Dei animarumque ſalutem, ſemota omni prava cupiditate temporalium bonorum & commodorum; cum ad ſolum finem ut Deus glorificetur, & proximus in ſpiritualibus ſuccurratur, inſtituta ſint beneficia: ita tenentur cum ardenti zelo omni meliore quo fieri poſſit modo curare ut gloria Dei & Chriſtiani populi ſibi commiſſi profectio ac ſalus promoveatur. Quarto, tenetur beneficiarius in prima Synodo quæ celebretur, illius decreta recipere, ut ex Tridentino Concilio *ſeſſ.* XXV. *cap.* II. *de reform.* Quinto, ſi beneficiarius ſit Parochus, exercere tenetur hoſpitalitatem, ut ex Concilio Tridentino *loc. cit.* Sexto, tenetur exemplaria, ſcripturas, ac inſtrumenta habere, eaque diligenter cuſtodire in Eccleſiæ Archivio, de bonis ac reditibus beneficii: ita ut ſi hæc extra locum Archivii eſſent adhibenda, conſcribi faciat unum exemplare quo uti valeat. Septimo, tenetur uti moderata ſupellectili & frugali menſa, ut ex Tridentino Concilio *loc. cit.* Octavo, iurare tenetur in manu Epiſcopi ſimoniam non commiſiſſe in adeptione beneficii; ut in beneficiis electionis & præſentationis: nempe quod illud habuerit ab electoribus vel patrono ſine dono, pacto, promiſſione, ut ex Concilio Moguntino IV. *can.* LXVII. & XCI. Nono, tenetur beneficiarius, reſtaurare Eccleſiam, domos, poſſiones, ac fundos dotales beneficii, ut ex Conſtitutione Leonis X. quæ incipit *Supernæ*. Decimo, contribuere debet pro procuratione Epiſcopi viſitantis, ut ex ſacra Congregatione Concilii apud Criſpinum *de viſitat. Part.* I. §. XVI. *num.* 10. Verum in hoc & in aliis præcedentibus attendenda ſunt ſtatuta vel conſuetudines locorum. Undecimo, tenetur accedere ad proceſſiones iuxta morem: ad quas ſi renueret, cogi poteſt, ut ex ſacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium III. Iulii MDCXCIII. Duodecimo, tenetur ſub mortali ſolvere penſionem beneficio impoſitam: quia beneficiarius accipiendo beneficium penſione gravatum, cenſetur quaſi contraxiſſe cum penſionario, & ſe ad penſionem obligaſſe. Et eſt communis. Eæ autem obligationes quæ ex iure non ſunt communes cuicumque beneficio

Digitized by Google

cio & œconomiam reſpiciunt, accipiendæ ſunt ſecundum conditionem beneficii, locorum ſtatuta, & conſuetudines.

§. LI.

De penſionibus.

Quid ſit penſio, & quotuplex.

Penſio dicitur a pendendo ſeu ſolvendo: quia penditur, ideſt ſolvitur. Etenim & quælibet annua ſolutio dicitur penſio; & ipſius penſionis ſolutio dicitur penſatio, ut notat cum multis Barboſa *lib. III. iur. eccleſiaſt. univerſ. cap.* 1. *num.* 2. Vel dicitur penſio a pendeo: quia formaliter pendet a beneficio a quo detrahitur; ſicuti uſusfructus a proprietate, ut notat Cardinalis in *Clement.* 1. *de ſuppl. neglig. Prælat.* Barboſa *loc. cit.* & expreſſe Fagnanus *lib.* I. *decretal. in cap.* Ad audientiam XXXI. *de reſcript. num.* 49. Penſio de qua nunc agitur, ſecundum ſtilum iuris eccleſiaſtici iuxta præſentem diſciplinam, eſt portio redituum alicuius beneficii ex alterius beneficio legitime competens. Et hæc originem ducit a quibuſdam ſubſidiis quæ antiquitus dabantur clericis indigentibus, ut ſimpliciter eorum neceſſitatibus provideretur: ut fiebat præcipue cum Epiſcopis, quando eiecti a barbaris e propria Sede, ac ideo orbati omni proventu ſuæ Eccleſiæ, ne cum dedecore tantæ dignitatis cogerentur aliquo indecenti modo victum ſibi curare, eiſdem aſſignabatur pro eorum ſuſtentatione portio redituum alterius Eccleſiæ; & ita fiebat cum quovis alio clerico indigente. Quocirca tunc attendebant ad ſolam clerici neceſſitatem, & ſecundum neceſſitatis menſuram ſubſidia ex eccleſiaſticis proventibus ei tribuebantur, nulla habita ratione vel annorum quibus miniſtraſſet, vel redituum Eccleſiæ cui miniſtraſſet. Præclariſſima exempla huiuſce caritatis habentur in Concilio Chalcedonenſi.

Duplicis autem generis erant penſiones quæ priſcis illis temporibus conſtituebantur: Aliæ fundis ſeu agris; aliæ proventibus annuis conſtabant. Penſiones fundorum præcipue tribuebantur priſcis beneficiariis, quorum uſufructu ſuſtentarentur; quo & peregrini perſæpe afficiebantur beneficio. Ut plurimum tamen penſiones in fructibus tantum beneficii ex parte aliqua iis donabantur quos eo ſolatio fovendos cenſebat Eccleſia. Inductum fuit etiam ut laicis quoque penſiones concederentur: nempe conſtituebantur in Monaſteriis pœnitentes vel pauperes qui in eis alerentur, quadam fructuum communium penſione illis inducta; cuiuſmodi fuere in Gallia Monachi laici dicti Oblati.

Penſiones clericales & laicales olim conferebantur ab Epiſcopis, ab Imperatoribus, & a Regibus; nunc autem a ſolo ſummo Pontifice ad quem devoluta eſt facultas conſtituendarum penſionum, ita ut ſine eius placito nullæ ſint & ſimoniacæ, ut Concilia ſæculi XVI. declararunt. Romani Pontifices uſque ad ſchiſma Avenionenſe penſionibus admittendis invicte ſemper repugnarunt. Ut penſiones penitus tollerentur, enixe poſtularunt Oratores Caroli IX. Galliarum Regis in Concilio Tridentino. Sic P. Thomaſſinus *de penſion.*

Cum autem nunc etiam, diverſo tamen modo ac antiquitus, conferantur penſiones etiam laicis aliquo modo Eccleſiæ inſervientibus: hinc penſio dividitur primo in laicalem, & clericalem. Penſio laicalis eſt ea quæ tribuitur laicæ perſonæ, ob miniſterium aliquod temporale, aut aliam temporalem cauſſam: & iſta convenire poteſt tam laicis, quam clericis, puta œconomis Eccleſiæ, cantoribus, organiſtis, æditui, aliiſve huiuſmodi. Econtra penſio clericalis ſeu eccleſiaſtica eſt ea quæ clericis auctoritate ſuperioris eccleſiaſtici iuſtis de cauſſis conſtituitur, iiſque ſolis competere poteſt: & de hac hic agere inſtituimus; non vero de laicali.

Clericalis penſio ſubdividitur in duas partes. Una quæ aſſignatur in titulum beneficii eccleſiaſtici: prout accidit, quando Eccleſia abundat reditibus, & caret ſuffragio miniſtri. Tunc enim ſuperioris auctoritate ſtatuitur ut ibi ſit unum beneficium perpetuum, puta Vicaria perpetua pro clerico, cui aſſignetur penſio ſeu portio fructuum eiuſdem Eccleſiæ annuatim percipienda, ut in *cap.* Conſequente v. *de cleric. non reſident.* & docent Abbas, Fagnanus, Reiffenſtuel cum aliis docentibus, ſecluſa fraude, hoc fieri poſſe, & ſic ſuper unum beneficium aliud creari; dummodo primo Rectori tantum remaneat, ut honeſte ſuſtentari queat. Alia penſio quæ communiter intelligitur nomine penſionis, pariter duplex eſt. Scilicet mere ſpiritualis, quæ datur clerico mere ob miniſterium ſpirituale, Concionatori v. g. aut Vicario Parochi: & mixta, quæ requirit quidem ſtatum clericalem, ac in eo fundatur; non tamen tribuitur ob miniſterium ſpirituale, ſed ad honeſtam ſuſtentationem. Hæc autem non venit nomine beneficii, ſicuti prima quæ confertur in titulum beneficii, & tribuit ius perpetuum percipiendi fructus ex

bonis

Digitized by Google

bonis eccleſiaſticis ; ac ideo integre convenit cum nomine beneficii , & de hac in reſcriptis non ſecus ac de beneficio mentio facienda eſt. Penſio ſecundi generis , ideſt ſimplex penſio, poteſt imponi vel perſonæ ; & hæc exſpirat morte ipſius beneficiarii, ita ut non tranſeat ad ſucceſſores : vel beneficio ; & hæc perdurat uſque ad mortem penſionarii , ita ut tranſeat ad ſucceſſores in beneficio.

Quinam poſſint penſiones imponere.

Papa ex rationabili cauſſa , licet non expreſſa , diſpenſando in iure communi omnibus præfatis modis penſionem omnibus beneficiis imponere poteſt , etiam iuriſpatronatus , facta mentione huius qualitatis communis , ex *cap.* Licet II. *de præbend. in* 6. Beneficio tamen iuriſpatronatus regii Papa derogare non ſolet ſine patroni conſenſu. Cardinalis de Luca *de iur. diſcuſſ.* LXVI. *num.* 15. Epiſcopus vero & quicumque alius collator Papa inferior non poteſt novum cenſum vel penſionem perpetuam beneficio imponere , neque antiquum cenſum vel penſionem augere , ut in *cap.* Prohibemus VIII. *de cenſib.* Epiſcopus pariter regulariter loquendo nequit conferre beneficium , ſub reſervatione penſionis cuipiam perſolvendæ. Ita communiter , ac ex rubrica & textu *tit.* LXII. *lib. III. decretal.* Poteſt tamen Epiſcopus ex rationabili cauſſa penſionem imponere , ſaltem duraturam ad vitam beneficiarii gravati , atque in eam conſentientis, cum quo extinguatur penſio, ut Gloſſa in *cap.* Audivimus *verb.* Penſionem *de colluſ. detegend.* Innocentius in *cap.* De cetero *num.* 7. Abbas , Navarrus , Fagnanus in *cap.* Niſi eſſent XXI. *de præbend. num.* 28. aliique , qui ſentiunt , Epiſcopum iure ſuo ordinario imponere poſſe penſionem ad vitam titularis gravati: quod deſumunt ex *cap.* Niſi eſſent *cit.* ubi reperitur , penſionem huiuſcemodi a Papa toleratam fuiſſe ac confirmatam. Non poteſt tamen Epiſcopus conſtituere talem penſionem in certa quota redituum , puta in dimidia vel tertia ; ne videatur facta ſectio beneficii : quod expreſſe vetitum eſt in *cap.* Maioribus VIII. & *cap.* Tua XX. *de præbend.*

Iuſtæ autem cauſſæ ob quas poſſit Epiſcopus penſionem in certa quantitate redituum imponere perſonæ beneficiatæ , ad eius vitam ſaltem duraturam, ſunt pro bono pacis, pro aliqua lite componenda, pro ſtudio alicuius ſcholaris pauperis, pro utilitate Eccleſiæ, pro pauperibus & egenis , pro benemeritis, pro uſu pio, pro renuntiantibus ex cauſſa renuntiationis loco alimentorum in quantitate moderata , & non ex pacto partium. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. Part. III. alleg.* 83. *num.* 11. cum Cardinali de Luca *de penſion. diſcuſſ.* XL. *num.* 3. aliiſque paſſim. Non poteſt tamen Epiſcopus ob prædictas cauſſas imponere beneficio penſionem tranſmiſſibilem ad ſucceſſores , ſeu ad vitam ipſius penſionarii. Ita Cardinalis de Luca *de penſion. diſcuſſ.* XL. *num.* 5. Navarrus , Azorius , Fagnanus ex *cap.* Niſi eſſent *cit.* ubi Innocentius III. expreſſe hoc vetat.

Non poteſt Epiſcopus in collatione beneficii convenire ſine ſimoniæ labe , ut penſio ſibi ſolvatur : quia omne pactum , conditio, modus , & ſimilia quæ iure non inſunt , adiecta collationi beneficii , eam ſimonicam efficiunt , ex *cap.* Quem pio I. *q.* II. & *cap. fin. de pact.* Simoniaca pariter eſt pactio inter partes ſine iudice , ut una pars cedat liti ſuper beneficio , & recipiat penſionem annuatim ab altera. Ita ex Gloſſa *cap.* Quam pridem *verb.* Illicitæ pactionis *de pact.* Poteſt quidem Epiſcopus in beneficiorum permutatione mandare ut recipiens beneficium pinguius ſolvat alteri aliquam penſionem , certo tempore duraturam , ad coæquandos fructus utriuſque beneficii. Rota *Part. IV. recent. deciſ.* 165. *num.* 24. Ita Barboſa alias citatus cum pluribus.

Tametſi de iure illicitum ſit ac ſimoniacum reſignare beneficium cum pacto ſeu conditione appoſita parti ſolvendi penſionem ; tamen ex iuſta & gravi cauſſa (puta ſi reſignans ſit ætate decrepitus vel infirmus , aut quia pro bono pacis ſit reſignatio beneficii litigioſi, & huiuſmodi) poteſt Epiſcopus reſignanti penſionem conſtituere ſolvendam ipſi ad vitam clerici gravati , ut iam ſupra notavimus , & in eam conſentientis , ut colligitur ex *cit. cap.* Niſi eſſent XXI. *de præbend.* Barboſa , Fagnanus , Abbas, Navarrus, & alii. Immo reſignans poteſt, exiſtente rationabili cauſſa, moderatam penſionem ſibi reſervare , ante ſuam reſignationem Epiſcopum ſuper hoc ſupplicando , ut ex *cap.* Tua nos *de ſimon.* Et hoc docet Engel *lib. III. decretal. tit.* XII. *num.* 10. Partes etiam inter ſe tractare , atque reſignans poteſt ſuper aliqua penſione ſibi danda cum ſucceſſore amicabiliter componere : non abſolute quidem & quaſi per ſe ipſos concludendo ; ſed ſub conditione relata in conſenſu Superioris in cuius manu beneficium reſignatur, ſe ſubmittendo ipſius diſpoſitioni. Gloſſa in *Clement. unic. verb.* Volentibus *de rer. permut.* Et hanc opinionem Navarrus appellat veriorem.

Epi-

Epiſcopus nec quivis collator Papæ inferior poteſt imponere penſionem ſuper parochialibus. Sic declaravit Innocentius XII. XI. Novembris anno MDCXCII. idque per ſpecialem Conſtitutionem Benedictus XIII. firmavit VIII. Idus Septembris anno MDCCXXIX.

Præceptor Generalis Ordinum militarium, ideſt Magnus Magiſter, penſionem imponere poteſt in commendis ſuæ Religionis ad ipſum ſpectantibus, in favorem Religioſorum ſive Equitum eiuſdem Religionis. Sic Rota in *una Montis Faliſci* x. Iulii MDCXXX. coram Pirovano *loc. cit. num.* 62. Cardinalis de Luca *de penſion. diſcuſſ.* XLII. *per tot.*

Quid ut licite obtineatur. Ad valide ac licite obtinendam penſionem clericalem, iuxta ſtilum Curiæ, quatuor præcipue requiruntur. Primo, ut qui eam impetrat, ſit actualiter in ſtatu clericali, ideſt habeat primam tonſuram, non ſit coniugatus, nec illegitimus, nec irregularis, nec ullo cenſuræ vinculo irretitus. Quod ſi penſio ſit mixta; requiritur inſuper ut non habeat aliunde neceſſaria ad honeſtam ſuſtentationem: ſi vero ſit mere ſpiritualis; ut miniſterium ſpirituale valeat & intendat recte præſtare. Secundo, requiritur diſpenſatio a Sancta Sede: cum ſit lex generalis ac titulus in iure canonico, ut *eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*. Quare Epiſcopi nequeunt niſi in quibuſdam caſibus in quibus a Concilio Tridentino *ſeſſ.* XI. *cap.* VI. & *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XVIII. eis hæc facultas conceditur, penſionem inſtituere. Tertio, requiritur iuſta cauſſa, ſine qua ex communi ſententia graviter peccarent Papa & impetrans: ille, quia male res eccleſiaſticæ diſpenſarentur; alter, quia recipere vellet rem ab œconomo qui rem domini ſui male miniſtraret ac diſtribueret. Quarto, ut ſit moderata, ita ut beneficiario remaneat quod ei ſatis ſit ad honeſtam ſuſtentationem. Quocirca ex conſuetudine non deberet excedere tertiam partem redituum: licet ex iuſta cauſſa maiorem etiam portionem poſſit Papa conſtituere.

Licet laici non ſint capaces penſionis clericalis, ut declaravit & expreſſe ſtatuit S. Pius V. in ſua Conſtitutione LIII. quæ incipit *Sacroſanctum*; poteſt tamen Papa laico penſionem reſervare. Immo concedi poteſt eidem laico, ſi de clericali ſtatu in quo habuerit penſionem, tranſeat ad laicalem, ut penſionem ſibi retineat. Rota *Part. V. Tom. II. deciſ.* 450. *num.* 25. Si autem conceditur alicui tamquam laico penſio eccleſiaſtica, ſi forte ſit bigamus, non eget alia diſpenſatione, ut ex eadem Rota *Part. V. Tom. V. deciſ.* 12. *num.* 39.

Penſio conferri poteſt puero ſeptennali, ut ex ſacra Congregatione Concilii *In nullius* XXIV. Martii MDCXXVII *lib. XIII. Decretor. fol.* 123. Barboſa *lib. III. Iur. eccleſ. univ. cap.* XI. *num.* 42.

Filii illegitimi clericorum non ſunt capaces obtinendi penſionem quam eorum pater obtinet vel obtinuit, ut ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXV. *cap.* XV. *de reform.* Barboſa *loc. cit. num.* 31. & *de offic.* & *poteſt. Epiſ. Part. III. alleg.* 65. *num.* 26. Sunt quidem capaces legitimi ſuper beneficio quod pater obtinet de præſenti, non obſtante Concilio Tridentino, ut ſacra Congregatio Concilii die XI. Ianuarii MDCL. apud Barboſam in *Summ. Apoſtolic deciſ.* v. *Penſio num.* 5. & *in Concil. Trid. num.* 33. Item pater qui habet poteſtatem transferendi penſionem quam poſſidet, illam in filium clericum etiam illegitimum, diſpenſatum ſimpliciter ad beneficium & penſionem, transferre poteſt: quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* loquitur de penſione reſervata in beneficium quod pater habuit. Ita Gonzalez & Barboſa *lib. III. Iur. eccleſ. univerſ. cap.* XI. *num.* 66.

Milites Lauretani, S. Stephani, SS. Mauritii & Lazari retinere poſſunt penſionem eccleſiaſticam, etiamſi matrimonium contrahant: & reſpectu duorum priorum, etiam cum non virgine, ideſt bigami. Ita primis ſpecialiter indulſit Xiſtus V. Conſtitutione quæ incipit *Poſtquam divina clementia*, & Conſtitutione *Inſpectabilis*: ſecundis Paulus V. Conſtitutione *Dum generoſæ*, ad quadringentos ducatos aureos; poſtremis Clemens VIII. Conſtitutione *Decet*, ad aureos ducatos quingentos. Equites vero Hieroſolymitani ſeu Melitenſes, ſicuti etiam Regulares, non ſunt capaces penſionum ſuper eccleſiaſtica beneficia ſæcularia, ſicut nec ipſorum beneficiorum, ſine Papæ diſpenſatione: ita ut ſine tali diſpenſatione vacant, non ſecus ac beneficia, in eorum profeſſione, ſi forte antea habuiſſent. Ita communiter ex *cap.* Cum de beneficio *de præbend.* Poſſunt quidem illas retinere Religioſi Societatis Ieſu uſque ad ultimam profeſſionem.

Illegitimi, ſicuti ſine Papæ diſpenſatione non ſunt capaces beneficii, ita nec penſionis: quod currit in omni caſu; cum penſio ſit quædam beneficii appendix. Attamen ſatis eſt, ſi illegitimus prævlam conſequatur diſpenſationem ſuſcipiendi Ordines; cum ex hoc capax fiat etiam ad penſionem. Ita Rota in *Vi-*

in *Venet. penſion.* x. Decembris MDLXXII. coram Robuſtorio. Barboſa *loc. cit. num.* 28. & alii communiter.

Penſiones collatæ in titulum clericalem per promotionem ad Epiſcopatum, ſecuta tamen conſecratione, ac adepta poſſeſſione, ſine Papæ diſpenſatione vacant. Et ſi diſpenſatio concedatur; non intelligitur tamen cum facultate promoto eam transferendi, niſi in diſpenſatione hoc expreſſum fuerit. Rota, Barboſa *loc. cit.* aliique paſſim. Non vacant tamen per promotionem ad Epiſcopatum titularem ſeu in partibus infidelium (Cardinalis de Luca *de penſion. diſcuſſ.* XLIII. *num.* 3.) neque per promotionem ad Epiſcopatum Cardinalitium, non obligantem ad reſidentiam (idem Cardinalis de Luca *diſcuſſ.* LVIII. *num.* 10.) & multo minus vacant per promotionem ad ſolum Cardinalatum (ut idem *loc. cit. diſcuſſ.* LXXV. *num.* 4. & 5. & alii) immo ut reſervata durat, etiam dimiſſo Cardinalatu. Ita laudatus Cardinalis de Luca *de benef. diſcuſſ.* II. *num.* 3. Item non vacat penſio per promotionem Cardinalis ad Papatum, ut conſtat ex praxi.

Penſio excedens ſummam ſcutorum ſexaginta de Camera, eo ipſo ſine monitione & citatione, iudicis decreto aut miniſterio, extinguitur ſeu expirat, ſi penſionarius habitum & tonſuram clericalem non deferat tanto tempore, ut ab omnibus laicus reputetur. Ita Conſtitutio Xiſti V. quæ incipit *Paſtoralis*, expreſſe ſtatuit. Laudatus Cardinalis de Luca *de penſion. diſcuſſ.* XLVIII. *num.* 7. & Barboſa *loc. cit. num.* 49.

Si penſio reſervata ſit in perſona unius, ad commodum tamen & utilitatem alterius, prout ſervatur in locis in quibus viget pragmatica ne penſiones reſerventur ad favorem exterorum: tunc per alterutrius mortem extinguitur; dummodo tamen qui præmoritur, in alterum ante mortem non tranſtulerit. Ita quamplurimi. Nam penſio, legitima obtenta facultate, ab una in aliam perſonam transferri poteſt: idcirco etiam in articulo mortis. Ita communiter. Neque hic locum habet regula Cancellariæ: *Ne infirmis intra duodeviginti dies morientibus*. Per talem vero facultatem ad vitam penſionarii conſtituitur novum ius ad penſionem, ut communior tenet opinio. Hæc tamen facultas transferendi penſionem concedi poteſt a ſolo ſummo Pontifice: in quo indulto apponitur clauſula: *Servata tamen forma Conſtitutionis Innocentii XI. ſuper translationibus penſionum editæ*.

Non habens indultum transferendi penſionem, poteſt illam in totum vel in parte, quoad commoditatem ipſam percipiendi, gratuito, libere, & ſine ullo pacto & pecunia, ſive anticipata ſolutione cedere & remittere in favorem titularis, donec naturaliter vixerit, etiam ſine beneplacito apoſtolico. Sic ſacra Congregatio, *In nullius* XXVIII. Martii MDCXLV. Cardinalis de Luca *de penſion. diſcuſſ.* XLVIII. *num.* 6. & alii.

Penſio ſecundum ſe redimi nequit ſine apoſtolico beneplacito, licet iſtæ dicantur veluti anticipatæ ſolutiones. Ita Navarrus, Azorius, Barboſa, Cardinalis de Luca qui *diſcuſſ.* V. *de penſion. num.* 3. dicit expreſſe, extinctionem penſionis gratis factam non exigere beneplacitum: ſecus vero, mediante pretio. Item quamplurimi contra aliquos cenſent, non poſſe vendi ſine tali beneplacito ne ſolos quidem fructus tertiæ alteræ perſonæ ſine ſimonia, vel donari fructus ſuæ penſionis, ad totam vitam, vel pro longo tempore; tametſi titulum apud ſe & in ſe penſionarius retineat. Ita docent Barboſa, Bonacina, Azorius, Suarez. Nam de ſtilo Curiæ quæ facit legem, & vigore laudatæ Conſtitutionis S. Pii V. *Ex proximo*, non poteſt penſio redimi aut vendi ſine apoſtolico beneplacito, ideſt auctoritate Papæ. Hoc enim eſt contra *cap.* Ambitioſæ *extra. de reb. Eccleſ. non alienand.* De penſionis redemptione.

Penſio debet eſſe ita moderata, ut remaneat beneficiario honeſta ſuſtentatio. Idcirco Papa ſolet reſervare penſionem, dummodo pro titulari duæ partes redituum remaneant: licet quandoque reſervet uſque ad dimidiam fructuum partem; & ultra non ſoleat reſervari. Alias nulla eſſet talis penſio reſervata, & pro nulla declaranda eſt. Ita Barboſa cum aliis, dicens penſionem excedentem determinatam quantitatem, totam corruere. Hinc apponi ſolet clauſula: *Dummodo penſio tertiam partem ſeu medietatem fructuum non excedat*. Et hæc efficit ut penſionarius agere nequeat ad penſionem, niſi hæc clauſula verificetur: quia illa clauſula reddit penſionem non ſolum conditionalem, ſed etiam onus probandi tranſmittit in penſionarium. Ita Rota *Part. III. deciſ.* 747. *num.* 1.

In impetratione penſionis mentio facienda eſt, ſi beneficium altera penſione prægravatum ſit: nam in tali caſu ut plurimum denegatur; vel ſaltem difficillime a Papa conceditur. Penſio proinde reſervata in beneficio gravato, nulla facta mentione anteceden-

Digitized by Google

cedentis penſionis, dicitur ſubreptitia & nulla : imo cum nulla ſit in ipſo iure ; non reviviſcit, etiam exſpirante priore penſione, & etiamſi ſecunda penſio motu proprio reſervata ſit. Rota *Part. VII. deciſ.* 169. *num.* 2. *&* 3. Garzia *de benefic. Part. I. cap.* v. *num.* 561.

Penſio legitime impoſita ſub mortali ſolvenda eſt a beneficiario : quia acceptando beneficium penſione gravatum, cenſetur contraxiſſe cum penſionario, ac ad ſolutionem ſe obligaſſe. Barboſa cum aliis paſſim. Et cum beneficium ſit præcipue gravatum ; ſi penſiones a priore beneficiario ſolutæ non ſint, tenentur eius heredes : & ſi non poſſint, & penſionarius probet debitam diligentiam ſe feciſſe pro penſione ſuis temporibus obtinenda; tenetur ſucceſſor in beneficio dictas penſiones ſolvere ab anteceſſore non ſolutas, & ad id datur actio penſionario contra ipſum. Ita Garzia, Barboſa, Cardinalis de Luca cum aliis. Penſio enim non videtur impoſita huius vel illius anni fructibus, ſed quibuſcumque, uſque dum penſio ſolvatur; & videtur Papa obligaſſe beneficiarium & ſucceſſores in beneficio gravato : ac ideo ſucceſſores ſolvere tenentur non tamquam debitum proprium, ſed beneficii. Si penſionarius moriatur ante terminum penſionis ſolvendæ ; tenetur beneficiarius ſolvere heredibus pro rata. Ita Cardinalis de Luca. Annus vero pro ſolvenda penſione incipit a die conſtitutæ penſionis, & terminat ad eumdem diem ſequentis anni. Quoad locum vero, penſio ordinarie ſolvenda eſt ubi ſitum eſt beneficium, & ubi eius fructus percipiuntur. Ita Bartolus, Garzia, Corradus.

Penſio vero ſimpliciter & indiſtincte conſtituta & reſervata in ſcutis vel ducatis, nulla facta mentione, an ſint ducati de Camera, vel monetæ uſualis, aurei vel argentei, ſolvenda eſt in ducatis vel ſcutis monetæ uſualis regionis, & exiguioribus ac minus gravantibus beneficiarium, ut ex *l.* Ex nummis indiſtincte legatis lxxv. ff. *de legat.* III. & ex reg. iur. *In obſcuris quod minimum eſt debetur*; *& in dubio ſemper pro debitore iudicandum*. Quod ſi ex uſu, vel ex regione, vel ex contextu litterarum haberi poſſit interpretatio de qua ſpecie ſummus Pontifex intellexerit ; in illa ſpecie ſolvenda eſt, ut in *l. cit.* Ex nummis lxxv. ff. *de legat.* III. Ita communiter. Penſio reſervata in ducatis Cameræ, ſi in Curia ſolvatur, in ducatis aureis de Camera ſolvenda eſt, & pro eis ſcuta auri in auro cum additione unius iulii iuxta formam litterarum apoſtolicarum. Si vero ſolvatur extra urbem in aliis regionibus ubi difficiliter reperiuntur aurea; ſatis eſt, ſi ſolvatur in æquivalenti. Rota *Part. IV. Tom. I. deciſ.* 430. *num.* 1. Aurea autem de Camera æſtimantur in ratione iuliorum quatuordecim, nec ab eorum æſtimatione recedendum. Ita Rota *Part. IV. Tom. II. deciſ.* 488. *num.* 1. Si autem contingat ut in decurſu moneta intrinſece mutetur ab eo quod erat tempore quo impoſita fuit penſio, ſive valor eiuſdem augeatur, vel minuatur ; quocumque modo fiat ſolutio, facienda eſt ex moneta antiqua, ſi haberi poſſit, quæ currebat, quando conſtituta fuit penſio, & ad illius æſtimationem, ut ex *cap.* Cum Canonicis xxvi. *de cenſib.* Eſt communis inter doctores, ut Fagnanus *lib. VI. decretal. in cap.* Olim *de cenſib. num.* 4. *& ſeq.* Excipe tamen, ſi hoc fuerit legitime præſcriptum ſolutione alterius monetæ (ut idem Fagnanus *cap.* Olim *cit.*) ideſt effluxiſſet tempus annorum quadraginta. Tunc enim beneficiarius non plus teneretur ad ſolutionem in prima ſpecie monetæ. Ita Gloſſa v. *Nonniſi* xxxvi. Si autem monetæ valor mutetur extrinſece ; ſolutio facienda eſt ſecundum eius valorem tempore ſolutionis. Eſt communis cum Fagnano *loc. cit. num.* 12. *&* 23. Et ratio eſt : quia hoc caſu bonitas monetæ intrinſeca non mutatur ; ſed tantum bonitas extrinſeca, ideſt valor. In æſtimatione autem valoris inſpicitur tempus ſolutionis. *L.* Cum quid eſt vinum ff. *de ſolut.*

Penſio ante expeditionem litterarum apoſtolicarum exigi nequit ; & nulla redditur, ſi antea fuerit exacta, ſtante decreto in reſervatione apponi ſolito. Ita Barboſa *lib. III. Iur. eccleſiaſt. univ. cap.* XI *num.* 88. Dicuntur autem litteræ expeditæ, quando ſunt plumbatæ. Rota & Barboſa *loc. cit. num.* 100. Expeditis autem litteris, penſio debita ſolvenda eſt non a die expeditionis litterarum, ſed reſervationis : tametſi expeditio ſit in conditione poſita. Ita cum Rota Cardinalis de Luca & alii.

Penſionarii onera.

Penſionarius non ſatisfaciens recitationi Officii B. Mariæ Virginis, ut faciat fructus ſuos, non ſecus ac beneficiarius, tenetur ad reſtitutionem. Et ad hoc tenetur, etiam quando propria auctoritate admittat tantum aliquas anticipatas ſolutiones, vel penſionem in totum, vel in parte, gratioſe beneficiario remittat : quia ſemper titulus penſionarii apud ſe remanet. Quando vero penſio eſt reſervata in capite unius, & in

& in commodum alterius; ille dumtaxat ad Officii recitationem tenetur in cuius commodum penſio reſervata eſt. Barboſa *loc. cit. num.* 12. Eximitur tamen penſionarius ab onere Officii B. Mariæ Virginis, vel ſi recitet divinum Officium, etiam ex debito Ordinis ſacri aut beneficii; vel ſi ex indulto apoſtolico penſio ei redempta ſit. Nam S. Pius V. obligat ſolummodo penſionarios: qualis hic non eſt; cum ius penſionis legitime Papæ auctoritate totaliter dimiſerit.

Penſionarius ex reditibus penſionis impoſitæ ſuper beneficio tenetur pro rata concurrere ad reparationem Eccleſiæ, non ſecus ac beneficiarius ſeu titularis: dummodo tamen penſio non ita impoſita ſit, ut ab omni prorſus onere libera ſolvatur. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 64. *num.* 18. Et hoc contingit etiam in penſionibus impoſitis ſuper beneficiis Religionis Hieroſolymitanæ ſeu Melitenſis: tametſi penſionarius eſſet etiam Cardinalis. Idcirco tenetur penſionarius ad ſolutionem decimarum pro rata præſtandam Principi; niſi ſpecialiter fuerit derogatum: & ſic ad omnia alia beneficii gravamina a quibus Papa enim non exemerit. Sic Barboſa, Azorius, & alii.

Penſionarius qui eſt diſpenſatus ad redimendam penſionem, licet non gerat habitum clericalem & tonſuram, & matrimonium contrahat, non cenſetur diſpenſatus ad militiam ne levis quidem armaturæ; ad quam ſi tranſeat, amittit penſionem: quia talis diſpenſatio nequit ſupplere defectum provenientem ex militia, quæ eſt in diverſa ſpecie impedimenti, nempe illius per quod exercentur ſeu exerceri poſſunt. Idcirco indiget ſua ſpeciali diſpenſatione: alias, ſtatim ac efficitur miles, beneficium & penſionem amittit. Ita Rota & Sacra Congregatio Concilii *in Nicienſ.* XIX. Decembris MDCXLVIII. *lib. XVIII. pag.* 563. & *in Roman.* indult. VII. Decembris MDCXX. Et ita tenet Cardinalis de Luca cum aliis paſſim.

§. LII.

De iure clericorum utendi reditibus eccleſiaſtici beneficii ad ſui ſuſtentationem, quando proviſi ſint de ſufficienti patrimonio unde honeſte vivere poſſunt.

Celebris vertitur controverſia præcipue inter modernos doctores, Theologos ſcilicet & Canoniſtas, num clericus ſeu Epiſcopus qui proviſi ſunt de ſufficienti patrimonio, uti poſſint ad honeſtam eorum ſuſtentationem fructibus eccleſiaſtici beneficii quod poſſident? Præcipuum vero momentum quo ſententiam ſuam propugnant qui ſtant pro parte negativa, eſt horum bonorum conditio & natura: ideſt eſſe bona Deo dicata in ſubſidium pauperum, ac proinde tamquam eorumdem pauperum patrimonium a ſacris canonibus conſiderari ac declarari, ut paſſim illos legentibus occurrit iuxta tacitam fidelium intentionem. Præterea, inquiunt illi, ratio officii eccleſiaſticorum miniſtrorum, quod eſt mere ſpirituale, nequit ſine ſimonia ex temporalibus compenſari.

Verum, ut res pro ſecuriore ſolutione elucidetur, obſervandum eſt I. ſemper morem fuiſſe apud nationes omnes ſive veræ veræ religionis, ſivæ falſæ, providere ſacris religionis miniſtris ex oblationibus quæ a populis exhibebantur: immo hæc primaria in eorum oblationibus erat offerentium intentio, finis, & voluntas; ut ex his ſacri miniſtri ſuſtentarentur, & ea quæ opus erant ad ſacra miniſterii, providerentur, nulla facta conſideratione nec exceptione, num omnes ſacro addicti miniſterio pauperes eſſent, vel divites. Id enim clare colligitur ex vera religione ab ipſo Deo fundata, quæ fuit figura & initium Chriſtianæ. Nam in regulis pro tabernaculo & miniſtris ab ipſo Moyſe traditis, in ordinandis oblationibus pro Levitarum ſuſtentatione nullam appoſuit diſtinctionem in earum oblationum participatione inter Levitas divites & pauperes; ſed ſtatuit ut indiſtincte & ſine ulla differentia paupertatis & opulentiæ omnes qui tabernaculo inſervirent, ſuam ex illis & ex omnibus aliis quæ pro eis erant deſignata, ſuſtentationem perciperent. Unde cum omnes qui ab initio naſcentis Eccleſiæ uſque ad præſens tempus converſi ſunt ad Chriſtianam fidem & religionem, fuerint vel Iudæi, vel Gentiles: hinc ſicuti aſſueti erant in nativa religione aliquas contribuere oblationes ad ſacrorum ſuorum miniſtrorum ſuſtentationem; in nova quoque religione ad quam ſe converterunt, eum pietatis morem ſervarunt, aliquid nempe Eccleſiæ offerendo quod ad eiuſdem ſacros miniſtros ſuſtentandos inſerviret. Idcirco primaria ſemper intentio, finis, & voluntas piorum offerentium fuit & eſt, ut ex eorum votis & oblationibus prius neceſſaria ad ſacra impenderentur, tum clerici Eccleſiæ inſervientes providerentur. Quia

vero, præcipue primis Eccleſiæ ſæculis, viderunt fideles a ſacris miniſtris ea quæ ſupererant eorum ſuſtentationi, in pauperum ſubſidium erogari; hinc copioſiores tribuebant oblationes, ut ex his etiam pauperum indigentiæ ſubveniretur. Porro ex inde ſacri canones, regulariter loquendo, ſemper conſueverunt hæc pia fidelium vota appellare etiam pauperum patrimonium: non quia quicumque clerici Eccleſiæ miniſterio inſervientes, ſi proprium patrimonium habuiſſent pro honeſta ſuſtentatione, non poſſent eam etiam ex his percipere, cum nullibi ab Eccleſia per ſuos canones hoc ſtatutum inveniatur; ſed ut in huiuſmodi bonorum diſtributione recordarentur clerici, quod nonniſi in pios uſus eſſent impendenda, nempe in neceſſaria divino miniſterio & Eccleſiarum decenti ornatui, in clericorum Eccleſiæ miniſtrantium moderatam ſuſtentationem (ideſt non ut ſplendide, ſed ut humiliter ac frugaliter adinſtar pauperum ex iiſdem bonis clerici ſuſtentarentur) & in pauperum alimoniam, & uti res Deo dicatæ a fidelium religione nullatenus in profanos uſus converterentur. Quod ſi aliqui ſancti Epiſcopi vel clerici comparare voluerunt ea quæ ad vitam ducendam ipſis neceſſaria erant, etiam ex aliqua mechanica profeſſione; ut proinde ſuſtentationem percipere ex eccleſiaſticis proventibus renuerent ut ex his copioſior proviſio pauperibus remaneret: hæc exempla præcipuæ pietatis trahi nequeunt in exemplum iuſtitiæ; quaſi iniuſtum eſſet, clericos obtinere ſuſtentationem ab Eccleſiæ bonis, quando aliunde ex proprio patrimonio eam habere valeant. Etenim permulti etiam opulento patrimonio proviſi ex Eccleſiæ bonis ſe ſuſtentarunt, etiam ex iis qui pietate inſignes erant (ut inter alios S. Ambroſius) nec ex hoc umquam fuerunt exprobrati.

Obſervandum eſt II. aliud eſſe recipere victum ex Eccleſiæ bonis tamquam mercedem & pretium operis, ut faciunt mercenarii; aliud ut filios, domeſticos, & miniſtros, cuiuſmodi ſunt clerici reſpectu Eccleſiæ, ex domeſticis Eccleſiæ bonis ſuſtentari, ut faciunt filiifamilias in paterna domo, vel aulici nobiles ac præcipui eorum miniſtri qui apud Principes aluntur. Primum certe intelligere nequeunt clerici ſine ſimonia: quia tunc revera mercarentur ſeu permutarent ſpirituale pro temporali. Secus vero ſecundum: nam nec filiifamilias, nec nobiliores aulici ac miniſtri, illi paternæ, hi regiæ menſæ vivendo, veluti extranei mercenariam percipiunt mercedem operis & pretium; ſed ut domeſtici & familiares ſuſtentantur.

His poſitis, tametſi clerici ſufficiens habeant patrimonium ad eorum honeſtam ſuſtentationem, poſſunt ſine ipſius uſu licite eam ex bonis Eccleſiæ percipere, & patrimonium cui voluerint reſervare. Etenim iure nullo hoc vetitum invenitur. Immo quotieſcumque ſacri canones loquuntur de fructibus beneficii, reſpectu clericorum qui proprium patrimonium poſſident, in nullo umquam canone excluſi fuere ac prohibiti congruam moderatamque ſuſtentationem ex fructibus beneficii quod poſſiderent, percipere, & patrimonium illiuſque fructus apud ſe retinere. Semper enim ſolummodo ſtatutum fuit ut de proprio patrimonio pro libito quomodocumque diſponerent; nullatenus vero de reditibus beneficii, niſi in pios uſus Eccleſiarum, & præcipue in pauperum ſubſidium, ita ut conſanguineis nonniſi ut pauperibus de bonis ſuperfluis beneficii licite tribuere valeant, ut ex *cap.* Epiſcopus XIX. *c.* XII. *q.* I. ubi ſic: *Epiſcopus qui de rebus propriis, vel acquiſitis, vel de proprio habeat, heredibus, ſi voluerit, derelinquat.*

Tantum enim abeſt ut canones umquam excluſerint clericos etiam divites, dum Eccleſiæ inſervirent, ne de bonis eccleſiaſticis viverent; quin potius ſine ulla differentia ſeu diſtinctione divitis vel pauperis ſemper æquum rationabileque declararint ut ex huiuſcemodi bonis ſuſtentarentur, iuxta doctrinam Apoſtoli *I. ad Corinth. cap.* IX. ubi pluribus exemplis hoc clare veluti definit ac docet. *Quis militat*, ait Apoſtolus, *ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantat vineam; & de fructibus eius non edit? Quis paſcit gregem; & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hoc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt: Quoniam debet in ſpe qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt; quare non potius nos? Sed non uſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de*

Digitized by Google

de ſacrario ſunt, edunt : & qui altari deſerviunt, cum altari participant ? Quid clarius optare poſſumus & inquirere, ut deprehendamus, clericos etiam divites pro eorum victu participare poſſe de eccleſiaſticis reditibus : cum indifferenter & univerſim Apoſtolus loquatur de quocumque clerico qui Eccleſiæ inſervit, oſtendatque omni iure naturali & divino participem fieri talis beneficii pro eius ſuſtentatione ? Ex quonam Apoſtoli verbo colligi poteſt, hoc cadere in clericos pauperes proprio patrimonio carentes : cum præcipuus & ſingularis titulus quem ſemper affert pro clericis, ut de iure ſuſtentari debeant Eccleſiæ expenſis, ſit ſervitium quod Eccleſiæ præſtant ; ita ut vi ipſius legis nemo qui tale ſervitium præſtat, ab Eccleſiæ alimoniis ſit excludendus ? Et quia ita ſemper & in tali ſenſu doctrinam D. Pauli intellexit Eccleſia ; hinc ita etiam in ſuis Conciliis ſemper locuta eſt & declaravit, ut inter alia habet Concilium Agathenſe can. x. c. 1. q. 11. *Clerici etiam omnes qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundum ſervitii ſui meritum conſequantur*. Quodnam ex verbis huius canonis excludit clericos proprium habentes patrimonium a propria ſuſtentatione ex bonis Eccleſiæ percipienda pro ſua Eccleſiæ præſtita ſervitute ? Quandoquidem Concilium eam iudicat clericis omnibus indiſcriminatim debitam, nulla habita ratione ad eorum conditiones ac fortunas : videlicet num de propriis patrimonium habeant unde alantur, an vero non habeant. Immo *can.* Sint manifeſtæ xxii. *c.* xii. *q.* 1. ſic de bonis Epiſcopi patrimonialibus declaratur : *Eſt enim iuſtum, & apud Deum & homines acceptum, ut Epiſcopus propria, quibus velit, derelinquat*. Igitur ex ſacris canonibus Epiſcopus habens patrimonium non tenetur proprium victum ex ipſo percipere, ut neqeat ſuſtentationem ab eccleſiaſticis proventibus obtinere : cum contrarium definiat Eccleſia non ſolum hic ubi declarat, iuſtum eſſe apud Deum ut Epiſcopus ſuum patrimonium cuicumque derelinquat ; ſed etiam *cap.* Eccleſiaſticis lxvi. *c.* xii. *q.* ii. ubi hæc habentur : *Eccleſiaſticis utilitatibus deſudantes, dignum eſt remuneratione gaudere*. Igitur clerici etiam divites, in utilitatem & in ſervitium Eccleſiæ laborantes, iuſte & ſancte ſine ulla ſimoniæ ſuſpicione ſuum victum ab Eccleſia recipere poſſunt : cum hoc non recipiant tamquam mercenarii qui ſuum opus altari locent, ut pretium ſeu mercedem ſuorum operum ex rigoroſa commutativa iuſtitia percipiant ; ſed ut miniſtri gratam pro fideli ſuo famulatu remunerationem conſequantur ex ſolo diſtributivæ iuſtitiæ titulo, quæ ex quadam convenienti gratitudine laborum merita remuneratur, non rigoſæ iuſtitiæ debita ſolvit. Tandem iure utendi ſtipendiis illis non privari clericos quibus ſufficiens eſt patrimonium, ſi Eccleſiæ inſerviant, manifeſtiſſime docet Innocentius III. *cap.* Cum ſecundum *extra. de præbend.* in hæc verba : *Cum ſecundum Apoſtolum, qui altari ſervit, vivere debeat de altari ; & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede : patet a ſimili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Ieſu Chriſti, cuius miniſterio ſe deputarunt*. Hanc ſententiam apertiſſime tuetur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxv. *art.* 11. *ad* 3. ubi hæc ſtatuit : *Dicendum quod non omnia bona Eccleſiarum ſint pauperibus largienda, niſi forte in articulo neceſſitatis. Et in tali neceſſitate peccaret clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere ; dummodo haberet patrimonialia bona de quibus vivere poſſet*. Vult igitur Sanctus Doctor, etiam clericos propria habentes bona poſſe vivere ex eccleſiaſticis proventibus, præterquam in caſu quo gravis pauperum neceſſitas urgeret ut ex reditibus Eccleſiæ ipſorum neceſſitati provideretur. Et eiuſdem ſententiæ fuerunt Innocentius, Panormitanus, Navarrus, & ex recentioribus Pontas cum innumeris tum veteribus, cum modernis : quos ſupervacaneum foret nominatim afferre ; dum adverſarii ipſi ultro fatentur, hanc communiorem eſſe inter Theologos & Canoniſtas. Et ſane cum negotium hoc nequeat melius definiri, quam ſi in mentem revocemus voluntatem fidelium a quibus bona omnia Eccleſiæ provenerunt, & intentionem ac morem Eccleſiæ a qua bona eiuſmodi diſtribuuntur : ex utroque capite clariſſime conſtat, quemlibet clericum etiam divitem, quando in Eccleſiæ ſervitio elaboret, licite ſuum victum ex ipſius Eccleſiæ bonis percipere poſſe. Etenim Eccleſia edocta a Spiritu Sancto & a Scripturarum doctrinis iuxta morem Synagogæ in qua Eccleſia ipſa figurabatur, quæ aſſuevit ſuos alere miniſtros, ut iam ipſe Deus per Moyſem præceperat, & ad hunc finem portionem terræ promiſſæ pro Levitarum ordine, & oblationes a populo Sacerdotibus in templo tribuendas ordinavit, voluit atque ſemper conſuevit, quoſcumque clericos ſuos miniſtros qui ſibi famularentur, nullo habito reſpectu ad eorum temporalium fortunarum conditionem, ex

ex bonis ipſis a fidelibus oblatis alere & ſuſtentare, eos relinquendo atque declarando in pleniſſimo iure, iuxta ſupra citatos canones, ut pro eorum libito de proprio patrimonio, ſi haberent, in quemcumque uſum diſponere poſſent. Nec diverſa fuit etiam cuiuſcumque ætatis fidelium qui bona ſua in Dei honorem Eccleſiæ donarunt, intentio ac placitum, niſi ut ex his prius ſacri miniſtri qui eorum ſervitio obſequium Deo & Eccleſiæ præſtarent, cuiuſcumque eſſent conditionis, ſive pauperes, ſive divites, ſuſtentarentur: ſicuti qui primævis Eccleſiæ temporibus ad fidem convertebantur, antea cum falſæ eorum ſectæ miniſtris facere conſueverant. Et hoc manifeſtiſſime demonſtrat fidelium praxis, poſtquam reddita fuit Eccleſiæ pax, dum facultates ita affluentes in Eccleſiam contulerunt, ad hoc ut ſacri eius miniſtri veneratiores apud populos redderentur, ut eis reliquerint etiam temporalia feuda & iuriſdictiones. Et hoc vividius etiam comprobatur ex iis quæ legata ſunt in pios uſus poſt fundorum Eccleſiæ diviſionem, quando inſtitutæ fuere diverſæ adminiſtrationes & iura in bonis clericorum, Eccleſiarum, & pauperum: nempe Hoſpitalium erectiones in ſpecialem pauperum uſum, & piarum Confraternitatum in Eccleſiarum ac altarium ornatum; utraque ſeiuncta a locis quæ bona clericorum ſpecialia cuſtodiunt & adminiſtrant. Etenim, ſicuti etiam nunc videmus, quando fideles ſuccurrere volunt ſolummodo pauperum indigentiis, bona ſua alicui Hoſpitali ſeu Xenodochio relinquunt: quando ad Eccleſiæ ornamentum, fabricæ vel alicui pio Sodalitio: quando vero providere volunt clericis, offerunt Eccleſiis cathedralibus vel collegiatis; vel beneficia erigunt, & ſæpe etiam pinguia, ut decentius ſacri miniſtri ſuſtententur, nec ordinarie, vel ſaltem rariſſime, in hiſce inſtitutionibus clerici divites excluduntur. Igitur ex intentione, voluntate, ac inſtituto Eccleſiæ & piorum fidelium qui bona ſua Eccleſiæ reliquerunt, vel idemtidem relinquunt, ius habent ac rationem clerici etiam divites, qui Deo & Eccleſiæ proprii Ordinis miniſterio famulatum obſequiumque exhibent, ut licite & tuta conſcientia ſuam ab Eccleſiæ proventibus ſuſtentationem percipiant.

Opponuntur a patronis contrariæ ſententiæ varii canones quibus ſancitum fuit ne quis Eccleſiæ bonis ad victum utatur, niſi cum vere eſt indigens: quod verificari nequit in iis qui ex proprio patrimonio vivere poſſunt. Nam *can.* Ex his *c.* XII. *q.* I. hæc habentur: *Ex his quibus Epiſcopus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates & peregrinorum fratrum uſus & ipſe accipiat, ut nihil omnino ei poſſit deeſſe*. Item *can.* Clericus I. *q.* I. cuius hæc ſunt verba ex Epiſtola S. Hieronymi ad Damaſum: *Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur bona: qui autem bonis parentum & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiant; ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium iudicium ſibi manducant & bibunt*.

Variæ ſunt ſolutiones quæ his aliiſve huiuſce generis auctoritatibus, SS. etiam Proſperi & Auguſtini, tribuuntur a Gloſſa & doctoribus, quos hic omitto (ne longius quam par ſit res protrahatur, & quia videri poſſunt apud Fagnanum in *cap.* Si quis ſane V. *de pecul. clericor. num.* 10. *& ſeq.*) contentus ea uti quæ revera verior eſt ac magis concludens, utpote quæ a variis ſacris canonibus confirmatur; & hanc *num.* 13. affert Fagnanus ex Ulrico in ſua Summa relato a Præpoſito in *cap.* Clericum VI. *c.* I. *q.* II. *verſ.* 5. Dicendum igitur eſt, quod dicta iura loquantur & intelligenda ſint, cum extrema pauperum neceſſitas hoc exquirit, ut etiam eis quiſque pro ſua facultate in eorum ſubſidium ſua elargiatur. Et ita etiam reſpondet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXXXV. *art.* 7. *ad* 3. præcipue prædictæ auctoritati D. Hieronymi: *Dicendum* (ita Angelicus Doctor) *quod non omnia bona Eccleſiarum ſint pauperibus largienda: niſi forte in articulo neceſſitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum & aliis neceſſitatibus pauperum vaſa cultui divino dicata diſtrahuntur, ut Ambroſius dicit cap.* Aurum LXX. *c.* XII. *q.* II. *Et in tali neceſſitate peccaret clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere, dummodo haberet bona patrimonialia, de quibus vivere poſſit*. Similia habet *ibid. quæſt.* XVIII. *art.* 4. *ad.* I. ubi ait, eamdem auctoritatem D. Hieronymi eſſe intelligendam tempore neceſſitatis; quando ſcilicet non poſſet aliter pauperibus ſubveniri: tunc enim tenerentur clerici non ſolum beneficiorum fructus pauperibus erogare; ſed etiam ſua, ſi quæ haberent, largiri ad pauperum ſuſtentationem. Et ſenſus huius reſponſionis ſecundum Præpoſitum *loc. cit.* probatur ex illis verbis textus: *Quod pauperum eſt*. Nam in extrema neceſſitate certe ſunt pauperum, & non aliter (ut idem adnotavit in *cap.* Sicut *diſt.* XLVII.) alias eſſent prius pau-

pauperum quam miniſtrorum pro ſervitio præſtito, unde ex lege gratitudinis & diſtributivæ iuſtitiæ ſuſtentari merentur, ut in *cap.* Placuit 1. *q.* 11. Porro huic ſolutioni ſecundum ipſum littera in *cap.* Paſtor XII. *q.* II. valde congruit: *Unde pauper victurus erat*. Et talis etiam eſt prior intentio fidelium, poſtquam reddita fuit Eccleſiæ pax, quando, ceſſante perſecutione, non tanta erat pauperum Chriſtianorum copia enutrienda; & multo etiam magis poſt bonorum eccleſiaſticorum diviſionem: quando, ut iam diximus, ſi velint fideles ſua bona præcipue pauperibus largiri, ea relinquunt locis pro ſolis pauperibus erectis, ut Xenodochiis & Hoſpitalibus; ita ut quando alicui clericorum cœtui tribuunt, vel beneficium aliquod inſtituunt, clericorum ſuſtentationi directe, principaliter, atque ſpecialiter conferre volunt, ut ex praxi evidentiſſime conſtat. Alii etiam non incongrue reſpondent, allatos textus alioſve huiuſce generis intelligendos eſſe, ſuppoſita redituum aut fundorum Eccleſiæ diviſione: quando partem quæ pro pauperibus eſt conſtituta, a clericis uſurpari, magnum certe nefas eſt; nullatenus vero eſt culpabile, clericos vivere ex iis quæ in dicta diſtributione clericorum victui ſunt aſſignata. Nam patenter docet ſupra laudatus Apoſtolus, clericos, nulla facta exceptione divitis vel pauperis, non ſolum poſſe, quando altari inſerviunt, ex ipſius altaris proventibus ſuſtentationem obtinere; immo conveniens & iuſtum eſſe ſtatuit ut, quicumque ii ſint, de iiſdem alantur. Hoc autem probat exemplo militum: nemo quippe, licet dives, propriis ſtipendiis militat. Et ita ſemper & univerſaliter Eccleſia ſenſit, quæ ſemper in ſuis conſtitutionibus amplam clericis divitibus facultatem facit, ſicut ex ſupra citatis canonibus colligitur, ut proprium patrimonium, quibus voluerint, pro eorum libito relinquant. Quare ex hoc clare demonſtrat, clericos patrimonium proprium poſſidentes, dum ſacris myſteriis inſerviunt, a redituum eccleſiaſticorum participatione non eſſe excludendos. Igitur clerici quocumque Eccleſiæ miniſterio inſervientes, ſive divites, ſive pauperes ſint, licite ex bonis & ex proventibus ipſius Eccleſiæ propriam ſuſtentationem accipere valent.

§. LIII.

De beneficiorum vacatione.

Varii ſunt modi & cauſſæ quibus beneficia vacare poſſunt: ſcilicet I. per diſpoſitionem iuris: II. per iudicis ſententiam: III. per mortem beneficiarii: IV. per reſignationem: V. per permutationem: VI. per translationem. Obſervandum hic autem occurrit, aliud eſſe beneficium vacare ipſo iure, aliud ipſo facto. In primo caſu adhuc beneficii poſſeſſor poteſt ipſi renuntiare ſive ſimpliciter, ſive in favorem tertii, re adhuc integra, ſeu nondum facta ab alio eiuſdem beneficii impetratione. Sed quando vacat ipſo facto, ſpoliatur illico poſſeſſor iure ſeu facultate eidem renuntiandi; cum ipſo facto privetur iure omni ac poſſeſſione in beneficio.

Multi porro ſunt caſus in quibus beneficium ipſo iure vacare contingit. Primo per ſubſequens matrimonium: ratum tamen per verba de præſenti (nam canones loquuntur de uxoribus: idcirco de matrimonio de facto contracto) ita ut per ſola ſponſalia ſeu promiſſione de futuro non vacet. Sicuti etiam non requiritur ad beneficii vacationem, quod matrimonium ſit etiam conſummatum; cum id canones minime requirant: ſed ſufficit ut per verba de præſenti contractum ſit; & ſtatim vacat tum de iure, tum de facto, ut ex *cap.* Cum decorem *de cleric. coniug.* Nec obſtat, quod dicant iſti canones, hoſce cogendos eſſe ad beneficium dimittendum: quia hoc intelligendum eſt de dimittenda poſſeſſione, non beneficio iam per matrimonium dimiſſo. Secundo, beneficium vacat ipſo iure per aſſumptionem ad Epiſcopatum: attamen ſolummodo poſt eius poſſeſſionem & conſecrationem; vel ſaltem poſt tempus quod ex iure ad conſecrationem requiritur, ideſt trium menſium. *Cap.* Cum in cunctis VII. §. Vero *diſt.* c. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* II. Non intelligitur hic tamen de omni beneficio, ſed de dignitatibus, perſonatibus, officiis, beneficiis curatis ſimplicibus in titulum vel commendam. Poteſt tamen Papa eum diſpenſare ut illa retineat. Gloſſa in *can.* Si quis *verb.* Translatio *c.* XXI. *q.* II. Tertio, vacat beneficium ipſo iure, ſi beneficiarius per ſolemnia Religionis vota legitimam profeſſionem emittat: nimirum libere, legitima ætate, poſt annum probationis, niſi ſuper aliquo tempore diſpenſetur, & coram legitimo ſuperiore. *Cap.* Be-

Rationes amittendi beneficia ipſo iure.

neficium *de Regular. in 6.* Non enim licitum eſt cuipiam, duplici fungi militia, & duobus cingulis ſeu ſtipendiis mereri. Non ſolum autem vacant in hoc caſu beneficia ſæcularia, ſed etiam regularia, ſi huiuſce generis in commendam quis obtinuiſſet, niſi novas petat proviſiones. Quod ſi profeſſio declaretur nulla, datur regreſſus intra tres annos, ex quo profeſſio declarata fuit invalida, ſecundum aliquos, ideſt contra poſſeſſorem triennalem. Dixi, *ſi profeſſio declaretur invalida*: quia ſi illa fuit valida, & exeat cum Papæ diſpenſatione, etiam ob legitimam cauſſam, non poteſt amplius beneficia libere dimiſſa recuperare: immo inhabilis redditur ad alia ſæcularia & regularia obtinenda; dummodo ad hæc etiam non fuerit per Papam rehabilitatus. Dixi *regularia*: alterius tamen Ordinis, non proprii in quo fuit profeſſus. *Cap.* Cum ſingula §. Prohibemus *de præbend. in 6.* Hic notat Paſtor *lib. III. tit.* XVIII. *num.* 6. *in fin.* allatus a Cabaſſutio: *Si profeſſio fuerit invalida, & per exceptionem triennalis pacificæ poſſeſſionis repellatur a beneficio recuperando, & indigeat: poteſt Ordinarius aſſignare illi de fructibus dimiſſi beneficii annuam penſionem ad eis honeſtam ſuſtentationem.* Quarto, vacat beneficium Sacerdotio adnexum, ſi proviſus Sacerdotio per integrum annum non curaverit initiari. *Cap.* In cunctis §. Inferiora *de elect.* & *cap.* 1. *de ætat. & qualit. & ord. præficien.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *cap.* IV. Hic autem Concilium loquitur de beneficiis quibus adnexi ſunt Ordines ſimpliciter & abſolute, ad quæ obtinenda ſatis eſt ut intra annum ſaltem per Papæ diſpenſationem initiari valeat: non vero de præbendis quibus certe adnexi ſunt Ordines, ideſt ut actu Ordinem exigant in promovendo; ita ut non aliis niſi iis qui Ordinem iam ſuſceperunt, conferri valeant, ſive iure id exigente, ſive ſtatuto ſpeciali, ſive conditione, ſive conſuetudine. Ita Fagnanus in *cap.* 1. *de ætat. & qualit. ordinand. num.* 52. refert ſacram Congregationem iudicaſſe ac declaraſſe. Annus vero incipit a die pacificæ poſſeſſionis. Talis vero conditio intra annum non cadit ſuper beneficia ſimplicia, quæ poſſunt, non obſtante conditione Ordinis, conferri clerico quatuordecim annorum, ut exigit Concilium Tridentinum; dummodo provideatur ut ſervitium & onus per virum debito Ordini initiatum exerceatur: quatenus in his valet illa iuris regula: *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.* Verum in beneficiis curatis aliiſve requirentibus Ordinationem intra annum excuſat legitima impoſſibilitas, puta infirmitas, peſtis, bellum, captivitas; itemque diſpenſatio, quæ ex rationabili cauſſa concedi poteſt nedum a Papa, ſed etiam ab Ordinario, ex *cap.* Licet canon §. Super reſidentia *de elect. in 6.* Interim tamen providendus Vicarius cum congrua de reditibus beneficii aſſignatione, qui curæ miniſterium exequatur. Quinto, vacat beneficium ob incompatibilitatem cum altero beneficio de quo ſit quis proviſus, ita ut talis teneretur de alterutro ſe determinare, ideſt unum intra annum, obtenta alterius pacifica poſſeſſione, dimittere teneretur; alioquin ordinarius collator de priore diſponere poteſt: nec in eo quod dimittit, poteſt ſibi penſionem reſervare, præſertim ſi ex eo quod poſſidet, habeat honeſtam ſuſtentationem. Item non poteſt percipere fructus niſi beneficii cui deſervivit: fructus autem alterius beneficii in Vicarii ſtipendium & in Eccleſiæ reparationes aut ornamenta converti debent. Porro beneficia incompatibilia ſunt duo beneficia, vel conformia, vel difformia, quorum utrumque reſidentiam exigit, ut alibi iam dictum eſt. Sexto, vacant beneficia ipſo iure ob crimen cui iure adnexa eſt pœna privationis: ut hæreſis, ſchiſma, ſimonia, ſodomia exercita ex Bulla Pii V. percuſſio Cardinalis vel Epiſcopi, homicidium qualificatum, nempe quando fit per ſicarium pretio conductum, & ſimilia. Tunc tamen non vacant de facto, ideſt niſi prius crimen probetur, & ſequatur iudicis ſententia. Tandem vacant ipſo iure per mortem naturalem aut civilem beneficiarii. Civiliter autem moritur qui profeſſionem religioſam emittit, qui capite damnatur ſine appellatione, qui triremi aut exilio perpetuo multatur: ſecus, ſi damnetur ad tempus; dummodo annis novem longius non ſit.

Beneficium ex Caballutio vacat ipſo facto per exceſſum aut deceſſum, per matrimonium, per profeſſionem religioſam, per crimen læſæ maieſtatis, aut aliud atrox facinus: & in aliis caſibus non tam ipſo facto, quam iure vacat. Sic, re integra, reſignare poteſt qui tempore præſcripto non ſuſcepit Ordines ſacros, qui plura habet incompatibilia beneficia, & alii huiuſmodi. Sed ſi acceſſerit ſententia iudicis, non amplius datur locus reſignationi. Hinc reſignatio facta a Parocho qui hominem occiderat, iudicata eſt nullius valoris: quia non erat admiſſa Romæ ante ſententiam iudicis. Quando auferatur ipſo facto.

§. LIV.

§. LIV.

De reſignatione.

Reſignatio & renuntiatio beneficiorum primitus pro ſynonomis ſumptæ ſunt: *cap. VIII. de renuntiat.* ubi reſignatio accipitur pro renuntiatione. Hodiernus tamen ſtilus Curiæ Romanæ & modus loquendi diſtinguit reſignationem a renuntiatione: ut nimirum per reſignationem intelligatur renuntiatio in favorem tertii; per renuntiationem vero dimiſſio pure ſine ulla conditione. Verum ſtricte loquendo omnis reſignatio beneficii eſt etiam illius renuntiatio & dimiſſio; cum reſignari nequeat beneficium abſque eo quod dimittatur & renuntietur.

Quia olim reſignatio beneficii erat ſimplex & pura renuntiatio atque dimiſſio ſine ulla conditione; hinc de hac ſola agitur ſub titulo Decretalium *de renuntiatione*: ita ut, ſicut notat Van-Eſpen, harum reſignationum ac renuntiationum frequentior uſus eſſe cœpit ſub Alexandro III. neque ullus Pontifex Alexandro III. antiquior de his agit in libris Decretalium. Nec mirum: quia ante tempora huiuſce Pontificis tituli beneficiorum vix adhuc ſeiuncti erant ab Ordinatione. Durante enim illa diſciplina qua clerici in ſua Ordinatione certæ adſcribebantur Eccleſiæ, ipſa Ordinatio erat quodammodo loco proviſionis beneficii: quia per adſcriptionem huic Eccleſiæ adſcriptus ſive ordinatus ius acquirebat participandi de temporalibus huius Eccleſiæ proventibus, tamquam eius miniſter, cui ex Ordinis ſuſcepti officio ſeu exercitio inſerviebat. Clericus autem qui dimittebat Eccleſiam cui adſcriptus erat in ipſa ſua Ordinatione, cenſebatur renuntiare iuri ad temporalia illius Eccleſiæ quæ ipſi tamquam eius miniſtro competebant. Itaque tunc dimittere Eccleſiam in effectu idem erat quod nunc renuntiare beneficio. Verum quia renuntianti Eccleſiæ liberum non erat alium clericum eidem Eccleſiæ in ſuum locum ſubſtituere; hinc nulla apud veteres reſignationis beneficiorum mentio babetur ac occurrit, ſed ſolius dimiſſionis ſeu ſimplicis renuntiationis.

Reſignatio duplex. Secundum vero hodiernam diſciplinam reſignatio duplicis eſt generis. Alia ſine ulla appoſita conditione: & hæc fieri poteſt coram eo cuius eſt conferre beneficium & inſtituere. Alia conditionalis, appoſita renuntiationi ſeu reſignationi puræ & ſimplici ad manus Ordinarii; illa enim fit ſub certa conditione vel modo. Quinque autem modis fieri ſolet. Primo, cum quis reſignat beneficium, ſub conditione ut conferatur certæ determinatæ perſonæ; & non aliter: & hæc dicitur reſignatio in favorem tertii. Secundo, cum quis reſignat quidem beneficium ad alterum transferendum; ſed ſub conditione quod fructus in toto vel in parte ſibi quotannis ſolvantur: & hæc dicitur reſignatio cum penſione. Tertio, cum quis reſignat beneficium, ſub conditione & reſervatione ut ſi reſignatarius præmoriatur, poſſit ipſe reſignans ad beneficium redire: & hæc dicitur reſignatio cum regreſſu. Quarto, cum quis reſignat beneficium, ſub conditione & reſervatione ingreſſus ſeu acceſſus; ut ſi beneficium conferatur puero qui ante acceptam poſſeſſionem illud alteri cedat, ſub pacto ut poſt abſoluta ſtudia poſſit propria auctoritate ipſum recipere: & hæc dicitur reſignatio cum ingreſſu vel acceſſu. Quinto, cum quis beneficium reſignat, ſub conditione ut alterius beneficium ſimile vel diſſimile ſibi conferatur; & uterque ſuo ſe abdicat, ut alterius beneficium acquirat: & hæc dicitur reſignatio cum permutatione.

Quilibet clericus poteſt regulariter loquendo ex iuſta cauſſa renuntiare beneficio ſibi acquiſito, cuiuſcumque ſit generis, ſive ex inferioribus, ſive ex maioribus & maximis, ut Epiſcopatus aut Cardinalatus, in manu ſuperioris: & etiam Papatus, ut ex *cap.* Quoniam *1. de renuntiat. in 6.* ut contigit in Cæleſtino Papa V. ſicuti ex Barboſa *lib. I. Iur. eccleſiaſt. univ. cap. 11. num. 213.* ubi exponitur formula renuntiationis eiuſdem Cæleſtini.

Ad hoc autem ut reſignatio cum penſione licita & valida ſit, primo requiritur ut beneficium ſit vere reſignantis, ideſt quod reſignans ſit in iuridica beneficii poſſeſſione; cum reſignatio ſit renuntiatio ſeu ceſſio proprii iuris. *Conditiones ut ſit licita.* Unde in caſibus in quibus beneficium vacat de iure & ipſo facto, ſupervacanea & nulla eſt ipſius reſignatio: quæ tamen locum habet, quando vacat ſolum de iure, ut poſſeſſor per iudicis ſententiam cogendus ſit ad illud dimittendum. Tunc enim licet poſſit poſtea irritari, tamen antea tenet. Item nulla eſt reſignatio clerici infirmi intra viginti dies ante mortem, ut ex regula Cancellariæ quæ inſcribitur *De viginti*. Immo hæc regula valet in iis quoque qui dum ſani erant, reſignarunt, & poſtea caſu quodam, ut ſuperveniente morbo inopinato, intra viginti dies deceſſerunt: quia tunc cenſentur beneficia vacare

per

per obitum: & collatio eſt nulla. Hoc tamen intelligendum eſſe cenſent plurimi Canoniſtæ de reſignatione conditionali. Secundo, requiritur ut reſignatio ſit ſpontanea, libera, nec metu iniuſto, nec vi aut dolo extorta: alioquin eſt nulla, vel profecto annullanda, ut ex *cap.* IV. *de iis quæ vi metuſve cauſſa fiunt*, *cap.* V. *de renuntiat. & Clement.* I. *de pœn.* Tertio, ut fiat in manu Papæ: eo quia reſignatio in favorem ſit iuri communi contraria, ſuper quo ſolus Papa poteſt diſpenſare. *Cap.* Plerique VIII. *q.* I. Quæcumque enim pactio in beneficiis a iure communi prohibetur: ne videlicet ius hereditariæ ſucceſſionis in Eccleſiam inducatur, & locum habeat acceptio perſonarum; immo etiam ne collatoribus libertas conferendi adimatur. Quarto, debet acceptari a Papa: alioquin reſignatio eſt nulla; proindeque reſignans ius ſuum non amittit. Quinto. conferri debet beneficium ei in cuius favorem fit reſignatio; non alteri, nec aliter: alios proviſio non valebit. Cum enim tunc beneficium non vacet niſi per reſignationem, & reſignatio beneficii adnexam habeat hanc conditionem; omnino non vacaret, niſi impleatur conditio: idcirco proviſio fieret ſine beneficii vacatione. Sexto, acceptari debet ab eo in cuius favorem beneficium reſignatur: alioquin, etiam facta reſignatione in manu ſuperioris, adhuc reſignans ius ſuum non amittit; quia manet ſui beneficii poſſeſſor, donec a reſignatario poſſeſſio accipiatur.

Nota, quod reſignare non poſſunt clerici beneficia illa ad quorum titulum fuerunt ad ſacros Ordines promoti, niſi facta mentione, quod ad illorum titulum ſacris Ordinibus initiati fuere. Neque talis reſignatio admitti poteſt, niſi conſtituto quo aliunde commode vivere poſſint: alias facta reſignatio nulla eſt, ut ex Synodo Tridentina *ſeſſ.* XI. *cap.* II. *de reform.* ex S. Pii V. Conſtitutione LVIII. quæ incipit *Quanta Eccleſiæ Dei*.

Beneficia electiva iuriſpatronatus, ſive patroni laici ſint, ſive clerici, nequeunt reſignari in favorem tertii neque permutari abſque conſenſu patronorum aliorumque qui ius habent eligendi. Gonzalez, Barboſa, aliique communiter. Talis autem reſignatio ſeu permutatio, facta ſine conſenſu patronorum vel ius habentium eligendi, non eſt ipſo iure irrita, ſed irritanda ſolum ad ipſorum contradictionem & inſtantiam: & ſi eorum conſenſus poſt reſignationem ſuperveniat, erit valida. *Cap.* Quod ſicut XXVIII. *de elect.* Leſſius & Azorius cum aliis communiter. Item beneficia unita reſignari nequeunt, antequam unio ſortiatur effectum: intellige tamen, in alterius favorem. Item beneficia litigioſa reſignari nequeunt, lite pendente: quia talis reſignatio ſupponitur facta in fraudem contendentium. *Cap.* I. *de alienat. iudic. mut. cauſſ.*

Reſignationes parochialium in favorem tertii in Curia Romana non admittuntur, præſertim cum reſervatione penſionis ipſi reſignanti vel alteri a reſignatario præſtanda; niſi exprimatur per quantum tempus ipſe reſignans poſſederit beneficium, & niſi illud ſaltem per annos quinque poſſederit, vel ad minus tres: licet antea ſeptem requirerentur vel ſex. Nam ſicut Garzia, Corradus, aliique teſtantur, hic uſus ſeu ſtilus Datariæ Romanæ cœpit a Gregorio XIV. qui ſic ſervari mandavit, ex eo quod Innocentius IX. id antea ſtatuerat: nempe beneficium curatum reſignari non poſſe in favorem tertii, niſi poſt triennium. Hoc tamen intelligendum eſt de reſignatione conditionali, non pura & ſimplici; cum de his Gregorius XIV. nihil ſtatuerit; proindeque hæ fieri poſſint in manus Ordinarii etiam ante annum.

Ut autem utraque reſignatio licita ſit, requiritur iuſta cauſſa. Et de ſimplici loquendo, certum eſt, quod fieri non debeat niſi ob bonum Eccleſiæ vel ſpiritualem reſignantis utilitatem: quia clerici præſertim beneficiarii ratione ſui ſtatus tenentur gloriæ Dei & utilitati Eccleſiæ inſervire; proindeque licite nequeunt ſine iuſta cauſſa deponere curas ſpectantes ad beneficia quæ ſuſceperunt. Quare S. Pius V. Conſtitutione LVIII. Epiſcopis aliiſque prohibet ne admittant reſignationes, niſi eorum quæ aut ſenio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii, aut cenſuris eccleſiaſticis irretiti, nequeunt aut non debent Eccleſiæ vel beneficio inſervire: ſeu qui plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri. Similiter ad hoc ut altera reſignatio, nempe in favorem, ſit licita, fieri debet ob Eccleſiæ utilitatem: puta quia alter iudicetur aptior. Etenim ſi reſignatio fiat ob conſanguinitatem aut ex alio affectu carnali, eſt illicita; ſi vero fiat pro aliquo commodo temporali utriuſque vel alterius, eſt ſimoniaca. Porro ex iure communi illicitum eſt in periculo mortis reſignare beneficium ſub conditione tacita. Si æger convaleſcat, ut ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXV. *cap.* VII. & ex Conſtitu-

Digitized by Google

ſtitutione CXXXIV. S. Pii V. Item ut reſignatio vel permutatio cum reſervatione penſionis licite fiat, præter conſenſum Papæ & reſignatarii, neceſſe eſt ut interveniat iſta cauſſa diſpenſandi: quæ eſt indigentia reſignantis. Etenim iuxta rationem allatam a ſacra Congregatione Cardinalium quos Paulus III. deputavit ad Eccleſiæ reformationem, nulla alia eſſe poteſt cauſſa iuſta diſpenſandi a iure ſeu lege generali quæ hanc vetat reſignationem. *Reditus enim* (ait ſacra Congregatio) *ſunt adnexi beneficio, ut corpus animæ; ideoque natura ſua ad eum pertinent qui beneficium habet, ut poſſit ex his honeſte vivere pro ſuo ordine, ſimulque ſuſtinere impenſas pro divino cultu ... Hæc eſt enim natura horum redituum.* Ne autem longius quam par ſit, rem protraham, dicam uno verbo: nempe quod ut reſignatio licita ſit, debet eſſe pura & libera ab omni prorſus pacto & conventione, quæ a iure communi prohibentur. Quæcumque autem ex his intervenerit, non aliter liberari poteſt a labe ſimoniæ: & licita evadere nequit niſi per Papæ approbationem, ad quem ſolum ſpectat diſpenſare ſuper iure communi; ſemper tamen ex iuſta cauſſa. Sic communiter doctores.

§. LV.

De permutatione beneficiorum.

Permutatio quid ſit. Permutatio, prout hoc vocabulum hic adhibetur, eſt actio qua beneficiarii viciſſim beneficia ſua permutantes in manus Ordinarii reſignant, ea conditione ut alter alterius beneficium aſſequatur. Unde hæc eſt altera ſpecies reſignationis conditionalis, quæ dicitur reſignatio cauſſa permutationis, in qua tacita ſaltem reſignatio in favorem intervenit: & hac ratione talis reſignatio eſt conditionalis. Hæ beneficiorum permutationes, præſertim præcedente pactione, olim reprobatæ erant a iure communi tamquam de ſimonia ſuſpectæ. Non erant tamen vetitæ permutationes ſeu translationes quæ motu proprio ac propria auctoritate facerent ſuperiores: dummodo id iuſta cauſſa exigeret, nempe utilitas aut neceſſitas Eccleſiarum, ut ex Urbano III. in *cap. v. de rer. permutat.* habetur: *Si autem Epiſcopus inſpexerit cauſſam neceſſariam, licite poterit de uno ad alium locum transferre perſonas, ut quæ uni minus ſunt utiles, alibi ſe valeant utilius exercere.* Huiuſmodi permutationes puræ, ſimplices, & liberæ fiebant primis Eccleſiæ ſæculis: & non erant de facto niſi ſimplices translationes. Unde Epiſcopi ob neceſſitatem vel maiorem utilitatem alterius Eccleſiæ a propria ad aliam laudabiliter transferebantur. Permutationes vero conditionales celebrari cœperunt præcipue ſæculo XII. ut ex Concilio Turonenſi ſub Alexandro III. in *cap. VIII. de præbend.* ubi permutationes dignitatum fieri prohibentur. Verum cum Urbanus III. declaraſſet in ſuo decreto licitum eſſe beneficiarios de uno in alium locum transferre, cœperunt beneficiarii reſignare beneficia in manus Epiſcoporum, ea conditione tacita vel expreſſa ut eorum auctoritate ad mutuas Eccleſias transferri, ſive alter alterius beneficium conſequi poſſet. Credebatur hæc beneficiorum reſignatio eſſe libera, quaſi tali reſignatione beneficia vere vacarent. Verum cum conſtaret aliam eſſe mentem reſignantium, videlicet non reſignare, niſi ſub ea conditione ut alter in alterius beneficium ſurrogaretur: declaravit Bonifacius VIII. in *cap. unic. de rer. permutat. in 6.* licet de rigore talia beneficia vere vacarent, tamen æquum non eſſe ea aliis conferre; eo quia reſignantes ea non reſignaſſent, niſi credidiſſent vi talis reſignationis ſe ad mutua beneficia transferendos, quod poſtea in *Clement. unic. de rer. permutat.* confirmatum fuit. Hinc cœperunt beneficiarii paſſim ſine metu amittendi ſua beneficia permutationes beneficiorum concipere, & cauſſa permutationis in manus Epiſcoporum reſignare: ſi autem Epiſcopi permutationes non admitterent, transferendo reſignantes de uno ad aliud beneficium; ipſi permanerent in ſuis beneficiis, nihilque de ſuo amitterent.

Si beneficia permutanda conſtituta ſunt in diverſis diœceſibus; requiritur conſenſus & auctoritas utriuſque Epiſcopi. Si autem permutatio fiat cum adiectione oneris vel penſionis; non ſecus ac in reſignatione, requiritur placitum & auctoritas Papæ: quia beneficia ſunt conferenda ſine diminutione & onere quod in iis de iure non ineſt. Quod ſi beneficia ſint inæqualia ob dignitatem vel iuriſdictionem; eſt ſimonia iuris divini hanc inæqualitatem compenſare per aliquod temporale: cum hæc dignitas & iuriſdictio ſit quid ſpirituale. Si vero inæqualitas ſit in fructibus beneficii; poteſt Papa imponere beneficio pinguiori pro huiuſmodi inæqualitatis compenſatione penſionem, tamquam conditionem ut indemnis alter ſervetur.

Ad permutationem conditiones eædem requi-

Quænam ad permutationem requiruntur. requiruntur, quæ ſupra de reſignatione ſunt expoſitæ. Quare beneficia conferri nequeunt aliis quam permutantibus: cum permutantes non intelligant mutuo beneficia reſignare, niſi ut ſibi mutuo conferantur. Verum ſi beneficium forte deprehendatur liti ſubiectum; illud reſignans litem proſequi debet: Si evictum fuerit; alter ſine nova in poſſeſſionem immiſſione ad ſuum beneficium redibit, ut ex *cap.* xx. *de præbend. in 6.*

Sicuti ad reſignationem, ita ad permutationem, ut licita ſit, iuſta cauſſa requiritur permutandi: videlicet Eccleſiæ utilitas, puta maior Dei cultus maiuſque animarum bonum; vel ſpiritualis utilitas permutantium, quatenus uterque in alterius beneficio melius Deo inſervire poteſt. Ita ex *cap.* v. *de rer. permutat.* & ex D. Thoma in *IV. diſt.* xxv. *quæſt.* III. *art.* 3. *ad* 8. ubi hæc habet: *In permutatione eſt ſimonia, ſi pro aliquo terreno commodo utriuſque vel alterius talis permutatio fiat. Si autem pro aliquo ſpirituali, utpote quia hic in illo loco melius poſſit Deo ſervire, non eſt ſimonia.*

§. LVI.

De coadiutoriis.

Coadiutoria quid & quotuplex. Coadiutoria eſt facultas ex cauſſa, auctoritate iuris vel iudicis cuipiam conceſſa, adiuvandi Prælatum vel alium beneficiarium in Eccleſiæ vel beneficii regimine: ut communiter definitur. Coadiutoria duplex eſt: Alia eſt temporalis, ac revocabilis, ſeu ſine iure in Eccleſia vel beneficio ſuccedendi, conceſſa propter impotentiam beneficiarii ad ipſius munus exequendum: unde datur ei, donec vivat coadiutus. *Cap.* In conſultationibus vi. *de cleric. ægrot.* Et hæc fuit in uſu etiam prioribus Eccleſiæ ſæculis: ut inter alia exemplum habetur D. Auguſtini, qui fuit ſui anteceſſoris coadiutor. Alia eſt perpetua & irrevocabilis, ſeu collata cum iure ſuccedendi in Eccleſia vel beneficio poſt mortem coadiuti. Et hæc antiquitus fuit ignota, & ſolum ex ſtilo inducta eſt & inventa, ut tradit Fagnanus in *cap.* Ex parte ſua *num.* 15. Hæc enim inimica eſt & odioſa ſacris canonibus (*cap.* Accepimus v. *de pact.*) & expreſſe vetita a Concilio Tridentino *ſeſſ.* xxv. *cap.* VII. *de reform.* Idcirco concedi nequit niſi a ſummo Pontifice: cum ipſe ſolus ex plenitudine poteſtatis ſupra ius diſponere poſſit. *Cap.* Præpoſuit IV. *de conceſſ. præbend.* Unde concedi nequit a Cardinali Legato, neque a Nuntio Apoſtolico. Ita Gonzalez, Garzia, aliique.

Coadiutoria temporalis ſeu ſine futura ſucceſſione in Eccleſiis & beneficiis Epiſcopatu inferioribus concedi poteſt a proprio Prælato: proindeque Epiſcopus poteſt Parocho alterive beneficiario propter grave aliquod incommodum (*id*eſt propter gravem infirmitatem aut aliud perpetuum impedimentum, unde amplius ſatis non ſit ut ſuum munus & officium exerceat) concedere temporalem coadiutorem, non ſecus ac poteſt inſtituere in beneficiis. Epiſcopis tamen ac aliis Prælatis ſuperioribus nonniſi a Papa deſignari poteſt coadiutor, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, ut ex *cap.* Paſtoralis *unic. de cleric.* Idcirco ſi aliquando reperiatur, aliquem Epiſcopum dediſſe Epiſcopo comprovinciali coadiutorem: hoc fecit tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus; non ſecus ex ordinaria ſua poteſtate. Ita Fagnanus & Gloſſa in *cap.* Paſtoralis *cit.* Quare coadiutor ille intelligitur qui ex cauſſa datur iuris aut iudicis auctoritate ad coadiuvandum officium præſidentis ſeu miniſtri Eccleſiæ, ut cum communi Fagnanus *loc. cit. num.*22. Dicitur enim coadiutor a coadiuvando; ſicuti tutor a tuendo, quaſi tutor & defenſor. *L.*1. *ff. de tutel.* & Fagnan. *loc. cit. num.* 3. Coadiutor ſimpliciter & ſine futura ſucceſſione datur ob varias cauſſas, ut ob morbum incurabilem & perpetuum. *Cap.* Ex parte v. *de cleric. ægrot.* Clericus, ſi morbus ſit curabilis & temporalis, Vicarium temporalem ſibi conſtituere poterit. *Cap.* Adiicimus xix. *c.* xvi. *q.* I. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxi. *cap.* I. *de reform.* Inſuper & propter lepram, propter perpetuam amentiam, propter amiſſum linguæ uſum, propter gravem ſenectutem, propter illitteraturam: & de hoc expreſſe impedimento Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxi. *cap.* vi. *de reform.*

Coadiutoris qualitates. Coadiutor habere debet eaſdem conditiones qualitateſque quæ a iure exiguuntur ad tale officium, pro quo datur. Ita Concilium Tridentinum expreſſe *ſeſſ.*xxv. *cap.*VII. *de reform.* Unde opus eſt ut conſtitutus ſit in ea ætate quæ ad beneficium obtinendum requiritur; eaque ſcientia ac prudentia præditus, ut diœceſim vel parochiam in ſpiritualibus regere valeat. Et ſi detur coadiutor Epiſcopo in univerſali; debet eſſe Epiſcopus conſecratus, ut exercere valeat pontificalia. Quod ſi detur tantum ut coadiutor in temporalibus, quia Epiſcopus vel

Digitized by Google

vel Parochus ſit dilapidator; debet eſſe fidelis, probus, & circumſpectus: & ſatis eſt, quod ſit conſtitutus in ætate viginti quinque annorum. Coadiutor fere coincidit cum adminiſtratore, qui in ſpiritualibus & in temporalibus a Sede Apoſtolica dari ſolet Epiſcopis a ſuo Epiſcopatu ex legitima cauſſa abſentibus: & coincidit cum ſuffraganeo, qui deputari ſolet pro Eccleſiis Cardinalium & pro aliis quæ conſueverunt habere coadiutorem; vel alicui promoto ex diſpenſatione Apoſtolica ad Epiſcopatum ante debitam ætatem. Nam eo pacto quo dicitur coadiutor a coadiuvando, dicitur ſuffraganeus a ſuffragando. Hinc tales coadiutores & ſuffraganei exſpirant per obitum Epiſcopi: quia non eſt amplius quem coadiuvent, aut cui ſuffragentur. Fagnanus in *cap.* Epiſcopalia VI. *de privileg. num.* 58. Idem dicendum eſt, dum Epiſcopus abſens revertitur ad ſuam Sedem; aut diſpenſatus ad legitimam perveniat ætatem. Non ceſſat tamen coadiutori ſuffraganatus ſeu adminiſtratio, quam perpetuo conceſſit Sancta Sedes cum futura ſucceſſione: immo tranſit in ius plenum, & de iure ad rem tranſit ad ius in re, reſpectu Eccleſiæ ſeu beneficii. Fagnanus in *cap.* Ex parte *de cleric. ægrot. num.* 15. & 16. aliique communiter. Unde non requiritur pro tali perpetuo coadiutore nova collatio; ſed gratia illi conceſſa in coadiutoria ex primo iure ſibi conceſſo ſuum ſortitur effectum. Nam in coadiutoriis perpetuis cum futura ſucceſſione collatio ſit cum clauſula, *Ex nunc pro tunc*: ita ut factus poſtea a principio factus cenſetur. Barboſa *de clauſ. uſu frequen. clauſul.* lxi. *num.* 16. & *ſeq.*

Illius munera — Coadiutor tamen non poteſt exercere niſi id ad quod incapax ſit Epiſcopus, ita ut ſit ſolummodo executor ordinum coadiuti; proindeque exequi nequit ea quibus non conſentit Epiſcopus rationabiliter & contradicit. Sic ex *can.* Pontifices IV. *c.* VII. *q.* I. ubi hæc ratio adducitur: *Ne per neceſſitatis occaſionem præſumptionis pullulet ambitio.*

Coadiutori ex bonis Eccleſiæ ſeu beneficii Prælati aut alterius beneficiarii debetur congrua portio ad ſui ſuſtentationem (*cap.* De rectoribus III. *de cleric. ægrot.* & eſt communis doctorum) dummodo reditus Eccleſiæ pro utriuſque congrua ſuſtentatione ſufficiant. In contrario autem diſcrepant doctores. Communior ſentit, quod in caſu inſufficientiæ redituum pro utroque coadiutus præferendus ſit coadiutori. Sic Barboſa, Fagnanus, Engel, & alii. Nam, inquiunt; licet coadiutus impotens ſit, tamen actualiter eſt & remanet Eccleſiæ paſtor & beneficiarius, & cum iure in re: coadiutor econtra non eſt beneficiarius illius Eccleſiæ, niſi in ſpe & cum iure ad rem; ideſt *Ex nunc pro tunc*, iuxta citatam clauſulam Bullarum pro coadiutoria perpetua cum ſucceſſione. Et eo vel maxime quod coadiutus, non obſtante ſua infirmitate, in ſua Eccleſia reſidere tenetur, ut pro Parocho declaravit ſacra Congregatio Concilii relata a Gonzalez ad regulam Cancellariæ. Gloſſa §. IV. *num.* 30. Tenetur tamen coadiutus pro viribus contribuere ad congruam ſuſtentationem coadiutoris, iuxta Barboſam *cap.* I. *diſt.* lxxxII. *allegat. a Gloſſ. ſupra num.* 34. Et ſi nullo modo id præſtare queat; tunc Epiſcopi ipſius auctoritate cogendus eſt populus ad coadiutori neceſſaria præbenda. *Cap.* Omnis Chriſtianus lxvII. *diſt.* I. *de conſecrat.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXI. *cap.* IV. *de reform.* quoad ſuſtentandos Parochos parochialium noviter erectarum.

Coadiutor Epiſcopi celebrans non ſedet niſi in faldiſtorio, neque habet Diaconos aſſiſtentes, neque Canonicos paratos, neque ſeptimum candelabrum, neque utitur baculo, niſi in Ordinationibus, ut ſacra Rituum Congregatio I. Septembris MDCVII. declaravit. Dum celebrat, coadiutor habere debet, præter Diaconum & Subdiaconum, Canonicum aſſiſtentem pro libro. Sic eadem ſacra Congregatio VII. Auguſti MDCXXVIII. Licet tamen coadiutor ad nullam functionem a coadiuto adhibeatur: tenetur tamen reſidere, nec diſcedere poteſt abſque licentia coadiuti vel ſacræ Congregationis: & ſemper tenetur requiſitus coadiutum comitari in viſitatione, ſine ulla tamen propria expenſa. Tandem pontificalia omniaque alia munia obire tenetur: cui tamen coadiutus dare debet omnia pontificalia aliaque neceſſaria, pro exercitio pontificalium aliarumque epiſcopalium functionum. Quod autem dicitur de coadiutore Epiſcopi, intelligendum etiam eſt de coadiutore alterius beneficiarii.

TRA-

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS MORALIBUS
ET DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

CAPUT I.

De virtutibus in genere.

Virtutes, ſicuti iam alias vidimus, aliæ intellectuales ſunt, quarum eſt perficere intellectum: aliæ morales, ad quas appetitum ſeu voluntatem perficere ſpectat: ita tamen, ut nemo ab illis dicatur ſimpliciter bonus; bene vero ex his. Cum vero appetitus alius ſit rationalis, alius ſenſitivus; & ex parte utriuſque pati poſſimus difficultates & circa bonum rationis, ideſt ex parte ſenſitivi, & ex parte rationalis circa alienum: hinc virtutes morales aliæ verſantur circa paſſiones, ut fortitudo & temperantia; aliæ circa actiones, ut iuſtitia & virtutes ei proxime choærentes. Quare licet generaliter loquendo obiectum immediatum attributionis virtutum moralium ſint actus humani, ut honeſti ſeu ut conſentanei rationali naturæ & legi divinæ; & formale ſit ipſa honeſtas, quæ in eiſdem relucet: cum tamen hæc honeſtas conſiſtat in ordine mediocritatis in qualibet materia ſervando, & cum in diverſa materia diverſus ſervetur ordo; hinc fit ut variæ inſtituantur ſpecies virtutis. Quælibet autem virtus moralis ſeorſim ſumpta habet pro obiecto materiali certos actus honeſtos ſibi propoſitos; & pro formali illam ſpecialem honeſtatem quæ in iiſdem actibus reſplendet. Hæc porro ſpecialis honeſtas reſultat ac oritur ex diverſo modo quo ordo in obiecto materiali cuiuſcumque virtutis ſervatur, & eſt illud a quo quælibet virtus ſuam ſpeciem deſumit.

§. I.

De virtutibus moralibus.

Virtutes morales ita vocantur, quia immediate verſantur circa mores ſecundum rationalem inſtinctum inſtituendos. Et in hoc differunt a theologicis: quia virtutes theologicæ immediate verſantur circa Deum, ideſt Deum habent pro obiecto immediato. Hic tamen non agitur de virtutibus omnibus moralibus, ſed de principalioribus dumtaxat; nempe de illis quatuor quæ præter religionem de qua actum iam eſt, dicuntur primariæ a quibus aliæ dimanant, vel quibus adnexæ ſunt: & hæ ſunt prudentia, fortitudo, temperantia, iuſtitia. Hæ quatuor dicuntur etiam cardinales: vel quia inſis tamquam cardinibus tota humana vita vertitur; vel quia ſunt quatuor genera virtutum quibus reliquæ ſubiiciuntur (& in tali ſenſu tam Philoſophi, quam doctores ſacri de his interdum locuti ſunt) vel potius quod ſingulæ verſantur circa id quod in unaquaque materia virtutis præcipuum eſt. Sub hac autem ratione ceteræ virtutes ſpectant ad ipſas, non tamquam ſpecies ad genera; ſed ut minus principales ad principaliora, vel ut partes potentiales ad totum.

Facile dignoſcitur harum virtutum diſcrimen, ſi earum officia ſpectentur. Nam prudentia recta ratione dictat & præcipit agenda; iuſtitia ſuum cuique tribuit; temperantia reprimit voluptates; fortitudo firmat contra adverſitates & pericula. Diſtinguuntur etiam ex eorum ſubiectis: quia prudentia eſt in intellectu; iuſtitia in voluntate; temperantia in appetitu concupiſcibili; fortitudo in iraſcibili, ut S. Thomas docet. Verum ſecundum alios hæ omnes in voluntate perinde ac iuſtitia reſident.

Reliquæ vero virtutes morales quæ a Tullio comites, ab aliis adiunctæ appellantur, ſecundum S. Thomam poſitæ ſunt in triplici differentia. Aliæ enim ſubiiciuntur cardinali tamquam ſpecies; ac ideo vocantur partes ſubiectivæ virtutis cardinalis: aliæ vero ſine quibus virtus cardinalis integra eſſe nequit, ut corpus humanum ſine ſuis membris; & hæ dicuntur integrales ſeu integrantes: aliæ denique ſubſerviunt ipſis cardinalibus adinſtar potentiarum ſeu facultatum; & appellantur earum partes potentia-

Digitized by Google

tiales. Hæ vero virtutes omnes, ſive principes, ſive adiunctæ, talem habent inter ſe connexionem, ut nulla prorſus abſque ceterarum comitatu in ſtatu perfecto acquiri poſſit. Virtus enim perfecta eſt conſtans ac firmus ordinis amor, quo quis id quod rectum eſt & rationi conſentaneum, in quavis materia proſequitur: ideoque virtutes omnes includit, ſive potius una eſt eadem virtus, quæ ut perfecta ſit, perpetuam exigit voluntatem, id ſemper in omni materia proſequendi quod iuſtum eſt rectumque.

Virtutes item, cuiuſcumque ſint generis, aliæ ſunt acquiſitæ quæ ſtudio & actibus repetitis comparantur; aliæ infuſæ, quibus in inſtanti iuſtificationis cum gratia ſanctificante animæ potentiæ perfunduntur.

§. II.

De prudentia.

Prudentiæ nomen uſurpatur primo late, ideſt pro vera & omni cognitione quæ aliquo modo dirigit voluntatem noſtram ad bonum honeſtum: & in tali ſenſu fides theologica & habitus intelligentiæ prudentia dicitur. Secundo, ſtricte pro notitia veri quæ voluntatem dirigit ut in his aut illis circumſtantiis operetur: & in hoc ſenſu dicitur & eſt virtus moralis cardinalis. Hæc autem prudentia definitur, ut ſit virtus qua cognoſcimus & edocemur quid in quovis negotiorum genere ſeu in quavis particulari actione agendum ſit tamquam honeſtum, & fugiendum tamquam turpe, in ordine ad ultimum finem conſequendum. Hic enim agitur de perfecta prudentiaquæ, propoſito vero & ultimo fine totius vitæ humanæ, nempe gloria Dei ipſiuſque poſſeſſione, media quæ apta ſunt ad hunc finem aſſequendum, præſcribit. ut monet D. Paulus Epheſ. cap. v. *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.* Porro prudentia virtus eſt moralis tum obiective, prout verſatur circa eamdem materiam, ſtatuendo & præſcribendo quid virtus moralis proſequi, quid fugere debeat; tum etiam directive, quatenus dirigit voluntatem noſtram ad eliciendos actus ſemper honeſtos, & turpes fugiendos. Differt tamen a virtutibus moralibus: quia cum ſit notitia, non reſidet in voluntate, ſed in intellectu tamquam in proprio ſubiecto. Unde dicitur intellectualis morum directrix, doctrix, & magiſtra. Prudentiæ definitio.

Dicitur prudentia *morum directrix, doctrix, ac magiſtra*. Ex quo facile colligitur, quod duæ ſunt prudentiæ proprietates, ideſt neceſſitas ipſius, & influxus in alias omnes virtutes. Nam in ordine amoris ex S. Auguſtino omnis virtus conſiſtit. Cum autem hic ordo haberi nequeat, niſi voluntas amans eligat media apta ad finem honeſtum conſequendum; neceſſario in omni virtute requiritur prudentia, cuius eſt (utpote quæ virtus eſt intellectualis) de mediis deliberare, ac expendere an hic & nunc, ideſt in iſtis vel illis circumſtantiis ſint convenientia: quod fieri debet, priuſquam quodvis medium eligatur. Quare evidenter conſtat, prudentiam in omnes influere virtutes: ideſt inquirendo circumſtantias quæ neceſſariæ ſunt ut opus bene fiat; iudicando quænam media pro loco & tempore adhibenda ſint; recte imperando ſeu movendo voluntatem ad operis executionem.

Prudentia dividitur in perſonalem, quæ bonum operantis, & in gubernatricem, quæ bonum communiter attendit. Gubernatrix vero dividitur in monaſticam, quæ in bonum privatum intendit; in œconomicam, qua quis recte familiam regit; in politicam, qua curatur ut in Republica leges ſerventur; in legiſlatricem, qua leges iuſte conduntur; & in militarem, qua recte militia adminiſtratur. Hæ ſunt partes ſubiectivæ ſeu ſpecies prudentiæ. Prudentia perſonalis & gubernatrix dividitur in naturalem, quæ hominem ad naturalem finem; & in ſupernaturalem, quæ ipſum ad finem ſupernaturalem dirigit. Prudentia tandem naturalis & ſupernaturalis alia eſt completa, quæ nimirum ad id omne quod eſt agendum, ſe extendit; alia incompleta, quæ reſpicit aliqua tantum negotiorum genera. Illius diviſio.

Actus ſeu officia prudentiæ ſunt primo, recte conſulere, ſeu rectum conſilium de rebus agendis inire, quærere, accipere, vel dare: ſecundo, recte de iiſdem iudicare, ſive ſecundum regulas communes, ſive ſecundum altiora principia, ubi illas regulas deficere contingat: tertio, recte executionem præcipere; & hic quidem poſtremus actus prudentiæ moralium virtutum reginæ proprius eſt. Officia igitur ſeu actus proprii prudentiæ ſunt, conſulere, iudicare, præcipere: alii vero actus ad virtutes prudentiæ adnexas & affixas ſpectant. Optimi conſilii in omnibus operibus noſtris, maximeque in rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus neceſſitatem docet Spiritus Sanctus Prov. cap. XII. *Via ſtulti recta in oculis eius; qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Illis vero ſolummodo conſiliis Officia.

filiis confidendum eſt quæ iuſtitia & prudentia nituntur. *Quis enim ei ſe committat quem non putet plus ſapere, quam ipſe ſapiat qui quærit conſilium? . . . . . Huiuſmodi igitur viro ſalutem noſtram & exiſtimationem committimus, qui ſit iuſtus & prudens. Facit enim iuſtitia ut nullus ſit fraudis metus; facit etiam prudentia ut nulla ſit erroris ſuſpicio.* Sic S. Ambroſius lib. II. de offic. cap. VIII. *Morum probitate, & integritate florere illum neceſſe eſt a quo conſilium quæris. Quomodo enim eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus?* Sic ſequitur laudatus Sanctus Pater *loc. cit. cap.* XII. *&* XIV.

Partes integrantes. Partes prudentiæ integrantes, ſine quibus videlicet perfectus iſtius virtutis actus eſſe non poteſt, ſunt memoria intelligentia, providentia, ſolertia, docilitas, ratio, circumſpectio, cautio, ſollicitudo.

Memoria ea eſt qua repetit animus illa quæ olim geſta ſunt vel evenerunt. Unde hic memoria non ſumitur pro facultate naturali: ſed pro ſtudioſa recordatione præteritorum eventuum & negotiorum, quibus mediis acta ſunt, quos exitus habuerint. Experimento enim plurimum iuvatur prudentia, & ex præteritis argumentum ſumit quo in ſimilibus negotiis rerumque circumſtantiis ex fauſto exitu quem habuerunt, iudicat eodem modo nunc quoque agendum; vel alio modo in iis quorum exitus ex hominum imprudentia vel mediorum defectu infauſtus accidit.

Intelligentia eſt qua homo inſpicit ea quæ ſunt: ſeu accurata ſolerſque conſideratio, qua intelligitur quid in unaquaque actione atque in totius vitæ ratione Deo acceptum ſit, ac proinde honeſtum, decens, atque utile; & econtra quid Deo diſpliceat, & ideo inhoneſtum, dedecens, atque damnoſum ſit. Hinc dicitur Eccl. cap. I. *Intellectus prudentiæ:* & Sap. cap. VII. *Spiritus intelligentiæ*. Intelligentia quoque perſpicit vir prudens, quæ ſint aliorum conſilia. Quamvis enim adeo profundæ ſint hominis cogitationes, ut nemo eas noverit, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt; eas tamen, quantum poteſt, coniecturis rimatur, obſervat, expiſcatur: *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri: ſed homo ſapiens exhauriet illud*. Proverb. cap. XX.

Providentia eſt qua aliquid futurum videtur prius quam factum ſit; & media apta ad finem conſequendum aſſumuntur. De hac ſcriptum eſt: *Gens ſine conſilio & ſine prudentia: utinam ſaperent & intelligerent, & noviſſima providerent*. Pſalm. XXXII.

Solertia facilis eſt & prompta coniectio, qua dum aliquid ex improviſo occurrit, celeriter a viro perſpicace & prudente invenitur id quod congruit & expedit.

Docilitas eſt ea qua quis paratum & promtum ſe exhibet ad aliorum conſilia & monita de rebus agendis ſuſcipienda. Huc ſpectat illud: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Proverb. cap. III.

Ratio ſive recta ratiocinatio eſt, qua ex aliis prius cognitis colligitur quid agendum ſit. Ad hanc pertinet illud: *Cor prudens poſſidebit ſcientiam*. Proverb. cap. XVIII.

Circumſpectio eſt accurata circumſtantiarum conſideratio, ut noſcatur quid bonum ſit & conveniens, habita ratione negotiorum, perſonarum, loci, & temporis. Quædam enim ſecundum ſe ſpectata bona ſunt, quæ tamen ex rerum circumſtantium concurſu, vel mala redduntur, vel certe fini nullatenus opportuna.

Cautio eſt malorum & impedimentorum extrinſecorum quæ conſecutioni finis obiiciuntur & adverſantur, conſideratio, ut ea vitentur, vel removeantur. Cum enim bona plerumque impediantur a malis, & mala ſæpe boni ſpeciem habeant; neceſſaria prudentiæ cautio eſt, ut & bona ſeligantur, & mala vitentur.

Sollicitudo eſt quædam ſolertis animi vigilantia ac celeritas ad ea proſequenda quæ agenda ſunt, ſive ad urgendam & promovendam optimorum præceptorum & conſiliorum executionem. Hinc S. Auguſtinus *lib. de morib. Eccl. cap.* XXIV. de prudentia loquens: *Huius autem*, inquit, *ſunt excubiæ & diligentiſſima vigilantia, ne ſubrepente mala ſuaſione fallamur: unde ſæpe Dominus*, Vigilate, *clamat, &* Ambulate, *dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant*.

Dicendum igitur eſt, obiectum materiale prudentiæ eſſe actionem humanam ſingularem: quia de eis iudicat, antequam fiant, an honeſtæ ſint vel turpes; ac ideo movet & inclinat liberum arbitrium ad earum electionem & executionem. Obiectum vero formale huiuſce virtutis eſt conformitas illius actionis cum veritate practica, quæ reſpicit res hic & nunc agendas: quia cum prudentia ſit iudicium; procedit ab intellectu, ad quem ſpectat ſolummodo veritatem attingere. Verum autem circa quod verſatur prudentia, non eſt ſpeculativum; cum hoc ſit proprium ſapientiæ vel ſcientiæ: nec verum practicum in communi; cum hoc at- Obiectum.

tin-

Digitized by Google

tingat intellectus, quando occupatur circa principia moralis diſciplinæ, quæ cognitio ſynderesis vocatur. Eſt igitur verum ſingulare practicum, quod idem eſt ac conformitas ſingularis actionis cum veritate practica. Nihil autem repugnat prudentiæ, ut eſt virtus moralis, habere pro obiecto verum: cum commune virtutum moralium ſit bonum, non autem verum. Nam hoc verum eſt de omnibus aliis virtutibus moralibus; quia illæ morales ſunt elicitive: non vero de prudentia, quæ moralis eſt directive; eo quia eius eſt iudicare de mediis aptis hic & nunc ad finis conſecutionem. Prudentia enim reſpicit bonum & malum, non præciſe ut bonum vel malum, ſed prout verum bonum eſt & malum, ideoque ſine boni amore ac mali horrore.

§. III.

De vitiis prudentiæ oppoſitis.

Vitia & peccata ſpecialiter prudentiæ oppoſita alia ſunt per defectum, & quæ ſæpe oriuntur ex ignorantia; ac proinde dici poſſunt carentia prudentiæ. Sunt autem primo præcipitatio & inconſideratio. Prior eſt perverſitas conſilii, qua homo ex impetu voluntatis aut pravo affectu animi, prætermiſſis prudentiæ gradibus, in ruinam præceps labitur, iuxta illud Proverb. cap. IV. *Via impiorum tenebroſa: neſciunt ubi corruant.* Poſtrema vero eſt iudicii depravatio, quatenus homo contemnit vel negligit attendere ad ea ex quibus rectum iudicium procedit. Et hæc adverſatur divino oraculo Proverb. cap. IV. ubi ſic admonemur: *Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Hæc duo vitia ſunt eiuſdem ſpeciei & gravitatis, cuiuſmodi ſunt ea quibus homo ſe exponit, præcipitanter & inconſiderate iudicando & agendo: nam eodem præcepto prohibentur. Secundo animi, inconſtantia, ideſt ſententiæ ſeu iudicii ſine iuſta cauſſa mutatio. Et hæc eſt mortalis, quando quis ex voto, vel caritate, vel lege alia tenetur in iudicio ſeu ſententia perſeverare. Tertio, negligentia, ideſt diligentiæ omiſſio in rei conſtitutæ executione urgenda. Et hæc eſt mortalis, prout quis graviter vel leviter tenetur ad id quod negligit, aut graviter vel leviter peccandi periculum incurrit.

Alia ſunt per exceſſum. Primo, prudentia carnis, quæ in explendis depravatæ naturæ deſideriis ſtudioſius occupatur. Hoc mortale eſt in re gravi, ut Rom. cap. VIII. *Prudentia carnis non eſt.* Secundo, affectata ſollicitudo quærendi temporalia, vel hæc conſervandi, contra Evangelii præceptum Matth. cap. VI. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis.* Mortalis eſt, quando ex tali ſollicitudine violatur aliqua gravis obligatio, vel ea res creata ultimo fini præponitur, ut ille facit qui ex illius amore vel peccat, vel paratus eſt peccare potius quam re illa privari. Tertio, aſtutia, quæ eſt excogitatio mediorum ſeu pravarum rationum ad finem obtinendum, & maxime ad alios decipiendos conducentium. Hæc autem eſt vel venialis vel mortalis ſecundum rationem affectus cui ſubeſt, vel damni quod obvenit proximo, & pravitatis medii. Ad hanc reducuntur dolus & fraus: quæ in eo inter ſe differunt, quod dolus eſt executio aſtutiæ verbis vel factis; fraus autem ſolis factis præſertim. Dolus tamen & fraus ſæpe promiſcue uſurpantur.

CAPUT II.

De fortitudine.

§. I.

De natura fortitudinis, virtutibus ipſi adnexis, & vitiis oppoſitis.

Fortitudo ex Ariſtotele *lib. III. Ethic. cap. IX.* eſt mediocritas audaciam inter & timorem conſtituta. Etenim fortitudinis virtus eſt moderare animum ſecundum rectam rationem & legem divinam, in ordine ad pericula firmiter ſuſcipienda, & labores conſtanter tolerandos: ita ut nec pravo timore nec temeritate quidquam agat aut omittat contra rectam rationem & divinam legem. Unde fortitudo moderatur timorem, audaciam, ac triſtitiam in gravibus malis & periculis: præſertim quia fortitudo impedit ne periculorum timor mentem perturbet, aut voluntatem ad aliquid indecorum determinet; & compeſcit audaciam, ac efficit ne quis plus tentet quam recta ſuadet ratio. Ex quibus clare colligitur, fortitudinem locum non habere ubi nullum adſit periculum: dum verſatur circa ſpecialem difficultatem vincendam. Hinc fortitudo definitur, ut ſit virtus moralis inclinans voluntatem ad adeunda pericula & ardua, ac ad perferendos labores & gravia mala, ſecundum rectam rationem & divinam voluntatem: ideſt quando ratio & divina voluntas ita exigunt, ut ad Corinth. cap. XVI. *State in fide, viriliter agite, & confortamini.*

Fortitudo quid ſit.

Digitized by Google

Obiectum materiale fortitudinis ſunt pericula & labores ; cum circa hæc tota verſetur difficultas: formale vero eſt difficultas ſuperandi pericula & labores tolerandi. Specialiter enim fortitudo attingit difficultates in adeundis periculis & laboribus tolerandis.

Subiectum immediatum fortitudinis eſt voluntas , prout eſt appetitns ſenſitivus iraſcibilis. Virtus enim fortitudinis reſidet in anima, quatenus conſideratur idem cum appetitu ſenſitivo iraſcibili. Ita ſentiunt Philoſophi , qui animam ab iis potentiis non diſtinguunt.

Eius diviſio. Fortitudo alia eſt domeſtica, alia bellica. Domeſtica eſt qua firmitatem animi in adverſis retinemus, quibus frangi animi ſolent & a virtutis officio abduci , qualia ſunt v. g. amiſſio patrimonii aut honoris imminutio ; necnon adverſus vitæ ipſius pericula pro iuſtitia ſuſcepta. Bellica eſt quæ adverſus hoſtes præliando declaratur ; ſive prælium illud corporale ſit, ſive ſpirituale. Hac excelluerunt Abraham , Moyſes , Caleb , Gedeon, Barac , Samſon , Iephte , David , Machabæi , ceterique Heroes ſancti, qui *per fidem vicerunt regna , fortes , facti ſunt in bello , caſtra verterunt exterorum*, ut loquitur Apoſtolus *Hebr. cap.* XI.

Fortitudo duos habet actus : nimirum res arduas aggredi periculaque adire , quando hoc conveniat ; & ſuſtinere res adverſas , atque in periculis firmum & invictum ſiſtere. Nam primo exigit recta ratio ut qui bonum impugnant , arceantur : quod fieri nequit niſi per aggreſſionem quæ fortis ſit ac prudens. Secundo , neceſſe eſt ut ſuſtineantur adverſa quæ ſæpius aggravant homines virtutibus ornatos : idcirco opus eſt illis actu tolerantiæ . Fortitudo magis elucet in perferendo quam in aggrediendo : difficilius eſt enim reprimere timorem quam audaciam moderari ; difficilius eſt cum fortiore pugnare quam debiliorem aggredi ; difficilius præſenti malo non moveri quam futuro ; difficilius diu immobilem manere quam ſubito motu ad aliquod arduum moveri. Quocirca martyrium, de quo infra occurret ſermo , eſt actus hæroicæ fortudinis , qua fit ut Chriſtianus fidem & iuſtitiam non deſerat, ob pericula mortis imminentia, immo præſentia , ſtetque firmus & conſtans in bello Domini.

Vitia ipſi oppoſita. Contra fortitudinem peccare poſſumus per exceſſum & defectum timoris & audendi. Idcirco quatuor ei opponuntur vitia. Primo , timiditas ſeu inordinatus timor , cum timetur, quod, vel quando non oportet, vel pluſquam oportet. Secundo , ſtupiditas animi , quæ eſt defectus timoris rationabilis; ut quando quis non formidat nec cavet mala ſeu pericula, quæ , vel quando , vel quantum formidare & cavere oportet. Tertio , audacia ſeu temeritas , quæ eſt exceſſus in audendo vel aggrediendo, quando, ubi , & quomodo non oportet. Quarto , ignavia , quæ eſt defectus in audendo , nempe cum quis non aggreditur vel non ſuſtinet , quæ , quando, & ſicuti recta ratio præſcribit.

Et virtutes adnexæ. Quinque ſunt virtutes adnexæ fortitudini, & ſunt partes ipſius intecrantes; & poſſunt etiam appellari potentiales : totque ſunt etiam vitia hiſce oppoſita.

Primo , magnanimitas quæ ſe tenet ex parte aggreſſoris , eſt virtus inclinans ad rerum caducarum contemptum, & ad actiones magnas & heroicas in quolibet virtutum genere perpetrandas. Licet autem verſetur circa opera ardua aliarum virtutum ; eſt tamen ſpecialis virtus : quia inclinat ad magna & ardua aliarum virtutum ex motivo ſibi proprio; nempe quia ſunt magna & ardua , ideſt convenientia magno & generoſo animo, ſumma prædito excellentia ac perfectione, ad Dei amicitiam , filiationem , ſempiternamque felicitatem deſignato , inſignibuſque gratiæ adminiculis exornato & ſtructo.

Magnanimitati opponitur per exceſſum præſumptio , ambitio , ac vanagloria . Per defectum vero puſillanimitas , quæ eſt vitium quo quis ex animi parvitate nimiaque abiectione recuſat tendere in id quod eſt ſuæ potentiæ proportionatum ; detrectatque officium vel res magnas quibus gerendis cum auxilio Dei aptus eſt ; ſuamque auctoritatem , dignitatem , & privilegia negligit , cum id neceſſarium eſt ad Dei honorem aut aliorum utilitatem. Hoc eſt peccatum mortale vel veniale, prout ſub mortali vel veniali tenetur amplecti quod recuſat , vel tueri quod negligit.

Secundo , magnificentia , quæ eſt virtus qua inclinamur ad magna opera externa magnis ſumptibus complenda, quando recta ratio præſcribit, & maxime ad ea quæ honorem Dei reſpiciunt. Differt a liberalitate : quod hæc habet pro obiecto ſumptus mediocres & ordinarios; illa vero maiores.

Magnificentiæ opponitur per defectum parvificentia, qua quis ex parvitate animi vel inordinato pecuniæ affectu opera quæ magnos requirunt ſumptus , aggredi non audet, quando oportet ; vel ſuſcepta relinquit ; vel deco-

Digitized by Google

decore non perficit. Talis defectus eſt mortalis, quando quis ex voto vel gravi promiſſione tenetur ad opus magnum. Per exceſſum vero opponitur profuſio, qua quis maiores ſumptus facit quam recta dictat ratio. Eſt mortalis, ſi fiat ex vana gloria: vel ſi hoc vergat in magnum proximi detrimentum; ut ſi ex hoc fiat quod debita non ſolvantur, vel eleemoſynæ omittantur.

Tertio, patientia, qua temperatur triſtitia in adverſis, & præſentia mala bono animo perpetiuntur. Hæc magna virtus eſt & maxime neceſſaria: *Patientia vobis* (ait Apoſtolus Hebr. cap. 1.) *neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem*. Patientia eſt pars fortitudinis tum potentialis, quatenus verſatur circa quælibet mala ſuſtinenda diverſa a periculo mortis; tum integralis, prout circa mortis pericula, ideoque circa mortem ipſam verſatur.

Patientiæ opponitur per exceſſum impatientia, qua quis plus iuſto de malis dolet: & hæc poteſt eſſe mortalis, ratione ſcandali vel mali quod quis ex impatientia facit vel optat; vel ratione præcepti violati. Per defectum vero opponitur inſenſibilitas ſeu animæ durities; cum quis ob animi ſtupiditatem nec propriis nec alienis malis movetur.

Notandum hic eſt cum D. Thoma, longanimitatem idem eſſe quod patientia. Longanimitas enim ea dicitur per quam quis habet animum tendendi in quidpiam quod ſperat poſt longum tempus obtinere. Quare patet, hanc verſari circa bonum; patientiam vero circa malum. At quia dilatio boni ſolet cauſſare triſtitiam, quæ eſt obiectum patientiæ; idcirco patientia & longanimitas magnam inter ſe habent affinitatem. Sicuti enim patientia moderatur triſtitiam ex malorum perpeſſione ortam: ita longanimitas moderatur triſtitiam ex dilatione boni ſperati; & facit vel ut non oriatur, vel exorta æquo animo perferatur. His eſt affinis conſtantia, qua quiſquam conſtanter fert laborem in continuata boni executione. Unde propter haſce affinitates longanimitas & conſtantia ſub patientia comprehenduntur.

Quarto, perſeverantia ſeu conſtantia, quæ eſt habitus inclinans & firmans animum ad perſiſtendum conſtanter in opere bono, non obſtante moleſtia ac difficultate quantumvis diuturna, quamdiu recta ratio dictat. Nam requiritur ut vir fortis ex ſua conſtantia diuturniore difficilium paſſione victus non excidat: quod haberi nequit niſi per perſeverantiam. Hæc enim habet pro ſuo obiecto formali ipſam boni operis peragendi diuturnitatem, & timorem defatigationis, quem moderatur: licet pro materiali reſpicere queat cuiuslibet virtutis actus, in qua aligat permanere. Cum vero ſint quædam virtutes quarum actus perdurare debent uſque ad finem vitæ, ut ſunt theologicæ, & præcipue caritas: idcirco quando Theologi loquuntur ſimpliciter de actuali perſeverantia, intelligunt perſeverantiam in caritate uſque ad finem huiuſce mortalis vitæ. Et huc præcipue tendit illud Matth. cap. x. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Nam ſalus noſtra præcipue ac principaliter pendet ex dilectione, a qua omnes etiam aliæ virtutes perfectionem ac meritum percipiunt, ut habetur Rom. cap. XIII. *Plenitudo legis eſt dilectio*.

Perſeverantiæ opponitur per exceſſum pertinacia, qua quis quod ſentit ac propoſuit, retinet, quando ſecundum rectam rationem non oportet, aut pluſquam oportet. Per defectum vero opponitur inconſtantia in agendo, qua quis ſine iuſta cauſſa deſiſtit ab hoc quod prudenter propoſuit. Utraque mortalis vel venialis eſt, ſecundum quod gravis eſt vel levis obligatio quæ violatur. Eſt autem ſemper veniale mutare ſine iuſta cauſſa bonum propoſitum, vel ab eo bene incepto deſiſtere in re non præcepta: quia eſt contra rectam rationem leviter & ſine rationabili cauſſa bonum propoſitum mutare, vel ab incepto bono recedere. Silvius, Iuvenin, aliique.

Notandum hic reſtat, quod gravius per ſe loquendo ſit peccatum recedere ab aliqua virtute per defectum quam per exceſſum: quia peccata per defectum ſunt contra id ad quod primario & principaliter virtus inclinat. Spes enim v. g. primario inclinat ad ſperandum in Deum; ſecundario vero ne quis nimium in ſe confidat. Unde gravius peccatum eſt ſuperbia quam nimia abiectio, gravius deſperatio quam præſumptio.

Suicidium, quæcumque interveniat cauſſa, nullatenus recenſeri poteſt inter actus fortitudinis. Etenim, ut omnes Philoſophi & Theologi Morales conveniunt contra Stoicos, non eſt viri fortis ſe ipſum occidere; ſed dementis & ignavi non poſſe patienter tolerare ſive iacturam inanis gloriæ aut fortunæ, ſive aliquod aliud incommodum.

Eadem ratio locum habet in duello ſeu in ſingulari certamine, quod privata quis aggreditur auctoritate ut leviſſima aliquando iniuria eluatur. Valde enim miranda eſt talis animi impotentia, ut quis vitam & famam propter rem longe minoris momenti in apertum inducat diſcrimen.

§. II.

De martyrio.

Martyrium eſt fortitudinis actus. Cum inter graviora ac terribiliora unde maximæ ſummæque difficultati contingat hominem ſubiici, cenſeri poſſit martyrium quo prompto, firmo, ac ſtabili animo ſuſtinere debet acerbiſſima tormenta, ipſamque etiam mortem: iure & merito hoc agnoſcunt doctores actum eſſe excellentiſſimum a fortitudinis virtute procedentem. Etenim ad hanc ſpectat moderari ac impavidum reddere animum noſtrum, ut alacriter & ſtrenue ardua aggrediatur, labores ac adverſas res ſuſtineat, graviaque perferat mala. Hinc licet aliæ etiam ad martyrium virtutes concurrant, præcipue fides pro cuius veritate in tali actione decertatur, & caritas quæ eam imperat ac merito exornat; principaliter tamen & proxime ad virtutem fortitudinis pertinet: eo quia ab ipſa proxime elicitur, ſeu per ipſam homo ad huiuſcemodi opus immediate movetur. Nam cum in tali actione ſingularis difficultas occurrat, ideſt firmiter ſtare contra pericula; nonniſi a fortitudinis virtute, cuius proprium eſt moderari timorem & ad magna opera per magnanimitatem inclinare, animus firmari poteſt atque roborari, ut imperterritus & conſtans tam gravia mala ſuſtineat. Martyrium igitur eſt voluntaria tolerantia cruciatuum ex odio fidei vel alterius Chriſtianæ virtutis inflictorum.

Requiſita ad martyrium. Ad verum martyrium tamquam excellentiſſimum actum virtutis fortitudinis requiritur in adultis ex parte intellectus vera fides, & ex parte voluntatis pia volitio tolerandi mortem pro fide Chriſti vel alterius ſupernaturalis virtutis defenſione. Ita communiter doctores.

Dicitur I. *requiritur in adultis*. Cum enim infantes quibus non eſt liber rationis uſus, actum aliquem moralem ſeu virtuoſum elicere nequeant; ſine ullo propriæ voluntatis actu ipſi ſubeunt martyrium, quando in odium fidei occiduntur: ut contigit in SS. Innocentibus, qui ab iniquo Rege Herode propter Chriſtum interfecti ut Martyres ab Eccleſia venerantur. Nam quamvis nullum virtutis actum elicere poſſint quo martyrio in obſequium fidei ſe ſubiiciant; tamen propter fidem vitam amittunt: idcirco iuxta illud Chriſti Domini promiſſum *Matth. cap. x.* redivivi in cæleſti gloria eam inveniunt: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. Novam porro vitam in cælis inveniunt: quandoquidem ea eſt martyrii vis & efficacia, ut ſuppleat vices baptiſmi aquæ, ex per conſequens deleat peccatum originale quoad culpam & pœnam, & quidem ex opere operato. In martyrio enim configuratur homo ad Chriſtum per configurationem realem; ubi in baptiſmo aquæ configuratur ad Chriſti paſſionem & mortem per configurationem ſacramentalem.

Dicitur II. *requiritur ad martyrium in adultis ex parte intellectus vera fides*: cum hæc ſit radix ſanctitatis & meriti, ut Hebr. cap. xI. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Quare hæretici aliique infideles qui propter eorum ſectam mortem ſubirent, Martyres nec ſunt, nec dici poſſunt. *Martyres*, inquit S. Auguſtinus, *non facit pœna, ſed cauſſa*.

Dicitur III. *Ex parte voluntatis pia volitio tolerandi mortem pro fide Chriſti*. Nam ſicuti in adultis ad baptiſmum fluminis requiritur conſenſus ſive prævia voluntas illum acceptandi; ita ad martyrium, quod eſt baptiſmus ſanguinis, neceſſe eſt ut voluntarie mors propter Chriſtum acceptetur. Quare ſi quis dormiens ob fidem Chriſti occideretur, quando antea nihil cogitaſſet de morte ob talem finem ſubeunda, ac proinde nullatenus conſenſiſſet; non cenſendus eſſet Martyr. Ita Doctores. Talis porro habendus eſſet, ſi conſtitutus in vinculis ſtatuiſſet mori potius quam fidem negare: cum etiam ſacramentum baptiſmi ſuſciperet in ſomnis qui antea idem optaſſet.

Qui non Martyres dicantur. Ad hoc tamen ut aliquis vere Martyr ſit & dici poſſit, ſatis non eſt ſola voluntas ſeu deſiderium, licet viviſſimum martyrii (hoc eſt quidem valde gratum Deo & meritorium, & ideo in cælis hæc pia voluntas coronatur) ſed ad perfectam rationem martyrii proprie dicti requiritur ut quis mortem ſuſtineat; vel ſaltem talia ſupplicia, ut naturaliter mors ſequi debuiſſet, niſi divinitus fuiſſent in vita reſervati. Martyr enim dicitur teſtis fidei Chriſtianæ, qui pro Deo vitam ipſam contemnit & ponit, ſicuti fides tradit faciendum, per quam nobis viſibilia pro inviſibilibus contemnenda proponuntur. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum opere oſten-

ſtendit quod omnia omnino viſibilia deſpiciat. Dicitur ad perfectam rationem martyrii: nam ad martyrium incompletum ſeu imperfectum ſatis eſt tolerare ſupplicia propter Chriſtum, licet non uſque ad mortem. Et ob hanc rationem Eccleſia aliquot ut Martyres agnoſcit ac veneratur, ut S. Ioannem Evangeliſtam qui miſſus fuit in ferventis olei dolium, S. Felicem xiv. Ianuarii, S. Silverium xx. Iunii, S. Martinum Papam xii Novembris: tametſi de iis certum ſit, mortem violentam non ſubiiſſe. Dictum pariter fuit martyrii proprie dicti: quia nomen martyrii improprie & metaphorice attribuitur ei quod aliquam habet ſimilitudinem, non proprietatem martyrii. Sic B. Virgo Martyr vocatur.

Milites qui in bello pro veræ fidei defenſione pugnantes contra infideles interficiuntur, ſi ſint in gratia, & intentionem ſuam ad ſolam cauſſam fidei referant vel ad alium finem ſupernaturalem, nullatenus vero ob aliud motivum, puta honoris, lucri, vel boni politici Reipublicæ, exercent quidem actum valde meritorium: at licet iſta intentione occidantur, proprie non ſunt Martyres. Nam milites actu pugnantes non voluntate, ſed neceſſitate mortem ſuſtinent: & hanc hoſtibus inferrent, niſi vincerentur. Præterquam quod non præſeferunt manſuetudinem Chriſti, cuius paſſio eſt exemplum veri martyrii: quippe *cum pateretur, non comminabatur*. I. Petr. cap. II. Ita Reifenſtuel cum aliis.

Qui moriuntur occaſione piæ cauſſæ, puta vitam pro amore Dei exponentes inſerviendo peſte laborantibus, proprie non ſunt Martyres: eo quod mors illis non inferatur in odium fidei vel alicuius ſupernaturalis Chriſtianæ virtutis. Nam martyrium eſt externum teſtimonium quod Chriſto & doctrinæ eius redditur, & quod pro ea mors voluntarie oppetatur: quod non fit, niſi adſit qui tantum malum nobis inferat, ut Chriſtum vel eius doctrinam a nobis tollat.

Dicitur IV. *pro defenſione alicuius virtutis ſupernaturalis*. Etenim non ſolum inter Martyres habentur qui violenter intereunt ob fidei confeſſionem, ſed etiam pro aliarum virtutum defenſione: ut Matth. cap. v. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. Nam Martyres vocantur qui paſſionibus & morte teſtimonium perhibent veritati, ad ſalutem ſpiritualem per Chriſtum pertinenti. Quicumque igitur vel pro quovis opere bono faciendo, vel pro quovis peccato fugiendo mortem ſuſtinet; hic teſtimonium perhibet veritati ad ſpiritualem ſalutem ſpectanti, & fidem Chriſti profitetur ac proteſtatur factis ſaltem, ſi non verbis, ideſt ſi non formaliter, ſaltem virtualiter: & utraque eſt vera proteſtatio; ideoque eſt vere Martyr. Tunc enim proteſtatur reipſa præcipuum Chriſtianæ fidei articulum, nempe Deum eſſe ſummum bonum ac cuicumque bono creato præferendum. Unde multos colit Eccleſia Martyres qui occiſi ſuere non directe propter fidem, ſed vel propter reprehenſam iniquitatem, vel virtutem aliquam defenſam. Sic S. Ioannes Baptiſta mortem oppetiit ab iniquo Herode; quia hunc de ſuo inceſtuoſo reprehenderat adulterio: multæ ſanctæ Virgines ob virginitatis defenſionem: S. Theodardus, pro defenſione bonorum Eccleſiæ: S. Thomas Cantuarienſis, pro tuenda Eccleſiæ immunitate. Silvius. Nec qui ob huiuſmodi rationes mortem pateretur, amitteret decorem & nomen Martyris, eo quod tyrannus fingat alios falſos prætextus pro morte ipſi illata. Nam Chriſtus vere Martyr fuit, immo caput Martyrum: licet Iudæi fingerent velle ipſius mortem, quia Moſaicæ legis eſſet violator. Et non raro in primitiva Eccleſia ſic occidebantur Martyres, non reipſa in odium fidei, ſed ſub aliquo prætextu perverſionis Reipublicæ, & ſimilia quæ falſo ipſis imponebantur.

Ad hoc tamen ut martyrium proficiat ad ſalutem, requiritur etiam ſtatus gratiæ, vel ſaltem ad hanc diſpoſitio, ut I. ad Corinth. cap. xiii. *Et ſi tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Hinc excluduntur a gradu ac veritate Martyris præcipue hæretici, ſchiſmatici, aut alii peccatis gravibus affectu inhærentes. Diſpoſitio vero ad martyrium pro peccatoribus non ſolum eſt perfecta contritio, ſed etiam attritio, ut docet Angelicus *Part. III. quæſt.* lxxxvii. *art.* 1. ubi hæc habet: *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim baptiſmi*.

CAPUT III.

De virtute temperantiæ.

§. UNICUS.

De ratione temperantiæ, virtutibus ei adnexis, & vitiis oppoſitis.

TEmperantia, ſi late ſumatur, ideſt pro ea animi moderatione quæ ad omnes vitæ partes pertinet, eſt virtus cuius eſt moderari & frenare ſecundum rectam rationem & divinam legem humanos affectus, qui animum hominis alliciunt ad ea quæ ſunt contra rationem ac divinam legem, ut ex S. Auguſtino *lib. III. quæſt.* XXXI. In tali vero ſenſu non eſt ſpecialis virtus; cum quælibet alia virtus moralis in propria materia idem præſtet. Verum ſi temperantia ſtricte accipiatur, tunc eſt ſpecialis virtus quæ occupatur in moderatione alicuius particularis & valde difficilis materiæ. Et in hoc ſenſu definitur virtus quæ ſecundum præſcriptum rationis & divinæ legis moderatur affectum rerumque uſum quæ ſenſuum delectationem pariunt. Dicitur *ſecundum præſcriptum rationis*: quia temperantia retrahit quidem a delectationibus ad quas natura inclinat, ut ſolum natura eſt, & ut non ſubiicitur rationi; non vero a delectationibus ad quas natura humana ſecundum dictamen rationis inclinat: nam temperantiæ eſt moderari, non vero tollere omnem uſum delectabilium. Unde peccaret contra rationem qui uti nollet cibo & potu, & coniugatus qui debitum reddere recuſaret. Verum cum cibus, potus, & venerea ſint præcipue res quæ ſenſuum, maxime guſtus & tactus, delectationes pariunt, & haſce ita vehementer, ut difficillime animus moderate in his ſe gerat: hinc cum quatuor diverſas obiectorum ſpecies attingat temperantia, quatuor idcirco ſunt partes ſubiectivæ ſeu ſpecies huiuſce virtutis. Videlicet abſtinentia, quæ cohibet delectationes quas ex alimentis percipimus; ſobrietas, quæ temperat delectationes quæ proveniunt ex potu; caſtitas, quæ actum coniugalem; & pudicitia, quæ actiones quæ ad illum ordinantur, tactus ſcilicet & oſcula, moderatur. Quare obiectum materiale temperantiæ ſunt omnes delectationes corporeæ quæ præcipue ex cibo, potu, venereiſque guſtu & tactu percipiuntur: formale vero earumdem delectationum honeſtus uſus. Dixi *guſtu & tactu*: nam oblectationes quæ aliis ſenſibus percipiuntur (ut viſu ex coloribus & ex pulchritudine alicuius artefacti, puta picturæ; auditu ex muſica; olfactu ex odoribus) ſecundario tantum, non primario iuxta Ariſtotelem & D. Thomam ad temperantiam referri videntur.

Definitio temperantiæ.

Virtutes ipſi ſubiectæ.

Abſtinentia igitur eſt virtus quæ moderatur ſecundum rectam rationem divinamque legem appetitum uſumque ciborum qui delectant, & etiam potionis quæ non inebriat.

Sobrietas virtus eſt quæ ſecundum rectam rationem & divinam legem moderatur affectum & uſum potionis quæ vim habet inebriandi. Cibus autem, potus, ac ſomnus accipere debent ſuam regulam ac menſuram ex fine proximo ad quem iſta per ſe ordinata ſunt; ut ſunt bona corporis valetudo & apta mentis diſpoſitio ad munia ſua implenda: ita ut tanta quantitas ſumenda ſit, quantum ad illa ſecundum proprium ſtatum & conditionem neceſſe & ſatis ſit. Hic tamen notandum eſt, quod quamvis maior quantitas ſit illicita; minorem tamen ſumere, ſi fiat ob iuſtam & graviorem cauſſam quam ſit robuſta corporis valetudo, puta ob carnis mortificationem vel ſatisfactionem pro peccatis, eſt laudabile: licet corporis valetudo aliquantulum patiatur; dummodo tamen hæc nimis non frangatur, nec mens incapax ad ſuas functiones reddatur, ita ut homo ſemper valeat ea præſtare ad quæ tenetur. Ea quippe corporis valetudo bona eſt quæ optime mentis & animæ ſaluti ſervit. Huiuſcemodi autem abſtinentia, quæ maior eſt quam temperantiæ exigit ratio, actus erit alterius virtutis, caſtitatis v. g. aut pœnitentiæ, ex cuius amore talis abſtinentia exercetur.

Caſtitas eſt virtus quæ iuxta honeſtam rationem & divinam legem refrenat ac moderatur inordinatum appetitum uſumque venereorum ac venereæ oblectationis, ut hortatur Apoſtolus II. ad Corinth. cap. VII. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.*

Pudicitia tandem eſt virtus cohibens oſcula illicita, tactus impudicos, laſcivos ac venereos aſpectus. Dicitur enim pudicitia, quatenus pudori qui in illorum uſu intervenire ſolet, conformis exiſtit. Sed cum una eademque virtus cenſeatur circa prævia & circa principale; hinc commode pudicitia reducitur ad caſtitatem. Et hoc dicendum etiam de continentia, quæ virtus eſt motus cohibens carnalis concupiſcentiæ contra

rectam

Digitized by Google

rectam rationem inſurgentes. Immo in re hæc eſt ipſa caſtitas.

Caſtitatis ſtatus triplex eſt: virginalis, coniugalis, & vidualis. Caſtitas virginalis eſt donum Dei quo quis animæ & corporis integritatem Deo conſecravit: ideſt voluntas conſtans & efficax abſtinendi tota vita ab omni prorſus venerea delectatione. Virginalis caſtitas non amittitur per quodlibet experimentum venereæ voluptatis. Etenim fieri poteſt ut virgo ſit quæ voluptatem veneream paſſa ſit, ſive dormiendo, ſive per tyrannicam violentiam, ut D. Auguſtinus *lib. I. de Civit. Dei cap.* xxv. At iuxta eumdem Sanctum Doctorem, ſervata etiam corporis integritate, deperditur ab eo qui etiam ſemel venereæ voluptati conſentit. Coniugalis eſt donum Dei quo venereorum uſus intra fines coniugii cohibentur: ſeu voluntas ſtabilis & efficax abſtinendi ab omni venerea oblectatione cum non coniuge, & cum coniuge nonniſi ſecundum normam rectæ rationis. Libido quæ in illo uſu reperitur, mala eſt: unde illius voluntarium experimentum illicitum eſt, niſi recto fine honeſtetur, ideſt generationis filiorum & debiti redditionis. Coniugalis caſtitas ſuas patitur ærumnas, quas tribulationes carnis vocat Apoſtolus *I. Corinth. cap.* vii. videlicet ſuſpiciones zeli coniugalis, procreatio filiorum & nutritio, timores & mœrores, orbitates ob mortem coniugis vel filiorum, & id genus alia. Vidualis tandem donum Dei eſt quo quis reſpuit omnia venerea oblectamenta, quæ ſive licite, ſive illicite expertus ſit. Sed magis proprie hæc caſtitas intelligitur de propoſito eorum qui fuerunt in coniugio, abſtinendi in poſterum propter Deum ab omni actione & delectatione venerea in eodem coniugio percepta. Dicitur *abſtinendi in poſterum*: nam qui vult nubere, corpore viduus eſt, non animo. Verum, tametſi delectatio ſeu voluptas ex rectæ rationis & divinæ legis regula ad temperatam moderationem redacta per ſe licita ſit, non eſt tamen licitum agere propter ipſam voluptatem, eamque propter ſe appetere. Cum enim finis in moralibus non ſolum ſit prima cauſſa movens, ſed etiam præcipua regula in ordine ad moralem actionum humanarum bonitatem; hoc ipſo quod finis careat bonitate, actio quæ ad hunc ordinatur, ideſt quæ propter hunc finem ſit elicita, mala eſt. Ita D. Auguſtinus *lib. IV. contr. Iulian. cap.* iii. Finis autem ut moraliter bonus ſit, requiritur quod ſit honeſtus, ideſt proportionatus ſeu conſentaneus naturæ rationali, prout rationalis eſt. Hoc autem certe dici nequit de ſenſibili delectatione ac voluptate in ſe ſimpliciter ſumpta: utpote quæ, quatenus talis, propria eſt & porportionata naturæ ſenſibili & animali, prout ſenſitiva eſt & animalis; ideoque non ſolum brutis communis: ſed iis præterea proportionata, & ſolum conveniens homini, ſecundum quod recta ratio eam moderatur & rationali naturæ accommodat. Quare cum homo, quandocumque deliberate agit, ſemper agere debeat modo naturæ rationali, qua rationali, proportionato & conſentaneo; hinc ſemper agere tenetur propter finem honeſtum, utpote qui ſolus eſt rationalis, ac proinde qui rationali naturæ, ut tali, eſt conſentaneus: alias ſi ſcienter ac voluntarie a tali fine deflecteret, a propria conditione & excellentia deflecteret qua brutis excellit, atque cum magno ſuo dedecore ad brutorum agendi morem ſe ipſum deiiceret. Præterquam quod qui ageret propter voluptatem, inordinate ageret & contra rationem: quia ordinem a divino naturæ auctore conſtitutum ſubverteret; videlicet ſibi proponendo delectationem pro fine operationis, dum ſecundum Dei ordinationem operatio eſt finis, & delectatio ſolummodo medium ad operationem, ut hæc maiore facilitate, promptitudine ac perfectione expediatur, ut ex D. Thoma 1. 2. quæſt. iv. art. 2. ad 2. *Divinus intellectus qui eſt inſtitutor naturæ, delectationes appoſuit propter operationes*. Quocirca appeti quidem poteſt moderata delectatio ſeu voluptas tamquam medium ad operationem; non vero tamquam finis operationis: hoc enim eſt contra divinæ providentiæ inſtitutum; ac proinde inordinatum. Hinc Innocentius XI. duas ſequentes damnavit propoſitiones, ubi delectatio ſtatuitur pro fine in quo, quando obtineatur, licite ſiſti poſſit. Prima eſt ordine 8. *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum; modo non obſit valetudini: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*. Altera num. 9. *Opus coniugii ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa & defectu veniali*. Colliges igitur, quod uti quacumque re delectabili, etiam moderate ob ſolam voluptatem, ut comedere, audire muſicam, odorare flores, & ſimilia capere oblectamenta ob ſolam delectationem, per ſe loquendo non caret culpa ſaltem veniali.

Aliæ quoque virtutes ad temperantiam reducuntur, quæ propter earum cum temperan- *Virtutes adiunctæ*

tempe-rantiæ. perantia affinitatem, huic virtuti adnexæ ſunt, & eius partes potentiales appellantur: ut manſuetudo, clementia, ſtudioſitas, humilitas, modeſtia, eutrapelia, & circumſpectio.

Manſuetudo eſt virtus quæ irrationabiles iræ paſſiones temperat ſecundum rectæ rationis menſuram, ut non iraſcamur niſi quando, quantum, cui, & quomodo oportet.

Additur *ſecundum rectæ rationis menſuram*. Nam contra hanc virtutem peccare poſſumus per exceſſum peccato iræ, de quo iam ſuo loco. Per defectum autem inordinata patientia ſeu potius nimia diſſimulatione; cum nempe ex iræ defectu mala nec corriguntur, nec puniuntur: ideoque fit ut quis non iraſcatur quantum & quibus oporteat, ne iuſtitia deleratur, increpando ſcilicet, caſtigando, & vindicando vitia ac ſcandala, ubi adverſentur iuſtitiæ & caritati, ſicuti opus eſt. Mortalis eſt ex genere ſuo.

Clementia eſt multum affinis manſuetudini; cum hæc procedat ex lenitate animi, unde ſuperior inclinatur ad mitigandam & remittendam pœnam in inferiore: ſeu eſt lenitas ſuperioris contra inferiorem in pœnis conſtituendis, quantum patitur recta ratio, iuſtitia, diſciplinæ bonum, Reipublicæ ſalus, & publica ædificatio.

Clementiæ opponitur per exceſſum crudelitas, unde ex animi auſteritate exquiritur pœna ultra culpæ meritum. Ex genere ſuo mortalis eſt: quia opponitur iuſtitiæ & caritati. Per defectum vero ei adverſatur nimia lenitas, qua quis pœnam remittit ac mitigat, ubi & quando recta ratio dictat utendum eſſe ſeveritate, ad hoc ut delinquens emendetur, ac diſciplina ſervetur. Graviter vel leviter in hoc delinquitur, ad menſuram damni vel ſcandali quod ex ea advenit.

Studioſitas eſt virtus quæ temperat inordinatam ſciendi cupiditatem. Cum enim omnis homo ex naturali inſtinctu ſcire cupiat; virtus ſtudioſitatis moderatur ſecundum rectam rationem appetitum ſciendi, ipſumque ſtudium: ita ut quiſquis ea tantum ſcire velit quæ eius conditioni ac capacitati conveniunt, atque ea diligentia ſtudio incumbat qua oportet, iis rebus quibus oportet, ex fine debito, ac in circumſtantiis debitis loci & temporis. Unde ad hanc virtutem ſpectat inordinatum affectum ſciendi coercere, ſtudia moderari, ac impellere ad res neceſſarias convenientesque diligenter addiſcendas.

Studioſitati opponitur per exceſſum curioſitas quæ eſt inordinatus cognoſcendi appetitus. Talis autem inordinatio eſſe poteſt vel ex parte obiecti; & tunc eſt cupiditas ſuperflua ſciendi ſive cognoſcendi ea quæ nihil inſerviunt, ad propriam aut ad proximi utilitatem, nec ut debitum honorem Deo reddamus: vel ex parte modi; ut ſi nobis convenientia ediſcere velimus tempore incongruo, vel deſatigatione nimia & noxia corpori ac menti. Curioſitate letaliter delinquitur primo ratione obiecti vetiti, v. g. ſi legantur libri quorum lectionem Eccleſia vel alii ſuperiores prohibuere, aut ſi velis ea ſcire quæ manifeſtantur in confeſſione. Secundo, ratione medii, nempe ſi utamur aliquo graviter illicito, ut ſuperſtitioſo; vel ratione finis mortaliter mali. Tertio, ob periculum peccandi, puta ſi legantur libri qui aliqua continent contra fidem & bonos mores. Quarto, ſi ob ſtudium minus utile impediamur ab addiſcendis quæ ſcire debemus. Quinto, ratione damni, ſi ob inordinatos labores in ſtudiis graviter valetudo lædatur. Sexto, ſi ab aliquo ſcire velimus quod ſub mortali non poteſt revelare. Septimo, ratione gravis iniuriæ, puta ſi quis alterius litteras aperiat & legat, ſine conſenſu ſaltem præſumpto eius a quo vel ad quem ſcribuntur: tunc enim violatur ius quod quiſque habet, ne arcana, conſilia, & negotia litteris conſignata ſine eius conſenſu deprehendantur. Unde contra inſtitiam mortale eſt litteras alienas legere quæ ſecreta continent non levis momenti; vel quæ multum expedit celari; vel ita is a quo aut ad quem mittuntur, peroptat. Et eo vel maxime, ſi inde timeri poſſit infamia vel aliud grave malum ſecuturum. Cum autem hæc omnia ante aperitionem ignorentur; hinc aperitio litterarum alterius ut plurimum eſt letalis culpa; cum ſit proximum morale periculum lædendi ius ſecreti in re gravi. Hoc eſt etiam contra fidem publicam, cui litterarum ſigillum creditum ſupponitur.

Num vero venialiter tantum peccet, an vero mortaliter, qui ex ſola curioſitate partes litteræ quam dominus dilaceravit & in publicum proiecit, colligit ac iunctis partibus legit? diſcrepant inter ſe doctores. Stant multi pro ſolo veniali: quia littera tunc habetur pro derelicta. Alii pugnant contra pro mortali: quia dominus litteras lacerando ſignificat ſe nōn renuntiare iuri quod habet ad illarum ſecretum; nec ipſo privari poteſt per imprudentiam qua litte-

ræ

ræ partes in publicum proiecit. Hæc P. Antoine.

Peccat ſimiliter contra iuſtitiam qui ſcripta alterius legit, ipſo invito: & etiam mortaliter, ſi hoc fiat cum gravi damno, aut alter maxime optet quod ea ſint ſecreta; ideoque hoc fiat cum gravi illius iniuria ac diſplicentia. Nulla tamen eſſet iniuria nec culpa, ſi ſcripta continerent ea quæ cedunt in damnum iniuſtum communitatis vel alicuius privati; cum nemo ius habeat ad medium iniquum. Hinc publica auctoritate Principis & Magiſtratus litteræ aperiri poſſunt, quando bonum commune id exigat, cui privatum ſubiicitur. Tenentur tamen qui ſecreta legerint, de iis celare privatos. Parentes quoque filiorum, & ſuperiores Regulares ſuorum Religioſorum licite litteras aperire valent: quia ad hoc ſpectat eorum cura. Quod ſi curioſitas non lædat graviter caritatem & iuſtitiam, ſecluſo etiam periculo graviter peccandi & gravi prohibitione, per ſe eſt ſolum culpa venialis. Etenim, hiſce ſecluſis, dummodo aliam hæc curioſitas non contineat inordinationem, inducere nequit ad mortale.

Per defectum opponitur ſtudioſitati negligentia, quæ eſt voluntaria omiſſio ea addiſcendi quæ ſecundum proprium ſtatum & officium quiſque ſcire tenetur. Mortalis eſt vel venialis pro gravitate vel levitate rei quæ ſciri debet, habita ratione eius finis.

Humilitas virtus eſt quæ inordinatum appetitum propriæ excellentiæ moderatur ſecundum rectam rationem & divinam legem, ne inordinate nos extollamus, vel (ut D. Bernardus *Tract. de duodec. grad.* explicat) *humilitas eſt virtus, in qua homo veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit*. Quare humilitas inclinat ad agnoſcendam & profitendam vilitatem noſtram & ſubiectionem erga Deum actibus tum internis, tum externis, necnon ad gloriam omnem ac honorem Deo reddendum, ut bonorum omnium auctori.

Actus præcipui humilitatis ſunt, primo fateri in nobis ipſis nihil eſſe, quod a Deo non acceperimus; noſque peccatores eſſe, ac proinde pœna dignos & omnium contemptu. Secundo, nihil nos ipſos æſtimare, immo contemnere; gloriam omnem, laudem, & honorem Deo bonorum omnium auctori tribuere; alios non contemnere, nec præſumere aliis anteponi, ſed libenter omnes nobis præferre. Tertio, merita in aliis conſiderando, virtutes, & perfectiones; in nobis vero vitia ac defectus. Quarto, nos in omnibus Deo ſubiicere, necnon propter ipſum ſuperioribus noſtris, ut illius miniſtris. Quinto, fugere, quantum recta ratio permittit, laudes & honores. Sexto, contumelias, humiliationes, contemptus propter Deum exemplo Chriſti libenti animo perferre, ac etiam optare & diligere. Septimo, in externis rebus & functionibus, quantum in nobis eſt, ad id quod eſt inferius & minus decorum, nos applicare; ſemper tamen habito reſpectu ad officii & dignitatis decorem.

Humilitas eſt excellentiſſima virtus, aliarum virtutum radix ac mater, æternæque ſalutis & gloriæ fundamentum, iuxta Chriſti monitum Luc. cap. XIV. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Humilitati per exceſſum opponitur ſuperbia, de qua ſuo loco iam actum eſt. Per defectum vero inordinata ſui abiectio, quæ fit cum iniuria & iactura proprii ſtatus & officii, vel cum damno eorum quibus prodeſſe debemus: ut ſi pater infra filium, aut ſuperior infra ſubditum ſe abiiciat. Humilitas enim propendit ad propriam abiectionem, ſecundum tamen rectam rationem & honeſtam decentiam.

Modeſtia virtus eſt quæ moderatur exteriores actiones corporis ſecundum rectæ rationis præſcriptum. Hæc vero duplex eſt. Alia quæ exteriores motus & geſtus corporis moderatur; verba ſcilicet & facta quæ congruant perſonæ ſpectatæ tum in ſe, tum in ordine ad alios cum quibus verſatur, necnon loci, temporis, ac ſtatus. Altera vero quæ ſervatur in exteriore cultu, ſive in decenti apparatu veſtium, conviviorum, ſupellectilis, iuxta menſuram ac congruitatem proprii cuiuſque ſtatus, ideſt habita ratione perſonæ, conditionis, facultatum, ac probatæ conſuetudinis loci, & temporis.

Modeſtiæ primi generis, nempe motuum externorum corporis, ſeu verborum & factorum, opponitur per exceſſum petulantia & inſolentia, qua non ſervatur decorum in voce, geſtu, aliiſque exterioribus corporis motibus: puta ſi quis vocem nimis attollat, geſtus ac greſſus habeat inſulſos, ſi Religioſus aulæ mores affectet. Per defectum vero ruſticitas. Modeſtiæ ſecundi generis, ideſt quæ conſiſtit in exteriore cultu & apparatu, primo opponitur per exceſſum luxus modum excedens aſſuetum ac conſentaneum ſtatui, ideſt conditioni ac fortunis perſonæ, in veſtibus, conviviis, ac ſupellectili. Item veſtes alterius ſexus adhibendo, iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* CLXIX. *art.* 2. *ad* 3. Secundo, inordinatus affectus quo nimis ſtudioſe in iis rebus quis occu-

occupatur, ut ſæpe ſæpius faciunt feminæ quæ multum temporis otioſe in ſe ornandis inſumunt. Per defectum vero ſordiditas: & eſt, quando prorſus negligitur decor in cultu corporis rerumque ſuarum ſecundum rectam rationem ſervandus.

Porro peccata contra utramque modeſtiam quandoque ſunt letalia, nempe ratione ſcandali, damni, pravi finis. Ita excedere in externo ornatu & apparatu, eſt mortale propter effectum, ſi impediat ne dentur neceſſariæ eleemoſynæ, debita non ſolvantur, liberi de convenienti ſtatu non provideantur, aliaque huiuſmodi ad quæ quis tenetur, non præſtentur; vel ob affectum graviter immoderatum, puta ſi quis propter ornatum paratus ſit letaliter peccare; vel ratione ſcandali, quod non raro præbent mulieres in modo ſe exornandi, unde intuentes ad luxuriam alliciantur, ut præcipue eſt nuditas pectoris aut alterius partis quæ talem vim habent alliciendi. Quoad ornatum vero mulieris quæ eo utatur ut viro ſuo placeat, num culpa vacet, aut qua culpa inficiatur, ſatis rem aperit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxix. *art.* 2. ubi ſuam ſuper hoc ſententiam exponit his verbis: *Si mulier coniugata ad hoc ſe ornet ut viro ſuo placeat; caret omni culpa. Illæ autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, & ſunt in ſtatu non habendi, non poſſunt abſque peccato appetere placere virorum aſpectibus ad concupiſcendum: quia hoc eſt dare eis incentivum peccandi. Et ſi quidem hac intentione ſe ornent ut alios provocent ad concupiſcentiam; mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quamdam; non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale. Et eadem ratio, quantum ad hoc, eſt etiam de viris.*

Quoad larvas, perſonatus, ac choreas attinet, hæc propter immodeſtiam & nimiam mentis evagationem, ſunt peccata venialia; mortalia vero, ſi in talibus circumſtantiis adhibeantur, ut ad libidinem provocent, vel libidini præbeant occaſionem. Verum de his ſermo redibit, ubi ſextum Decalogi præceptum explicabimus.

Eutrapelia ſeu iucunditas eſt virtus quæ diſponit & inclinat ad ſervandum rectum rationis moderamen ac decorem in dictis ac factis ludicris, ſeu recreationibus ad animæ & corporis levamen ſuſceptis.

Vitioſum eſt contra eutrapeliam per defectum, omnem honeſtam animi recreationem ſibi neceſſariam ex genii auſteritate ſeu moroſitate repudiare, vel in aliis impendere. Per exceſſum vero contra illam peccatur primo ratione obiecti: nempe ſi recreatio ſumatur ex ludo & ioco immodeſto, petulanti, contumelioſo, iniurioſo, obſceno, periculoſo, vel vetito. Secundo, ratione circumſtantiarum: puta ſi ludus & iocus ceteroquin licitus in loco exerceatur vel tempore indebito, modo indecoro, longius quam par ſit, vel contra dignitatem perſonæ quæ in illo verſatur, vel eius in cuius conſpectu uſurpatur. Tertio, ob inordinatum affectum, quo in tali ioco ac ludo verſemur.

Circumſpectio tandem eſt virtus quæ ſermones iuxta rectam rationem divinamque legem componit, ut non loquamur niſi quando, ubi, quæ, quibus, & quomodo oporteat. Eſt maxime neceſſaria; cum iſtius defectu in plures incidamus culpas, ut Iacob. cap. III. *Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.*

Partes vero integrantes temperantiæ ſunt verecundia & honeſtas. Verecundia hic non accipitur pro paſſione dolorem afferente, vel timore exſurgente ex conſideratione facti alicuius dedecus inferentis; ſed pro habitu virtutis, ideſt prout eſt virtus removens animum ab appetitu turpium & inhoneſtorum. Honeſtas viciſſim eſt virtus qua inclinamur ad decorem qui in abſtinentia turpium voluptatum reſplendet. Verecundiæ opponitur inverecundia ſeu impudentia, qua quis turpitudinis vel nullum vel hebetem & obtuſum ſenſum habet, de qua *Ierem. cap.* III. dicitur: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*: & malus pudor, quo eorum pudet quempiam, quorum pudere non oportet, ſive quæ per ſe honeſta ſunt & bona, vel certe media & indifferentia. Sic malum eſt pudore ſuffundi ob opera virtutis, quia ludibrio ſunt apud impios. Et hoc verecundiæ genus damnatur in ſacris Scripturis, Eccli. cap. IV. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum: eſt enim confuſio adducens peccatum; & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam.* Partes integrantes.

C &c.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De iuſtitia quæ eſt quarta virtus cardinalis.

§. UNICUS.

De eſſentia iuſtitiæ, virtutibus ipſi adnexis, & vitiis oppoſitis.

POſtquam dictum eſt de prudentia quæ animum inſtruit circa moralem agendi rectitudinem ſeu honeſtatem, ideſt circa ea quæ agenda ſunt vel non agenda, ut honeſte vivamus; de fortitudine quæ paſſionum impetum in adverſitatibus, prout exigit recta ratio, & præcipue in periculis mortis moderatur; de temperantia quæ paſſiones refrenat circa delectationes tactus & guſtus: reſtat tandem agendum de iuſtitia moralium virtutum principe, regula, & ornamento humani cordis; utpote quæ habet inclinare ac ordinare voluntatem noſtram ut in commutationibus & diſtributionibus, quæ iam ſunt ad alterum, æqualitas ſervetur, ſeu nemini per iniuriam ius ſuum lædatur.

Iuſtitia duplex. Iuſtitia duplex eſt: univerſalis, & particularis. Univerſalis eſt conformatio vitæ noſtræ omniumque noſtrarum actionum ad legem divinam, aliaſque omnes divinæ conſentientes leges. Hæc autem idem eſt quod ſanctimonia; & virtutes omnes complectitur, de qua habetur Matth. cap. v. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*: & aliquando ſumitur pro quolibet pietatis opere, ut Matth. cap. vi. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*: & a Sanctis Patribus pro ipſo Deo, quatenus in ſe eſt abſque ordine ad creaturas: *Eſt ille ſummus Deus* (ait S. Auguſtinus lib. II. ad Bonif. cap. ix.) *vera iuſtitia.* Iuſtitia particularis eſt ſpecialis virtus & una ex virtutibus moralibus cardinalibus, quæ alteri debitum reddit ad æqualitatem: *Iuſtitia eſt* (ait S. Auguſtinus lib. XIX. de civit. Dei cap. xxi.) *quæ ſua cuique tribuit*. Et de iuſtitia taliter accepta hic agimus, breviter tamen, acturi poſtea fuſius ubi ex profeſſo quæ ad hanc iuſtitiam & ius ſimul pertinent, iuxta Theologorum methodum exponenda occurrent.

Iuſtitia particularis deſcribitur. Porro iuſtitia particularis, iuxta ſenſum in quo iam diximus accipi hanc ſpecialem virtutem, definiri ſolet, conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi ad æqualitatem. Iuſtitia enim, prout eſt ad alterum, differt a reliquis virtutibus cardinalibus, quarum eſt reſpicere ſolum ſubiectum in quo recipiuntur. Differt etiam a religione, pietate, ac obſervantia: quia hæc ſervat æqualitatem; illæ vero neutiquam. Non enim reddere poſſumus Deo, parentibus, & gubernatoribus, quantum illis debemus. Dicitur autem *ius ſuum cuique tribuendi*: ut intelligatur hic ſermonem eſſe de iure proprie dicto ſeu legali, non de iure late ſumpto ſeu morali tantum. Hoc autem eſt debitum virtutum quas ſupra retulimus, religionis nempe, pietatis, & obſervantiæ; immo omnium aliarum huiuſce generis: quæ licet alterum reſpiciant, non tamen debitum aliquod legale eiſdem reſpondet, ſed ſolum morale; ac ideo non ſunt iuſtitia proprie dicta. Debitum porro legale quod ſtricte & revera eſt debitum, illud eſt quod iuxta inviolabile legis præſcriptum reddere tenemur ad æqualitatem, ſeu æqualitatem inter datum & acceptum ſervando; ideſt centum vel quid æquivalens, nec ullatenus minus, ſi centum vel quid æquivalens receperimus: & ita ſervatur iuſtitia proprie dicta. Debitum vero morale econtra illud dicitur ad quod reddendum alteri tenemur ſolum moraliter, ſeu ex honeſtate virtutis; non ex rigore, ſicuti debitum iuſtitiæ: vel quia ſit altioris ordinis ſeu ita magnum, ut reddi nequeat ad æqualitatem, proindeque ſolum obligat ut pro viribus ſatisfaciamus, ſeu quantum eſt moraliter nobis poſſibile; vel ita parvum, ut non pariat debitum legale & rigoroſum, ſed morale ſolummodo, & ex quadam honeſtate quæ ab alia virtute præſcribitur, ut contingit in virtutibus quæ iuſtitiæ ſunt adnexæ. Iuſtitia igitur revera ſpecialis eſt virtus: cum ſpeciale habeat obiectum formale, ideſt æquale debitum ſeu ius alienum ſtricte ſumptum; materiale vero actiones quibus cuique redditur quod ſuum eſt.

Virtutes adnexæ iuſtitiæ ſeu partes iuſtitiæ potentiales illæ omnes dicuntur quibus intervenit quidem aliquod debitum ad alterum; non legale tamen, ſed tantum morale. Nam, ſicut iam dictum eſt, vel eſt ita magnum, ut illud expleri nequeat; & ad hoc genus ſpectat religio, pietas, obſervantia, & obedientia quæ eſt pars obſervantiæ: vel debitum eſt ita parvum, ut non adducat veram obligationem legalem ac rigoroſam, ſed ſolum reſultantem ex quadam virtutis honeſtate; & huiuſce generis ſunt gratitudo, veritas, amicitia, affabilitas, liberalitas, & ſi quæ ſint aliæ huiuſcemodi quæ afferunt debitum dumtaxat morale ad alterum. Quamvis tamen hæ virtutes non Virtutes ipſi adnexæ.

reſpi-

reſpiciant debitum legale & ius proprie dictum alteri reddendum ; quia tamen reſpiciunt aliquod debitum ad alterum, ideſt erga proximum ; cenſentur virtutes iuſtitiæ adnexæ & veluti potentiales illius partes. De religione iam fuſius dictum eſt . Quare de aliis tantum hic dicemus.

Pietas aliquando ſumitur pro ſtudio inter- [illegible] amoris erga Deum [illegible] cap. IV. *Exer-* [illegible] aliquando pro [illegible] ectu erga alios , [illegible] indigentes ; ut de [illegible] . cap. II. *Quam* [illegible] tamen ſumitur pro ſpeciali virture per quam tribuitur debitus cultus tum parentibus tamquam vitæ atque educationis noſtræ poſt Deum auctoribus ; tum patriæ quæ aliquo modo eſt principium noſtri ortus , quia fovet parentes , & idonea ad ortum & educationem ſuppeditat ; tum etiam aliis conſanguineis , ob coniunctionem quam habent cum parentibus . Hic cultus ſpectat tum honorem & reverentiam , tum neceſſaria vitæ ſubſidia , necnon ſunebres exequias ſuo tempore parentibus perſolvendas.

Obſervantia eſt ſpecialis virtus per quam debitus cultus ſeu honor ac obſequium ſuperioribus defertur , ob excellentiam cum beneficio gubernationis coniunctam ; necnon aliis perſonis virtute , ſapientia , dignitate inſignibus, quatenus ratione talis perfectionis aptæ ſunt , ut nos dirigant & gubernent , ſaltem exemplo ſuo vel conſilio . Sicuti enim per pietatem colimus parentes ut auctores poſt Deum vitæ ac educationis noſtræ ; ita per obſervantiam colimus ſuperiores , quia auctores ſunt noſtræ gubernationis. Et cum gubernatio duplex ſit , ſpiritualis ſcilicet & civilis : hinc obſervantia alia eſt politica , qua ob dignitatem politicam ; alia religioſa , qua ob dignitatem ſupranaturalem , cultum ſuperioribus exhibemus.

Ad obſervantiam reducitur obedientia , non quatenus eſt virtus generalis inclinans ad obſervandum quodvis præceptum ex quovis motivo bonum ; quæ obedientia pertinet ad quamlibet virtutem , & oppoſitam habet inobedientiam generalem, ideſt cuiuſque præcepti violationem ex quovis motivo : ſed prout obedientia eſt ſpecialis virtus inclinans ſubditum ad implenda ſuperiorum præcepta , quia præcepta ſunt . Huic opponitur inobedientia formalis ſeu violatio præcepti , quia præceptum eſt : idcirco ſemper eſt mortalis etiam in materia levi ; quia habet coniunctum contemptum præcetum præcepti ac poteſtatis præcipientis . Porro obedientia minus ſtricte accepta eſt virtus qua quis ſe ſubiicit voluntati ſuperioris , ſive præcipiat , ſive non . Prædictæ tres virtutes : nempe religio , pietas , & obſervantia reſpiciunt debitum ita magnum ad alterum , ut eidem ad æqualitatem ſatisfieri nequeat .

Quod vero ſpectat ad virtutes poſterioris generis iuſtitiæ adnexas , primum inter has locum occupat gratitudo , quæ eſt virtus inclinans ad compenſanda accepta beneficia , quantum & ubi recta ratio id exigit . Huius virtutis officia ſunt beneficii æſtimatio , benigna acceptatio , gratiarum actio , grata commemoratio , & tandem repenſio beneficii in opportunis circumſtantiis . Vitium ei oppoſitum eſt ingratitudo : quæ eſt peccatum ; cum diſconveniat naturæ rationali ut rationali , & virtuti adverſetur . Ait enim S. Thomas 2. 2. quæſt. CXLVIII. art. I. *Ex hoc enim aliquid dicitur peccatum quod virtuti contrariatur.*

Amicitia eſt virtus qua aliqui mutuam non latentem benevolentiam inter ſe agunt , ac bonis adinvicem ſe affici volunt , non iucunditatis aut utilitatis , ſed ſola honeſtatis gratia . Quare cum hæc ſola leges iuſtitiæ ſervet, nempe amorem pro amore reddendo ; nomen meretur veræ ac ſolidæ amicitiæ quæ iuſtitiæ pars eſt . Nam cum ſecundum leges iuſtitiæ amorem pro amore reddamus ; amicos non noſtri tantum , ſed illorum quoque gratia dilectione proſequimur .

Affabilitas vulgo virtus appellatur quæ converſationem noſtram in communi hominum convictu & vitæ conſuetudine ita moderatur ut grata ſit ac iucunda , ſpectata tamen noſtra & eorum conditione cum quibus verſamur , necnon aliis circumſtantiis . Differt in hoc ab amicitia : quod hæc inter notos dumtaxat ; affabilitas vero inter quoſcumque etiam ignotos locum habet . Item affabilitas in ſermone & vitæ converſatione verſatur ; amicitia vero præcipue in amore. Delinquitur contra affabilitatem per exceſſum ſeu nimio placendi ſtudio , dum in omnibus quis aliis ſe attemperat , omnia probat , ac commendat . Et ſi hoc fiat intuitu proprii commodi & utilitatis ; erit adulatio : ſi ſolum ut quis placeat ; blandus hic dicitur . Per defectum ei opponitur moroſitas , qua in congreſſibus alios quis moleſtia ac tædio afficit , dum parum ſe aliis accom-

Digitized by Google

accommodare ſtudet, ſed cum aſperitate ſe gerit & proclivis eſt ad contradicendum.

Veritas ſive veracitas in dicendo eſt virtus qua nos aliis tales exhibemus, quales revera ſumus; ſeu eſt virtus qua inclinamur ad ſemper loquendum conſentanee menti noſtræ. Idcirco hæc virtus efficit ut recte ſigna adhibeamus quæ ſunt ordinata ad mentem noſtram alteri aperiendam. Veritati opponitur mendacium, quod eſt expreſſio contraria vel diſſentanea menti noſtræ. Sed hoc explanabitur in octavo Decalogi præcepto.

Liberalitas tandem virtus eſt quæ affectum moderatur divitiarum, & præcipue pecuniæ, ac efficit ut faciliter & prompte, prout recta dictat ratio, eas expendamus. Duo igitur ſunt liberalitatis officia: nempe ordinare divitiarum amorem, & modum in earum largitione. Liberalitas in hoc dicitur differre a beneficentia: quod hæc verſetur circa bonorum quorumcumque; & illa circa pecuniæ tantum largitionem. Liberalitati adverſatur per defectum avaritia; per exceſſum prodigalitas, quæ eſt defectus conſervandi, & exceſſus largiendi.

Licet, prout hæc pugnat cum liberalitate, ſit dumtaxat venialis: eſt tamen mortalis, quando ex hoc prodigus impotens fit ut debita quibus gravatur, ſolvat; familiæ ſecundum proprii ſtatus convenientiam provideat; egentibus eleemoſynas elargiatur; ſi pravo fine prodigalitatem exerceat, aut periculum aliquod ſpirituale propter ipſam incurrat, aut ſcandalum præbeat. Verum quia cum cardinalibus virtutibus nimis proximam habent affinitatem dona Spiritus Sancti; proinde congruum videtur, antequam ad alia pergamus, de his breviter pertractare.

CAPUT V.

De donis Spiritus Sancti.

§. I.

Dona Spiritus Sancti explicantur, ubi etiam agitur de eius fructibus, & de octo beatitudinibus.

CUm dona quoque Spiritus Sancti proinde ac virtutes cardinales ad moralem ſpectent diſciplinam, ac perutile ſit, immo neceſſarium ut de his quoque inſtruantur fideles in catecheſibus, ad hoc ut non ſolum excellentiam, ſed vim etiam cognoſcant tanti beneficii unde facilius æternam ſalutem conſequimur; ac exinde eorum fervor augeatur & ſollicitudo ut magni ea faciant, adeoque impenſius curent permanere in ſanctificante gratia cum qua, dum per pœnitentiam iuſtificarentur, tam inſignia bona receperunt: hinc operæ pretium duxi, breviter hæc quoque enucleare, ut aliquid ſaltem de his lector valeat prælibare.

Donum Spiritus Sancti eſt habitus ſupernaturalis, quo homo diſponitur ad recipiendas extraordinarias motiones Spiritus Sancti, ad propriam ſalutem. Dona Spiritus Sancti una cum aliis virtutibus in iuſtificatione cum gratia ſanctificante infunduntur. Donum Spiritus Sancti quid ſit. Dicitur primo *habitus ſupernaturalis*: quia permanenter inhæret, ut Iſ. cap. xi. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ*: requies enim permanentiam ſignificat. Porro hi habitus dicuntur dona, ut diſtinguantur a virtutibus: nam licet donis quoque conveniat generica ratio virtutis, ideſt facere bonum habentem & eius opus; nihilominus dici ſolent dona, non vero virtutes. Virtus enim ſtricte ſumpta regitur prudentia in actionibus ordinariis ac mediocribus; donum vero ſupra prudentiam inclinat ad actus excellentes, heroicos, divinos per inſpirationem & motionem Spiritus Sancti. Quare virtus infuſa regitur a prudentia infuſa; donum autem a Spiritu Sancto ut a propria cauſſa motrice. Dicitur ſecundo, *ad recipiendas extraordinarias motiones Spiritus Sancti*: nam (ſicuti docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* lxviii. *art.* 1.) debet dari proportio inter id quod movetur, & cauſſam quæ movet; ita ut quo altior eſt motor, neceſſe eſt ut perfectiore diſpoſitione id quod moveri debet, diſponatur. Cum autem altius ſit moveri a Deo quam a ratione: hinc ſi virtutes nos diſponunt ut bene mobiles ſimus a ratione ſecundum eius naturalem operandi modum ad actiones ordinarias, ideſt quæ non excedunt ordinarium rationis ordinem in operando; ad hoc ut diſponamur & ſimus bene mobiles a Deo ſecundum eius modum ad actiones excellentiores ac divinas, ideoque nobis extraordinarias, neceſſe eſt ut ſint in nobis altiores perfectiones quæ hanc ſpecialem diſpoſitionem in nobis producant. Dicitur tertio, *ad propriam æternam ſalutem*: ut notetur donum Spiritus Sancti ſpectare ad gratiam gratum facientem, & diſtingui a gratiis gratis datis quæ ad aliorum ſalutem elargiuntur. Unde ſcientia & ſapientia, quæ numerantur etiam inter gratias gratis datas, dicuntur ſermo ſapientiæ & ſcientiæ; unde notetur, datas eſſe ad alios in lege divina edocendos. Sapientia vero &

ro & ſcientia, ſumptæ ut ſunt Spiritus Sancti dona, eas poſſidentem perficiunt in ordine ad divina. Movemur enim per ſapientiam ad divina ſuavius ac ſublimius contemplanda; per ſcientiam vero ut modo extraordinario temporalia contemnamus.

Hic tamen notandum occurrit, monitiones Spiritus Sancti non ſolum concurrere & requiri ad uſum donorum, ſed etiam ad uſum aliorum habituum, ideſt virtutum infuſarum: quibus certe uti non poſſumus ſine ſupernaturali illuſtratione & pia voluntatis affectione; quæ ſunt Spiritus Sancti motiones, ſed valde impares & inferiores motionibus quæ donorum uſus exigit. Motiones enim ad virtutum actus ordinariæ ſunt & accommodatæ ad humanum modum agendi: ad actus vero donorum extraordinariæ; & ſuperant ordinariam agendi rationem, ac tendunt ad actus heroicos, qui proinde non ita in iuſtis ſunt frequentes ac actus virtutum.

Dona Spiritus Sancti a virtutibus diſtinguuntur. Dona diſtingui a virtutibus ſentit cum S. Thoma eius Schola aliique multi contra Scotum: quia dona verſantur circa materiam virtutum modo altiore & nobiliore quam ipſæ virtutes; alioquin non eſt ratio, cur quædam virtutes dicantur dona, quædam non. Item quia quædam computentur inter dona, non inter virtutes, ut conſilium & timor. Tandem quia quæ hominem diſponunt ad hoc ut ſit bene & prompte mobilis a Deo, ut faciunt dona, diſtingui debent ab iis quæ hominem diſponunt ut ſit bene mobilis a ratione, ut faciunt virtutes. Ita Silvius. Dona igitur Spiritus Sancti recte intelliguntur eſſe qualitates quædam quibus homo diſponitur ut efficiatur prompte mobilis ab inſpiratione divina, extraordinarie ipſi ſuperveniente, ut facile eam ſuſcipiat & prompte exequatur; cum econtra per virtutes recte diſponatur homo ut a Deo & a ratione divinitus inſtructa moveri poſſit ad ea quæ ſecundum humanæ vitæ rationem communiter accidunt. Quare ex hoc colligitur, differre dona a virtutibus, quod virtutes perficiant hominem ſecundum regulam rationis humanæ, hoc eſt ſecundum ea quæ communiter venire poſſunt in deliberationem humanæ rationis fide aut alia virtute inſtructæ; dona vero perficiunt modo quodam divino vel heroico, ut per ea homo diſpoſitus ſit moveri a divinis inſpirationibus ad ea quæ communiter non veniunt in deliberationem fidelium, etiam iuſtorum, ſed extraordinarie inſpirantur: ita ut dona ſimili quodam modo ſe habeant ad virtutes infuſas, ſicuti magnanimitas ad virtutes morales. Magnanimitas enim in hoc ab aliis virtutibus moralibus diſcernitur, quod ipſa eſt principium operandi magna ſub ratione cuiuſdam excellentiæ; cetera vero ſunt principium operandi bonum modo conſueto ſeu ſecundum communem curſum. Ita laudatus Silvius. Inſuper dum homo opera virtutum exequitur, movet & excitat ſe ipſum per propriam deliberationem & conſilium: at cum per dona Spiritus Sancti operatur, potius agitur inſpiratus a Deo quam moveat & excitet ſe ipſum ad operandum; licet in his quoque ſeſe moveat, per peculiarem tamen & extraordinariam Spiritus Sancti inſpirationem. Patet igitur, probabiliorem eſſe ſententiam, quod dona ſicut differunt, ita a virtutibus diſtinguantur. Colligitur tandem, dona excellentiora eſſe virtutibus intellectualibus & moralibus, non tamen theologicis. Dona enim diſponunt ad extraordinariam motionem Spiritus Sancti quæ certe ſuperior eſt ordinaria motione rationis, licet divinitus inſtructæ, ad quam diſponunt morales virtutes. Non ſunt tamen dona excellentiora virtutibus theologicis: quia per virtutes theologicas anima Deo coniungitur; per dona vero diſponitur tantummodo ad ſuſcipiendam divinam motionem. Multo autem præſtantius eſt coniungi Deo quam diſponi ad eius inſpirationem, quæ conſectarium eſt ac veluti additio illius unionis.

Scotus vero quem ſequitur etiam Eſtius, cenſet ſeptem dona revera virtutes eſſe: idemque ſimiliter dicendum eſſe ait de octo, & ſecundum alios ſeptem, beatitudinibus apud S. Matthæum enumeratis; idemque de fructibus Spiritus Sancti ab Apoſtolo recenſitis. Prout enim perficiunt hominem ad bene agendum, dicit Scotus, virtutes vocantur: quatenus divinitus dantur, dicuntur dona; quatenus ad beatitudinem ducunt, beatitudines ſolent appellari; prout denique fructum vitæ æternæ afferunt operanti, fructus dicuntur.

Dona Spiritus Sancti iuxta Iſaiam cap. XI. Sunt ſeptem.
ſeptem numerantur: ideſt ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, timor Domini. Ponitur hic numerus ſeptenarius, qui a S. Auguſtino *Serm.* CCIX. *de temp.* appellatur ſeptiformis Spiritus Sancti gratia: non ut oſtendatur non plus quam ſeptem eſſe Spiritus Sancti dona, ſed quia ab Iſaia initio *cit. cap.* XI. ſeptem fuerant enumerata. Sicut autem hic numerus ſeptenarius ponitur pro univerſitate donorum, Spi-

ritus

Digitized by Google

ritus Sancti; ita facile non ſolum ſeptem numerata dona, ſed etiam omnia alia per quæ ſanctificatur homo & perficitur, ſub tali nomine comprehenduntur. Sic Eſtius. Ex his donis quatuor, ſcilicet ſapientia, intelligentia, ſcientia, & prudentia ſeu conſilium, perficiunt rationem; tria vero, nempe fortitudo, pietas, timor, perficiunt voluntatem. Donum ſapientiæ eſt qualitas, qua homo diſponitur ut prompte ſit mobilis a Spiritu Sancto ad bene iudicandum de rebus divinis excellentiore & extraordinario modo cognitis, quod ſit eis inhærendum, & ab oppoſitis recedendum. Donum intellectus eſt, quo diſponitur ad divina recte capienda, ut iuxta ſuam conditionem ad ea penetranda vel aſſequenda peculiari inſtinctu moveri poſſit. Donum ſcientiæ eſt, quo diſponimur ad hoc ut ex ſpeciali illuſtratione poſſimus cognoſcere & iudicare de rebus humanis, quatenus nos ducunt ad Deum: hic enim ſermo eſt de ſcientia Chriſtiana, cui tribuendum non eſt quidquid ab homine ſciri poteſt; ſed ea quæ ad animæ ſalutem pertinent. Donum conſilii eſt, quo prompti reddimur ad bene deliberandum & reſolvendum quid in rebus difficilioribus, præſertim inopinatis, ad ſalutem pertinentibus aut ad Dei gloriam promoventibus optimum ſit & faciendum. Donum fortitudinis eſt, quo quiſque diſponitur ad fortiter tolerandum adverſa, maxima, inexpectata, vel ad gravia & inſolita pericula aggredienda. Donum pietatis eſt, quo diſponimur ut bene nos habeamus erga Deum & eius cultum, ſpecialiter in caſibus extraordinariis. Donum timoris eſt, quo diſponimur ad recedendum a malis præſertim delectationibus & concupiſcentiis, etiam vehementioribus & extraordinariis.

Quomodo virtutibus correſpondeant. Quomodo vero dona virtutibus correſpondeant, facile comprehendi poteſt, ſi actus cuiuslibet doni cum actibus virtutis quæ ipſi dono eſt affinis, conferatur. Quare primo, actus virtutis intelligentiæ quæ communiter appellatur habitus primorum principiorum, eſt notitia habitualis ſeu permanens eorumdem primorum principiorum: ut in moralibus, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; & in dogmaticis primi articuli fidei, ideſt primæ propoſitiones ad quas reducenda eſt omnis fidelium ſupernaturalis cognitio quantumvis ſublimis, alias reiicienda eſſet tamquam a ſpiritu erroris inſpirata. Porro per prudentiam iudicamus, Deum hanc vel illam veritatem revelaſſe; & per virtutem fidei actu credimus idipſum quod de facto iudicamus: & hic eſt actus virtutis fidei. Aliquando vero fit ut fidelis etiam idiota Spiritus Sancti inſpiratione ita conſtanter & tanta claritate myſterium revelatum apprehendat, v. g. Verbi Incarnationem, ut ſibi videatur antea, ſicut oportet, non credidiſſe: & hic eſt actus intelligentiæ.

Secundo, ſapientiæ virtus ea eſt qua ratio gratiæ auxilio de altiſſimis cauſſis, ideſt divinis, & ex his de creatis recte iudicat. Donum vero ſapientiæ illud eſt quo iuſtus quandoque non rationis inſtinctu, ſed Spiritus Sancti impulſu movetur ad altiorem cæleſtium divinorumque contemplationem.

Tertio, per virtutem ſcientiæ diſponitur ratio noſtra ad hoc ut recte de temporalibus iudicet, nempe non æſtimanda eſſe nec appetenda, niſi prout inſervire valeant ad æternam ſalutem capeſſendam. Per donum vero ſcientiæ iuſtus iudicat ulterius illa contemnenda eſſe, ac quantum fieri poteſt, etiam abiicienda velut onera ac impedimenta quibus anima quæ ad Deum anhelat, retardatur.

Quarto, virtus prudentiæ habet conſulere in dubiis ſecundum rectam rationem. Aliquando vero Spiritus Sanctus iuſtis inſpirat conſilia quæ rationem communem agendi ac humanam ſuperant prudentiam, quæ ideo ſæpe ſæpius a ſæculi prudentibus ut temeraria & ſtulta reprobantur: & hoc fit per donum quod dicitur conſilii.

Quinto, virtus iuſtitiæ iuſtum diſponit ut cuique debitum reddat: cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; cui timor, timorem. Donum vero pietatis eum reddit prompte mobilem a Spiritu Sancto, ad reverentiam extraordinariam qua Deo, rebus ſacris, pauperibus, ac aliis omnibus hominibus, prout ad Chriſtum pertinent, exhibet ac præſtat valde ultra debitum quod iuſtitia, religio, & miſericordia præſcribunt.

Sexto, per fortitudinis virtutem iuſtus firmatur in periculis ſecundum dictamen rectæ rationis & communis prudentiæ regulas, econtra inordinatos motus timoris & audaciæ. Donum vero fortitudinis eumdem iuſtum diſponit ad actus heroicos divino impulſu eliciendos: ut factum legimus in Samſone & S. Apollonia.

Septimo temperantiæ virtute diſponitur iuſtus ut eum rationabili moderamine delectabilibus utatur. Donum autem timoris reverentialis erga Deum efficit ut iuſtus delectationes omnes quantum poteſt abiiciat, auſterioris vitæ deſiderio, ut animum caſtam & puram Deo ſervet.

Hic

Hic tamen notandum cum Theologis ac monendum eſt, opera heroica quæ præcipue numero quarto & ſexto tribuuntur conſilio, non eſſe ambienda ſine ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, ut præſumitur in iis quos laudat Eccleſia & commendat, Samſonem v. g. & S. Apolloniam: alioquin a peccato excuſari non poſſent. Unde colligitur, iuſtos quidem ſemper eſſe diſpoſitos ad quamcumque Spiritus Sancti motionem, qua ſupra rationem non moventur niſi extraordinarie, numquam vero contra rationem.

Quare concludendam eſt, virtutes diſponere ad opera ſupernaturalia modo ordinario conformi ad modum quo ordinarie ratio operatur. Dona autem diſponunt ad opera modo extraordinario, & modum quo ordinarie ratio operatur, excedente.

Diſtinguuntur item a fructibus & a beatitudinibus.

Dona ſeu donorum habitus ſecundum D. Thomam diſtinguuntur, a fructibus Spiritus Sancti & ab octo beatitudinibus: non tamen tamquam habitus ab habitibus, quaſi fructus & beatitudines ſint habitus diſtincti ab habitibus donorum; ſed diſtinguuntur dona a fructibus & beatitudinibus tamquam habitus ab actibus. Nam fructus & beatitudines ſunt ipſimet actus virtutum & donorum. Etenim nomine fructus intelligitur bonum aliquod labore & ſtudio intentum ac comparatum: ut v. g. ampla meſſis eſt fructus agricolæ. Unde ſi bonum illud ſit ingens; dicitur beatitudo, ſive inchoata, ſive perfecta: quia eius poſſeſſio valde delectat, & operantis deſiderium quieſcere facit. Quod ſi bonum ſit exiguum ſeu mediocre; dicitur ſimpliciter fructus. Hinc ſequitur, quod plus requiratur ad rationem beatitudinis quam ad rationem fructus. Ad rationem enim fructus ſatis eſt, quod ſit bonus, factus per Dei gratiam, habens rationem delectabilis: ad beatitudinem vero ulterius requiritur, quod ſit aliquid perfectum & excellens; idcirco omnes beatitudines dici poſſunt fructus, non econtra omnis fructus beatitudo. Hæc tamen doctrina non ita eſt accipienda, quaſi fructus & beatitudines realiter diſtinguantur adinvicem; cum ſufficiat, quod ſolum ratione differant: nam idem actus virtutis ſecundum quod eſt perfectus, eſt beatitudo; econtra vero fructus, prout eſt ſimpliciter delectans. Dona igitur ſicut virtutes ſunt habitus; beatitudines actus perfecti; fructus vero actus minus perfecti: ideoque dicuntur fructus; quia licet hi quoque delectent, non ita tamen ſicuti beatitudines, quæ ſunt actus perfecti & excellentes, in quibus multo maior eſt delectabilitas quam in fructibus qui ſunt ipſi actus beatitudinis ut minus perfectæ.

Fructus ſunt decim.

Actus igitur habituum infuſorum ſunt delectabiles iuſtorum fructus, ut Pſalm. XVII. *Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda*. Unde caritas aliæque virtutes quas D. Paulus *Gal. cap.* V. enumerat, non ſumuntur pro habitibus, ſed pro actibus, ut patet ex eius contextu; *Manifeſta ſunt*, inquit: *opera carnis, quæ ſunt fornicatio &c.* & ſtatim ſubiungit de operibus bonis: *Fructus autem ſpiritus eſt caritas gaudium &c.* Dicere enim voluit potius fructus quam opus, ad hoc ut intelligeremus, in huiuſcemodi actibus ſecundum ſe ſpectatis nullum eſſe laborem & triſtitiam, ut falſo carnales putant; ſed meram delectationem ac pacem. Fructus autem in duodenario numero expoſiti ab Apoſtolo *loc. cit.* ſunt caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Hi ſunt Spiritus Sancti conſolationes, ut idem Apoſtolus teſtatur II. ad Corinth. cap. VI. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*. Quocirca actus illos vocat fructus non iuſtorum, ſed Spiritus Sancti. Nam licet iuſti ad hos actus concurrant libere & vitaliter; illorum tamen auctor eſt Spiritus Sanctus, ut Philippen. cap. XX. *Deus enim ut eſt ipſi operatur in nobis & velle & perficere per bona voluntate*. Silvius & Habertus.

Sicut tamen Apoſtolus non omnia opera carnis *cit. cap.* V. *ad Gal.* enumerat, ſed quædam ſolummodo notiora; ſic in illo duodenario numero non omnes fructus comprehendit, ſed nobiliores tantum. Opera enim omnia cuiuslibet habitus infuſi, ſive virtutes ſint, ſive dona, ſunt fructus Spiritus Sancti. Attamen omnes fructus non dicuntur beatitudines: quia cum beatitudines dicantur opera quædam eximia; hæc profecto non poſſunt eſſe niſi opera donorum, dum dona ad differentiam virtutum actiones habent nobiliores & excellentiores, utpote quæ procedunt a nobiliore motore. Præterquam quod nomine beatitudinis intelligitur bonum inſigne in cuius poſſeſſione animus quieſcit, vel plene & perfecte, ſi beatitudo ſit perfecta, ut intuitiva Dei viſio, quæ eſt actio hominis præſtantiſſima ac ultima eius perfectio; vel imperfecte, ſi beatitudo ſit ſolum inchoata, quæ in hac vita oritur ex actibus excellentioribus: operatio enim quo magis eſt præſtantior, eo magis perficit, ac ideo magis delectat. Quare evidenter patet, beatitudines eſſe non poſſe niſi actus donorum,

rum, qui actibus virtutum, ut iam dictum eſt, ſunt excellentiores utpote procedentes a nobiliore motore. Beatitudines inſuper dicuntur opera eximia & præſtantiora, & donorum, prout peculiari ratione conducunt ad veram & cæleſtem beatitudinem adipiſcendam; & quia illa opera peculiari ratione ſpem afferunt iſtius beatitudinis conſequendæ: ſic nos faciunt peculiariter beatos in ſpe; quoniam illa exercentes firmam ſpem habemus ad beatitudinem perveniendi. Vocantur igitur beatitudines figurate: quia ſunt cauſſa & meritum beatitudinis. Et hæc eſt beatitudo inchoata: quia in hoc ſtatu ſpe multum delectamur & in beatitudinibus, quæ ſunt excellentiora opera pietatis ex quibus ſpes tanti præmii nobis exſurgit.

Beatitudines octo.

Beatitudines octo in Evangelio recenſentur. Nam *Matth. cap.* v. ita habetur: I. *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* II. *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* III. *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* IV. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* V. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* VI. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* VII. *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* VIII. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

Convenienter beatitudines octo enumerantur: quia per haſce, ut a S. Matthæo expoſitæ ſunt, falſa beatitudo ſufficienter excluditur, & vera demonſtratur, ſive ad activam, ſive ad contemplativam vitam pertineat. Nam per tres primas excluditur falſa beatitudo, prout ea putatur in tribus conſiſtere: ſcilicet in affluentia bonorum temporalium, in ſequela paſſionum iraſcibilis & concupiſcibilis. Prima enim eſt paupertas ſpiritus; ſecunda humanitas; tertia luctus. Duæ aliæ pertinent ad vitam activam; quatenus aliqua proximis exhibenda ſunt, ſive ex debito, ſive ex beneficio: ideoque quarta eſt eſuries & ſitis iuſtitiæ; quinta miſericordia. Aliæ duæ ſpectant ad vitam contemplativam; prout duo ſunt quæ ad illam diſponunt: nimirum vel in ſe ipſo, vel in ordine ad alium. Sic ſexta eſt munditiès cordis; & ſeptima pax. Unde ſi his addatur tolerantia perſecutionum propter iuſtitiam, quæ in operibus vitæ activæ & contemplativæ requirit ut nullius perſecutionis occaſione, quantacumque illa ſit, ea quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, deferantur; octo erunt, ut ſupra enumeratas vidimus a S. Matthæo: licet aliquando ſeptem tantum numerentur; eo quia octava ad ſeptem præcedentes pertineat, veluti quædam confirmatio omnium præcedentium & manifeſtatio, quia omnes ad ultimam ſeu ad regnum cælorum referuntur. *Etſi etiam* (ait D. Ioannes Chryſoſtomus homil. xv.) *retributiones ipſas differenter appellat; tamen cunctas ad unum cælorum regnum adducit: & poſtea nihil omnino aliud niſi cæleſte regnum per hæc cuncta deſignat, ideſt per alias ſeptem beatitudines.* Aliæ vero beatitudines quæ in variis Scripturæ locis reperiuntur, omnes ad aliquam ex iam ſupra recenſitis deducuntur.

Quomodo conveniunt cuilibet dono.

Modus vero quo beatitudines octo conveniunt cuilibet dono, varie a variis explicatur. Dicam ego cum S. Auguſtino *lib.* I. *de Serm. Dom. in mont.* quod prima beatitudo, ideſt paupertas ſpiritus, tribuitur timori Domini, quo iuſtus ob reverentiam erga Deum ſe ipſum deiicit, ac honores omniaque temporalia deſpicit. Secunda beatitudo, nempe humanitas, pietati tribuitur: *Namque mites ſunt* (ait laudatus Sanctus Pater cap. III.) *qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in malo bonum*: ſcilicet propter timorem Dei & reverentiam. Tertia, ideſt luctus, convenit ſcientiæ. *In hoc gradu in quo ſcientia eſt, lugetur amiſſio ſummi boni: quia inhæretur extremis*: cap. IV. & cap. IX. *Scientia congruit lugentibus, qui cognoverunt in Scripturis, quibus malis teneantur.* Quarta, ſcilicet eſuries & ſitis, congruit dono fortitudinis. *In quarto gradu*, ait Sanctus Doctor, *labor eſt, ubi vehementer incumbitur ut ſeſe animus avellat ab eis quibus peſtifera dulcedine innexus eſt. Hic ergo eſuritur & ſititur iuſtitia, & multum neceſſaria eſt fortitudo: quia non relinquitur ſine dolore quod cum delectatione retinetur.* Quinta, ſcilicet miſericordia, eſt effectus ſalutaris conſilii. *Hoc enim unum remedium eſt de iſtis malis: ut dimittamus, ſicut nobis dimitti volumus, & adiuvemus in quo poſſumus alios, ſicut & nos cupimus adiuvari.* Sexta, videlicet cordis munditia, correſpondet dono intellectus, quo ſublimius res divinæ apprehenduntur. *Mundis corde data eſt facultas videndi Deum, tamquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus.* Septima, ideſt pax, attribuitur dono ſapientiæ. *Pacificis Dei ſimilitudo eſt tamquam perfecte ſapientibus formatiſque ad imaginem Dei.* In octava vero beatitudine dona omnia concurrunt: ita ut non ſit novus gradus perfectionis; ſed explicatio ac manifeſtatio præcedentium. *Se-*

ptem ergo, ait S. Auguſtinus, *quæ perficiunt: nam octava clarificat, & quod perfectum eſt, demonſtrat*. Nam & pauperes, & humiles ſpiritu, & mites, aliique male audiunt apud iniquos, linguis eorum proſcinduntur, perſecutionibus exagitantur: ſed beati, ſi in his tribulationibus glorientur; quia ipſorum revera eſt regnum cælorum.

Omnia dona infunduntur cum gratia & virtutibus in iuſtificatione. Nam in iuſtificatione homo inſeritur Chriſto tamquam membrum capiti, ut ſpiritu eius vivat & regatur. Debet igitur iuſtus diſponi ad excipiendas omnes quaſcumque motiones Spiritus Sancti. Huiuſcemodi autem diſpoſitionem ad ordinarias recipit per habitus virtutum; ad extraordinarias vero per dona. Idcirco ſi in iuſtificatione infunduntur habitus virtutum; habitus etiam donorum infunduntur.

§. II.

De dono timoris.

Quia inter præcipua dona Spiritus Sancti timor Dei enumeratur, & ſanctus hic timor initium eſt Chriſtianæ ſapientiæ (ut Eccli. cap. I. *Initium ſapientiæ timor Domini*) ac proinde in Morali diſciplina non levis eſt momenti adeo neceſſariæ veritatis examen a qua magnopere ſanctitas pendet ac perfectio: hinc ut ſtudioſius ac utilius elucidaretur, conſentaneum cenſuimus, breviter explicatis quæ ad alia dona, fructus, & beatitudines pertinebant, de dono timoris conſideratione aliquantulum accuratiore ſermo haberetur.

Donum timoris quid ſit. Donum timoris, ut iam diximus, eſt habitus quo diſponimur & inclinamur ad recedendum a malis, præſertim delectationibus & concupiſcentiis etiam vehementioribus & extraordinariis. Duplici enim ratione induci poſſumus ad fugam huius mali: & a malo pœnæ malo culpæ imminenti; & a maieſtate ac eminentia poteſtatis quæ malum pœnæ nobis infligere poteſt. Quare, ſicut obiectum ſpei eſt bonum quod ſperando expectatur, & id per quod bonum iſtud poteſt obtineri; ita obiectum timoris eſt & malum quod refugimus, & bonum quod malum iſtud poteſt infligere. Hinc licet proprium obiectum timoris, inquantum importat fugam, ſit malum, non eſt tamen adæquatum: cum timor dicat etiam actum reverentialem; & tunc eius proprium obiectum eſt maieſtas & eminentia eius qui timetur.

Timor convenienter dividitur primo generice in naturalem ſeu mundanum, & in timorem Dei. Hic vero, ideſt timor Dei, rurſus tripliciter dividitur: in ſervilem, initialem, & filialem. Hic mentio non fit iuxta ſtilum Scripturæ & Sanctorum Patrum (& præcipue D. Thomæ 1. 2. *quæſt.* XLI. *art.* 3.) de timore naturali, qui eſſet quintus. Cum enim hic timor inſit non in parte rationali, ſed in appetitu iraſcibili, nempe in paſſione qua naturaliter animal fugit malum imminens; hinc huiuſcemodi timor incapax eſt ut mereatur laudem & vituperium, ideſt nec laudabilis eſt, nec vituperabilis: tametſi in homine talis poſſit eſſe per accidens; quatenus ſcilicet aliquando imperari poteſt a voluntate. Idcirco per ſe nihil pertinet ad morum regulas, ſicuti reliqui timores ſpectant; utpote qui radicati ſunt in appetitu rationali, qui ſolus Morali ſubiicitur diſciplinæ. Quare de aliis, utpote qui boni ſunt vel mali moraliter, ideſt per quos aliquo modo convertimur ad Deum, vel a Deo recedimus, noſtrum erit inſtitutum diſſerere.

Obiectum timoris, prout eſt in viatoribus, cum malum ſit; quandoque homo ita malum meruit, ut a Deo recedat: & hic timor dicitur mundanus. Quandoque autem ſic timet, ut metu mali ad Deum accedat illique inhæreat: & ſi metus ſit aut tantum aut principaliter pœnæ, eſt timor ſervilis; ſi ſolum culpæ, eſt filialis, ſi principaliter culpæ, & ſecundario pœnæ, eſt initialis. De ſingulis loquitur Scriptura. De mundano Matth. cap. X. *Nolite timere eos qui occidunt corpus:* de ſervili Rom. cap. VIII. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore:* de initiali Eccli. cap. I. *Initium ſapientiæ timor Domini*: de filiali Eccli. cap. II. *Serva timorem illius, & in illo veteraſce*. His conſentanee loquitur S. Auguſtinus de timore mundano *Serm.* CXLIII. *de temp.* alloquens Petrum, dum Chriſtum negaſſet: *Mortem* (inquit) *timendo, vitam negaſti. Modo intellige: Quando timuiſti mori, tunc mortuus es.* Idem etiam de ſervili & filiali Tract. XLIV. in Io. *Eſt timor ſervilis; & eſt timor caſtus: eſt timor ne patiaris pœnam; eſt alius timor ne amittas iuſtitiam*. Clarius tamen de omnibus quatuor gradibus S. Bernardus in Serm. de villic. iniquit. *Timor*, inquit, *quadriformis eſt: ſcilicet mundanus, ſervilis, initialis, & filialis*.

Ipſius obiectum.

De timore mundano. Timor mundanus, ut liquet ex dictis, ſemper eſt malus: & quia prohibetur Matth. cap. X. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*: & quia procedit ex amore mundano, id-

Digitized by Google

ideſt quo quis innititur rebus mundi ut fini ; quod eſt inordinatum & contra illud Io. cap. 1. *Nolite diligere Mundum , neque ea quæ in Mundo ſunt* . Unde timor mundanus non vocatur omnis timor quo timetur aliqua res creata ; ſed quo illa ſic timetur , ut propterea deſeratur iuſtitia , ac Deus offendatur : quia ita eam timemus, ut eius cauſſa ſimus parati iuſtitiam deſerere , aut illicita committendo , aut debita omittendo , ideſt peccare mortaliter. Huiuſcemodi timor eſt peccatum letale , & propriiſſime timor mundanus.

De ſervili. Circa timorem ſervilem , nempe ad dignoſcendum num bonus , an vero malus ſit , duo ſunt conſideranda : ſcilicet ipſe timor , ſeu ipſius ſubſtantia , & ſecundum talem conſiderationem eſt bonus ; & ipſius ſervilitas , & ſecundum talem reſpectum eſt malus. Bonum eſt timere pœnam ; malum vero ſerviliter timere, ideſt ita timere malum pœnæ , ut nondum ametur bonum iuſtitiæ : ut D. Thomas 2. 2. *quæſt.* XIX. *art.* 4. vere dixerit , timorem ſervilem , inquantum ſervilis eſt , adverſari caritati . Sed cum ſervilitas iſta ad ſubſtantiam eius timoris qui ſervilis dicitur , non pertineat ; ſicuti nec informitas fidei ad ſubſtantiam fidei quæ informis dicitur : ſequitur , timorem ſervilem ſecundum ſuam ſubſtantiam bonum eſſe , licet ſervilitas ei adiuncta mala ſit . Ita vero fatendum eſt , hunc pœnæ timorem donum eſſe : ut *Rom. cap.* VIII. teſtetur Apoſtolus , eum eſſe donum Spiritus Sancti. Nam dicens : *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore* : iterum ſatis ſignificat , & hunc timorem procedere a Spiritu Sancto ; ac ab eo aliquando quibuſdam datum fuiſſe , ut populo Hebræo in ipſa legis acceptatione . Idemque ſignificat II. ad Timoth. cap. 1. *Non enim dedit nobis ſpiritum timoris* : eum nempe qui datus eſt Iſraeli. Sed ut clarius res enucletur ; notandum eſt , timorem pœnæ ſeu ſervilem diverſimode conſiderari poſſe. Primo, ut pœna timeatur veluti ſummum malum , videlicet ut æque vel plus timeatur pœna quam Dei offenſa : & hic timor vere & proprie eſt ſervilis. Etenim non ſolum eſt ſervilis ex parte ſubiecti , hoc eſt ex parte illius qui pœnam metuit ; ſed ex parte etiam obiecti , quia more ſervorum timet plus pœnam quam offenſam : & huiuſcemodi timor malus eſt ; quia inordinatus. Inordinatum porro eſt , æque vel plus minus malum metuere quam maius ; non ſecus quam plus vel æque amare bonum creatum quam increatum. Secundo, conſiderari poteſt timor pœnæ , prout eſt de pœna vel de malo quidem ingenti ; ſed non ſummo : neque ſic , ut ad illud evadendum quis peccare velit , ſed potius propter illud peccatum vitare velit ; licet ad illud vitandum nondum feratur amore iuſtitiæ . Hinc ſervilis eſt hic timor : quia aſſimilatur timori ſervorum , qui dominis ſuis obediunt non amore recti vel odio mali culpæ , ſed timore pœnæ . Nihilominus bonum eſſe hunc timorem, de fide certum eſt : quia ſicut antea Leo X. hoc docuerat in ſua Bulla contra Lutherum damnando inter alios ipſius articulos eum quo docebat , *timorem gehennæ facere hominem peccatorem & hypocritam* ; damnatinnem firmavit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* IV. & *can.* V. Et eiuſmodi timorem frequenter Scripturæ ſanctæ commendant : ut , ſicuti quidam exponunt, dicatur initium eſſe ſapientiæ *Eccli. cap.* 1. Beda in hoc ſenſu eum locum expoſuit ; ſicuti & ante ipſum intellexit S. Auguſtinus *Tract.* IX. *in Epiſt. Io.* Declararunt pariter Tridentini Patres , timorem Domini expellere peccatum ; nec poſſe eum qui ſit ſine timore, iuſtificari : & Iſaias inquit cap. XXVI. *A timore tuo , Domine , concepimus & peperimus ſpiritum ſalutis*. Quare frequens eſt ſtilus Scripturarum, metu gehennæ ac ſeveritatis iudicio deterrere homines a peccato , & excitare ad iuſtitiam. Et hoc frequens eſt apud Sanctos Patres , & præcipue apud S. Auguſtinum, qui etiam oſtendit , ex hoc ſervili timore viam parari ad amorem iuſtitiæ & caritatis. Ait enim in Pſalm. CXXVII. *Timent quidem , ſed non amant iuſtitiam. Cum autem per timorem ſe continent a peccato: fit conſuetudo iuſtitiæ ; & incipit quod durum erat , amari , & dulceſcit Deus , & iam incipit homo iuſte vivere*. Item S. Baſilius eleganter docet timorem neceſſarium eſſe, quo erudiantur qui terrena ſapiunt : *Timor enim* (ait in Expoſit. Pſalm. XII.) *quidam introductorius neceſſario ad pietatem condiſcendam aſſumitur : caritas vero a timore inſtructius exercitatos ſuſcipiens perficere ſolet* . Et alibi timorem pædagogum eſſe dicit ad exercendam pietatem . Concilium pariter Tridentinum conſentanee Scripturæ & Patribus docet *ſeſſ.* VI. *cap.* VI. peccatores per timorem divinæ iuſtitiæ quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem erigi. Et contrarium huic doctrinæ damnat *ſeſſ. cit. can.* VIII. Tertio, timor ſervilis conſiderari poteſt ſecundum quod per eum timetur pœna : & propter il-

 lam

ſam abſtinetur quidem ab opere externo peccati; ſed tamen retinetur voluntas peccandi, ſi peccari poſſet impune. Timor ſervilis hac ratione conſideratus poteſt quidem nullum eſſe peccatum; ſed tamen quicumque ita metuit, vel actu, vel habitu peccat: quia adhuc habet voluntatem divinæ legi contrariam. Ita S. Auguſtinus *Serm.* xv. *de Verb. Apoſt.* ait: *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit*. Et S. Proſper *lib. ſententiar. ex D. Aug. ſent.* XXVII. hæc habet: *Qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, ſibi tamen plurimum nocet: & abſtinens ab iniquo opere, ſola tamen reus eſt voluntate*.

Hinc colligi debet, Scripturam & Sanctos Patres commendare quidem ſervilem pœnæ timorem: numquam tamen commendaſſe ieſt timorem ſervilem huiuſce tertii generis, ſi timoris ſervilitatem: ſed quatenus, propoſita comminatione pœnæ, retrahimur ab opere & ab affectu, ſeu ab omni voluntate peccati cui videmus illam pœnam a divina iuſtitia ſtatutam.

De timore initiali & filiali. Initialis vero timor medius eſt ſervilem inter & filialem. Timor filialis, qui aliis etiam nominibus exprimi ſolet & appellari (ideſt ſanctus, caſtus, ingenuus, amicabilis, ac reverentialis) ille dicitur quo quis Deum offendere timet, & per offenſam ſeu culpam ab ipſo ſeparari: aut certe Deum veneratur ac reveretur tamquam ſupremum rerum dominum, ae peccatorum iuſtiſſimum vindicem; & ex tali reverentiali timore peccatum refugit, ne eum offendat. Huiuſmodi timor eſt ille qui ab omnibus laudatur & præcipitur: ut Pſalm. XXXIII. *Timete Dominum omnes ſancti eius*: & Pſalm. CXI. *Beatus vir, qui timet Dominum*. Hinc timor filialis menſuratur a caritate, & perficitur: ita ut quanto magis creſcit caritas; eo magis creſcit etiam iſte timor, ac eo magis creſcit peccatorum agnitio & fuga. Et revera quanto magis quis alium diligit; eo magis timet eum offendere & ab eo ſeparari. Hinc videmus homines quo ſanctiores ſunt, eo diligentius fugere a peccati occaſionibus, adeo ut aliquando, ubi etiam culpa non eſt, culpam timeant, ut de ſe ipſo teſtatur Iob cap. IX. *Verabar omnia opera mea*: & S. Auguſtinus *Enarrat. in Pſalm.* XVIII. inquit: *Quanto Eccleſia ſponſum ſuum ardentius diligit; tanto diligentius cavet offendere*.

Nec obſtat illud Io. cap. IV. *Perfecta caritas foras mittit timorem*: quia hic loquitur Apoſtolus de timore ſervili, qui pro obiecto reſpicit pœnam iam commeritam, ideoque animum cruciat metu ſuppliciorum quæ mala excitat conſcientia. Caritas vero, quia bonam parit conſcientiam, non obſtante pœna, quæ levis non eſt, quam gignit timor offenſionis ac ſeparationis, animam lætificat; ideoque caritas excludit quidem pœnam ſervilis metus, non vero omnem pœnam ſeu anxietatem: alioquin ſpem etiam excluderet quæ, prout ſperati boni poſſeſſio differtur, affligit animam. Servilis porro timor, licet, quatenus ſervilis eſt, non maneat cum caritate; quia cum talis ſervilitas plus pœnam timeat quam Dei offenſam, repugnat caritati, ae proinde non eſt in eo qui per caritatem factus eſt filius Dei: attamen nihil prohibet quin manere poſſit, & revera maneat cum caritate habitus timoris ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam conſiderati, quatenus pœnam reſpicit, abiecta interim ſervilitate, ſicuti fides informis quæ caritatem præcedit, remanet cum caritate, abiecta informitate. Non enim repugnat ſimul conſiſtere amare iuſtitiam, quod eſt caritas; & timere pœnam, non ut principale malum. Unus eſt igitur idemque timor, in quo quis timet gehennam ante & poſt acceptam caritatem, quamvis poſt acceptam caritatem ac filiationis donum deſinat eſſe ſervilis. Eſtius, Silvius, aliique.

Cum initialis vero timor nullam ſignificet habitudinem ad ſervilem timorem, ſed potius ad filialem: non eſt coniungendus cum ſervili, tamquam cum eo in eadem ſpecie conſiſtat; ſed potius cum filiali. Proinde initialis ſpecie differt a ſervili, & eſt eiuſdem ſpeciei cum filiali: ut a filiali non differat; ac proinde non diſtinguatur a filiali, niſi ſecundum perfectum & imperfectum. Dicitur enim initialis ſecundum quod competit ſtatui incipientis agere vitam ſpiritualem, quæ inchoatur a timore cum inchoatione ſeu per inchoationem caritatis: Unde conſtat, hunc timorem eſſe filialem. Ita igitur timor initialis comparatur ad filialem, ſicut imperfecta caritas ad perfectam: unde eo ferme pacto quo inter caritatem perfectam & imperfectam non eſt eſſentiale diſcrimen, ſed accidentale dumtaxat, ſecundum maius & minus; inter timorem pariter initialem & filialem nonniſi huiuſcemodi intercedit differentia. Quocirca ulterius intelligitur, obiectum timoris initialis idem eſſe cum timore, & cum obiecto timoris filialis; videlicet offenſam Dei, & ab ipſo Deo ſeparationem.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE OBLIGATIONIBUS SPECIEBUS CERTORUM STATUALIUM ET OFFICIORUM.

IN toto orbe poſt generis humani propagationem diverſitas officiorum induci cœpit; ac proinde etiam conditionis perſonarum ad bene ordinatum Reipublicæ regimen, ſicut humanæ vitæ quies felicitaſque exquirebat. Exinde autem alii alios regunt; & his Reges vel Principes appellantur, & ſeniores vel Senatus, ſi regimen penes multos verſetur, ut in Rebuſpublicis: alii nobilioribus miniſteriis occupati Principibus vel Reipublicæ inſerviunt; & propriis nominibus diſtinguuntur, ut Principum conſiliarii, provinciarum gubernatores, legati, duces militiæ. Haud abſimili modo in Chriſtiana Eccleſiæ Republica, licet omnes qui ei nomen dederunt ac ſunt in eius gremio & obedientia, a Chriſtiana profeſſione Chriſtiani dicantur (ad differentiam eorum qui ſunt extra gremium & obedientiam, quorum alii infideles, alii ſchiſmatici aut hæretici appellantur) datur tamen in ipſa fidelium communione & ſocietate non leve diſcrimen inter eos qui miniſtrant in Eccleſia & regunt, & eos qui de tali miniſterio participant ac eccleſiaſtico regimini ſubiiciuntur. Primi enim clerici vocantur, & habentur velut Patres; reliquus vero Chriſtianorum cœtus laicorum nomine explicatur. Quare cum primi ratione ſui miniſterii intimius Deo adhæreant, ex quo nobilior Eccleſiæ pars conſtituitur; maior etiam in his requiritur Chriſtianæ profeſſionis perfectio ac decus. Sicut igitur ad conſequendum Eccleſiæ finem, qui eſt æterna ſalus & hereditas, cuicumque fideli duo præcipue incumbunt; nempe declinare a malo, & agere bonum: ita cuicumque ex clericorum ordine duo maxime neceſſaria ſunt; ſcilicet ut clerici modo ab aliis diſtincto a vitiis ſe abſtineant, & præcipuas dotes virtuteſque etiam excellentiore modo poſſideant & colant. Hinc clericorum obligationes in primis diſpiciendas aggrediar, acturus poſtea de aliis etiam præcipuorum ſtatuum obligationibus. Porro cum ex dotibus quæ præcipue neceſſariæ ſunt ad clericalem ſtatum, aliæ ſint veluti prærequiſitæ diſpoſitiones; aliæ clericali ſtatui perpetuo adnexæ: de utriſque breviter hic agendum.

CAPUT I.

De clericorum obligationibus.

CLericorum nomen dupliciter accipi poteſt. Late ſeu generaliter: & in tali ſenſu in materia favorabili veniunt omnes omnino clerici, ſive tonſuræ tantum vel minoribus Ordinibus initiati, ſive in maioribus conſtituti, ut Sacerdotes, Canonici Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum (*cap.* Clericos, *cap.* Cum tibi XVIII. *de verb. ſignificat.*) immo ipſi quoque Epiſcopi aliique in dignitate conſtituti, ut Cardinales & Abbates. *Cap.* Si quis ſuadente XXIX. *c.* XVII. *q.* IV. Item veniunt in favorabilibus ſub tali nomine Monachi & Regulares omnes, tum mares, cum feminæ ſeu Sanctimoniales (*cap.* De Sanctimonialibus XXIII. *de ſent. excom.*) & eorum Converſi & Converſæ (*cap. eod.*) Novitii & Novitiæ (*cap.* Religioſos *de ſent. excom.*) Tertiarii & Tertiariæ Mendicantium in congregatione & communitate viventes, ex Conſtitutione Leonis X. quæ incipit *Dum intra*; edita die prima Martii MDXVIII. in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* I. Item Moniales Tertiariæ in propriis domiciliis viventes, virginalem cælibemque vitam agentes, ex voto caſtitatis de expreſſa licentia Epiſcopi emiſſo, ex eadem Conſtitutione Leonis X. Item Eremitæ habitum eremiticum ex legitima facultate deferentes, & ſub ſpeciali obedientia Epiſcopi vel alterius Prælati, alicui Eccleſiæ vel Eremitorio in communitate vel ſeparatim deſervientes. Omnes hi cenſentur eccleſiaſticæ perſonæ. Sic Gloſſa in *cap.* Qui vere XII. *c.* XVI. *q.* I. aſſerens, quod tales Eremitæ gaudent privilegio cleri-

ricorum, licet non renuntient propriis. Fagnanus in *cap.* Nullus *de for. compet. num.* 16. Item omnes qui, aſſumpto habitu religioſo, Monialium ſervituti ſunt addicti, ac pro illis eleemoſynas ferunt, & prope Monaſterium earum more degunt. Sic etiam laici qui habitu clericali incedunt & inſerviunt Congregationi Presbyterorum qui collegialiter ſub certo ſuperiore vivunt, ut Presbyteri Oratorii S. Philippi Nerii in Italia, & Oratorii Ieſu in Gallia & Belgio. Sic Antonelli & Matthæuccius. Equites item S. Ioannis Hieroſolymitani, nunc Melitenſes, cum ipſi emittant tria vota ſubſtantialia a Sede Apoſtolica approbata, ſunt vere Religioſi. In materia vero odioſa, ſcilicet cum agitur de damno vel incommodo clerico inferendo, nomine clericorum ſtricte ſeu ſpecialiter veniunt dumtaxat ſoli inferiores clerici ſæculares; non autem Canonici, Abbates, aliique: niſi ſecus exprimatur, vel aliunde de oppoſito conſtet. Regul. xv. iur. in 6. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari*: & Reg. xlix. *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda*. Nihilominus tamen in iure nomine clerici intelliguntur omnes qui ſunt in clero, ſive minoribus, ſive maioribus Ordinibus initiati.

Nota, clericorum alios ſimplices clericos eſſe; alios beneficiarios, nempe qui proviſi ſunt aliquo eccleſiaſtico beneficio. Ex his autem alii tenentur ad reſidentiam, ideſt ad ſervitutem alicui Eccleſiæ præſtandam; alii immunes ſunt ab hoc onere. Iis vero qui beneficium poſſident cui adnexum eſt onus reſidentiæ, vel animarum cura incumbit, ut Epiſcopis & Parochis; vel liberi ſunt a tali penſo, ut Canonici & præbendati.

§. I.

De dotibus requiſitis in iis qui ſtatui clericali initiari velint.

Inter dotes, quæ exiguntur in initiandis clericali ſtatui, aliæ ſunt corporis; animi aliæ. Cum vero de corporis dotibus acturi ſimus, ubi de irregularitate diſſerendum erit in tractatu de cenſuris: hinc, hiſce omiſſis, de dotibus animi hic habebitur ſermo. Porro quia nimis operoſum longumque eſſet omnes ſigillatim animi dotes exponere; ideo ſatis erit, ſi præcipuas in præſentiarum expendamus: nempe vocationem ad clericalem ſtatum, innocentiam vitæ, & ſufficientem ſcientiam. Iam alias alibi recenſebimus, ubi de ſacramento Ordinis diſputationem aggrediemur.

§. II.

De vocatione ad clericalem ſtatum requiſita in initiandis.

Clericatus eſt ſtatus, quo homines præcipuo Dei ſervitio in miniſterio divinorum myſteriorum & ſacri verbi mancipantur, cuius famulatus electionem Deus particulari iure ſibi ſervavit; ita ut ſacro templi & divini verbi miniſterio illi tantummodo inſervire poſſint ac debeant quos Deus ſpecialiter elegerit: ut patet *Exod. cap.* xxviii. in deſtinatione Aaronis eiuſque poſterorum in quibus Sacerdotium gratiæ figurabatur, Tabernaculi miniſterio in lege Moſaica; & in electione Apoſtolorum quibus ſuccedunt omnes Eccleſiæ Sacerdotes, in lege Evangelica, ut ipſis Apoſtolis Chriſtus Dominus proteſtatus eſt: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Io. cap. xv. Hinc ad hoc ut quis nomen ſuum clericali ſtatui dare queat, omnino neceſſaria eſt ſuprema Spiritus Sancti vocatio. Porro hoc conſtat ex pluribus ſacræ Scripturæ oraculis; & præcipue *Heb. cap.* v. ubi D. Paulus ita clericalis inſtituti candidatos alloquitur: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu*. Unde manifeſtiſſime patet ex generali Apoſtoli allocutione negativa (*Nec quiſquam*) quæ nullam patitur exceptionem, neminem ſibi ſtatum clericalem arrogare debere, quantalibet fulgeat ſcientia, vel pietate emineat, niſi ad illum ſupernaturaliter vocarum ſe ſentiat.

Ita docuere Sancti Patres, quorum teſtimonia pene innumera, niſi brevitatis inſtitutum impediret, afferri poſſent. Idcirco pro omnibus ſatis mihi erit unum vel alterum proferre. S. Cyprianus Epiſt. lv. ad Cornel. *Ita eſt*, inquit, *aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet ſine iudicio fieri Sacerdotem*: & S. Bernardus de vit. Clericor. cap. v. *Quid iſtud temeritatis; immo quid inſaniæ eſt? Ubi timor Dei? ubi mortis memoria? Sponſa nec cubiculum, nec cellam ingredi niſi Rege introducente præſumit: tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus?* Hinc manifeſte patet, quam horrendum ſit eorum ſcelus qui ad Ordines accedunt non vocati, ut evidenter ex eorum moribus deprehendi poteſt, qui tam graphice, vivide, clareque illud indicant, ut lumen adiicere luci meridiani Solis præſumat

qui

Digitized by Google

qui ea diſcurrendo illuſtrare & explanare voluerit. Tournely. Hinc factum fuit ut tot ſancti viri gravi percuſſi ſuæ indignitatis timore, necnon incertæ vocationis ad ſacros Ordines, alii fugam tentaverint, alii fortiter ſuæ electioni ad clericalem ſtatum reſtiterint, ut melius ſuæ ſaluti conſulerent, ſicuti de SS. Cypriano, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Magno, Ambroſio, aliiſque innumeris hiſtoriæ teſtantur.

Vocationis finitio.

Vocatio ad ſtatum clericalem eſt divinæ providentiæ ſupernaturalis actus & diſpoſitio qua Deus quoſdam præ aliis eligit, hoſque quibuſdam congruis præparat exornatque dotibus, quibus ſua munia digne, ut eorum exigit ſanctitas, exequi valeant. Dicitur *actus ſeu diſpoſitio divinæ providentiæ*: quia ſi divina providentia ad omnia etiam viliſſima ſe extendit; multo magis intendit ad ea quæ pertinent ad Eccleſiam, quam Chriſtus exhibere ſibi voluit glorioſam ſponſam. *Providentiam ceteris creaturis non negamus* (ait S. Bernardus Serm. LXVIII. in Cant. num. 2.) *curam ſponſæ vindicat ſibi*. Nam Eccleſiæ gloria & ſplendor maxime pendet ex Præpoſitorum ipſius delectu & converſatione. Dicitur *qua Deus aliquos præ aliis eligit*: ut vocatio ad Ordines & eccleſiaſtica miniſteria diſtinguatur a vocatione ad vitam æternam, ad quam omnes conditi ſunt; cum ad ſtatum clericalem pauci ex hominibus formati ſint, ut Apoſtolus ait I. ad Corinth. cap. XII. *Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* Quis igitur non videt, quam turpis & pernicioſiſſimus ſit eorum error qui pro diverſa familiarum conditione clericalem ſtatum aſſumunt & dimittunt? ita ut ſi frater natu maior adſit qui poſſit matrimonio inſervire, minor clericatum amplectatur; vel hunc deſerat, ſi alter moriatur, vel ſponte, vel parentum conſilio & auctoritate: quaſi clericalis ſtatus non eſſet Dei electio & præparatio.

Duplici ratione eius neceſſitas oſtenditur.

Duplex autem ratio omnino requirit hanc Dei internam ac ſupernaturalem electionem & præparationem ſeu vocationem ad clericatum. Prima enim eſt, ne divina auctoritas & dominium lædatur. Et ſane nonne Principis auctoritatem dominiumque offenderet qui, ipſo invito, ipſius publica adminiſtrare vellet negotia: ut iura populis decernere, civitates regere, militiæ præſidere, hiſque ſimilia peragere? Porro Eccleſia eſt domus Dei, familia, & regnum: idcirco ad ipſum pertinet diſtribuere officia, dignitates, & honorum gradus, prout vult, ut Epheſ. cap. IV. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores in conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii*. Unde ſi operario non vocato, immo contra voluntatem patrisfamilias, ingredi non licet eius vineam, ut in ea eradicet & plantet; multo magis illicitum erit ingredi Eccleſiæ vineam & domum, non vocante, immo invito cæleſti patrefamilias, qui Eccleſiæ eſt Sponſus; & (quod etiam peius eſt) obtrudere domeſticos ac miniſtros, diſpenſare pro libito ipſius Eccleſiæ bona, ac illa conſanguineis: velut hereditaria reddere. Certe qui ita ſe gerit, non per Chriſtum, ſed per fortunam quam ambitioſe colit, viam ad ea ſibi aperit.

Altera ratio eſt, quia vocatio eſt tamquam radix & fundamentum ex quo pendet gratiarum ſeries quæ cuique ſtatui conveniunt, ut admonuit Chriſtus Dominus Io. cap. X. *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur* (ideſt quocumque ſe verterit, quidquid egerit, ſuccedet pro voto) *& paſcua inveniet*: ideſt cibos divinæ providentiæ. Hinc S. Leo Serm. I. in die Aſſumpt. *Qui mihi*, inquit, *honoris eſt auctor, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adiutor: & ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem*. Si igitur vocatio tollatur: deficit ædificii fundamentum, & obturatur fons gratiarum & donorum, quibus apti efficimur ac prompti ut munia quæ Angeli formidant, apud Deum laudabiliter ac fructuoſe nobis aliiſque percurramus. Adde, quod qui ſine gratiæ ſubſidio temere, Deo non vocante, Sacerdotii viam ingreditur; in tali licet ſpirituali, ſancta, & divina occupatione numquam Deo placere poterit. Nam etiamſi ſedulo incumbat ut rite ac ſtrenue impleat quæ ſunt Sacerdotii; nihilominus offenſionem Dei iis operibus incurret quibus alter legitime vocatus eius affectum ſibi conciliaſſet. Etenim opus nullum, quantumvis ex natura ſua bonum, poteſt eſſe gratum Deo & acceptum, niſi fiat ad eius nutum & voluntatem: cum Deus velit ut ipſi ſervitutem præſtemus & obſequium in eo vitæ genere ad quod nos vocat; non vero quod nos ex beneplacito noſtro eligimus, ac ideo contrarium eius voluntati & ordinationi, quia tunc facimus quod volumus nos, non quod Deus vult.

Qui igitur nomen ſuum clericali ſtatui dare cogitat, ſerio ipſi conſiderandum eſt explorandumque, num vocatus ſit, an non. — Vocationis ſigna.

Et hoc ex triplici ſignorum ratione deprehendere poterit. Alia enim denotant, nequaquam hanc Dei vocationem electionemque eſſe: alia eam adeſſe clare ſignificant: alia denique, utpote ambigua, nihil certi præſeferunt.

Signa quibus conſtat, aliquem non eſſe a Deo vocatum, breviter explicantur ab Hallerio Part. I. ſect. III. cap. II. §. IV. de Ordination. *Impurus es & ad obeunda munera incapax ex corpore & animæ defectu*; *mala arte Sacerdotium præripere tentas*; *ambitione duceris vel avaritia*; *inhias honori, non oneri*; *non operis aut cupidus, aut ſaltem patiens? Non te vocat Deus; ſed diabolus tentat*. Impuritas tamen ſeu morum corruptio, ſi fiat ut cum auxilio divino, devote ac enixe petito, vere ac perſeveranter emendata fuerit; vocationem non impedit. De hoc tamen opus eſt ut moraliter certior reddatur longiore experimento de ſua perſeveranti in melius converſione, præcipue quoad ea quæ ad continentiam pertinent, utpote obſervatu difficiliora. Signa moraliter certa vocationis ſunt iudicium periti directoris, qui diſcretionem habeat ſpirituum, & de Eccleſiæ bono ſit apprime ſollicitus: congeries & complexus qualitatum ſive animi, ſive corporis, quæ neceſſariæ ſunt ad ſacra Sacerdotalis ſtatus munia peragenda; nempe intentio promovendi omni qua licebit via Dei gloriam ſuique ac proximorum ſalutem: eccleſiaſticæ diſciplinæ, & a fortiori ipſius Eccleſiæ ſummus amor ac ſollicitudo: nativa aut diu comprobata ad clericalem ſtatum propenſio: ingens eius dignitatis ac ſacrorum miniſteriorum æſtimatio. Quando hæc vel deſint, vel ſaltem imperfecte ſentiantur: vocatio tunc vel nulla eſt; vel ſaltem valde dubia. Qui igitur in negotio tanti momenti errare nolit, ſedulo ſcrutari debet divinam voluntatem primo oratione: ſecundo, ſapientum piorumque hominum ac in rebus eccleſiaſticis apprime verſatorum conſilio & perquiſitione, eis ſincere aperiendo ſinus & receſſus conſcientiæ. Etenim hac via moderator cordis percipere poterit candidati ingenium, animi propenſionem, divinas motiones, & virtutum incrementa: exindeque cum magno fundamento iudicium feret, num divinitus præordinatus ſit ad divina miniſteria; quin & promotor ipſe poterit eſſe ut Epiſcopo ſe offerat. Porro ita ſaltem ſecurus erit, quod non deflectat a regula præſcripta, aut nihil agat niſi ex obedientia & quodammodo impulſus, ne divinæ ſe opponat voluntati & ordinationi ſibi expoſitæ. Sed de iis fuſius in tractatu de ſacramento Ordinis.

§. III.

De innocentia vitæ in clericis requiſita.

Ad clericalem ſtatum morum innocentia eſt omnino neceſſaria: vel quæ diligenter ſit ſervata, quod eſt valde rarum; vel ſaltem congrue inſtaurata, quod rarius. Et univerſim intelligitur de ſtatu clericali; immo etiam de prima tonſura: ſed præcipue prout includit minores Ordines, eſt certiſſimum. Hæc eſt conſtans doctrina Sanctorum Patrum, inter quos S. Auguſtinus *Tract.* XLI. *in Io. num.* 10. hæc habet: *Apoſtolus Paulus quando elegit ordinandos vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicumque ordinandus eſt ad præpoſituram Eccleſiæ, non ait: Si quis ſine peccato eſt. Hoc enim ſi diceret; omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait:* Si quis ſine crimine eſt, *ſicuti eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cetera huiuſmodi. Cum cœperit ea non habere homo* (*debet autem non habere omnis chriſtianus homo*) *incipit caput erigere ad libertatem*. Igitur ſecundum D. Auguſtinum requirit D. Paulus pro Sacerdote non hominem ita innocentem, ut numquam peccaverit, cum immunitas, ſaltem a venialibus ſit ſpeciale privilegium; unde nemo deberet ordinari: ſed hominem qui ſi ceciderit, ſe erexit & per pœnitentiam *incipit caput erigere ad libertatem*. S. vero Iſidorus Hiſpalenſis *lib. II. de offic. eccleſiaſt. cap.* V. ait: *Quod is qui poſt baptiſmum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, lex ipſa teſtatur*. Similia habet S. Bernardus *Tract. de converſ. ad cleric. cap.* XIX. Et ſane ſi per crimen aliquod capitale commiſſum homines fiunt irregulares, ut videbimus agentes de cenſuris, ſcilicet Ordinibus indigni: patet evidenter, maximam ſanctitatem exigi in iis qui ſtatui clericali, ideſt ſacris Ordinibus cupiunt initiari. Hoc enim expoſtulat dignitas, ſanctitas, ſublimitas ipſius Sacerdotii, ut videlicet (ait D. Ambroſius de dignit. Sacerdot. cap. III.) *qui Clerici ſunt profeſſione, actione potius demonſtrent quam nomine; ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini*. Et S. Gregorius *Paſtoral. cur. Part. I. cap.* XI. comprobat hoc exigi in Sacerdote, ac proinde in iis qui requirunt ſacris Ordinibus promoveri; quia Sacerdotis munus eſt,

eſt, apud Deum interceſſionis locum pro populo accipere: quod fructuoſe peragere nequit *qui familiarem ſe gratiæ eius eſſe per vitæ meritum neſcit. Quomodo autem aliis veniam poſtulat*, ait Sanctus Pontifex, *qui utrum Deus ſibi ſit placatus, ignorat? Qua in re adhuc aliud eſt ſollicitius formidandum ne qui placare iram poſſe creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur*. Immo ſi clerici laicis deberent prælucere verbis & operibus; unde in Evangelio dicuntur lux Mundi & ſal terræ quo fideles ſapore ſanctitatis condiantur: *tanta debet eſſe* (ait S. Hieronymus Epiſt. XII. ad Fabiol.) *ſcientia & eruditio Pontificis Dei ut greſſus eius & motus vocalia ſint ... Quidquid agit quidquid loquitur, ſit doctrina populorum*. Sanctitas profecto requiritur in clericis: quandoquidem hæc eſt profeſſio quam emittunt in recipienda tonſura, ſicuti demonſtrat ritus quem obſervat Eccleſia in clericali tonſura conferenda. Nam verba hæc, *Dominus pars hereditatis meæ*, quæ profert initiandus, dum tondetur, ſunt ſolemnis profeſſio, qua declarat & ſpondet ſe renuntiare ſæcularibus deſideriis, abiicere placendi curam per veſtimentorum & capillorum cultum, ſolumque Deum fore deinceps ipſius ſortem, divitias, & omnia. Et ſane Eccleſia in tali ſenſu accipit hæc verba, ut denotat oratio quam poſtea fundit Epiſcopus, Deum deprecando ut ſicuti tonſi capillos pro amore Dei depoſuerunt, ſic in eius dilectione perenniter permaneant, & eos ſine peccato in ſempiternum cuſtodiat. Quare antiquitus hæc erat Patrum in Eccleſia diſciplina: ut videlicet non admitterent ad clerum qui innocentiam baptiſmalem aliquo crimine, præſertim carnis, commaculaſſet. Si qui vero poſt clericatum ſimile crimen commiſiſſent; numquam Ordinibus & ſacris Eccleſiæ miniſteriis reſtituebantur, ut habetur ex Origene *lib. III. contra Celſ.* ex Tharaſio Patriarcha Conſtantinopolitano, ex Concilio Carthaginenſi IV. teſte Innocentio II. ex Siricio Papa *Epiſt.* I *cap.* XIV. præcipue de maioribus eccleſiaſtici miniſterii officiis. Ita enim ibi ait Pontifex. *Qui quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere qui dudum fuerint vaſa vitiorum*. Unde ex iis colligitur, quod licet de patrato crimine pœnitentiam egiſſent, hoc non obſtante, ad clericalia munia non remittebantur (ut patet etiam ex *can.* XVI. inter eos qui Apoſtolici vocantur) ita ut non reciperentur poſt pœnitentiam in communionem, niſi tamquam laici: ſicut Cornelius Papa ſcripſit ad Fabianum Antiochenum, referente Euſebio, de uno ex tribus Epiſcopis qui Novatum ſimplicitate animi ab eo decepti ordinaverunt. Sic ex Van-Eſpen.

Serio igitur cogitent omnes clericali militæ adſcripti, & qui minoribus & eo magis qui maioribus initiati ſunt Ordinibus, quod ſicut habitus, ut dicit Concilium Tridentinum de Monachis non facit Monachum; ſed mores auſterioriſque vitæ inſtitutum: ita non depoſitio ſæcularis indumenti, non capillorum tonſio, non promotio ad ſacros Ordines faciunt vere & formaliter clericum (iſta enim alia ſunt quædam inſignia; alia quædam notæ, quibus a laicis diſcernuntur; aliæ conſecrationes quibus apti redduntur ad ſacra miniſteria) ſed habere intus clericalem animum, hoc eſt ſanctioris vitæ ſtudium: alias ſunt clerici larvati, non ſecus ac in theatris ad breve tempus hiſtriones vices gerunt Principis, ducis militiæ, & ſimilium, nempe ſe fingunt quod revera non ſunt. Aſſumptio enim religioſi nominis proprie & ex ratione ſua *eſt ſponſio devotionis*: ait Salvianus *lib. II. ad Eccl. cath.* Recordentur promiſſionem ſanctitatis qua in tonſione capillorum ſe Deo obſtrinxere, ſe eius ſervitio & cultui mancipando, contenti ut pro ſortibus Mundi quibus vale dederunt, ipſum ſolum velut hereditarium patrimonium fortunamque poſſideant. Videant, quæſo, qui ad ſtatum clericalem accedunt, ne dum ſibi videantur pluris gloriam Dei æſtimare, neceſſaria vitæ commoda principaliter intendant: ſicuti plerumque forſan & in quamplurimis contingit, ut in tanta noſtrorum temporum corruptela accedant ad Ordines potius inhiantes commoda temporalia quæ in clericali ſtatu inveniuntur, quam gloriam Dei ipſiuſque famulatum. Contra talem deteſtabilem abuſum militant canones Concilii V. & VIII. necnon Tridentini *ſeſſ.* XI. *cap.* IV. *de reform.*

Monitum pro clericis.

§. IV.

De ſcientia quæ in clericis requiritur.

Scientia profecto neceſſario requiritur in iis qui ſunt in munere Sacerdotali: cum ad hoc etiam Deus inſtituerit ſuos ſpirituales miniſtros, ſive in Synagoga tempore legis Moſaicæ, ſive in Eccleſia in lege gratiæ, ut præter adminiſtrationem rerum ſacrarum in templo & ſuarum precum mediatio-

tionem apud ipſum Deum pro populo, ipſum edoceret teneretur divinam legem; ea ſcilicet omnia quæ erga Deum præſtare debet, ut ipſius maieſtatem dominiumque recognoſcat ac veneretur, unde meritum ſibi comparet ad æternam conſequendam ſalutem. Hinc *Deuteron. cap.* VII. Deus recordatur populo ut in omnibus ſuis difficultatibus & ambiguitatibus circa ea quæ ad legis ſpectant obſervantiam vitamque ſancte componendam, recurrat ad Sacerdotes, ut in iis quæ neſcit, inſtruatur: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris ..... venies ad Sacerdotes:* & Malach. cap. II. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Hinc *Matth. cap.* V. dictum eſt Sacerdotibus: *Vos eſtis lux Mundi.* S. Hieronymus in *cap.* II. *Agg.* inquit: *Si Sacerdos eſt; ſciat legem Domini. Si legem Domini ignorat; convincitur ſe non eſſe Domini Sacerdotem.*

Quænam ſcire debeant clerici.

Similia habent etiam alii Patres. Tenentur igitur qui ſunt ex ordine clericali, & præcipue in maioribus Ordinibus conſtituti, ſcire Scripturam & canones, tum ut iis vitam ſuam conforment; tum ut illa populum edoceant, ut eos qui contradicunt, poſſint arguere. Scripturas ſanctas & canones meditentur Sacerdotes; omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat; atque ædificent cunctos tam fidei ſcientia, quam operum diſciplina. Ita Concilium Toletanum IV. *can.* XXIV. relatum a Gratiano. Et huiuſmodi ſtudia ac ſcientiam curare debent non ſolum Sacerdotes; verum etiam inferiores clerici qui iam ſunt in via Sacerdotii (ut docet S. Hieronymus in *cap.* II. *Epiſt. ad Tit.*) & non ſolum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui præſident, converſatione, ſermone, & ſcientia præcedant; verum etiam & inferior gradus exorciſtæ, lectoris, æditui, & omnes omnino qui domui Dei deſerviunt: quia vehementer Eccleſiam Dei deſtruit, meliores eſſe laicos quam clericos. Inſuper ſcire tenentur ea quæ ad ſacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XIV. *de reform.* Ea pariter non ignorare tenentur quæ neceſſaria ſunt ad reſolvendos ſaltem ordinarios conſcientiæ caſus: quorum tamen ſolutionem in canonibus, in decretis ſummorum Pontificum, & in Sanctorum Patrum ſcriptis requirent. Qua in re caveant a quibuſdam Caſuiſtis qui quamplurimas habent laxitudines contra Chriſtianam Moralem: quæ exinde non inſerviunt niſi ad aperiendam fidelibus æternæ perditionis viam, ut ſapienter, præclare, ac ardenti ſalutis fidelium zelo ſuccenſus admonet doctiſſimus Cardinalis Bellarminus in *Opuſc. ad Nepot. Epiſc. Thean.* his verbis: *Si quis velit tuto ſaluti ſuæ conſulere; is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quod multi hoc tempore dicant aut faciant.... Agitur enim de ſumma rerum, cum de ſalute æterna tractatur: & facillimum eſt, conſcientiam erroneam exemplo aliorum inducere, & eo modo, conſcientia non remordente, ad eum locum deſcendere ubi vermis non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Et ſane abſque harum rerum ſcientia, & præcipue divinæ Scripturæ, ſacrorum Canonum, ac principalium regularum Ethices Chriſtianæ, quomodo edoceri queunt fideles, ac dirigi in viam ſalutis: immo ex tali ignorantia & huiuſce luminis carentia fiet (ut prædixit Chriſtus Dominus) quod veluti cæci cæcis ducatum præſtantes, ambo in foveam æternæ perditionis cadant. Scriptura enim & canones ſunt principia & fundamentum totius Chriſtiani inſtituti; ut ſine his nec recte credere, nec iuſte operari valeamus.

Ignorantes & clericatu excluduntur.

Hinc merito ignorantes & illitterati per ſacros canones qui hoſce irregulares declarant, ideſt ineptos ad ſacrum Eccleſiæ famulatum, a Sacerdotio repelluntur: cum etiam a Deo ipſo a tali munere repellantur, ut Oſe. cap. IV. *Quia repuliſti ſcientiam; ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Idcirco Gelaſius *Epiſt.* I. & Concilium Toletanum prohibent a clericali ſtatu illitteratos & indoctos. Quare cum ſcientia adeo clericis neceſſaria ſit; mirum non eſt, ſi antiquitus eligebantur ad Epiſcopatum illi ſolummodo qui doctoris nomen & officium haberent: utpote qui eſſe debebant magiſtri in Eccleſia ad erudiendos in Catholica doctrina populos, docendo & evangelizando. Et hæc eſt præcipua ex dotibus quas requirit D. Paulus in Epiſcopo; ac proinde in omnibus aliis qui in ſuſcipiendis ſacris Ordinibus idem munus edocendi ſuſcipiunt: *Oportet Epiſcopum .... eſſe doctorem.* I. ad Timoth. cap. III. Hinc antiquitus, ut provideretur litterariæ educationi promovendorum ad ſacros Ordines, Epiſcopi in propria domo ſcholas aperuerunt, ubi in ſacris litteris clerici erudiebantur, ut conſtat ex S. Athanaſio, quem cum aliis pluribus in epiſcopali domo erudiri iuſſit Alexander ipſius Athanaſii in Sede Alexandrina prædeceſſor. Ita Socrates *lib.* I. *cap.* XI. Sic etiam ſta-

tuit

tuit a Concilium Toletanum II. *can.* I. Sic etiam huic negotio conſuluit S. Gregorius Magnus, ut notat Ioannes Diaconus in *Vita S. Gregor. lib. I. cap.* XIII. Immo, adeo excreſcente in dies multitudine fidelium, & exinde clericorum copia, ut ſchola in epiſcopali palatio ſatis eſſe non poſſet pro tot clericis erudiendis, ſubſequentibus temporibus quilibet Presbyter ſcholam habebat in propria domo ad clericorum inſtructionem, ut ex Concilio Valentino *can.* I. Item præter domum Epiſcopi & Presbyterorum aliæ inſuper ſcholæ percelebres erectæ fuerunt: inter quas reſplenduit Alexandrina ubi longo tempore Origenes docuit, itemque ea quam aperuit Edeſſæ Protogenes, ex quibus viri magni nominis prodiere. Pia ſollicitudo providendi Eccleſiæ ſapientes miniſtros, ac reformandæ eccleſiaſticæ & clericalis diſciplinæ, movit religioſum animum Caroli Magni eiuſque ſucceſſorum (ut de Carolo Magno teſtatur Concilium Cabilonenſe II. anno DCCCXIII. *can.* III.) qui ad hunc finem varias in Galliis inſtituerunt ſcholas, ubi in ſacris litteris & canonicis inſtitutis adoleſcentes aliquando ad clerum promovendi inſtituerentur. Ad hunc finem proximis temporibus Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XVIII. iuſſit & erectionem Seminariorum in qualibet diœceſi, & lectionem Scripturæ, ſacrorum canonum, moraliſque diſciplinæ in Cathedralibus, ſtatuendo ut vel ex ſuppreſſione alicuius beneficii vel alio modo inſtitueretur inter Canonicos earumdem Cathedralium præbenda theologalis, qua proviſus huiuſcemodi haberet lectiones. Hoc pariter fieri iuſſit in Regularium Monaſteriis, curando ut omnimode habeatur neceſſaria ſacrorum miniſtrorum eruditio.

§. V.

De iis quæ fugienda ſunt a clericis.

Hic non agitur de vitiis fugiendis: dum manifeſtiſſime patet ex iam dictis de innocenti clericorum vita, quod non ſolum ab omni prorſus vitio ſe abſtinere debent; ſed ornamento præterea virtutum ſplendeſcere. Idcirco ſi dicitur per Pſalmiſtam cuicumque Chriſtiano: *Declina a malo, & fac bonum*: multo magis hoc dici cenſendum eſt clericis, qui fulgore ſuæ ſanctitatis & virtuoſis exemplis debent viam ad Chriſtianam perfectionem aliis commonſtrare: Neque minus compertum eſt, inter vitia dari non pauca quæ magis clericalem ſtatum dedecent, & vividius divinam concitant iram: cuiuſmodi ſunt incontinentia, intemperantia, & præcipue ebrietas, infame avaritiæ crimen, ambitio, ſimonia plurium ſcelerum ſcaturigo, hypocriſis quæ virtutes ipſas vertit in peccatum, aliaque id genus quæ præcipua nota ab iis qui de rebus eccleſiaſticis pertractant, notata fuerunt. Generatim tamen loquendo, nullum debet eſſe peccatum quod eccleſiaſtici omnes ob eorum ſanctitatis profeſſionem horrere non debeant. De his igitur hic ſermo non eſt; ſed de multis aliis quæ tametſi non ſint illicita laicis, clericos dedecent, ut ipſis ſint imputabilia etiam ad culpam: ut armorum geſtatio, venatio, militia, negotiatio, ſæcularium negotiorum tractatio, ludus, cohabitatio & familiaritas cum mulieribus, præcipue ſuſpectis, chirurgia, medicina, popinarum ingreſſus & præcipue frequentatio cum ebrietate, luxus, ſpectacula, choræ, larvæ. De his igitur ſigillatim hic agendum.

§. VI.

De geſtatione armorum clericis vetita.

Clericis ſine iuſta ac rationabili cauſſa, ideſt nonniſi ad propriæ vitæ neceſſariam defenſionem, vetitum eſt per ſacros canones arma deferre (*cap.* II. *de vit. & honeſt. clericor.*) etiam ſub pœna excommunicationis. Quare inferunt doctores, clericos deferentes arma peccare mortaliter; cum excommunicatio non feratur niſi ob grave crimen: quia communiter dicunt auctores cum S. Ambroſio Epiſt. XXXII. ad Marcell. Soror. *Clericorum arma & munimenta debent eſſe orationes & lacrymæ.*

§. VII.

De clericorum venatione.

Venatio quæ fit cum ſtrepitu, armis, canibus, vel falcone vetita eſt clericis: & mortaliter clerici peccant, ſi ſæpe ita venentur (*cap.* I. *de cleric. venat.* ex Concilio generali Lateranenſi IV. *cap.* XV. & ex pluribus aliis Conciliis provincialibus) quia venatio multum diſtrahit a gravioribus occupationibus, ut a ſtudio, ab oratione, a ſpiritualibus exercitiis & operibus caritatis; ſcandalum parit & variis periculis eſt obnoxia; nec decet ſtatum clericalem, & eo minus religioſum: idcirco ſpeciatim his prohibetur in *Clement.* I. in Concilio generali Viennenſi. Item venaticos canes intra ſuas domos retinere prohibentur: præcipue ſi ex bonis

Venatio quæ nam vetita clericis

Digitized by Google

bonis eccleſiaſticis nutriantur; cum huiuſmodi bona cedere debeant in ſubſidium pauperum & Eccleſiarum ornamentum. Idcirco non leve erit ſcelus, ſi comedant beſtiæ ea quibus pauperes Chriſti alendi eſſent & ornanda altaria ad divini ſacrificii decorem quod in his quotidie offertur, iuxta illud Matth. cap. xv. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*. Et hoc valde exprobtant ac damnant Sancti Patres: & præcipue S. Hieronymus, qui obſervat, quod trepidantes notare deberent omnes cletici venatores, non inveniri in Scripturis ſanctis ſanctum aliquem venatorem. Sic refertur in *cap.* Quorumdam I. *diſt.* XXXIV. Acriter etiam invehitur contra tales clericos S. Ambroſius relatus in *cap.* Quid prodeſt *diſt.* XLVI. Quare tametſi Epiſcopi clericis ex legitima cauſſa iam ſupra adducta concedere poſſint ut arma deferant iuxta ſacros canones; non tamen pro ſola voluptuoſa venatione. Nam a ſacra Congregatione Immunitatis declaratum fuit, conceſſam fuiſſe Epiſcopis facultatem ut ſuis clericis indulgere poſſint armorum geſtationem ex legitima cauſſa, quæ certe eſſe nequit venatio per ſacros canones clericis vetita: ita ut ſi ſecus agant Epiſcopi, immunes non ſunt a culpa; utpote qui in deſtructionem abutuntur poteſtate quam in ædificationem receperunt. Nec ullatenus eos excuſare valet, quod canonum rigor abierit hodie in deſuetudinem; cum contrarius uſus communiter invaluerit: quia Innocentius III. in reſponſione data Archiepiſcopo Turonenſi contra aleatores qui tali prætextu ſe excuſabant, declarat tales conſuetudines ob inconvenientia quæ inde ſequuntur, eſſe corruptelas & abuſus. Præterea talis excuſatio improbatur etiam a Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXII. *cap.* I. *de reform.* ubi rem eſſe clariſſimam declarat, omnia quæ ſpectant ad vitam & honeſtatem clericorum in ſuo rigore permanere: quia tales conſuetudines ſine rationabili cauſſa ſunt inductæ; ac exinde non legitime præſcriptæ, utpote quæ ad morum gravem corruptionem pertinent ac tendunt. Verum iuxta S. Raymundum alioſque licita eſt interdum clericis venatio quieta, quæ fit laqueo & retibus, cauſſa neceſſitatis vel moderatæ recretionis: quia tunc ceſſant omnes rationes ob quas vetita eſt venatio clamoſa cum armis offenſivis, ob periculum homicidii aut mutilationis membrorum, ac ideo irregularitatis. Sentiunt ceteroquin Canoniſtæ ac Theologi etiam graves, clericos qui non abuſive & frequenter, ſed raro in anno, moderate & modeſte ſine habitus clericalis depoſitione in ſaltu vel in agro ſclopo venatorio uterentur ad venandas aves recreationis gratia, non eſſe proceſſandos nec puniendos: neque ſicuti contra eos qui abuſive, ſæpe, ſine modeſtia & clericali habitu eſſe ita procedendum; ſed cum ſupradictis eſſe connivendum & diſſimulandum. Ita Gloſſa in *cap.* I. *de cleric. venat.* Monacæli, Pignatellus, Hoſtienſis in *Sum. tit. de venat.* §. *Sin*, & alii. Nec video hanc ſententiam in ſuo ſenſu improbandam: eo quia in hac quoque rationes de venatione clamoſa & voluptuoſa non concurrant de periculis ſclopi venatorii.

Quænam licita.

§. VIII.

De militiæ exercitio vetito clericis.

Militia ex *can.* Quicumque XXIII. *q.* VIII. ex *can.* V. *diſt.* l. & ex Apoſtolo II. *ad Timoth. cap.* II. vetita eſt clericis quia bellica exercitia (ait S. Thomas 2. 2. *quæſt.* XV. *art.* 2.) maxime repugnant illis officiis quibus Epiſcopi & clerici deputantur. Illa enim maximas inquietudines habent, unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum. Item quia non competit clericis occidere vel effundere ſanguinem; ſed magis eſſe paratos ad propriam ſanguinis effuſionem pro Chriſto. Hinc tale exercitium vetitum fuit Clericis præcipue *can.* VI. *c.* XXIII. *q.* VIII.

§. IX.

De negotiatione deque aliis officiis quæ clericis prohibentur.

Nota, quod negotium ſæculare iuxta Fagnanum in *cap.* Cum multa §. I. Ne clerici vel Monachi *num.* 18. & *ſeqq.* primo ſimpliciter accipitur large & pro omni eo quod provenit ex carnali concupiſcentia non ſubiecta freno rationis, ut ex *cap.* Cum multa ſunt *cit.* Dicitur *negotium ſæculare*: quia per illud vivitur omnino ſæculariter, ideſt ſecundum ſæculum ſeu Mundum & carnem; non ſecundum Deum & ſpiritum. Et hæc prohibitas ſunt etiam laicis. Secundo, accipitur ſtricte: & comprehendit quidquid ad Rempublicam mundanam & ſæculares homines pertinet. Et licet hoc ſit permiſſum laicis; clericis tamen eſt interdictum, ut *cap.* Fornicari X. *diſt.* LXXXVIII. & *L.* Pla-

Negotiatio quid.

Digitized by Google

Placet *cod. de Epiſc. & cleric.* ubi clerici nihil habere dicuntur cum pluribus actionibus ad curiam pertinentibus, cuius corpori non ſunt adnexi. Hi enim vacare debent Reipublicæ ſpirituali; & laici temporali. *Cap.* Duo ſunt genera 1. *q.* 1. Negotium tandem ſæculare ſtrictiſſime accipitur pro exercitio negotiatoris ſeu mercatoris, ut ex *cap.* Quid eſt aliud XIII. *diſt.* xc. & *cap.* Solitæ *de maiorit. & obedient.* Et hoc negotii genus illud eſt de quo nunc agitur: & eſt emptio rei cum intentione integram & non mutatam vendendi. Hæc autem negotiatio ea

Clericis vetita.

eſt de qua ſacri canones loquuntur, eamdem tametſi licitam clericis & Monachis interdicendo. *Cap.* xv. *de vit. & honeſt. cleric.* ex Concilio generali Lateranenſi IV. ex *Clement.* 1. *eod. tit.* & ex *cap.* VI. *Ne clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant*. Nam valde indecorum eſt, clericos & Religioſos terrenis quæ contemnere debent, incumbere: præcipue cum negotia ſæcularia nimis retrahant homines a ſpiritualibus, quibus incumbere ſpeciale munus eſt clericorum, ut *cap.* Numquam *diſt.* v. *de conſecrat.* & *cap.* Clericus XXX. *diſt.* XCI. Item a Concilio Chalcedonenſi *can.* III. eis prohibetur conductio prædiorum alienorum, ut ex eorum fructibus lucrentur: quia eorum ſtatui eſt valde indecorum. Quare clerici omnes, ſive in maioribus, ſive in minoribus Ordinibus conſtituti, ſi præcipue congruam habeant ſuſtentationem, ſive ex eccleſiaſtico beneficio, ſive ex bonis patrimonialibus, ſe immiſcentes ſæculari negotiatione cupiditatis & turpis lucri gratia peccant mortaliter: & ſuſpendi poſſunt a divinis; immo, & excommunicari, ſi ter admoniti non reſipiſcant. *Cap.* Negotiatorem IX. *diſt.* LXXXVIII. ubi præcipitur ut ſuſpendantur ab officio eccleſiaſtico: *cap.* Secundum VI. *Ne clerici vel Monachi*, ubi decernitur ut excommunicentur: immo, *cap.* Clericus *diſt.* XCI. imponitur iiſdem pœna ut ab officio ſuo degradentur. Et huiuſmodi pœnæ ita graves non ſolet imponi niſi propter graviſſimas culpas.

Aliquando licita eſſe poteſt.

Dantur tamen plures caſus in quibus clerici licite negotiationem exercere valent, & nullam pœnam incurrunt. Primo, ſi negotiationem exerceant non turpis lucri cupiditate; ſed mera neceſſitatis vel favoris gratia, ut ſe ſuoſque alant: cum non habeant unde aliunde vivant; vel bona quæ habent, ad eorum victum non ſufficiant. *Cap.* Multa ſunt negotia 1. *Ne Clerici vel Monachi*. Secundo, quando clerici bona quæ habent patrimonialia vel beneficii, excoli faciunt, animaliaque neceſſaria ad hunc effectum emunt ac vendunt. Ita ſacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium in *Baren.* XV. Novembris MDCXVI. Tertio, ſi clerici vinum ſuum etiam minutatim vendiderint: cum pluries ſacra Immunitatis Congregatio ita decreverit; præcipue in *Ravenn. & Spolet.* XXV. Septembris MDCXXVII. Et ſic poſſunt vendere panem coctum & ad minutum ex frumento collecto in prædiis canonicalibus, ſine ſuſpicione illicitæ negotiationis. Abbas *conſil.* IX. *in fin.* Barboſa *lib.* I. *Iur. eccleſ. univ. cap.* XL. *num.* 30. Quarto, quando a principio defuit animus lucrandi vel negotiandi: ideſt quia clericus emit pertinentia ad ſe ſuamque familiam ſuſtentandam per totum annum; & præter propoſitum empta ſuperſunt, vel diminutione familiæ, vel alia ratione; & pretio currenti etiam cariore quam erat, & abſque illicitæ negotiationis periculo vendere poteſt. Proſper de Auguſt. in *addit. Quaran. verb.* Vectigal *verſ.* 3. & Barboſa *loc. cit.* cum aliis. Poſſunt etiam alere & locare oves & boves, aliaque animalia quæ habent ex ſucceſſione vel decimis; necnon fructus eorum vendere abſque reatu illicitæ negotiationis. Non poſſunt tamen ad hoc animalia emere, ut ex locatione vel ſocietate lucrum percipiant. Vetitum eſt pariter clericis ſuſcipere appaltus aquæ vitæ, tabacci, ceræ, aut ſimilium, iuxta reſponſum ſacræ Congregationis Concilii in Civitate Plebis II. Auguſti MDCLXXVII. Et cohærenter dictis plures habentur reſponſiones quæ in ſimilibus caſibus datæ fuerunt a Congregatione, allatæ a Barboſa.

Poſſunt tamen clerici lucrum percipere ex operibus manualibus & artificialibus ſine reatu negotiationis interdictæ, qua res emitur ut integra ad lucrum revendatur; & in artificialibus emitur materia quam immutando opus aliquod artificiale conficitur. Nam artificium manuumque operatio clericis non interdicitur; dummodo tamen hoc non fiat ex turpis lucri affectu: quia, hoc præciſo, artificium non implicat ad peccatum; ſed ſolum exercitii gratia, & ut aliquod percipiatur emolumentum ad propriam ſuorumque honeſtam ſuſtentationem. Porro tantum abeſt, quod ita exercitium clericis interdicatur, quin potius eiſdem præcipitur ut laudabile, quærere victum ex opere manuum ſuarum. Ait enim Apoſtolus Act. cap. XX. *Ad ea quæ mihi opus erant, & iis qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.*

Hunc

Hunc autem morem tenuerunt antiqui Monachi, qui ex operibus ſuarum manuum, quæ iiſdem opus erant, ſibi providebant: & nunc obſervant Monachi Baſiliani Eremi *del Tornon*, quos commendavit Clemens VIII. in ſuis litteris ſub datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris die XXIII. Septembris MDCIII. Immo in Monaſteriis Ægypti nullus ſuſcipiebatur incapax operandi & laborandi, non tam pro victus neceſſitate, quam propter animæ ſalutem, ne vagarentur ſimiles Monachi pernicioſis cogitationibus. *Cap.* Numquam XXXIII. *diſt.* v. *de conſecrat.*

Alia officia clericis vetita.

Ceterum inter negotia, artes, & officia clericis vetita multa etiam alia reperiuntur. Nam interdicitur clericis, præcipue beneficiariis aut in ſacris conſtitutis, agere officium procuratoris & advocati in foro ſæculari, in quo poſtulare non poſſunt niſi pro ſe ipſis, pro Eccleſia, aut ſi neceſſitas urget, pro miſerabilibus perſonis. *Authent. de ſacr. Epiſc.* §. *Deo autem*: & in corpore iuris canonici *can.* Quia Epiſcopi *c.* v *q.* III. & *cap.* Cum Sacerdotis ſit officium III. *eod. tit.* additur, poſſe etiam pro perſonis coniunctis; & minime pro aliis, ne pro Principibus quidem & magnis dominis. Item prohibentur eſſe Principum vicegerentes, vicedomini, cancellarii, locorum præfecti, præpoſiti, iudices, adminiſtratores, vel quacumque alia ratione officiales. *Cap.* Clericus v. *Ne clerici vel Monachi*, ubi clericis prohibetur officia ſæcularia exercere: ac proinde prohibentur præcipue Sacerdotes ne inſerviant laicis in vilibus domus officiis, & multo minus nobilibus feminis ancillentur & obſequia præſtent, ac ſi eſſent homines infimæ conditionis. *Cap.* Sacerdotibus II. *b. t.* Inſuper ſpecialiter interdicitur clericis officium tabellionis ſive notarii publici (*Cap.* Sicut te VIII. *b. t.*) præterquam in Curia Romana in Papæ ſervitio: quia eo ipſo quod Papa clericos ad hoc munus eligit, eos ad illud habilitat. Sic Fagnanus. Necnon pro Epiſcopis & Archiepiſcopis, ut in *cap.* Multorum *eod. tit.* Sic Hoſtienſis, Barboſa, & alii. Item ubi viget conſuetudo (*cap. fin. de conſuetud.*) maxime in cauſſis eccleſiaſticis coram iudice eccleſiaſtico, ut pleriſque in locis, pro ſuis actuariis, tabellionibus, cancellariis. Pariter abſolute interdicitur clericis, iudicium ſanguinis exercere, aut ſententiam ſanguinis dictare, proferre, vel executioni ſententiæ intereſſe, ac quidquam agere ad vindictam ſanguinis ordinatum. *Cap.* v. *b. t.* Hinc clerici ſeu Prælati eccleſiaſtici habentes temporalem iuriſdictionem poſſunt, immo debent cauſas ſanguinis laicis delegare: & id generaliter, non ſpecialiter. *Cap.* Epiſcopus *eod. tit.* Similiter non poſſunt clerici proponi imperatores in bello vel duces militum, ut advertit Abbas in *cap.* Sententiam *b. t.* Licet tamen clericis bello iuſto intereſſe, ac milites ad pugnandum hortari (*Cap.* Hortatu x. & *cap.* Ut pridem XVII. c. XXIII. *q.* VIII.) dummodo tamen res bellicas, nempe aciem vel tormenta bellica nullo modo dirigant. Similiter non poſſunt clerici & Religioſi in ſcholis publicis ſeu Univerſitatibus publice ius civile & medicinam audire (*cap.* v. *eod. tit.*) ad hoc ut ſtudium Theologiæ & ſacrorum canonum magis frequentetur, pro extenſione & defenſione Catholicæ fidei contra ſuos impugnatores.

Notandum hic tamen eſt, quod dicitur publice & in ſcholis: cum privatim domi non prohibeatur clericis ac Religioſis operam dare ſtudio iuris civilis; præcipue ſi hoc fiat pro pleniore intellectu iuris canonici & Theologiæ. Sic communiter, teſte Fagnano in *cap.* Super ſpecula *b. t.* Barboſa *ibid.* & alii. Canones enim & pontificiæ Conſtitutiones loqui videantur, iuxta Navarrum, Reinſeſtuel, Fagnanum, de publica harum facultatum auditione; non vero de eaſdem legentibus & docentibus privatim.

Nam ipſis ſit vetita medicina & chirurgia.

Item interdicitur clericis medicinam & chirurgiam docere (*Cap.* Sententiam IX. *eod. tit.*) & ſpecialiter hoc prohibetur Religioſis (*cap.* Tua nos XIX. *de homicid.*) ſicut etiam his interdicitur exercere: *cap.* Ad aures VII. *de ætat. & qualit.* Nam medicina & chirurgia præter varios errores & pericula quibus ſubiacent, ſunt officia ſæcularia: & notat Abbas in *cap.* Sententiam IX. *b. t. num.* 21. & 22. eſſe abſolute vetita clericis, etiamſi citra aduſtionem & inciſionem illa exerceant. *Cap.* Multa ſunt negotia I. *eod. tit.* Et de medicina multo magis patet: quia ſi prohibetur eius ſtudium; multo magis profecto vetitum cenſendum eſt eius exercitium. Sic Abbas in *cap.* Cum quid XXXIX. *de reg. iur. in* 6. ubi hæc habentur: *Cum quid prohibetur; prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo.* Hoc tamen limitant doctores in caſu urgentis neceſſitatis, & ceſſante periculo mortis. Tunc enim licite exercent clerici medicinam & chirurgiam: & ſæpe talis facultas concedi ſolet Presbyteris a ſacra Congregatione Concilii, ut medicinam exercere valeant abſque irregularitate;

cum

cum clauſula tamen : *Gratis & amore Dei erga omnes*. Ex quo ſequitur, quod clerici ad medicinam exercendam diſpenſati mercedem recipere nequeant, ut ex eadem clauſula colligitur. Multo minus poſſet Sacerdos medicus a publico conduci, merce conventa, ut reſpondit ſacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium VI. Septembris MDCXCVII. Quod ſi in Brevi appoſita ſit alia clauſula, ideſt *Attenta penuria Medicorum*: hæc moraliter intelligenda eſt.

Quid de tutela. Vetitum eſt pariter clericis exercere tutelam teſtamentariam pro extraneis, ut ex ſacra Congregatione Epiſcoporum in *Salernit.* XXIV. Iunii MDCXIX. Iiſdem tamen hæc conceditur pro conſanguineis uſque ad quartum gradum, ut ex *cap.* Pervenit XXVI. *h. t.* Sic tenent Graſſi, Turrecremata, aliique paſſim. Non debent tamen adminiſtrationem ſuſcipere, niſi accedente ſuperioris licentia, ideſt ſacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium. Immo legitima tutela in ſimili caſu concedi ſolet etiam Regularibus; appoſita clauſula: *Dummodo extra clauſtra non pernoctent.* Ordinarie tamen clericis hæc facultas a proprio Epiſcopo concedi ſolet.

Quoad negotia clericis vetita, attendenda eſt Conſtitutio Benedicti XIV. fel. record. quæ incipit *Apoſtolicæ ſervitutis* : & quoad pœnas etiam a ſacris canonibus & apoſtolicis Conſtitutionibus comminatas.

§. X.

De ludis clericis vetitis.

Clericis ſeveriſſime vetitus eſt alearum ludus ſeu chattarum, taxillorum, teſſerarum; & maxime ludi qui magis fortuna quam arte vel induſtria ludentium reguntur. Habetur expreſſe in *can.* XLI. & XLII. inter eos qui Apoſtolici vocantur, ubi contra tranſgreſſores, niſi deſiſtant, ſtatuitur pœna depoſitionis aut excommunicationis. Item ex *can.* I. *diſt.* XXXV. & ex *cap.* XI. *de exceſſ. Prælat.* necnon ex multis etiam Conciliis, præcipue generali Lateranenſi IV. celebrato ſub Innocentio III. *cap.* Clerici *de vit. & honeſt. cleric.* ubi hæc habentur : *Clerici ad aleas & taxillos non ludant*, *nec huiuſmodi ludis interſint*. Antiquas autem ea de re prohibitiones innovavit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *cap.* I. *de reform.* præcepitque ut etiam ſeverius puniantur, ſi neceſſe fuerit, qui deprehendantur hiſce prohibitionibus non paruiſſe. Sic etiam quædam Concilia provincialia ſæculo XVI. celebrata, ut Burdiglaenſe, Senonenſe, Mediolanenſe I. *Part.* II. Immo legibus etiam civilibus alearum ludus clericis interdicitur, ut in *Authent.* Interdicimus *cod. de Epiſc. & cleric.* quia talis ludus eorum ſtatui indecorus eſt, & multis malis ac peccatis obnoxius. Quare mortaliter peccant clerici qui frequenter & lucri gratia, necnon cum notabili temporis iactura, & eo magis ſi publice & cum aliorum ſcandalo, talibus ludis incumbunt. Ita Navarrus, Layman, Reinfeſtuel, aliique. Secus vero dicendum (ut late docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXVIII. *art.* 2.) ſi luſerint privatim, non ludis fortunæ, ſine ſcandalo, de bonis patrimonialibus; aut etiam ex reditibus ſuorum beneficiorum in modica quantitate, ſpectato ſtatu ſuo & redituum copia; recreationis, & nullatenus lucri gratia : eo vel maxime quod rigor antiquorum canonum ſit nunc remiſſior ex inducta conſuetudine; & quia canones loquuntur de iis qui aleæ ac ebrietati deſerviunt, ideſt crebro & per longum tempus ludunt, ſeu luſui maxime incumbunt, ut explicat Gloſſa in *cap.* Epiſcopi *diſt.* LXXXV. *verb.* Deſerviens *h. t.* Unde patet, quod ſi eccleſiaſtici ad animi corporiſve laxationem honeſti alicuius ludi exercitium ſibi utile ac neceſſarium credant, ſic illud attemperare debent, ut perſonæ, loco, & tempori conveniat. Sic Van-Eſpen aliique doctores, præcipue Reinfeſtuel. Ludum autem ſcachorum ſeu latrunculorum non eſſe clericis vetitum, docet Abbas in *cap.* Clerici XV. *de vit. & honeſt. cleric. num.* 4. Barboſa, aliique.

Quoad ludos vero ut ſupra clericis vetitos, nempe alearum, taxillorum, aliorumque fortunæ qui non recreationis gratia frequentantur, iure ac merito clericis interdicuntur: eo quod plura ex illis oriantur inconvenientia recenſita ab Archidiacono in *cit. cap.* Epiſcopi *diſt.* LXXXV. Nempe deſiderium lucrandi; & ſic eſt cupiditas radix malorum omnium : voluntas ſpoliandi proximum; & hæc eſt rapina. His adde multiplicata mendacia; verba obſcena, otioſa, & vana; blaſphemiæ; corruptio maxima plurimorum qui ad ludum videndum & concupiſcendum interveniunt; ſcandalum malorum ; contemptus legum Sanctæ Matris Eccleſiæ quibus tales ludos clericis præcipue interdicit; amiſſio temporis; & interdum deſperatio.

Quare ſi quis attenderit incommoda ex ſimilibus ludis provenientia, facile intelliget, quod contraria multorum clericorum conſuetudo (non paucis tamen eam reproban-

bantibus) canonum auctoritatem non poſſit ita enervare, ut ludos illos clericis licitos reddat. Nam ſi mala ob quæ canones ludos huiuſmodi clericis prohibuerunt, ſerio expendantur: facile conſtabit illos non iuri mere poſitivo, quod conſuetudine tolli poteſt; ſed etiam naturali inniti, & exinde illorum oppoſitam conſuetudinem non legis, ſed corruptelæ nomen mereri. Et revera hanc conſuetudinem tamquam naturali rationi contrariam reputant pro abuſu non tantum Theologi, ſed etiam Iuriſconſulti, ut Panormitanus ad *cap.* xv. *de vit. & honeſt. cleric.* aliique hic citati a Van-Eſpen. Ludus vero magis prohibetur Religioſis, quibus magis indecens eſt ac ſcandaloſus, quam clericis ſæcularibus: & eo magis quod arctiorem vitam ii profitentur. Quare magis etiam vetitus eſt in Religionibus ubi viget regularis diſciplina, ut Capuccinis & Carmelitis Excalceatis. Ita Molina, Bannez, de Lugo.

§. XI.

De cohabitatione & familiaritate cum mulieribus præcipue ſuſpectis.

Quia valde turpe eſt ac clericorum nomine indignum, ob famulatum quo ſe divino cultui dicarunt, ipſos in impudicitiis immundoque concubinatu verſari, ut res ipſa iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxv. *cap.* xiv. *de reform.* communi omnium fidelium offenſione ſummoque clericalis militiæ dedecore, teſtatur: hinc ut non ſolum ab huiuſce vitii reatu, ſed ab omni etiam eius ſpecie & ſuſpicione alieni eſſent clerici, valde ſemper ſollicita fuit Eccleſia, interdicendo clericis cum mulieribus, præcipue ſuſpectis, contubernium omne & familiarem cum iiſdem converſationem, earumque domos frequentare ac domicilia, tamquam ingerentia periculum & ſuſpicionem incontinentiæ. Et circa hoc quamplurimi habentur veterum Conciliorum canones Patrumque ſententiæ, ut *cap.* Clerici *diſt.* lxxxi. cui concordat *cap.* Si forte xxi. necnon *cap.* Cum omnibus xxvii. Præterea Concilium Antiochenum maxime reprehendit ac damnavit Paulum Samoſatenſem, quod pravo ſuo exemplo in Eccleſia Antiochena confirmaverat, ut Presbyteri & Diaconi cum magno ſuæ tum exiſtimationis, tum ſalutis periculo exitioſiſſimas feminas, quas ſubintroductas vocabant, domi haberent. Eadem voce utitur Concilium Nicænum *can.* iii. ubi eaſdem mulierculas proſcribit e contubernio clericorum, ac ſtatuit non licere clericis has ſubintroductas feminas habere, niſi forte matrem, ſororem, amitam, vel eas tantum perſonas quæ ſuſpicionem non afferrent. Eiuſdem tenoris ſunt canones Conciliorum Eliberitani, Carthaginenſium I & III. ac tot provincialium quæ poſtremis temporibus fuerunt celebrata. Et ſi hodierna diſciplina non abſolute inhibet cohabitationem clericorum cum extranea muliere; nulla tamen ipſis permittitur converſatio cum mulieribus quæ vel minimam ſuſpicionem ingerere poſſent. Sollicite igitur clerici caveant ne cum ancillis ſuis nimiam familiaritatem contrahant, aut quidquam in illis patiantur quod ſuſpicionis occaſionem præbere poſſit; & præcipue ne ancillæ ex eorum loquendi vel agendi liberiore modo videantur potius magiſtrarum, quam ancillarum nomen ſibi arrogare: quia tunc facillime oritur ſuſpicio. Porro quando res ita ſe habeat; ſtatim eas dimittere debent, & ab eorum converſatione prorſus abſtinere, præcipue quando Epiſcopus aut ſuperior iudicaverit dimittendas: & attenti ſint quando ſecum habere nequeant aliquam iure ſanguinis coniunctam, ut in ancillas ſeligant mulieres quæ ſint bonæ famæ & provectæ ætatis, ad declinandam ſuſpicionem. Ætas autem provectior cenſetur ordinarie quinquaginta annorum, ut notant aliqui Canoniſtæ; in qua ceſſat omnis ſuſpicio.

Dicitur, *ordinarie quinquaginta annorum*: ad oſtendendum aliquando dari poſſe famulas tam bonæ famæ & virtutis, ut etiam in minore ætate locum ſuſpicioni non relinquant; ſicuti dari poſſunt, ut etiam in ætate provecta ſuſpicionem moveant, immo etiam inter conſanguineas. Sed hoc remittitur prudentiæ & vigilantiæ Epiſcoporum.

Ita non ſolum ſemper vetuit Eccleſia contubernium cum ſuſpectis mulieribus; ſed etiam omnem non neceſſariam familiaritatemque cum earum qualibet etiam honeſta converſationem, & frequentare earum domos & domicilia. Hoc vero conſtat ex canonibus Conciliorum Carthaginenſium & Nicæni qui interdixerunt clericis viſitare virgines & viduas, nonniſi permittente Epiſcopo, & alio quopiam clerico comitante. Et ita etiam *cit. cap.* Clerici xx. *diſt.* lxxxi. habetur: *Clericus ſolus ad feminæ tabernaculum non accedat, neque frequenter properet ſine maioris nota iuſſione; nec ſolus Presbyter cum ſola femina fabulas miſceat; nec Archidiaconus ſub prætextu humilitatis*

aut

Digitized by Google

aut officii frequenter intret domicilia matronarum, aut forte per clericos aut domeſticos matronæ mandet aliquid ſecrete. Si quid agnitum fuerit: & ille deponatur; & illa a limitibus Eccleſiæ arceatur. Ita P. Thomaſſinus & alii.

Quis igitur non videt, quam lacrymabilis ſit ac damnabilis noſtræ ætatis abuſus, qui irrepſit intra clericalem ordinem, ut non ſolum familiares cum mulieribus converſationes clerici non effugiant; quinimmo affectent cum aliqua muliere iuveni amicitiam colere, frequenter & etiam quotidie eam viſitare, longius cum ipſa ſola morando, ludendo, & verbis ambiguis nec prorſus honeſtis iocando: ita ut fere impoſſibile dici poſſit, in tam gravi & aperto periculo incolumem ſervare continentiam; ut iam conſtat ex ipſa experientia, unde frequenter oriri videmus graviſſima ſcandala, præter continuam ſuſpicandi occaſionem quæ præbetur iis qui talem frequentiam longamque moram vident talis clerici ad domicilium illius extraneæ mulieris. Cognoſcant, quæſo, huiuſcemodi clerici ſuum ſtatum, & conſiderent ſuam obligationem innocentis vitæ, quam contraxerunt clericalem ordinem amplectendo & ſe divino cultui dicando. In mentem revocent leges eccleſiaſticas quæ pluribus in locis abſtinentiam ab omni mulierum familiaritate præcipiunt, ne periclitetur continentia ad quam eccleſiaſtici tenentur. Quid quod reſpectu mulierum quibus non ſunt vinculo matrimoniali coniuncti hoc ſervare debent etiam laici vi legis naturalis, quæ vetat non ſolum omne impudicum commercium cum muliere aliena, ſed etiam eam ſolummodo concupiſcere? Timeant tandem intemerata Dei iudicia & propriæ æternæ ſalutis periculum, quod inter huiuſcemodi ſcopula in magno diſcrimine verſatur.

§. XII.

De popinarum, cauponarum, & tabernarum ingreſſu, conviviis, & crapula.

Nomine popinarum, cauponarum, & tabernarum illa loca intelliguntur, ubi vinum, panis, carnes, aliaque huiuſce generis venduntur. Ita Gloſſa *verb.* Tabernarum *in Clement. 1. de vit. & honeſt. cleric.* Rebuffus in *l.* Taberna clxxxiii. ff. *de verbor. ſignificat.* Hæc loca ingredi ſine exigentia iuſtæ & legitimæ cauſæ, ideſt longioris itineris; ſed ſolum potandi, & multo magis potandi etiam cum ebrietate, clericis graviſſime per ſacros canones interdictum eſt. *Cap.* Non oportet ii. *cap.* Nulli clerico iii. & *cap.* Clerici iv. *diſt.* xliv. ubi ſic præciſe ſtatuitur: *Clerici edendi & bibendi cauſſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi*. Hiſce concordat *can.* xiii. inter eos qui Apoſtolici vocantur. Ita etiam decrevit Concilium Lateranenſe IV. *can.* xv. & xvi. Et concordibus ſententiis hoc vetant plura Concilia provincialia, ut Mediolanenſe I. ſub S. Carolo, Agathenſe, Aquiſgranenſe, aliaque innumera Epiſcoporum ſtatuta quæ identidem propter clericorum licentiam contra talem abuſum innovantur. Hæc graviſſima decreta ſatis ſuperque comprobant, quam enixe Eccleſia acceſſum ad tabernas, excepta cauſſa neceſſitatis, clericis inhibuerit: *ut flagitiis* (ait D. Carolus in Concilio Mediolanenſi I. tit. xxv. pag. 2.) *occaſio, quæ in cauponis & tabernis deeſſe non ſolet, adimatur; cum in cauponis & tabernis*, ut ſapienter notat Van-Eſpen, *ebrietatis comeſſationumque vitia præcipue ſoleant regnare*. Nam turpiſſima conſuetudo ibi viget, ut mutuo ſe quandoque bibentes ad hauſtus æquales provocent, certentque hac infamia ceteros vincere. Igitur nonniſi neceſſitatis cauſſa, longioris videlicet itineris, poſſunt clerici talia ingredi loca, ad potandum & comedendum: & ſi alias fecerint; peccant mortaliter, ac merito poſſunt eccleſiaſticis cenſuris, puta ſuſpenſionis, excommunicationis, aliiſque temporalibus pœnis multari, ſi fuerint contumaciter perſeverantes. Certe optandum eſſet, ob huiuſmodi incommoda quæ occurrere ſolent in cauponis, ſicut proviſum fuit per S. Carolum, ut ſaltem in civitatibus aliqua pudica domus parata eſſet pro clericis iter agentibus, ne cogerentur ad tabernas divertere, quæ ob acceſſum cuiuſcumque generis perſonarum, tum virorum, tum mulierum etiam infamium, habent non parum dedecoris ac periculi.

Dixi etiam *potandi cum ebrietate*. Cum enim periculum incidendi in ebrietatem adſit in frequentatione cauponarum; proinde clericis eo magis eſt vetitum divertere ad talia loca ex genio ſe inebriandi: quia ſi tam exoſum fœdumque vitium Eccleſia ſemper execrata eſt in laicis; eo etiam magis in eccleſiaſticis, quorum ſtatus decori maxime repugnat. Idcirco graviſſime præcepit ut ab hoc vitio tam abominabili prorſus ſe abſtinerent, ut colligitur ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. *cap.* xiv. de

Margin notes: Popinarum ingreſſus ſine iuſta cauſſa clericis vetitus.

de vit. & honeſt. cleric. ubi hæc habentur: *A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant: unde vinum ſibi temperent, & ſe vino.* Hinc Synodus Agathenſis can. xli. *Ante omnia*, inquit, *a clericis vitetur ebrietas, quæ eſt omnium vitiorum fomes & nutrix.* Quod autem dicitur de ebrietate, quæ eſt exceſſus in potatione vini; idem dicendum de crapula, quæ eſt exceſſus cibi ſeu immoderata voracitas & ingluvies, qua ſtomachus prægravatur: cum non minus quam ebrietas cauſſa ſit libidinis aliorumque vitiorum; ac proinde non minus vetita a Chriſto Domino *Luc. cap.* xxi. ubi hæc præcipit: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.*

Crapula & convivia ipſis interdicuntur.

Porro cum proxima occaſio crapulæ ſint convivia; ideo horum frequentia clericis interdicitur. Eccleſiaſticis igitur, quantum fieri poteſt, vitanda ſunt convivia. Cum enim in conviviis occurrere ſoleant ea quæ concupiſcentiam carnis & intemperantiam excitant ac alliciunt; nemo non videt, quantopere a conviviis clerici abhorrere debeant: tum quia ipſis temperantia cibi & potus ob caſtitatis votum quo obſtringuntur, ſummopere eſt neceſſaria; tum etiam quia ipſi exemplo ſuo fideles docere debent, alimenta non voluptatis, ſed neceſſitatis cauſſa tamquam medicina eſſe ſumenda. Ægre hoc ſibi perſuadebunt clerici qui conviviis intereſſe amant. Inſuper quia in conviviis quis ſe continere valet a vaniloquiis, nugis, aliiſque facetiis? ut peiora ſileam & quæ illa conſequuntur, ſcilicet mentis evagationem, ac ipſius ſpiritus devotionis imminutionem, ne dicam extinctionem: præcipue ſi in iis etiam mulieres venuſtæ & eleganter comptæ interſint, unde multo gravius aperitur continentiæ periculum ad quam clerici tenentur. Item quia pariter difficile eſt, quod qua decet eccleſiaſticum fortitudine, ſervata tamen Chriſtiana prudentia, corrigere poſſit & redarguere illa quæ contra temperantiam, caſtitatem, aliaſque virtutes ſæpe accidunt. Quare ſi ſincere omnia hæc mala quæ in conviviis imminent, perpendantur; facile apparebit, quam merito Sancti Patres factis & ſcriptis oſtenderint præſertim clericis convivia tamquam multorum occaſiones malorum eſſe vitanda: illudque ſervandum eſſe S. Hieronymi monitum in Epiſt. ad Nepotian. *Numquam* (convivia) *petentes*, *raro accipiamus rogati. Facile enim*, ut idem Sanctus Doctor notat, *contemnitur clericus qui ſæpe vocatus ad prandium, ire non recuſat.* Conſultius igitur eſſet præcipue Paſtoribus qui urbanitatis gratia & ex quodam non contemnendo affectu ſolent ſæpius invitari ad convivia ab eorum parochianis, nec uni ordinarie negare poſſent quod aliis annuunt, ſi ad imitationem S. Ambroſii quem ſibi imitandum propoſuerat etiam S. Auguſtinus, ſemel & ſimul ab omnibus conviviis ſe excuſarent. Sic Van-Eſpen.

Quod ſi clericis interdicitur propter allata incommoda frequentare convivia; quid dicendum de illis qui in propria domo etiam ex eccleſiaſticis proventibus inſtituunt convivia tam ſumptuoſa, ut iis non cedant quæ in ſuis palatiis habere ſolent Magnates? ut præcipue Eccleſiarum Paſtores faciunt in eorum ſolemnitatibus, vulgo *Sagre*, in confratrum Parochorum congregationibus pauperum patrimonium prodigendo: quia uno convivio luxurioſe & indecenter in viro eccleſiaſtico, & multo magis in Paſtore, inſumunt quod ſatis eſſet ad ſuſtinendos plures pauperes per menſem. Quis non videt, quantum hoc horrendum impiumque ſit, & apud divina iudicia reprehenſibile ac damnabile? & eo magis, quod ſæpe innovata fuerit in Synodis diœceſanis pragmatica iuxta ſacros canones pro honeſta, diſcreta, ac quæ eccleſiaſticos & præcipue beneficiarios decet, horum conviviorum frugalitate.

§. XIII.

De luxu & elegantia veſtium a clericis vitanda; & de choreis, larvis, ac comœdiis a quibus debent clerici abſtinere.

Clericorum modeſtia & frugalitas.

Sollicita Eccleſia de ſuorum miniſtrorum religioſo decore in fidelium ædificationem, ac proinde cupiens ut eorum modeſtia in veſtitu eluceſceret, cavit ne umquam corda eorum vanitas pervaderet, ſtatuendo ut clerici luxum omnem ac affectatam veſtium elegantiam vitarent; immo omnem frugalitatem ac humilitatem non minus ac in victu, in veſtitu quoque exhiberent, ut habetur præcipue in Concilio Nicæno II. can. xvi. *Omnis luxus & vanitas corporum eſt a Sacerdotali ſtatu aliena. Epiſcopos ergo vel clericos qui ſe ſplendidis & inſignibus veſtibus exornant, ſe corrigere oportet: ſin autem permaneant; ſupplicio tradi.* Cleri enim luxus non Eccleſiæ curam, ſed contemptum denotat; non eſt gloria, ſed opprobrium ſtatus eccleſiaſtici; non ædificatio populi, ſed ſcandalum. Ita Auctor Formæ cleri *Part. III. cap.* vii.

Chor-

Choreæ ipſis prohibentur. Choreas ducere ſeu ſaltationes, vulgo *Ballo*, quam indecorum ſit clericali ſtatui, res per ſe manifeſtiſſime patet. Agitur enim de re valde lubrica & vili, a qua omnino clerici abſtinere debent, ne videantur approbare quod toties propter multorum pericula malorum quæ in huiuſcemodi diabolicis ſaltationibus occurrere poſſunt, prohibuit, & idemtidem prohibet Eccleſia. Et quod hoc vetitum ſit clericis, habetur ex pluribus Conciliis provincialibus, quæ innovarunt quod in eccleſiaſticorum diſciplina antiquitus in ſuis legibus ſtatuerat Eccleſia, & præcipue in Concilio Senonenſi, ubi hæc habentur: *Non ſe admiſceant choreis, publicis tripudiationibus, aut ſaltationibus; non turpes, amatorias, aut laſcivas depromant cantilenas; ſeu cantationibus faveant aut adſint*. Similia habent Moguntinum IV. *can*. LXXIV. Mediolanenſe I. *Part*. *II*. *tit*. XXV. & tandem Tridentinum *ſeſſ*. XXII. *cap*. I. *de reform*. & ſacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium v. Februarii MDLXXXV.

Item larvæ uſus. Larva, vulgo *Maſchera*, ſe tegere & perſonatos incedere, clericis eſt ſeveriſſime vetitum, ut *cap*. Cum decrum *de vit*. *& honeſt*. *cleric*. necnon *cap*. Nullus *diſt*. XLIV. & *cap*. Nullus Presbyterorum *diſt*. v. *de conſecrat*. quibus conſonat Concilium Mediolanenſe I. *Part*. *II*. *tit*. *de arm*. *& lud*. Et hinc eſt, quod talis prohibitio extendi poteſt ab Epiſcopo etiam ad Regulares, ut declaravit ſacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium v. Februarii MDLXXXV. & ſacra Congregatio Concilii in *Mantuana* x. Aprilis MDCV. addidit, poſſe Epiſcopum imponere contra Regulares incedentes larvatos etiam pœnam excommunicationis. Et revera quam hoc indecorum ſit ſtatui eccleſiaſtico, nemo non videt: dum perſonæ quæ procedere debent in omnibus ſuis actionibus cum magna gravitate, decentia, & pietate, ſe vileſcunt ad formam mimi exhibendam ac vanitatem exercendam. Nec eos excuſare poteſt conſuetudo quæ Venetiis inducta videtur, ut eccleſiaſtici utriuſque ſtatus larvati incedant; nec pariter mos qui ibi viget, ut communius ita larvas geſtent, ut cum perſonam non fingant, ſicuti per larvam & perſonatum intelligitur, ſed potius ſe tegant (dum veſtiti incedunt in tali larva, non ſecus ac quando ſine eadem incedunt, ac nonniſi facie tecta) omnes eodem modo ſe exhibeant. Nam in eccleſiaſticis fit ut etiam cum tali honeſta larva vere ſint perſonati; utpote qui vere & proprie perſonam fingant: cum huiuſcemodi veſtibus ut perſonas ſæculares ſe exhibeant ac fingant, dum ſunt eccleſiaſtici. Præterquam quod quis non videt, quibus incommodis & periculis exponant clerici ſub tali mentito veſtitu modeſtiam, pietatem, continentiam, quas ſemper ſervare debent, ſicuti eas quas in ſtatu clericali amplectendo ac ſe divino famulatui dicando profeſſi ſunt? Porro conſuetudo qua defenduntur a quibuſdam Theologis clerici incedentes in eadem civitate larvati, cum irrationabilis ſit, utpote contraria in re gravi eccleſiaſticæ diſciplinæ pertinenti ad ius divinum, proindeque non ſit legitime præſcripta; eſt merus abuſus: unde minime excuſat clericos ſic incedentes a culpa mortali, ſaltem ſi ſine aliqua rationabili cauſſa ac frequenter eadem larva utantur.

Clerici vitare tenentur comœdias, haſtiludia, aliaque l. omnia huiuſce generis ſpectacula. *Authent*. Interdicimus *cod*. *de Epiſc*. *& cleric*. *cap*. itemque *cap*. I. *diſt*. XXXVII. *cap*. Non oportet *diſt*. v. & *cap*. Clerici officia *de vit*. *& honeſt*. *cleric*. necnon *cap*. Inter dilectos *de exceſſ*. *Prælat*. ac alibi. Igitur omnino non licet clericis intereſſe comœdiis: cum ut plurimum ſint de rebus laſcivis, turpibus, & amoribus mundanis, quæ provocant auditores ad malum & libidinem; & ſpectatores ſuo interventu cauſſam afferant hiſtrionibus turpia agendi, ut ad curioſitatem, riſum, & delectationem provocent. Quare plurimi graviſſimi doctores ſuſtinent, letalem incurrere reatum actores comœdias exhibentes, ac ad eas convenientes; ut refert Pignatelli *Tom*. *VIII*. *Conſultat*. CLIII. *per tot*. Quamobrem multo minus repræſentare valent clerici in comœdiis profanis: & ſi contra fecerint; poteſt Epiſcopus apponere prohibitioni pœnam excommunicationis ſententiæ ferendæ, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii in *Sulmon*. XXII. Auguſti MDCLV. Multoque etiam minus intendere poſſunt ioculatoribus & hiſtrionibus, ut in *cap*. Clerici officia XV. *de vit*. *& honeſt*. *cleric*. ubi hæc leguntur: *Mimis, ioculatoribus & hiſtrionibus non intendant*. Spectaculis tandem quibuſcumque profanis docent plura Concilia illicitum eſſe clericis intereſſe, dum clericis hoc interdixerunt: quæ Concilia propoſita habentur a Natali Alexandro *lib*. *II*. *de ſacram*. *Ord*. *cap*. v. *reg*. v. inter quæ laudat Concilium Narbonenſe anno MDCIX. *cap*. XLI. cuius hæc ſunt verba: *Ut monemus populum, ita clericos diſtricte*. . . . . . *ut vitent tripudia, ludos publicos*. . . . . *ad hiſtriones non accedant; ne puritas Sacerdotis*

Necnon comœdiæ & alia ſpectacula.

Y 2 rerum

rerum inanium & obſcœnarum aſpectu pol luatur. . . . Contra agentes pœna carceris & alia ad arbitrium Ordinarii comprimantur.

Nec ſibi blandiantur clerici tranſgreſſores de conſuetudine quæ contra canones præſcripſerit: quia cum ſicuti antea dicebam, ſit irrationabilis; non poteſt contra canones legitime præſcribere. Idcirco nulla dari poteſt contra omnia ſupradicta excuſans conſuetudo; utpote quæ ſit corruptela & abuſus: & exinde nullatenus ea licita illis redduntur. Quomodo, quæſo, rationabilis poteſt eſſe conſuetudo, quæ adverſatur vitæ & honeſtati tam neceſſariis & inſeparabilibus a decentia & decore ſtatus clericorum; ac proinde contra ius divinum & naturale, quod a nulla conſuetudine præſcribi valet? Ius enim divinum & naturale ſtatuit, quod præcipua ratione cultui divino dicati decenti, gravi, & virtuoſa vita & honeſtate Deo famulentur: quod certe non fieret, quando dictis vanitatibus ſe immiſceant, quæ valde turpes ſunt & contemptibiles, ita ut nec ſtatum laicalem deceant.

CAPUT II.

§. I.

De iis quæ a clericis præſtanda ſunt.

QUemadmodum ad conſtituendum in vita civili ſecundum naturalem Ethicen virum honeſtum & commendabilem, ac in vita Chriſtiana ſecundum Chriſtianæ religionis diſciplinam hominem vere Chriſtianum, ſatis non eſt ut turpes fugiat alter vituperabileſque operationes, alter vitia vetita a Chriſtiana morali; ſed requiritur ulterius ut ſe exerceat unus in operibus honeſtis & laude dignis, in ſanctis alter, perfectis, ac cæleſti dignis mercede: ſic ad conſtituendum verum eccleſiaſticum non ſufficit ut defectus omnes morales evitet qui etiam laicis ſunt indigni; ſed requiritur ulterius ut in omnibus virtutibus ſe præcipue exerceat, ut per Pſalmiſtam abſolute omnibus præcipitur: *Declina a malo & fac bonum* (Pſalm. xxxvi.) *ut eorum vita*, ait S. Auguſtinus, *eruditio ſit aliorum, & aſſidua ſalutis prædicatio*. Nihil enim eſt iuxta Tridentinam Synodum *ſeſſ.* XXII. *cap.* I. quod magis alios moveat ad pietatem, & ad Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita & exemplum qui divino miniſterio ſe dicarunt: eo vel maxime quod clerici, ut notat Van Eſpen, conſtituti ſint a Deo laicorum magiſtri & doctores. Præcipue vero convenit clericis ut fidem habeant intenſam, ſpem firmam, ferventem caritatem, zelum ſollicitudinemque ſuæ aliorumque ſalutis, religionis ſpiritum & orationis, hoſpitalitatem, caſtimoniam, aliaſque huiuſmodi religioſas dotes, quas brevitas quam hic ſervare ſtatuimus, ſigillatim enumerare ac exponere non ſinit. Hinc ſatis erit ut ea hic ſolummodo ad trutinam revocemus de quibus in praxi hærere poſſet aliquis, an hæc revera ſint clricis graviter neceſſaria, ne in ambagum tenebris cæcutiant clerici eorumque directores.

Primo igitur clerici, ſacris præcipue Ordinibus initiati vel beneficium aliquod poſſidentes, ſemper deferre tenentur tonſuram & habitum clericalem ſuo Ordini convenientem, ut ſacri canones præcipiunt; & ſecundum eam formam quæ a ſacris canonibus præſcribitur, ut *cap.* XV. *de vit. & honeſt. cleric.* & Concilium Lateranenſe II. ſub Innocentio III. cui circiter mille interfuerunt Epiſcopi, in quo hæc habentur can. IV. *Præcipimus ut tam Epiſcopi, quam clerici, in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant; & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in tonſura intuentium offendant aſpectus*: & Lateranenſe IV. can. XVI. *Clerici coronam & tonſuram habeant congruentem. . . clauſa deferant deſuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda*. Concilium item Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* VI. *de reform.* eadem innovavit, reprehendendo ſimul vanitatem quorumcumque qui cum contemptu Religionis ac propriæ dignitatis veſtes publice deferunt laicales. Et hoc ſtatutum fuerat etiam antea in Concilio Viennenſi, ut habetur *Clement.* II. *de vit. & honeſt. cleric.* Idemque Sixtus V. Conſtitutione XII. confirmavit; & ſic ſtatuerunt quamplurima Concilia provincialia, ut Mediolanenſe I. Senonenſe I. Burdigalenſe. Tantum Eccleſia, licet noverit habitum non facere Monachum, nec vitæ ſanctitatem in exteriore veſte poſitam eſſe, ſed in morum integritate; ſollicita nihilominus ſemper fuit ut clerici veſtes proprio congruentes Ordini deferant, *ut per decentiam habitus extrinſeci* (ait Tridentinum loc. cit.) *morum honeſtatem intrinſecam oſtendant*. Immo ut temeritatem alicuius contumacis coerceret, Concilium Lateranenſe IV. decrevit, pertinaces poſt trinam Epiſcopi admonitionem excommunicationis pœna eſſe multandos; & Tridentinum ad normam Viennenſis adiunxit etiam pœnam ſuſpenſionis

Clerici geſtare debent tonſuram & habitum clericalem.

Digitized by Google

ſionis a divinis in Sacerdotibus, officii ac etiam beneficii in beneficiariis, necnon privilegiorum, præcipue fori, in omnibus clericis. Hoc quoque impenſe omnes urgent Epiſcopi.

Quare ſi ita enixe rem hanc ex qua, ceſſante perſecutionis æſtu, apparere cœpit diverſitas clericalis veſtis a laicali, omni ætate præcepit ac inceſſanter præcipit Eccleſia; ſi pœnæ tam graves ſtatutæ habentur contra inobedientes; nemo profecto dicere audebit, mortaliter non peccare clericos in ſacris conſtitutos, qui ſine legitima cauſſa (puta ſe occultandi, ut fit ab iis qui morantur inter hæreticos) veſtem clericalem deſerunt. Leges enim eccleſiaſticas tam crebro innovatas in materia quam pro gravi reputat Eccleſia, prætergredi audent; ac proinde a gravi inobedientia, adeoque a gravi culpa excuſari nequeunt: eo vel maxime quod cum hi deſpectui habere videantur & contemnere propriam veſtem; fidelibus ſcandali occaſionem præbent, dum ſignificant manifeſte ſe Sanctuarium non amore Sanctuarii, ſed lucri fuiſſe ingreſſos.

Porro quinam dicendus ſit habitus clericalis ſeu veſtis eccleſiaſtico ſtatui conveniens, difficillimum eſt ſtatuere; cum pro temporum locorumque varietate varia eſſe ac mutari poſſit. Licet enim revera uſitatior ſit veſtis talaris coloris nigri; non ubique tamen mos extra officiaturam chori & divini officii obtinet ut ſemper in veſte talari incedatur, dum extra eccleſiaſticas functiones, præcipue poſt prandium, communius ſit uti alia veſte breviore. Hanc tamen Epiſcopi omnes, ubi hoc permittunt, volunt & iubent ut non ſit nimis brevis, utque ſemper clericalem exhibeat modeſtiam, longe prorſus a laicalium veſtium pompa ac vanitate: ſicut nihilominus cernere eſt in quibuſdam, qui propriam parvipendentes dignitatem & clericalem honorem, veſtes deſerunt ita laicalem elegantiam exprimentes, ut difficillime a laicis ſecernantur, & ſponſi potius ipſi videantur quam clerici. Adhibenda eſt igitur veſtis quæ pro loci vel temporis conditione honeſtati ac modeſtiæ clericali ſit conveniens; ita ut exterius modeſtiam vitamque clericalem omnibus oſtentet, nihilque mundani faſtus aut vanitatis ſæcularis præſeferat. Et qui alias fecerint, mortalem reatum non effugient, ſi ſint clerici in ſacris vel beneficiarii; & ſaltem venialem, ſi ſint prima tonſura inſigniti, & habeant propoſitum in ſtatu clericali & eccleſiaſtico perſeverandi, atque ad ſacros Ordines progrediendi.

Quoad comam vero adſcititiam, vulgo *parrucca*, nec ſine cauſſa, nec niſi modeſte, ubi cauſſa ſuaſerit, eſt ferenda. Hæc fictitia coma non prohibetur a ſacris canonibus, quia ne futurum quidem apud clericos hoc ſuſpicabantur. Ceterum caveant clerici ne ut prorſus ipſis turpe & indignum comam nutriant; & multo minus, ſicut quidam etiam in Eccleſia quæ eſt domus Dei, in proceſſionibus, immo ad ipſum altare non ſine magno horrore capillos vano ac muliebri ſtudio retortos, calamiſtratos, odorato pulvere conſperſos exhibent. *Quanta culpa*, ait S. Gregorius, *hoc viros appetere a quo feminæ prohibentur*? Quid diceret, quæſo, ſi nunc cerneret in clericis quod tam acriter in laicis improbabat?

Clerici, etiam ſimplices, ſaltem dominicis & aliis feſtis diebus intereſſe debent divinis officiis in Eccleſia cuius ſervitio ſunt adſcripti. Eccleſia enim iampridem, ne clerici otioſam inertemque vitam ducerent, ſollicita fuit ne quis in clerum aſſumeretur, niſi adſcriberetur certo loco, ubi functiones Ordini ſuo convenientes exerceret, vitamque clerico dignam inſtitueret. Hanc veterem diſciplinam, de qua inter antiquiora Concilia egit Concilium Chalcedonenſe *can.* VI. & Carthaginenſe IV. temporum incuria pene collapſam inſtaurare ſtudens Concilium Tridentinum, eiuſdem Chalcedonenſis veſtigiis inhærendo, ſtatuit *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XVI. *de reform.* quod nullus clericus ordinaretur, qui illi Eccleſiæ vel pio loco pro cuius neceſſitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus: & hoc idem plures nationales Synodi innovarunt, ut teſtatur Van-Eſpen. Igitur Eccleſiæ mens eſt ut clerici omnes divinis interſint officiis, ipſique inſerviant ſua munia exercendo; ac proinde voluit alicui Eccleſiæ ipſos adſcribi. Etenim, ut ſapienter monet Concilium Aquileienſe, *nihil poteſt videri abſurdius, quam ut ſæculares officiorum divinorum tempore Eccleſiam frequentent; & clerici refugiant: illi Deum vel tacitis vocibus in Eccleſia laudent... iſti boni averſione ſcandalum præbeant, & pravo ſuo exemplo a pietate populos avocent; qui videndo quod clerici ad plura & ſtrictius obligati iudicant illud ſibi ſuperfluum, facile ſibi neceſſarium non eſſe præſumunt.*

Quid præſtare debeant in Eccleſia cui adſcribuntur.

Dicant nunc igitur aliqui, cum nullum habeant eccleſiaſticum beneficium, ſe non teneri Eccleſiæ inſervire fungentes muneri-

bus Ordinum quos ſuſceperunt cum Sacerdotio, dum divina celebrantur officia, ſaltem cum aliis divinas laudes canendo, ſicuti ad omnes clericos pertinet. Nonne ad hoc a Deo conſtituti ſunt ac ordinati clerici; ad hoc aſſumpti ad clericalem ſtatum ab Eccleſia; ad hoc Ordinibus initiati? Nunc clerus in Eccleſia ſe habet loco Levitarum in antiquo Teſtamento. Idcirco non præcipue ac preciſe ordinantur clerici ad beneficium; ſed ad divinum in Eccleſia officium & ſervitium, quod præſtatur vel munera Ordinum exercendo, vel ſacras laudes Deo in divinis officiis alternatim cum aliis præcinendo. Quare clerici, ſive ſimplices ſint, ſive in ſacris, & eo magis ſi in Sacerdotali gradu ſint conſtituti, ſcire debent & ad amuſſim obſervare Eccleſiæ cæremonias. In veteri lege Moyſis quæ figura erat Eccleſiæ, fere innumeræ erant illius ritus cæremoniæ, quarum ſingulas ex ignorantia vel voluntarie omittendo Deo iniuria inferebatur, ac proinde gravis a tranſgreſſoribus culpa committebatur. Cum autem ritus quo ſanctior eſt, eo accuratius quoad omnes ſuas partes impleri debeat; certe multo magis neceſſe eſt ut ſacri miniſtri legis novæ ſciant & exequantur ſacras cæremonias Eccleſiæ. Cum enim hæc figurata fuerit a Synagoga; abſque comparatione ſanctior eſt Synagoga & venerabilior. Idcirco gravior eſt culpa eas cæremonias præcipue quas præceptivas vocant ii qui de Rubricis pertractant, ex culpabili ignorantia vel ex negligentia ſtudioſe omittere. Ita enim de antiquis cæremoniis ritus Moſaici habetur Deuteron. cap. VII. *Cuſtodi præcepta, & cæremonias, atque iudicia quæ ego mando tibi hodie ut facias*: & cap. XXVIII. *Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias & facias .... cæremonias quas ego præcipio tibi hodie; venient ſuper te omnes maledictiones*.

Et ſane *cum natura hominum* (ait Tridentina Synodus ſeſſ. XXII. cap. V.) *ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli; propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam .... inſtituit*: immo multa ex apoſtolica diſciplina ac traditione recepit; unde maieſtas divinorum officiorum, & præcipue divini Miſſæ ſacrificii, commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum divinarum contemplationem excitarentur. Igitur neceſſe eſt ut hos ritus ac cæremonias ſine quibus ſacra peragi nequeunt, ſciant eccleſiaſtici omnes: quia imperiti alias pro arbitrio ſuo & phantaſia ſibi fingerent, ac ideo a probatiore uſu Eccleſiæ recederent; quæ rerum inverſio ſine culpa fieri nequit, ut definivit de fide eadem Tridentina Synodus *ſeſſ.* VII. *can.* XIII. *de Sacram. in gen.*

Clerici inſuper in ſacris conſtituti & beneficiarii tenentur recitare quotidie horas canonicas. Cum enim homines ob innumeras miſerias calamitateſque quas interius in anima, & exterius in corpore continuo perpetiuntur, in omni vitæ ſuæ momento divina protectione ac ſubſidio maxime indigeant, quod nonniſi precibus apud Deum humiliter ac devote inclamando conſequi valent; nihil proinde eſt tam neceſſarium fidelibus, ſicuti oratio. Idcirco monet & præcipit divina Scriptura ut ſine intermiſſione & inceſſanter orationibus & obſecrationibus ſimus intenti; cum hoc ſingulare ſit medium quo Deum pro peccatis noſtris iratum nobis propitium reddimus, & eius auxilium omniaque bona iuxta indigentias noſtras impetremus. Hinc inter præcipua Chriſtianæ religionis officia in ipſis Eccleſiæ primordiis Apoſtoli ſuo etiam exemplo docuerunt fideles ut quibuſdam ſtatutis temporibus, nempe hora tertia, ſexta, & nona, orationi incumberent. Porro ex hoc ab ipſis Apoſtolis, necnon a primæva fidelium pietate qui monita ac veſtigia Apoſtolorum ſecuti ſunt, initium habuit lex illa & conſuetudo recitandi horas canonicas. Cum vero hunc ritum ac legem horas canonicas recitandi Patres populo proponant, ut factum legimus a S. Ambroſio populo Mediolanenſi, & a S. Auguſtino Hipponenſi, & ab his & ab aliis virginibus etiam, viduis, Monachis, fidelibuſque omnibus quos impenſe urgebant ut, nonniſi infirmitate aut alio gravi negotio impediti, ad hanc horarum recitationem in Eccleſia intervenirent; vanum eſſet & abſurdum velle eximere clericos a tali munere divinas horas recitandi, ſub prætextu quod nullum habeant beneficium, quando iam multo magis quam populus tenentur clerici omnes ex proprio eorum inſtituto ad orationem. Nam cum ſit clericorum ſors ut participes ſint Chriſti Sacerdotii, ac ideo mediatores quidam homines inter & Deum; ad eos multo magis pertinet orandi & iugiter orandi obligatio: dum non tantum pro ſe ipſis, ſed etiam pro aliis Deum deprecari tenentur. Igitur orandi debitum ritu illo quem Eccleſia præſcripſit in horis canonicis, nulla habita pro-

Quotidie horas debent recitare.

ventuum ratione, quemcumque clericum in ſacris conſtitutum graviſſime urget. Etenim ipſæ horæ canonicæ ſunt iugis Eccleſiæ orationis veluti fructus ac publicum monumentum. Quocirca perſpicuum eſt, legem conſuetudinemque orandi vel iugiter, vel per certa intervalla temporis, non oriri ex iure percipiendi beneficii reditus aut diſtributiones; ſed ex eo quod fideles omnes, & omnium maxime clerici ad id teneantur: & quia ita a tempore Apoſtolorum inſtitutum fuit, ut per horarum canonicarum celebrationem fideles omnes, & præcipue clerici Deum deprecarentur, & non ſecus ac chori Angelorum in cælis, laudem darent Deo hic in terrenis ſuis templis. Quod ſi Eccleſia neceſſarios ſumptus clericis ſubminiſtrat; hoc fecit ut liberiores rebus divinis, maxime orationi, vacare poſſent. Hinc etiam multo manifeſtius fit, legem hanc orandi nullo modo a percipiendis fructibus beneficii proficiſci; immo econtra perceptionem fructuum beneficii ideo conſtitutam, ut orandi officium maiore aſſiduitate & reverentia implerent. Unde paret evidenter, clericos omnes in ſacris conſtitutos, etiam non beneficiarios, teneri ad divini officii & horarum canonicarum recitationem. Qui autem rem melius cognoſcere peroptat, recurrat ad P. Thomaſſinum in ſua *Diſcipl. eccleſiaſt.* Nam cum de re hac iam ſupra actum ſit, dum ex profeſſo agebatur de horis canonicis; ſufficiat hæc de tali obligatione obiter prælibaſſe.

Clerici in ſacris conſtituti manere cælibes debent.

Debent ſimiliter clerici in ſacris conſtituti manere cælibes, ideſt perpetuam ſervare caſtitatem. Tametſi autem lex continentiæ in clericis ſit Eccleſiæ coæva; attamen non ſtatim apud omnes obtinuit, reſpectu uxoris quam clerici ante Sacerdotium duxerant, ut adhuc ſine ulla erroris nota hic mos viget apud Græcos: & nihil expreſſe de tali lege habetur a Chriſto Domino traditum in ſuo Evangelio, nec ex Scripturis canonicis quæ præter Evangelia exararunt Apoſtoli & Evangeliſtæ. Hinc gravis verſatur controverſia & inter orthodoxos, & inter heterodoxos. Hi enim inquiunt, num huiuſmodi lex opponatur iuri naturali & divino, ut volebant Wicleffus, Lutherus, Calvinus, necnon Iovinianus qui ſæculo IV. huiuſce erroris fundamenta iecit, docendo virginitatem non præſtare matrimonio: doctores vero Catholici diſcrepant num lex cælibatus in clericis ſit de iure divino. Cum autem relinquamus rem hanc fuſius expendendam in Tractatu de ſacramento Ordinis, dum ibi exponentur ex profeſſo requiſitæ conditiones in clericis ſacris Ordinibus initiandis; ſatis erit hic aliquid obiter hac de re attingere, ne quid deſit ad præſens inſtitutum de obligationibus quæ inſunt clericis in ſacris conſtitutis.

Quidquid ſit (num ſcilicet Chriſtus Dominus præceperit, an vero non edixerit clero ſuæ Eccleſiæ continentiam; quod ſuo loco inquirendum relinquimus) certum eſt, quod Apoſtoli qui conſtituti fuere a Chriſto Domino non ſolum ut ſui verbi præcones, ſed etiam ut paſtores & legiſlatores ſuæ Eccleſiæ per ipſos fundandæ & regendæ, potuerunt aliquid ſtatuere quod licet a Chriſto Eccleſiæ tradendum non receperint, optimo Eccleſiæ regimini ac dignitati conferre poſſet; ſicuti fecerunt, leges ſtatuendo perpetuæ caſtimoniæ in Sacerdotibus. Quare eſto: cælibatus clericorum non ſit de iure divino; eſt tamen de iure apoſtolico. Nam illud cenſendum eſt iuxta S. Auguſtinum de iure apoſtolico, ideſt apoſtolicæ traditionis, cui omnes iam concordant, quod ſemper obſervatum fuit in Eccleſia, nec ab aliquo Concilio invenitur aut legitur ſtatutum: cuiuſmodi eſt lex perpetuæ continentiæ, quæ a tempore Apoſtolorum ſemper adnexa fuit ſtatui clericorum, nec habetur ullius Concilii decretum quod hanc inſtituerit; idcirco apoſtolicæ traditionis cenſenda eſt. Et profecto hæc lex & diſciplina perpetui cælibatus in clericis ab ipſo Eccleſiæ exordio in Eccleſia Orientali & Occidentali ſemper ſervata fuit; ita ut, quanta eſt Eccleſiæ antiquitas, tanta ſit etiam legis continentiæ, ut patet ex pluribus Sanctorum Patrum ac Conciliorum teſtimoniis. Inter alia Patrum teſtimonia ſatis erit pro omnibus ad veritatem hanc illuſtrandam ac confirmandam illud D. Epiphanii in *Expoſit. fid. Cathol. num.* 21. ubi adfirmat conceptis verbis, eos qui Sacerdotio decorantur, debere etiam virginitatis candore excellere, aut ſaltem monaſticæ vitæ vel incorruptæ continentiæ reliquum vitæ curriculum dicare: & ſolis clericis lectoribus teſtatur conceſſum fuiſſe fungi munere matrimonii; alios vero licet uxoratos in continentia vivere debuiſſe. Porro hæc ſunt Epiphanii verba: *Sacerdotium ex virginum ordine præcipue conſtat; aut ſi minus ex virginibus, certe ex Monachis; aut ſi minus ex Monachorum ordine, ex iis creari Sacerdotes ſolent qui a ſuis uxoribus continent, aut ſecundum unas nuptias in viduitate verſantur. Secundis vero nuptiis implicitus in Eccleſia ad Sacerdotium non ad-*

mittitur; tametſi aut ſeſe ab uxore contineat, aut ſit viduus. Eiuſmodi, inquam, ab Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi gradu reiicitur. Secundum hos gradus Lectorum ordo ex omnibus Ordinibus eligi poteſt, hoc eſt e virginibus, Monachis, continentibus viduis, & iis qui honeſtis matrimoniis illigantur: immo ſi neceſſitas fuerit, ex bigamis; quippe lector non Sacerdos eſt, ſed tamquam divini verbi ſcriba. Hic Epiphanius Subdiaconos ipſos includit collegio Sacerdotali, & ex ſolis virginibus aut continentibus eos eligi docet. Quamvis tamen S. Epiphanius inter clericos perpetuæ continentiæ adſtrictos connumeret etiam Subdiaconos; varia tamen circa hoſce clericos fuit Eccleſiæ diſciplina. Hoc autem conſtat tum ex Conciliis Eliberitano, Agathenſi, Turonenſi II. quæ præceperunt continentiam Subdiaconis; tum ex ſummis Pontificibus Leone I. qui iugum hoc Subdiaconis impoſuit *Epiſt.* lxxxiv. *ad Anaſtaſ. Theſſalon. Epiſc.* & Gregorio I. qui, VI. exeunte ſæculo, legem hanc qua eius prædeceſſor Pelagius II. Subdiaconos Siciliæ ab uxoribus ſeparaverat, duriorem exiſtimans, *lib. I. epiſt.* xxiv. ſic eam attemperavit, ut nullus deinceps ad Subdiaconatum promoveretur, niſi perpetuam continentiam profeſſus, indulgendo ut coniugio iam copulati cum uxoribus remanerent filioſque procrearent. Verum decretum Gregorii non videtur fuiſſe adeo firmum: nam Concilium Romanum ſub Gregorio II. anno DCCXXI. & aliud ſub Zacharia anno DCCXLVII. Subdiaconos non adſtringunt lege continentiæ: quæ tandem ſæculo XI. ubique obtinuit in Eccleſia Latina, quoad Subdiaconos, poſt decretum Urbani II. in Concilio Claramontano.

Nec ſolummodo in Subdiaconis, immo nec in Sacerdotibus lex & diſciplina continentiæ invariabilis fuit; cum aliquibus in locis, ſicut nunc etiam apud Græcos præcipue (ut S. Epiphanius laudatus *hær.* lix. ſibi obiicit) non vigeat, reſpectu uxorum quas antequam initiarentur maioribus Ordinibus, duxerant, cum quibus filios gignunt. Verum hoc demonſtrat, legem hanc non eſſe de iure divino; ſed mere eccleſiaſtico & humano: quam licet religioſius ſervet Eccleſia; abſolute tamen mutare poteſt, & ſæpe ſuper hanc diſpenſavit, toleratque nunc quoque eam non ſervari apud Græcos ad pacem ſovendam.

Hæc tamen diſciplina perpetuæ continentiæ quæ plurimum viguit in Eccleſia Græca uſque ad VIII. ſæculum; in Latina fuit ſemper obſervata a priore ad noſtram uſque ætatem, ſicuti quamplurima teſtantur Concilia celebrata in Italia, Hiſpania, Germania, & Africa, inter quæ habentur Concilium Carthaginenſe II. *cap.* ii. & Lateranenſe I. *can* xxi. ubi hæc leguntur: *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus; & contracta quoque matrimonia ab his perſonis disiungi, & perſonas ad pœnitentiam debere redigi, iuxta ſacrorum canonum definitionem iudicamus.* Et non immerito hoc ſanxerunt Apoſtoli. Nam cum Sacerdotes ſint miniſtri æterni illius Pontificis qui de Virgine natus eſt, & ipſe virgo & virginalis hoſtia: congruum erat ut ab iis qui caſtitatis ſuæ & Sacerdotii participes forent, immolaretur; ac proinde ipſi Sacerdotes ſimul & hoſtiæ utroque vinculo ſempiternæ continentiæ ipſi adſtringerentur. Immo cum præter quotidianum altaris ſacrificium quod angelicam exigit puritatem, alia quoque munera obire debeant, ut ſacramentorum adminiſtrationem, orationem, frequentem populi inſtructionem, pauperum curam & levamen; ad hæc obeunda lex continentiæ non parum conducit: cum illa non ita facile impleri poſſint a coniugatis. Vinculum enim matrimonii quamplurimas affert & quotidianas curas, quibus implicati ſunt patresfamilias pro uxorum filiorumque regimine ac ſuſtentatione.

Ex iis igitur colligitur primo, imprudenter & illicite ſtatum clericalem illos amplecti qui ſe ipſos non probarunt quoad caſtitatis obſervantiam; & multo peius, ſi talem infirmitatem circa concupiſcentiam patiantur, ut difficillime & raro longius ſe contineant, frequenterque in aliquam carnis immunditiam labantur. Nec minus imprudenter ſe gerunt Confeſſarii qui fragiles adhuc & ſine ſufficienti probatione non iam aliquorum menſium, ſed etiam annorum, ſerio eos non admonent ut vel penitus ſe emendent, aut a talis ſtatus electione omnino ſe removeant. Collige ſecundo, duplicem peccati reatum in confeſſione explicandum illos incurrere qui ſacris Ordinibus initiati per quemcumque actum, ſive internum, ſive externum, carnalis concupiſcentiæ ſe commacularunt: utpote qui violarunt puritatem a divina lege præceptam; & implicitum votum caſtitatis, quod in ſuſcipiendis ſacris Ordinibus emiſerunt. Ita communiter doctores. Collige tertio, graviter

pec-

Digitized by Google

peccare eos quoque qui temere ſe exponunt periculo violandi caſtitatem: ſicuti contingit in iis qui contra tot ſacros canones & diœceſana ſtatuta tenent apud ſe ancillas iuvenes; vel ex frequenti & ut plurimum inutili ac vana mulierum converſatione & colloquio inordinata quædam experiuntur, quæ raro vincunt, & ſæpe labuntur in aliquam carnis immunditiam, vel ſaltem pravam ſuſpicionem & ſcandali occaſionem laicis præbent ex tali cum mulieribus frequenti converſatione; & eo peius, ſi ſecum in domo propria retineant ſuſpectas mulieres, etiam conſanguineas, quod plura Concilia generalia & provincialia vetarunt.

Obedientiam debent Epiſcopo.

Clerici tandem ratione ſui ſtatus & iuramenti obedientiam ſpecialem debent Epiſcopo in iis quæ ſpectant ad vitæ honeſtatem & morum reformationem, ad correctionem & pœnas pro peccatis impoſitas, ad divinum cultum, officium, & ſacramenta, ad iura epiſcopalia, & iuriſdictionem eccleſiaſticam. *Cap.* Quia ſtatus VII. *q.* I. & *cap.* XVI. *de offic. iud. ordin.*

§. II.

De obligationibus beneficiariorum.

Licet iam in Tractatu de beneficiis factum ſit ſatis de obligationibus beneficiariorum; nihilominus hoc loco etiam, dum obligationes cuiuſcumque ſtatus perſonarum exponuntur, opportunum cenſui, hæc quoque ſummatim apponere. Porro præcipua beneficiarii munera ſunt deferre habitum & clericalem tonſuram; quotidiana recitatio horarum canonicarum; reſidentia in loco beneficii, ſi hanc exigat; poſſeſſio unius beneficii, ſi ſit cum altero incompatibile, & ſufficiat ad decentem ſuſtentationem: legitima fructuum beneficii diſpenſatio. De tonſura ac decenti habitu clericali antea iam ſatis actum fuit. De divini tamen Officii recitatione pauca adiicere lubet. Quotidie igitur tenentur beneficiarii ex iuſtitia ad eamdem recitationem: unde peccant mortaliter etiam contra iuſtitiam, & tenentur pro rata partis vel totius Officii omiſſi ad fructuum reſtitutionem, ſaltem poſt pacificam poſſeſſionem ſex menſium. Nec a tali debito liberatur beneficiarius celebrando altera die Officium pridie omiſſum; cum obligatio ſit quotidiana exſpirans cum die: nec ex erogatione eleemoſynarum antea facta ſine tali intentione, iuxta propoſitionem XXXIII. damnatam ab Alexandro VIII. Itidem qui in choro canonicas horas recitare tenentur, ſatisfacere nequeunt per ſolam choro intereſſentiam; cum per ſe ipſos recitare eas teneantur. Vidimus etiam Commendatarios perpetuos ad hanc recitationem horarum canonicarum teneri: quia Commendatarii ſubſtituuntur beneficiariis cum toto onere; & eo vel maxime quod commenda perpetua beneficio æquiparatur (ut ex Synodo Tridentina *ſeſſ.* VII. *cap.* II.) nam habet vim & effectum beneficii, dum confertur ius perpetuum percipiendi fructus. Coadiutor vero inſtitutus cum futura ſucceſſione non ſubiacet tali oneri; cum nondum revera ſit beneficiarius: niſi forſan ius plenum habeat adminiſtrandi ob aliquam beneficiarii infirmitatem; vel aſſumatur ad totum onus beneficii in defectu beneficiarii. Tunc enim tenetur ad omne onus ad quod aſſumitur. Impuberes vero non excuſantur ratione ſtudiorum: cum ipſi quoque comprehendantur voce *Quilibet* Concilii Lateranenſis; & quia beneficium non datur niſi propter officium. Tenentur quoque ad Officii recitationem præſtimonia habentes, vi Bullæ Pii V. iam ſuo loco laudatæ. Non incumbit vero tale onus beneficiariis, antequam beneficii poſſeſſionem perceperint. Nondum enim cenſentur beneficium perfecte conſecuti; nec poſſunt percipere fructus, ac iura beneficii exercere: dummodo tamen culpabiliter & negligenter eamdem poſſeſſionem non differant, iuxta Regul. XXV. iur. in 6. *Mora ſua cuilibet eſt nociva*: & nemini ſua fraus vel negligentia prodeſſe debet. Sed de hoc iam ſatis ſuo loco actum eſt.

§. III.

De obligatione beneficiariorum ad publicam fidei profeſſionem & reſidentiam.

Inter ea quæ præſtanda ſunt præcipue a proviſis de beneficio cui adnexa eſt animarum cura, vel de Canonicatu, aut alio huiuſmodi, primum eſt, quod publicam fidei profeſſionem facere debent (iuxta decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XII.) alias fructus percipere non poſſunt: alterum, quod in Eccleſia ſui beneficii reſidere tenentur.

Reſidentia, ſi nominis etymologia ſpectetur, idem importat ac iterata ſeſſio. Hic vero accipitur & definitur manſio ſeu perpetua habitatio in loco beneficii, ibique eccleſiaſtica munia exercere, & exequi officia quæ beneficio ſunt adnexa. Igitur iuxta Fagnanum reſidere nihil aliud eſt quam deſervire. Beneficia quæcumque, ex pri-

mæ-

mæva ipſorum inſtitutione ſecundum ius commune & veterem Eccleſiæ diſciplinam, reſidentiam exigunt, ut cum aliis advertit P. Thomaſſinus *Part. II. lib. II. cap.* lxxi. Verum nunc aliqua extant beneficia quæ ſimplicia dicuntur, quæ reſidentiam non exigunt ex fundatione vel ex rationabili conſuetudine, ob tenuitatem redituum ac eorumdem inſufficientiam ad ſuſtentandum beneficiarium, qui proinde cogitur alibi morari ut habeat unde vivat. Beneficiarii vero omnes qui beneficium poſſident quod adhuc adnexam ſecum affert obligationem reſidendi (cuiuſmodi ſunt Epiſcopatus, Parochia, Canonicatus, aliaque ad normam Canonicatuum inſtituta, vel ab Eccleſia, vel ab expreſſa teſtatorum voluntate) perſonaliter in loco beneficii reſidere tenentur. Etenim omnia hæc non conferuntur niſi cum onere reſidendi, ideſt commorandi in loco beneficii, ut ſuum officium obire poſſit beneficiarius. Quare iuxta diſciplinam iuris communis dubitationi locus adeſſe nequit, quin Canonici aliique habentes beneficia non curata, ſed quæ adhuc onus ſervant reſidentiæ, ſeu inſerviendi Eccleſiæ ubi tenent beneficium, poſſint adſtringi ad perſonalem reſidentiam. Immo hanc æquiſſimam & intentioni fundatorum plane conformem diſciplinam tempore Tridentini Concilii multum collapſam inſtaurare idem Concilium deſiderans, ſtatuit *ſeſſ.* xxiv. *cap.* xii. *de reform.* quod obtinentibus in Eccleſiis cathedralibus & collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis ultra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe; ſalvis tamen earum Eccleſiarum conſtitutionibus quæ longius ſervitii tempus exquirunt. Stante hoc decreto, quo Concilium requirit novem menſium reſidentiam, non obſtante quocumque ſtatuto aut contraria conſuetudine, recte reſpondit ſacra Congregatio (referente Fagnano ad *cap.* Licet *de præbend. num.* 32.) ſublatam eſſe conſuetudinem etiam immemorabilem vacandi ultra tres menſes a ſervitio chori. Nam reſidere iuxta mentem Synodi Tridentinæ eſt cum effectu Eccleſiis in divinis inſervire: *cum reſidentia*, (ut Fagnanus *loc. cit.* notat) *debeat eſſe laborioſa, non deſidioſa;* dum beneficia conſtituta ſunt ad divinum cultum & eccleſiaſtica munia obeunda. Idemque dicendum eſt de quocumque alio beneficio quod adhuc perſeverat actualiter cum tali onere. Ad hoc vero ut Canonici aliique huiuſce generis beneficiarii qui reſidere tenentur, dicantur vere reſidere ad mentem ſacrorum canonum; divino officio non tantum pro parte, ſed integre aſſiſtere tenentur: alias pro parte dumtaxat reſiderent, iuxta reſponſum ſacræ Congregationis circa intereſſentiam horis canonicis pro lucranda maſſa groſſa ſive præbenda, ut refert Fagnanus *loc. cit.* Ordo enim Canonicorum, maxime non Cathedralium, principaliter inſtitutus eſt in Eccleſia, ut ipſi horis canonicis nocturnis & diurnis Deum in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus laudent, pro collatis beneficiis gratias agant, iram Domini precibus & interceſſione ſua a populo avertant, ut *Ioel. cap.* II. Quo nomine ac titulo liberalem paſſim ex bonis eccleſiaſticis obtinent ſuſtentationem.

Notandum denique eſt, conceſſionem factam a Tridentino ut abeſſe poſſint ad tres menſes, non eſſe ita accipiendam, quaſi Canonici aliique huiuſce generis beneficiarii libere & licite abeſſe poſſint a choro pro mero libito: ſed ex honeſtis cauſſis, ſine licentia ſuperiorum; ſive quod illius abſentiæ cauſſa legitima remittatur conſcientiæ Canonicorum & beneficiariorum. Immo Synodus nullum proprie tempus dedit abſentiæ; ſed tantum prohibuit ne ultra tres menſes abeſſent: ſive, ut docet Fagnanus, *non proceſſit concedendo, ſed prohibendo.* Sed de his iam actum eſt ſuſius, ubi de beneficiis.

CAPUT III.

§. I.

De cauſſis excuſantibus a reſidentia Epiſcopos.

TAmetſi Epiſcopi ita conſtanter reſidere debeant in ſuis Sedibus, ut in Tractatu de beneficiis iam diximus, & omnem effugere captioſam evagationem, pro continua eorum vigilantia ſuper oves ſibi creditas tam neceſſaria, quam facile eſt ut, deficiente Paſtoris inſtructione & correctione, inſinuentur in animis ſubditorum vitia & corruptelæ, quas poſtea difficillimum eſt evellere & expurgare; dantur nihilominus legitimæ cauſſæ ut ad certum tempus abeſſe poſſint, commendata Vicarii zelo diœceſis cuſtodia. Legitimæ autem cauſſæ quibus abeſſe poſſunt Epiſcopi a ſua reſidentia, aſſignatæ ſunt a Concilio Tridentino: nempe *Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel* Rei-

Reipublicæ utilitas, ita ut plus prodeſſe poſſint Eccleſiæ abſentes quam præſentes. Verum ne aliquando Epiſcopi has ſibi effingant, & potius inducantur ad abſentiam ex quadam lubrica cupidine vagandi quam ex cauſſæ ſinceritate, cautum fuit ab eodem Concilio ut cauſſæ abſentiæ recognoſcendæ ſint a ſummo Pontifice, vel ſaltem a Metropolitano, vel eo abſente, a Suffraganeo antiquioris reſidentiæ, qui Metropolitani abſentiam probare debebit: & tales probationes in ſcriptis exarandæ ſunt; niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adiunctum. Quia enim huiuſmodi cauſſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ; nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe eſt. Porro cum abſentiæ indulgentia ſit quædam diſpenſatio in regula quæ reſidentiam præſcribit; ideo qui cauſſis abſentiæ examinandis præſunt, & qui illa uti volunt, regulas in materia diſpenſationum a Patribus & ſacris canonibus præſcriptas attendere & obſervare debent: videlicet expendere, num bonum quod ex abſentia ſperatur, prævaleat incommodis quæ ex Paſtoris abſentia contingere ſolent. Quare Patres Concilii Toletani anni MDLXVI. *act.* II. *decret.* I. declararunt conſone ad Synodum Tridentinam, quod non quævis cauſſa quæ ad Chriſtianam caritatem, urgentem neceſſitatem, debitam obedientiam, evidentem Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitatem cuique pertinere videbitur, a reſidentia axcuſare debeat; ſed ea tantum quæ a ſuperioribus diligentiſſimo examine, maturo iudicio, exactaque cenſura probata fuerit, ut vere, ſecula indulgentia, aliqua ex prædictis rationibus iuſta omnino cenſenda ſit. Inſuper expendendum eſt, num alius curæ animarum non incumbens haberi queat, qui ſicuti abſens Epiſcopus Eccleſiæ idem præſtet vel Reipublicæ: alias hoc bonum non eſſet cauſſa ſufficienter legitima pro Epiſcopi abſentia; videlicet quod hoc bonum præſtari queat per alium a cura animarum vacantem. Huic innixus principio Cardinalis Caietanus relatus a Fagnano ad *cap.* Ex parte *de cleric. non reſident. num.* 85. docet, videndum eſſe, num negotium univerſalis Eccleſiæ ſit neceſſario exigens Epiſcopum; an vero ſecus: ut ire ad Concilium generale vel provinciale, quæ etiam ſe habent ad Eccleſiam epiſcopalem ut totum ad compartes. Tunc enim eſt rationabilis abſentia. Alias non eſſent cauſſæ excuſantes a reſidentia quoad Deum, ideſt in conſcientia, ne ſi ageretur quidem de exercendo aliquo officio Romæ; puta Secretarii Sedis Apoſtolicæ, Auditoris Rotæ, & eiuſmodi. Nec valet dicere, quod reſidentes in Eccleſia communi, qualis eſt Romana, cenſeantur ubique reſidere. Nam hoc eſt verum fictione iuris poſitivi apud Iuriſtas; non tamen eſt verum quoad Deum. Multo autem minus, iuxta expoſtulationem Cardinalis Turrecremata, excuſabiles ſunt quoad Deum Epiſcopi qui ſe inſerunt ad ſervitia Imperatoris aliorumque ſæcularium, deſerentes negotium ſpirituale ſubditorum officiaque devotionis. *Hoc non facerent*, ait laudatus Cardinalis, *ſi mortem ſpiritualem timerent, & intelligerent ſe reddituros rationem de ovibus ſuis ſummo iudici. Utinam*, ſequitur ille, *etiam in Curia Romana hoc in parte obſervaretur, in qua plurimi Epiſcopi conveniunt non devotionis gratia, ſed ambitionis ſpiritu, ut altiora quærant, aut beneficia beneficiis, honores honoribus addant.* Certum tandem eſt, cauſſam abſentiæ maiorem debere eſſe urgentioremque, quo abſentia eſt diuturnior.

Quoniam autem qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum canonum ſententia abeſſe non videantur; quia cito reverſuri ſunt: ſacra Tridentina Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium, ſive interruptum, ſive continuum, extra prædictas cauſſas nullo pacto excedere debere duos vel ad ſummum tres menſes; & rationem haberi ut id ex iuſta cauſſa fiat & abſque ullo gregis detrimento. Præterea ipſos hortatur ne talis abſentia a ſua Cathedrali contingat tempore Adventus, Quadrageſimæ, diebus Nativitatis & Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, quibus refici maxime & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debent, niſi epiſcopalia munia in ipſorum diœceſi alio eos vocent. Et hoc cogitare ſerio debent Epiſcopi exemplo S. Auguſtini, dum iuſta de cauſſa a grege ſuo abſunt: ut ſi corpore adeſſe nequeunt; animo tamen, cura, & affectu, quantum fieri poſſit, adſint.

Utinam tandem excitaretur in animo cuiuſcumque Epiſcopi ſpiritus ille fortitudinis qui efferveſcebat in pectore Athanaſii, Euſebii Vercellenſis tempore Arianæ perſecutionis, Ambroſii, Thomæ Cantuarienſis, Stanislai Poloni, aliorumque fere innumerabilium quorum laudem ad ſempiternam memoriam propagarunt eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta! ne videntes lupum venientem ut mactet oves & perdat, timidi

lati-

Digitized by Google

latitent & ſileant, hoc prætextu, quod ſe opponendo, vitia arguendo, peccantes pro merito increpando ac puniendo, Magnatum & Principum indignationem incurrant, atque ita ineptos ſe reddant ut ſuis ovibus proſint. Nam contra Principes & Magnates negotium habuerunt ſupradicti Sancti Præſules; & nihil eorum indignationem timentes fortiter decertarunt uſque ad ſanguinis & vitæ effuſionem. Et ſi talis timor ac puſillanimitas obruiſſet corda Sanctorum Apoſtolorum veterumque Præſulum; certe fundata non eſſet Eccleſia, nec ſpiritus fidei ac veritatis per univerſas Mundi plagas ſe diffudiſſet. Eædem quoque regula & rationes locum habent etiam pro Parochorum reſidentia: atque etiam ſtrictius. Ipſi enim propius & immediatius curæ animarum ſunt addicti, ac proinde magis periculoſa & incommoda eſſet ovibus ipſorum abſentia. Hinc Concilium Tridentinum multo minorem conceſſit indulgentiam ipſorum abſentiæ, & nonniſi ad aliquos paucos dies permiſit ut, juſta & urgentiſſima exigente cauſſa, poſſint abeſſe, aliquo idoneo Vicario relicto. Quod ſi cauſſa plus temporis exigeret; ſtatuit ut licentiam pro abſentia petere debeant a proprio Ordinario: a quo ad duos tantum menſes concedi poteſt, conſtituto idoneo Vicario qui interea eorum vices gerat. Hæc obiter quoad Parochos dicta ſufficiant: ſuſius enim ea quæ ad hoc argumentum pertinent, alibi expendimus.

§. II.

De cauſſis excuſantibus a reſidentia Canonicos aliosque huiuſce generis beneficiarios.

Tametſi Canonici aliique beneficiarii onere reſidendi adſtricti teneantur ad perſonalem reſidentiam & perſonale obſequium præſtandum Eccleſiæ cui per admiſſionem ad beneficium ſunt adſcripti, ut requirunt ſacri canones, eorum officium, beneficium, & teſtatorum intentio, ſicuti iam alias ſuo loco fuſe expoſuimus; adſunt nihilominus iuſtæ cauſſæ quæ licitam reddunt eorum abſentiam, ipſoſque Canonicos alioſque huiuſce generis beneficiarios eximunt a pœnis contra abſentes ſtatutis. Immo frequentius poteſt eſſe cauſſa ſufficiens ut Canonicorum abſentia ſit legitima, quam Parochorum aliorumque quibus cura animarum commendata eſt: quia ex eorum abſentia non eſt timendum, nec revera imminet tantum periculi & incommodi, ſicut ex abſentia eorum quibus cura animarum incumbit; tum quia facilius illorum quam horum abſentia per alium ſuppleri poteſt. Unde Canonici, donec ſunt in Epiſcopi ſervitio (nam ſaltem duos iuxta diſpoſitionem iuris communis ad hoc Epiſcopus ſibi eligere poteſt) in tali caſu cenſentur tamquam præſentes, ita ut nihil eis ſubtrahi poſſit quod de beneficio, ſeu de fructibus ſuæ præbendæ ipſis debetur. Ita reſpondit Alexander III. *cap.* VII. *de cleric. non reſident.* quia, ut rationem affert Pontifex, abſentes ab Eccleſia pro Epiſcopi ſervitio, ubi ſervitium eſt neceſſarium & utile Eccleſiæ & Reipublicæ, iuris cenſura non notantur. Hinc (ait Fagnanus ad *cit. cap.* VII. *num.* 72.) reputantur præſentes & ſervire Eccleſiæ: & ſervitium Epiſcopi, quatenus Epiſcopus eſt, cenſetur quaſi ſervitium Eccleſiæ cui præſidet; cum Eccleſia ſit in Epiſcopo. Quare cum inter epiſcopales functiones una ex præcipuis ſit debita populi inſtructio; certe ſi Epiſcopus ad hoc officium iudicet ſibi neceſſarios eſſe aliquos Canonicos, eoſque illum in finem ſibi aſſumat: hi tunc computandi ſunt tamquam non abſentes; eoque titulo poſſunt in abſentia conformiter ad ius commune fructus percipe ſuæ præbendæ. Neque vero ad hoſce fructus percipiendos tunc opus eſt conſenſu Capituli; nec Epiſcopus tenetur probare Capitulo Eccleſiæ utilitatem ex hiſce Canonicis abſentibus in ſuo ſervitio, ut notant communiter omnes Canoniſtæ. Hi tamen limitant unanimi ſententia ad duos tantum; licet *cap.* VII *cit.* loquatur abſolute ac ſimpliciter de Canonicis ſine ulla numeri definitione. Nam hoc poſtea declaratum fuit ab Honorio III. in *cap.* XV. *de cleric. non reſident.* iuxta Fagnanum *cit. cap.* XV. & hoc uſus quoque Eccleſiarum approbavit.

Nota, quod ſi Canonicus quem eligat Epiſcopus in ſuum, ſervitium, præter Canonicatum obtineat in ſua Eccleſia etiam dignitatem ratione cuius ad ſpeciale aliquod officium teneatur; non poſſet occaſione illius ſervitii fructus eiuſdem dignitatis abſens percipere, & a reſidentia eximi. Ita indicatum refert Carolus Fevret *de abuſ. lib. III. cap.* I. *num.* 13. notans, Epiſcopum eligere poſſe tantum & aſſumere ad ſuum ſervitium duos ſimplices Canonicos ſuæ Eccleſiæ.

Secunda & uſitatiſſima cauſſa abſentiæ eſt ſtudium Theologiæ ſacrorumque canonum in aliqua publica & approbata Univerſitate, ut declaravit Honorius in *cap. fin. de*

de Magiſtr. Et ſi ius commune ſpectetur, ad hoc ut beneficiarius huiuſmodi ſtudiorum cauſſa abſens fructus percipiat, requiritur expreſſa Epiſcopi licentia. Ita communiter docent Canoniſtæ, & fuſe probat Fagnanus ad *cap.* Cum ad hoc *de cleric. non reſident.* Verum in hoc locorum conſuetudinibus ſtandum eſt; cum revera alicubi ob Univerſitatis privilegia & decreta Conciliorum nationalium talis licentia pro fructibus beneficii percipiendis in huiuſmodi ſtudiorum abſentia minime requiratur. Etenim cum theologica & ſacrorum canonum ſcientia pene unica ſit Canonicorum & clericorum vocationi; ita ut ſola clericorum ſcholaſtica diſciplina vocetur: merito requiritur ut in his ſcientiis addiſcendis clerici operam ſuam navent. Quocirca S. Carolus in Concilio Mediolanenſi I. *Part. II. cap.* XXVII. approbat perceptionem fructuum beneficii, ab iis tamen qui in publico celebrique Gymnaſio Theologiæ vel ſacris canonibus ſtudeant. Et hiſce conſonat praxis Curiæ Romanæ, quæ concedens licentiam abſentiæ ſtudiorum cauſſa, apponit hanc clauſulam: *Orator operam in aliqua approbata Univerſitate ſtudii generalis ſeu Gymnaſii publico ſtudio Theologiæ aut decretorum actu navare teneatur.*

Altera conditio eſt, & ea notanda, quod teneatur reſidens in Univerſitate ſingulis ſemeſtribus aut ad minus ſingulis annis Epiſcopo ac Capitulo litteras teſtimoniales ſui Regentis ſeu Confeſſoris de progreſſu in ſtudiis exhibere. Ita ſtatuerunt varia Concilia provincialia, ut Mediolanenſe, Toloſanum celebratum anno MDXC. & alia ſimiliter. Solent tamen alii Canoniſtæ reſtringere hoc privilegium ad Canonicatus & beneficia quæ ſpeciali fundationis titulo non exigunt aliquod perſonale ſervitium: immo addunt, nonnumquam numerum Canonicorum volentium abeſſe ſtudiorum cauſſa reſtrictum fuiſſe ad duos vel quatuor, pro maiore vel minore numero Canonicorum præſentium, ne alias officium divinum aliaque Eccleſiæ munia abſolvi non poſſent. Meminiſſe tamen oportet, Canonicos alioſque beneficiarios in Academia ſtudiorum cauſſa verſantes, ſi ex privilegio ſtudiorum cauſſa eis conceditur abſentia a choro ut ſcientiam ſuæ vocationi congruentem comparare queant, minime tamen eos eximi ab eorum obſervatione quæ ad vitam & honeſtatem clericorum a canonibus decreta ſunt, nullumque ſtudiis impedimentum ingerunt. Porro circa hæc aliqua privilegia a reſidentia eximentia Canonicos alioſque beneficiarios, obſervandum eſt, illa eſſe quaſdam ſpecies diſpenſationis. Idcirco his utentes expendere debent, num adſit ſufficiens cauſſa his utendi, ideſt ea Eccleſiæ utilitas ac neceſſitas quæ compenſet incommodum ex ſua abſentia proveniens: nimirum quod fructus deſtinatos huius particularis Eccleſiæ miniſtro percipiat, cum nullum interim officium Eccleſiæ huic impendatur; ac inſuper illum miniſtro privet quem habere poſſet, ſi beneficium quod abſens poſſidet, dimitteret.

Denique notandum eſt, pleraſque cauſſas, ſive de iure communi, ſive ex privilegio, a reſidentia excuſantes reſtringi ad fructus groſſos in abſentia percipiendos; pauciores vero eſſe quæ quotidianas diſtributiones comprehendant. Verum de his fuſius diſſeruimus agentes de beneficiis: ubi plura quoque expendimus quæ ad hoc argumentum illuſtrandum valde conferunt.

CAPUT IV.

§. UNICUS.

De obligationibus Parochorum.

IAm antea notavimus agentes de reſidentia Epiſcoporum, hoc onus incumbere Parochis, utpote qui propius & immediatius quam Epiſcopi animarum curæ debent incumbere; cum ſint miniſtri deſtinati ad continue & inceſſanter miniſtranda ea quæ populo neceſſaria ſunt ad ſalutem: acproinde magis periculoſa & incommoda fieri poteſt eorum abſentia cum magno animarum detrimento. Hinc ſacra Tridentina Synodus aliena fuit a concedendo ipſis indulto, ſicut conceſſit Epiſcopis, ut ex ſola iuſta cauſſa ad tres menſes abeſſe poſſent a ſua parochia; ſed voluit ut cauſſa eſſet etiam aliquo modo gravis, neceſſaria, utilis: & tunc ſolum ad duos menſes cum expreſſa Ordinarii licentia abeſſe valeant.

Aliæ vero ſpeciales Parochorum obligationes hæ recenſeri ſolent. Primo, quod habeant ſcientiam competentem & ſufficientem ad recte dirigendas oves ſuas in rebus ad ſalutem pertinentibus, ideſt dogmatum fidei, moralis Theologiæ, ſacræ Scripturæ, ſacrorum canonum, & ſtatutorum ſuæ diœceſis. *Cap.* I. *diſt.* XXXVIII. Secundo, pro ovibus orare & ſacrificium offerre: & quidem iuxta Toletum, Fagnanum, Gavantum, alioſque, & præcipue ex poſtrema declaratione Benedicti fel. rec. Papæ XIV. pro iis applicare Miſſam feſtis diebus & dominicis: quia Concilium Tridentinum dicit ſim-

ſimpliciter teneri pro ovibus ſuis ſacrificium offerre; quod indicat ſpecialem applicationem & obligationem diverſam ab ea quam habent ſinguli Sacerdotes applicandi fructum pro omnibus fidelibus. Et ſacra Cardinalium Congregatio declaravit, non poſſe Parochum ſtipendium accipere pro Miſſa iis diebus, feſtis nempe & dominicis, quibus tenetur ex officio celebrare in ſua parochia. Tertio, populum frequenter, ſaltem diebus dominicis, neceſſaria ad ſalutem docere, doctrinam Chriſtianam ipſi explicare, eumque ad virtutes & vitam Chriſtianam adhortari per ſe, ſi poſſit; vel per alios idoneos, ſi forte legitime impeditus fuerit: ita ut omnes facile quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, ſcire poſſint. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* v. *cap.* II. ubi addit, quod ſi defuerint huic muneri, cogi poſſint per eccleſiaſticas cenſuras: & *ſeſſ.* XXIV. *cap.* IV. mandat Epiſcopis ut ſaltem dominicis & aliis diebus feſtis pueros in ſingulis parochiis edoceri curent. Quarto, ſacramenta ſuis parochianis miniſtrare, quoties ea rationabiliter petunt; vel alium idoneum ad hæc illis miniſtranda providere. Nam tenentur ex officio oves ſuas paſcere, ordinaria media ſalutis a Chriſto inſtituta præbere, ſuorum utilitatem ſpiritualem procurare: cum ad hoc propriæ ſuſtentationis ſtipendium percipiant. Quinto, peccata corrigere, præſertim publica; ſcandala tollere, vel per ſe, ſi poſſint, vel ea deferendo Epiſcopo, ſi publica ſint; & omnes peccati occaſiones, quantum fieri poteſt, avertere. Item inquirere, num ſinguli ſacramenta in Paſchate ſuſcipiant, ac ſacrum in diebus feſtis audiant. *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Hebr. cap. XIII. Sexto, magnam ac peculiarem curam habere debent pauperum, providere ne ob inopiam a iuſtitia deflectant, inquirere eorum neceſſitatem, iiſque quantum poſſunt ſubvenire, ut ex Tridentino Concilio colligitur. Etenim ii ſunt loco parentum, & ſpecialius quam alii ad hoc obligantur. Item pauperes gratis ſepelire, & pro eorum ſalute orare tenentur. Septimo, nullos matrimonio coniungere, niſi prius ipſos inſtituant in rebus fidei, & in præceptis Dei ac Eccleſiæ, ſi in his non eſſent ſufficienter inſtructi; cum illi poſtea ſuos filios iſta edocere debeant. Octavo, invigilare ut ludimagiſtri recte fungantur officio, pueros Chriſtianam doctrinam doceant, bonis moribus imbuant verbo & exemplo. Nono, viſitare infirmos, licet ſacramentis ſint muniti. Nam quo vicinior eſt mors, eo magis urget periculum ſalutis a dæmone, & maior eſt animi & corporis infirmitas. Decimo, ſervare ſtatuta diœceſis, & curare etiam ut ſerventur; utpote quæ lata a ſuperiore qui legem ferre poteſt, obligant in conſcientia. Undecimo, tenentur ex iuſtitia etiam cum periculo vitæ ovibus ſuis non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate ſubvenire, præcipue quoad ſacramentorum adminiſtrationem. Io. cap. x. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Nam ratione officii plus quam alii Sacerdotes populo ſubvenire tenentur. Hinc, iuxta omnes, tenentur tempore peſtis per ſe vel per alium idoneum miniſtrare præcipue ſacramentum Pœnitentiæ. Ita declaratum fuit a ſacra Congregatione, approbante Gregorio XIII. Cenſuit enim, Parochos omnino teneri reſidere tali tempore in ſua Eccleſia, ut poſſint præcipue in neceſſariis ſpiritualibus ſuo gregi ſubvenire. Idemque dicendum eſt de Regularium ſuperioribus. Tandem omnium bonorum operum ac virtutum exempla præbere tenentur, ex Tridentina Synodo *loc. cit.* & ex Apoſtolo ad Tit. cap. II. *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum*.

CAPUT V.

§. I.

De ſtatu & obligationibus Religioſorum.

QUamvis, Deo dante, de ſtatu religioſo fuſius alibi agendum ſit; operæ tamen pretium duxi ut ſummatim de obligationibus huiuſce ſtatus ſermo hic quoque haberetur. Status religioſus eſt ſtabile vitæ inſtitutum, ab Eccleſia approbatum, & tendens ad perfectionem Chriſtianam per tria vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ: quæ idcirco ad eius eſſentiam requiruntur, & exinde ſubſtantialia vocantur, & perpetua ſunt de ſe & ex parte voventis. Religio enim eſt ſtabilis quædam forma vitæ perducens ad perfectionem caritatis per primaria Chriſti conſilia, quibus præcipue impedimenta ſæculi removentur, unde homo ſe totum omniaque ſua in perpetuum holocauſtum Deo conſecrat. Non eſt tamen neceſſe ut hæc vota ſint ſolemnia. Nam qui in Societate Ieſu in prima profeſſione vota ſimplicia emittunt, ſunt vere Religioſi, ut definitum fuit a Gregorio XIII. Bulla quæ incipit *Aſcendente Domino*: quia etiam

Status religioſi notio.

Digitized by Google

etiam per vota ſimplicia fieri poteſt irrevocabilis traditio ex parte voventis in perpetuum Dei obſequium. Hinc vota alia ſunt ſimplicia, quæ fiunt ſine ſolemnitate ; alia ſolemnia, quæ cum ſolemnitate fiunt. Solemnitas autem in profitendis votis ſecundum multos conſiſtit in hoc ut vota ſub certa regula a Sancta Sede approbata emittantur, iuxta ritum ſubſtantialem in ea regula præſcriptum, cum mutua ex utraque parte traditione & acceptatione, & via ordinaria indiſſolubiliter. Approbatio notatur Eccleſiæ : quia Ordo religioſus eſt ſtatus ſupernaturalis diſtinctus a communi ſtatu Chriſtianorum, & ſacra quædam communitas quæ inſtructa eſſe debet ſpirituali iuriſdictione in utroque foro. Hæc Papæ reſervata eſt in Concilio Lateranenſi & Lugdunenſi.

Conditiones ad validam profeſſionem.

Ad hoc ut profeſſio valida ſit, variæ requiruntur conditiones. Prima eſt certa ætas, quam eſſe ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxv. *cap.* xv. annorum ſexdecim. Secunda, ut non fiat, ſine ſpeciali diſpenſatione, niſi poſt annum continuum probationis ſeu Novitiatus, ideſt ne per plures quidem horas Novitiatum deferendo interruptum, iuxta reſolutionem ſacræ Congregationis, teſte Fagnano in *cap.* Ad noſtram *de Regul.* Tertia, ut qui profitetur, non ſit ligatus vinculo matrimonii conſummati, aut ſine conſenſu coniugis. Ex *cap.* v. *&* xii. *de converſat. coniug.* Quarta, ut profitens nullum habeat impedimentum in illo Ordine eſſentiale : quia eius traditio in tali caſu non acceptatur. Quinta, ut emiſſio trium votorum ſubſtantialium ſpontanea ſit, non fraude, nec metu iniuſto extorta ; alias ex Tridentino *ſeſſ.* v. *cap.* xvi. profeſſio nulla eſt : vel utendo formula Religionis expreſſa vel tacita, ſcilicet poſt expletum probationis tempus habitum Profeſſi aliquo ſigno diſtinctum deferendo : vel aliqua opera propria Profeſſi peragendo, puta ſi det ſuffragium in Capitulo, quando tamen hæc fiant animo profitendi. Sexta, ut acceptatio traditionis facta ſit nomine Dei & Religionis ab eo qui poteſtatem habet ipſum incorporandi tali Religioni. *Cap.* xiii. *de Regular.* Nam profeſſio fit ad modum contractus oneroſi utrimque obligatorii. Quocirca neceſſe eſt ut ſuperior acceptans profeſſionem poteſtatem habeat & voluntatem admittendi profitentem nomine Religionis, ipſamque obligandi. Si forte profeſſio ab initio invalida fuerit & irrita, ut valida reddatur, neceſſe eſt ut Profeſſus cognoſcens nullam eſſe ſuam profeſſionem, poſtea ratam habeat, vel apud ſe ſtatuat velle eam validam eſſe. Etenim non ſufficit ratificatio, ex eo quod putet ab initio validam fuiſſe ; cum hæc ratificatio ex errore procedat. Quare non eſt voluntaria ; cum incogniti nulla ſit voluntas, iuxta illud effatum : *Nil volitum, quin præcognitum*. Cetera vota ſimplicia emiſſa ante profeſſionem in profeſſione extinguuntur, ſaltem ſi profitens velit illa commutare. *Cap.* iv. *de vot.* Nam talis commutatio eſt evidenter in melius, ſicuti habetur ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* clxxxviii. *art.* 12. *ad* 1. Verum circa hoc diſcrepant Theologi. Si non advertat ; conſulit Suarez, ut Profeſſus de hoc admoneatur.

Profeſſio quid & quotuplex.

Profeſſio religioſa ex dictis definiri poteſt, contractus quidam moralis quo homo voluntarie ſe ipſum tradit Deo in certa determinata Religione ab Eccleſia approbata, emittendo ſolemniter tria vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, cum conſenſu Prælati Regularis eiuſdem Religionis qui nomine Dei eadem acceptat. Hæc autem profeſſio, ut antea notavi, duplex eſt : expreſſa videlicet, quæ publice & per verba fit in manu ſuperioris ; & tacita, quæ inducitur ſignis vel actionibus a iure ſtatutis. Debet eſſe expreſſa : & quocumque modo explicetur, ſemper eſt valida ; & fieri poteſt etiam per procuratorem ad id electum, dum nullo iure hoc prohibetur. Ita Suarez, Silveſter, & alii. Debet eſſe abſoluta, & non conditionata : quæ tamen convalidatur, & tranſit in abſolutam, expleta conditione ; & valida fieret, etiamſi conditio eſſet illicita, dummodo non turpis.

Religioſus debet tendere ad perfectionem.

Religioſus profeſſus tenetur tendere ad perfectionem eſſentialem religioſo ſtatui ; cum (iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* clxxxvi. *art.* 2.) terminus ad quem ordinatur ſtatus religioſus, ſit ipſa perfectio : nam ſtatus religioſus, ex eodem Doctore Angelico, eſt diſciplina & exercitium perveniendi ad perfectionem. Religioſus enim profeſſus ex vi ſuæ profeſſionis tenetur velle ſtatum ſuum ſervare, & ſecundum illum vivere. Ita communiter cum laudato Sancto Doctore *loc. cit.* Perfectio autem ad quam tenetur Religioſus profeſſus, eſt perfectio caritatis : *Perfectio caritatis*, ait Angelicus Doctor, *eſt finis ſtatus religioſi*. Hæc autem perfectio caritatis in hoc ſtatu viæ aſſequibilis in eo conſiſtere videtur quod anima, iam habitu caritatis ornata, ex repetitis actibus virtutum moralium ſic immoderatus paſſiones comuc-

muerit, & ita ſenſus ſui corporis cohibuerit, ut prompte ac faciliter in actus virtutum theologicarum, & præcipue amoris erga Deum; erumpiat, ac aliis facultatibus exercitium aliarum moralium virtutum imperet, quin reſiſtentiam aut ullam aut valde modicam experiatur: ita ut facillime quoſcumque actus virtutis, tum ad Dei gloriam, tum ad proximi utilitatem, ſecundum ſpiritum & vocationem proprii inſtituti operetur. Et circa hanc perfectionem ad quam ordinatur ſtatus religioſus, poteſt & debet Religioſus ſemper proficere, & quoad intenſionem actuum virtutum, præcipue amoris erga Deum; & quoad extenſionem imperandi hunc amorem ſuper aliarum virtutum actus: ut exinde quadam habituali & fere continua fruatur coniunctione mentis & cordis cum Deo. Cum vero cuique perſonarum ſtatui dentur quædam neceſſaria media tendendi ad perfectionem, cuiuſmodi ſunt paſſionum moderatio per exercitium virtutum theologalium & moralium, ſenſuum mortificatio, orationis frequentia: ſic pro ſtatu religioſo in quo viget maior obligatio tendendi ad perfectionem, præter allata media quæ cuique ſtatui ſunt communia, alia huic ſtatui ſunt neceſſaria in particulari; obſervantia nempe accurata trium votorum, necnon regularum proprii cuiuſque inſtituti. Ad hunc perfectionis ſcopum tenetur ex vi ſuæ profeſſionis quicumque Religioſus tendere, non quomodocumque, ſed omni vi & conatu: ita ut numquam poſſit Religioſus abſque gravi culpa deponere animum ſincerum conandi ac tentandi viam perfectionis decurrere. Et huius obligationis executio, iuxta Salmanticenſes qui iam minime ſeveritatem affectant, conſiſtit in continuo quodam motu erga perfectionem: ita ut Religioſus homo numquam ab hoc motu & progreſſu quieſcat, credatque ſatis eſſe; ſed ad altiora ſemper anhelet, ut fert conditio religioſi ſtatus. Timeant ergo Religioſi qui neque actualiter, neque virtualiter animum habent ſe in dies magis in caritate perficiendi; nec curant pluſquam boni clerici ſæculares vel laici ad eam tendere. Ita hos alloquitur Navarrus in *can.* Quia porro XII. *q.* I. *num.* 12. Qua enim veritate, ait quidam recentior, adfirmare poteſt Religioſus, ſe habere animum ſincerum, volentem, ſollicitum tendendi magno ſtudio totiſque viribus ad perfectionem caritatis, qui contentus abſtinere a peccatis mortalibus, modicam vel nullam ſollicitudinem impendit abſtinendi a venialibus deliberatis? qui in ſenſibus ſui corporis reprimendis nullum ſtudium adhibet? qui viam pœnitentiæ & mortificationis quaſi omnino ignorat? qui quaſdam regulares obſervantias iam prorſus dimiſit, quaſdam perraro, ceteras vero abſque ullo ſpiritus fervore ex mera conſuetudine exequitur? qui quæ Dei ſunt, pluribus diſtractionibus, negligentiis, ac deordinationibus commaculat? qui orationi vacandi nulla cura tangitur? qui converſandi cum Deo in corde ſuo nullum penitus uſum habet? qui temporis inſumendi in ludis, ſolatiis, aliiſque dedecentibus modis nullo conſcientiæ ſtimulo pungitur? qui totus eſt in propriis commodis procurandis, in magna fama ſibi concilianda? qui, ut paucis multum dicam, huius graviſſimæ obligationis tendendi ad perfectionem caritatis tali oblivione occupatur, ut fere numquam menti ſuæ ſe offerat; eamque ſe offerentem concito gradu vix tranſeuntem dimittit? Iure igitur ac merito protulit Navarrus, terribilem eſſe multis Religioſis hanc ſententiam.

Verum cum ſtatus religioſus firmus debeat eſſe & perfectus; hinc ad talem firmitatem & perpetuitatem quam non habet ab ullo ſtatuto ſeu lege, ſive divina, ſive humana, in ſolemni profeſſione huiuſce ſtatus emittuntur tria vota, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ, quibus ſe obligat Religioſus ad obſervandas tamquam leges ea quæ ut conſilia tantummodo fidelibus Chriſtus in Evangelio propoſuit. Porro hæc tria vota, cum principaliter ſtatum religioſum conſtituant, vocantur, ſicut antea notavi, eſſentialia ſeu ſubſtantialia ſtatus religioſi. Nam per obſervantiam trium votorum conſtituitur Religioſus in curriculo viæ perfectionis; dum mundanis omnibus renuntiat, ut Deo ſemper ſtrictius adhæreat. Quare Religioſus tenetur ad perpetuam obſervantiam eorumdem trium votorum, ita ut numquam ab his ſine gravi culpa recedere valeat.

Unde vi voti religioſæ paupertatis (quæ eſt abdicatio nedum dominii rerum temporalium, quod eſt ius diſponendi de re aliqua; verum etiam uſuſfructus, uſus, & poſſeſſionis) licet in communi licite bona temporalia poſſidere poſſint Religioſi; nemo tamen in particulari tamquam proprium aliquod habere valet.

An paupertas privet uſu facti.

Solet hic diſputari, an paupertas religioſa privet etiam uſu facti. Et pro clariore huius rei intelligentia hic prænotandum eſt, uſum facti conſiſtere in ea actione qua utilitas ex re aliqua percipitur, quamquam ius nul-

nullum in ipſam acquiratur. Uſui huic facti correſpondet nedum actualis, ſed etiam habitualis rei detentio, ut detinens ea utatur quando ipſi opus fuerit. Ita Religioſus utitur veſtibus, libris, aliiſque ſuo uſui conceſſis; quæ retentio non eſt proprie poſſeſſio, ſed potius quidam moraliter continuatus uſus facti, qui ideo poſſeſſionem non includit, quia talis uſus non exercetur proprio nomine, ſed alterius, ſcilicet nomine Superioris vel Religionis concedentis. Quocirca patet, quod uſus meri facti indubitanter nec comprehendatur, nec comprehendi valeat ſub voto: utpote qui verſatur circa neceſſaria ad vitam, quæ iure naturali excluduntur a voti obligatione. Si autem verſetur circa alia neceſſaria & convenientia, ut Religioſus idoneus efficiatur ad inſerviendum Religioni, puta circa uſum librorum: patet itidem, hunc uſum non cadere ſub voti obligatione; cum Religio ipſa teneatur de his providere ſuis alumnis, eoſdemque promovere, ut huiuſmodi mediis utantur quæ ordinata ſunt ad finem inſtituti conſequendum. Cum autem uſus facti importet ſolummodo proprium uſum pro opportunitatibus Religioſi; hinc nemo nequit de rebus ſuo uſui conceſſis pro libito diſponere ſine Superioris licentia, ut ex Conſtitutione Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*, ita ſtatuente pro Societate Ieſu. Quare eſt de eſſentia religioſæ paupertatis, ut privet poteſtate utendi & diſponendi de quavis re pro libito, ſine Superioris licentia.

Ad quod teneatur Religioſus vi paupertatis.

Quare ex communi ſententia Religioſus profeſſus rem nullam temporalem pretio æſtimabilem recipere, retinere, abſumere, deſtruere, permutare, commodare, donare poteſt ſine Superioris licentia. Nihil enim pretio æſtimabile habere poteſt & tractare ut proprium, ideſt auctoritate propria, nomine, & arbitrio: quia per votum paupertatis, etiam ſimplex, ut in Societate Ieſu, poſt biennium privatur Religioſus poteſtate utendi & diſponendi ſine licentia Superioris de quavis re temporali & uſu dominii libero ac independente, ut conſtat ex ſenſu & uſu Eccleſiæ ex *cap.* Non dicatis XII. *q.* I. ex S. Auguſtino *Epiſt.* CIX. ex *cap.* VI. *de ſtat. Monachor.* Immo, iuxta Navarrum & Suarez, votum illud obligat etiam ad non deſiderandum habere aliquid proprium & ut ſuum, ex *cap.* Voventibus XVII. *q.* I. Hinc Religioſus ex communi ſententia ſive ſolemniter, ſive non ſolemniter profeſſus, peccat, ſi quid domi aut foris ſine licentia Superioris expreſſa vel tacita, aut in neceſſitate prudenter præſumpta accipiat, poſſideat, retineat, deſtruat, commodet, commutet, donet, alienet, aut re aliqua utatur. Etenim omnes iſti ſunt actus proprietatis, quando proprio arbitrio, auctoritate, & nomine exerceantur. Omnis autem actus poſſeſſoris & proprietarii Religioſo eſt illicitus; cum per votum paupertatis omnem abdicaverit poteſtatem poſſidendi aliquid, vel de illo diſponendi ſine expreſſa aut tacita Superioris licentia. Immo iſta non ſolum ſunt ſacrilegia contra votum, ſed etiam furta contra iuſtitiam: quia cum res ſit communitatis, furtum committitur uſurpando rem alienam vel eius uſum, invito domino, ſeu adminiſtratore qui eſt loco domini, nempe Religionis. Porro id verum eſt, tametſi res Religioſo donata eſſet: quia ſtatim ac ab illo acceptatur, acquiritur communitati, iuxta effatum: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*. Quare omnis diſpoſitio quæ fiat a Religioſo pro ſolo ipſius arbitrio, irrita eſt, & reſtitutioni obnoxia. Quod tamen non intelligitur de profeſſis per vota ſimplicia in Societate Ieſu. Hi enim ſolum peccant mortaliter; non tamen tenentur ad reſtitutionem, quia retinent dominium radicale. Hinc Religioſi quoque beneficiarii peccant etiam contra votum paupertatis, ſi præter uſus & diſpoſitiones proprias beneficiariis, quæ ex his ſuperſunt, in uſus profanos impendant.

De Religioſo vero qui de levibus diſponit, eadem ratio valet ac de levibus furtis, etiamſi animum non habeat continuandi. Et hoc valet, etiamſi iſta ſint poculenta & eſculenta: quia hæc quoque ſunt pretio æſtimabilia. Tenetur inſuper Religioſus ex vi voti eſſe animo paratus exui rerum ſibi permiſſarum poſſeſſione & uſu, omni momento quo Superior voluerit: quia nihil poteſt retinere, niſi cum ipſius dependentia. Hinc peccat contra votum qui rem conceſſam abſcondit, ne Superior eam auferat, repetat, vel licentiam revocet. Item qui murmure aut querelis Superiorem impedit ne rem conceſſam repetat; vel quod ei Superior auferat, conqueratur tamquam de iniuria. Nam hæc omnia ſunt actus ſibi uſurpantis uſum independentem & irrevocabilem, cuius per votum paupertatis eſt incapax. Ita communiter. Item non poteſt Profeſſus rem ad unum uſum conceſſam, ad alium uſum etiam honeſtum adhibere: quia hic uſus eſſet ſine licentia; ideoque eſſet actus proprietarius qui per votum paupertatis

tis prohibetur. A fortiori non licet Religioſo ſecum auferre & alteri dare eſculenta & poculenta quæ in menſa ſingulis apponuntur, niſi adſit licentia generalis uſu ipſo expreſſa vel inducta in rebus huiuſmodi. Nec valet, quod ex parſimonia reſervarit: quia uſus ipſi conceſſus eſt, ut ad ſui ſuſtentationem conſumat; & quidquid ſupereſt, in bonis Monaſterii remanet.

Nota, uſu conſumptibilia quædam unico actu conſumi, ut eſculenta & poculenta: quædam licet corruptibilia, habere tamen uſum permanentem. Hæc autem accipi poſſunt vel ad unum actum tranſeuntem, vel ut res retineantur ad uſum durabilem. Porro ſive hæc accipiantur a Religioſo ex ipſo Monaſterio, ſive ab extraneo (intellige ſemper ad merum uſum, & non ut poſſideantur) illa accipere ſine licentia Prælati, præcipue ex bonis Monaſterii, eſt contra votum paupertatis; eo quod fiat independenter a Prælati voluntate, ac religio ſimul & iuſtitia violentur: cum & ſit contra votum; & alienum accipiatur. Quando autem hæc acceptio letalis ſit, difficile eſt determinare, præcipue quoad eſculenta & poculenta. Hinc prudenter advertit Suarez, Theologus non minus doctus quam pius, duo extrema hic eſſe fugienda: primum, ne nimis alleviando culpam, via relaxationi aperiatur; alterum, ne nimis aggravando, fragilitas humana periculo exponatur. Idcirco, ſubdit; ad lenitatem potius eſt propendendum. Hoc tamen intellige, niſi forſan Superior expreſſe interdixiſſet rerum huiuſmodi acceptiones: quia tunc nemini ſine gravi aut levi culpa, iuxta quantitatem materiæ, liceret accipere. Et ubi non viget hæc conſuetudo (nempe accipiendi ex dictis, etiam quando non adſit prohibitio Superioris) inducenda non eſt: quia tendit ad corruptelam. Religioſi autem hos abuſus introducentes, vel de recenti introductos proſequentes, non ſunt immunes plerumque a culpa gravi; cum abuſus vergat in detrimentum commune diſciplinæ regularis: & Superior cui iam demandata eſt cura diſciplinæ Monaſterii, non agens ne abuſus contra eamdem introducantur, eos diſſimulando, non eſſet tutus in conſcientia, utpote qui huiuſmodi conſuetudinibus obſiſtere teneatur. Et quod dicitur de rebus conſumptibilibus acceptis a monaſterio, idem intelligendum eſt de acceptis ab extraneo, ſi ſine licentia Superioris ea accipiat & conſumet: quia cum uſus ille acceptatus ſit pretio æſtimabilis, ſive res ſtatim abſumatur, ſive tractu temporis; iam Religioſus aliquid pretio æſtimabile accepit ſine licentia, quæ ſemper requiritur tacita vel expreſſa, & peccat contra votum, ut omnes conveniunt.

Circa hæc tamen accepta ab extraneo, ubi viget licentia tacita Superioris, nec vita communis in tali Religione obſervatur, poteſt quidem Religioſus accipiens iiſdem uti ad proprium uſum, quando tamen res illa ſit ipſi aliquo modo neceſſaria, vel etiam ad excolendos Religionis benefactores: quia tunc ſemper præſupponi poteſt tacita Superioris licentia. Verum non poteſt pro libito ſuo cuicumque de re illa diſponere ſine violatione voti & iuſtitiæ. Eo enim ipſo quod res tranſit ad manus Religioſi, ſtatim fit res Monaſterii: ac proinde tum ſolum ſine violatione voti diſponi non poteſt a Religioſo pro libito; ſed etiam iuſtitiæ, quia privat communitatem re illa quæ facta eſt ſub eius dominio. Neque vero poteſt excuſare licentia Superioris, quia ſine rationabili cauſſa Superior concedere nequit talem licentiam, expoliando iure ſuo communitatem. Nam in tali caſu eſſet non miniſtrator, ſed diſſipator bonorum Monaſterii.

Tenetur ulterius Religioſus in rebus ad uſum conceſſis conſervandis eam diligentiam adhibere quam viri prudentes & diligentes in rebus ſuis adhibere ſolent. Nam habet obligationes uſuarii cui precario conceditur uſus, ſalva rei ſubſtantia: & eſt actus dominii independenter, rem negligere, vel pro libito deteriorem facere ac deſtruere. Et hoc intelligendum eſt de rebus etiam quæ uſu conſumuntur, ut veſtes v. g. aut oleum: quia hæc tribuuntur Religioſo ad neceſſariam vel utilem conſumptionem; non ad deſtructionem Monaſterio damnoſam, & ex negligentia acceleratam; quæ eſt culpa contra votum & iuſtitiam. Sic P. Antoine.

Mobilium uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis quem profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, ut monet Tridentina Synodus *ſeſſ.* xxv. *cap.* 11. Unde qui etiam cum Superioris conſenſu ſuperfluis, pretioſis, & paupertati non convenientibus utatur, & multo magis impendat pecuniam ad uſum ſibi conceſſam in uſus turpes vel vanos & ſtatum religioſum dedecentes, ita ut magis videantur convenire ſæculari diviti quam Religioſo pauperi, peccat graviter contra paupertatem. Nam votum paupertatis non ſolum obligat (ut notat de Lugo) ad non uten-

utendum ſine licentia Prælati; ſed etiam ad conſervandum ſtatum pauperis, & ea vitanda quæ pauperes non decent ſecundum Religionis inſtitutum. Neque vero conſenſus Superioris excuſare poteſt: quia tales uſus nec valide, nec licite ſuperior concedere valet. Sic communiter Theologi iuxta ſacrorum canonum ſtatuta. Superior enim non eſt dominus bonorum communitatis; ſed ſecundum regulam Ordinis & præcipue ſecundum canones, iura, & decreta ſummorum Pontificum ſolummodo adminiſtrator: ac proinde nonniſi iuxta mentem canonum & ſummorum Pontificum, concedere poteſt ſuis Religioſis res quæ ſunt ad uſus neceſſarios, pios, & ſtatum religioſum decentes. Alias ipſorum licentia nulla eſt.

Quare ſequitur evidentiſſime, quod Religioſus impendens aliquid notabile, etiam cum Superioris licentia, in uſus ſuperfluos & profanos, ut in parvula horologia excellentis valoris, aulea, conopeum, & alia cubiculi pretioſa ornamenta, in veſtes ſericas aliaque pretioſa & ſuperflua, in ſumptuoſa convivia, vanas picturas, ludos, & in alia ſtatum religioſum non decentia; vel de bonis in ſuum uſum conceſſis, aut de bonis Monaſterii laute vivens: peccat contra votum paupertatis. Licentia enim ad huiuſmodi expenſas nulla eſt. Poteſt tamen Religioſus cum Prælati licentia aliquam modicam quantitatem ludo exponere (dummodo tamen ludus non ſit illicitus vel a iure, vel a regula Religionis) abſque ullo gravamine tum perdentis, tum lucrantis ab eo: ita ut non teneatur lucrans a tali Religioſo Religioni reſtituere.

Procurator, œconomus, & ſimiles impendere nequeunt, alienare, & quidquam pro libito dare; ſed tantummodo ſecundum regulas Ordinis & Superioris voluntatem, & prout ratione muneris eis conceſſum ſit. Quare ſi aliquid notabile in alios uſus præter aſſignatos a Superiore, quantumvis licitos & communitati deſervientes, expendant præter expreſſam vel prudenter præſuppoſitam Superioris voluntatem qui agit ut dominus: ſecundum Sanchez aliosque, graviter peccant contra paupertatis votum. Idemque dicendum eſt de diſpenſatore quoad diſtributionem, ſive in quantitate, ſive in qualitate præter regulam & Superioris voluntatem: quia quidquid ſit ultra facultatem ſibi conceſſam, ſit ſine licentia ac ex proprio arbitrio & auctoritate; adeoque eſt actus proprietarius, ut ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* xxxii. *art.* 8. docet Suarez cum aliis.

Prælati quoque & Superiores peccant contra votum paupertatis & iuſtitiam, ſi bona Conventus aliter impendant vel donent quam Ordinis ſui regula, vel approbata conſuetudo, aut ſuperiorum Prælatorum voluntas eis permittit. Et ſi quid notabile donent vel impendant in uſus vanos & ſuperfluos, peccant mortaliter; & alienatio irrita eſt & reſtitutioni obnoxia. Prælati enim non ſunt domini bonorum communitatis; ſed tantum adminiſtratores in utilitatem Religionis & pios uſus, ex *cap.* 11. *de donat.* Nec eos excuſare poteſt conſenſus Conventus, licet hic dominus ſit iſtorum bonorum: quia tale dominium limitatum eſt & reſtrictum per votum paupertatis, per Eccleſiæ decreta, & per intentionem benefactorum qui ea bona Monaſteriis donarunt, ad uſus tantummodo neceſſarios & pios. Et eo magis peccant, ſi ex tali diſtributione & diſpendio bonorum Monaſterii contingat quod propter penuriam defraudentur Religioſis Monaſterii ea quæ ipſis neceſſaria ſunt, iuxta conſuetudinem Religionis ſive quoad ſolitum victum, ipſis illum reſtringendo: & multo peius, ſi infirmis ex hoc deficiant ſuis indigentiis neceſſaria, & pauperibus ſolitæ eleemoſynæ. Nam intentio Eccleſiæ & benefactorum eſt, ut præcipue in tales uſus bona Monaſterio donata expendantur.

Licentia Superioris ad uſum bonorum Religioſo conceſſa debet eſſe vel expreſſa; vel implicita & tacita quæ continetur virtualiter & implicite in alia expreſſa; vel tacita quæ rei cognitionem in Superiore ſupponit, & quæ ex circumſtantiis adeſſe iudicetur, ut cum Prælatus ſciens ſubditos aliquid accipere, retinere, donare, non prohibet, cum facile poſſit. Tunc enim tacite conſentire cenſetur. Secus vero, ſi difficile impedire poſſet, eo quod v. g. timeret quod ſuis quereiis domus turbaretur. Nam tunc mere tolerat, nec concedit; unde ſubditus non excuſatur. In Religionibus vero bene ordinatis licentia tacita vel generalis non conceditur, niſi in rebus levis momenti & crebro occurrentibus. **Quænam licentia requiratur.**

Licentia præſumpta, ſeu interpretativa non ſufficit, niſi cum res & cauſſa urgeat, nec tunc Superior poſſit adiri, ita ut cenſeatur nolle ut eius licentia expreſſe petatur. Sic enim non ceſſat obligatio legis: quia Superior in ea diſpenſaret, ſi rogaretur. Alioquin inferiores ſemper, aut fere

Digitized by Google

ſemper ſine actuali dependentia diſponerent. Quocirca ad mortale vitandum, ſi res diſferri poſſit, aut Superior adiri; expreſſa ipſius licentia requiritur. Etenim alias ſuperior eſſet rationabiliter invitus. Neque enim poteſt hic conſentire ut inferior ſine eius licentia, quando peti valeat, de rebus diſponat, ne religioſa diſciplina evertatur cum gravi ſpirituali Religionis detrimento, quod Superior impedire tenetur, ſaltem ſignificando hoc ſibi diſplicere, quando ſine gravi perturbatione familiæ impedire nequit. Qui autem ex conſenſu præſumpto rem aliqnam accipit, retinet, vel de ea diſponit, tenetur quamprimum poteſt, præcipue quoad licitam rei retentionem, licentiam petere.

Licentia petita a Superiore, ad hoc ut valida ſit, debet eſſe prorſus voluntaria & libera; non ſecus extorta per metum, dolum, alioſve huiuſcemodi modos qui voluntarium minuunt: ita ut talis licentia non ſufficeret ad excuſandum a crimine proprietatis Religioſum qui aliquid acquireret per huiuſmodi licentiam conceſſum. Itaque ſi Religioſus importuna ſollicitatione aut querelis aliquid impetret a Superiore, ideo ſolum permittente ut tali importunitate ſe liberet, vel quia timet maius malum, aut ne ſubditus querelas ac murmurationes effundat; votum paupertatis violat. Idem dicendum eſt, ſi fingat cauſſam ad licentiam obtinendam; vel id ſileat, quo cognito, dari non ſolet.

Nonnul. la adro. tanlur. Non peccat contra votum Religioſus qui, etiam inconſulto ſuperiore, aliquid ſibi ex liberalitate oblatum recuſat: quia vi voti paupertatis non obligantur Religioſi ad acquirendum Religioni; ſed ad non recipiendum, retinendum, diſponendum ſine Superioris licentia. Poſſunt tamen peccare contra caritatem, recuſando ſine iuſta cauſſa quod eis offertur: quia ſcilicet ſine iuſta cauſſa impedirent bonum Religionis, cui acquirit Monachus quidquid acquirit. Secus vero, ſi recuſet, ut ſacramenta liberius conferat; aut tali renuntiatione proximo ædificationem præſtet. Quod ſi quis oblatam ſibi pecuniam precaretur egenis ſui parentibus impendi: is dummodo rem expreſſe aut tacite quaſi nomine ſuo dandam non acceptaret; dici non poſſet proprietarius; ſicuti nec ille qui Miſſas habens liberas, eaſdem in gratiam alterius Sacerdotis celebraret qui debitum pro iis ſtipendium reciperet. Secus, ſi ipſe pactum vel acceptum pro Miſſa ſtipendium eidem Sacerdoti porrigeret, ac porrigi curat ſine Superioris licentia.

Quoties Religioſus damnum iniuſte quocumque modo intulit, ſive Religioni, ſive extraneis; debet, quantum poteſt, reſtituere ex iis bonis de quibus in alios uſus diſponere poteſt, vel imminuendo expenſas quas licite ex bonis Conventus facere poteſt, niſi Superior vel extraneus tale debitum ei condonet: quia omnis iniuria iure naturali reſarciri debet, niſi condonetur. Sic de Lugo cum aliis.

Nota tamen I. cum P. Antoine circa ea quæ hactenus dicta ſunt, licet quoad ſubſtantiam valeant reſpectu cuiuſvis Ordinis religioſi; quoad modum tamen ſpectandas eſſe leges ac regulas cuiuſcumque inſtituti. Nam fieri poteſt ut quod forte non repugnat paupertati in genere, repugnet paupertati ut eſt propria talis vel talis Religionis: quia quædam in aliquibus permittuntur quæ non permittuntur in aliis.

Nota II. Si Religioſus ſine valida Superioris licentia aliquid donet vel alienet, qui illud accipit, tenetur in conſcientia reſtituere: cum Religioſus facultatem non habeat alienandi, & rerum dominium transferendi.

Circa vero quantitatem quæ ſufficiat ut is mortaliter peccet contra votum, docent communiter Doctores, eam ſufficere quæ ſufficit ad furtum mortale. Nam peccatum proprietatis ſe habet ad inſtar furti; cum ſit uſurpatio rei vel uſus ſine conſenſu Superioris: quæ cum ſit non ſolum ſacrilega, ſed ſimul iniuſta, habet quamdam rationem furti. An vero ad peccatum mortale illius qui paupertatem vovit, eadem requiratur quantitas quæ requiri ſolet in furtis filiorumfamilias, erga quos parentes minus inviti eſſe ſolent? diſputant ſuper hoc Doctores. Affirmant Salmanticenſes. De Lugo vero cum aliis pluribus cenſet, minus requiri in Religioſo quam in filiofamilias: quia peccatum contra paupertatem non æſtimatur præciſe ex damno temporali, ſicut furtum filii; ſed ex everſione unius ex præcipuis vitæ religioſæ fundamentis, quæ in paupertate tamquam in ſua baſi ſtabilita eſt. Hinc Religioſi proprietarii ſæpius puniti ſunt pro voti huius tranſgreſſione, eo modo quo numquam puniti fuere filiifamilias. Non deſunt tamen qui ſatis probabiliter velint, rationem habendam ſtatus Monaſteriorum; ita ut in Conventibus ditiſſimis tres aut quatuor libræ a Religioſo ſubreptæ ad mortale peccatum requirantur; minus vero in iis quo-

Digitized by Google

quorum mediocris eſt cenſus; & multo minus in Conventibus pauperculis.

§. II.

De voto caſtitatis.

Votum pariter caſtitatis in profeſſione ſolemni emittitur: & tale votum conſiſtit in actu quo quis Deo ſpondet ab omni delectatione venerea, ſive intra, ſive extra matrimonium, abſtinentiam. Quare id omne quod in perſonis ſæcularibus eſt quomodocumque peccatum contra caſtitatem, in Religioſo eſt ſacrilegium: ac ideo peccatum duplex, ſeu mortale ſeu veniale, quatenus materia vel gravis fuerit, ut ſolet, vel levis; itemque quatenus adfuerit ſufficiens advertentia, vel advertentia defuerit. Quare ex vi voti caſtitatis tenetur Religioſus ſecundum omnes ſub mortali non ſolum abſtinere ab omni voluntario actu luxuriæ tum interno, tum externo, & ab omni probabili periculo, ad quod tenentur etiam ſæculares; ſed etiam tenetur abſtinere a coniugio, quod in laicis licitum eſt: quia votum caſtitatis etiam ſimplex, ſecundum ſignificationem receptam in Eccleſia, conſenſum Doctorum, & praxim fidelium, hæc omnia complectitur. Sacrilegium vero quod committitur in violatione talis voti, gravius eſt in Religioſo ſacro Ordine inſignito quam in ſæculari eodem Ordine initiato. Nam in Religioſo duplex eſt caſtitatis obligatio: una ex vi voti emiſſi in profeſſione religioſa; altera in ſuſcipiendo ſacro Ordine.

§. III.

De voto obedientiæ.

Obedientiæ notio, & ad quid obliget.

Obedientia religioſa definiri ſolet vinculum ſpirituale obligans Religioſum ad parendum Superiori regulari, in iis præcipue quæ reſpiciunt regulam illius Ordinis quem profeſſus eſt, vel quæ ad talem obſervantiam ſunt neceſſaria. Quare ex vi voti obedientiæ iuxta communem Doctorum, tenetur Religioſus ad regulam ſervandam ſecundum vim obligationis eius in unaquaque Religione receptam: quia per votum obedientiæ ſe ſubiecit regulæ & Superioris poteſtati. Porro cum hoc votum emiſerit ſecundum regulam, ſe generatim obligavit ad vivendum ſecundum regulam eo modo quo ipſa intendit, & ab obediendum Superiori præcipienti regulæ conſentanea. Unde ſi regula Ordinis abſolute obliget ſub culpa; eius transgreſſio eſt contra votum & ſacrilega. Si vero regula ex voluntate inſtitutoris non obliget ſub culpa abſolute, tranſgreſſio non eſt contra votum; dummodo Religioſus paratus ſit pœnam ſubire, quando imponetur. Omnis enim regula religioſa, ſub qua comprehenduntur etiam conſtitutiones & ſtatuta Religionis, obligat in conſcientia ad pœnam ſubeundam: eo quia regulæ, conſtitutiones, ſtatuta Religioſorum habent vim legis; cum habeant auctoritatem a Papa illa confirmante, vel fiant per iuriſdictionem a Deo acceptam. Idcirco obligant in conſcientia vel ad culpam abſolute, vel ſaltem ad pœnam. Præterea Superior habet ius puniendi actus contra regulas & ſtatuta. Tenetur pariter Religioſus ad res contentas in regula, pertinentes ad vota & ad ea quæ in ſua Religione præcepta ſunt, & quidem ſub mortali, ſi res ſit gravis; ſub veniali, ſi levis. Nam tenetur ſervare vota ſecundum regulam; & illa obligant pro conditione materiæ, gravis nempe vel levis. Tenetur etiam ad ea omnia quæ conſentanee Ordinis conſtitutionibus, regulis, ſtatutis Superior præcipiat; ſive ea expreſſe, ſive implicite &, virtualiter inſtituto ac regulis contineantur, vel ad illa etiam indirecte pertineant; & eo magis, ſi præcipiat in virtute ſanctæ obedientiæ, in nomine Chriſti, vel ſimili forma qua indicat ſe velle obligare graviter, vel quantum poteſt. Nam per votum obedientiæ ad hoc ſe obligavit, ut conſtat ex ſenſu & uſu in Religionibus recepto: & Superior ius habet præcipiendi & graviter obligandi ſecundum regulam cui Religionis obedientiam vovit & ſe ſubiecit, quamvis ipſa regula, & præciſo Superioris præcepto, non obliget abſolute ſub culpa. Alias votum obedientiæ illuſorium eſſet, ut ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* clxxxvi. *art.* 9 *& ex cap.* xvii. *de elect. in* 6. colligitur. Quare Superior præcipere poteſt non ea tantum quæ ſunt in regula, tametſi hæc abſolute non obligant; ſed ea quoque quæ neceſſaria moraliter ſunt ad præcavenda peccata, ad arcenda ſcandala, ad inſtitutum, regulas, vota ſervanda: & ad hunc finem poteſt nova condere ſtatuta, præcipue quando inobſervantia alicuius regulæ & conſtitutionis ad religioſi ſtatus laxitudinem duceret. Hæc enim virtualiter ac implicite pertinent ad inſtitutum & vota. Quod ſi Superior non utatur forma præcipiendi, non videtur obligare eius præceptum ſub mortali; ſed ſolum ſub veniali, ſi aliquo modo iubeat.

Nota, non poſſe Superiorem ratione voti quo

quo ſubditus ei parere tenetur, ipſum obligare ad illa quæ ſunt infra regulam, quia laxitatem iuberet; nec quæ ſunt ſupra regulam, quia graviora præciperet quam fert lex ad cuius obſervantiam ſe voto obſtrinxit; nec præter regulam, quia res vanas inutileſque nihil ad inſtitutum conſerentes præciperet. Non enim parendum eſt homini auctoritate ſua utenti in deſtructionem, non vero in ædificationem; ſed ſolummodo quando iuſte, rationabiliter, ac rationi conſentanee & iuſtitiæ præcipit. Quocirca & obſequendum eſt, quando credendum id quod præcipit, non tantum explicite, ſed implicite etiam in regula vel conſtitutionibus contineri, cuiuſmodi ſunt ea quæ ad regularem obſervantiam & ſpiritus primævi continuationem pertinent, ut talem pro tali culpa pœnam ſubire, a ludis quibuſdam abſtinere, Ordinis negotia proſequi, hiſque ſimilia. Hinc Monialibus præcipitur arctiſſima clauſura, licet eam non voverint. Sic præcipere Superior poteſt ut quis ambulet, quieſcat, animum recreet cum aliis, quo vegetior fiat ad laborem & onera regulæ. Tournely.

Difficultas hic occurrit, an Superiori volenti reformationem inducere, parere teneatur ſubditus. Et in hoc videndum eſt, num agatur de reformanda diſciplina Religionis quæ ſit collapſa in ſubſtantialibus: itaut ſere obſoleverit paupertas & nihili ducatur obedientia. Tunc enim omnino parendum eſt: quia ad minus Superiori obſequendum eſt, quando id præcipiat ſine quo ſalus æterna conſequi nequeat. Idem etiam dicendum de iis quæ immediate ad votorum obſervantiam conducunt: ut v. g. ſi præcipiat Superior ſubdito ne ſervet apud ſe pecuniam ſine eius licentia; hic parere debebit. Si vero diſciplinæ relaxatio ſit in his quæ non ſunt ſubſtantialia, videndum eſt, num illa procedat ex conſuetudine; an vero ex Pontificis indulto mitigatus ſit rigor. Si hoc ſecundum ſit: reſiſtere valet ſubditus; quia mitigatio Pontificis in regula eſt altera lex. Si primum: quando conſuetudo quæ diſciplinam laxavit, legitime eſt præſcripta, ideſt ex præſcripta legitime conſuetudine derogatum eſt primævo rigori; non tenetur Religioſus ad priſtinum rigorem, ut communius fatentur Theologi. Nam dum vovit, non rigidiorem, ſed mitiorem regulam vovere intendit. Præterea non plus auctoritatis habent leges monaſticæ quam leges Eccleſiæ, quibus non raro in his quæ ad diſciplinam ſpectant, derogatur. Quare licet graviter peccent qui eaſdem conſuetudines inducunt, vel his utuntur ante præſcriptionem, non ii peccant tamen qui eos poſt præſcriptionem ſequuntur. Porro in caſu quod reformatio ſtatuatur a Superiore de conſenſu Capituli aut maioris partis profeſſorum, licet non conveniant ſuper hoc Doctores, tutior tamen & probabilior eſt, neceſſario parendum eſſe. Nam licet poſſit conſuetudo regulam infirmare; nequit tamen tollere Superioribus, ideſt Capitulo facultatem eam reſtaurandi, nec ſubdito obligationem reſtaurationi huic humiliter obediendi: ut patet in Eccleſia quæ tametſi diſſimulet ad tempus quoſdam abuſus, eoſdem tamen, data occaſione, etiam per cenſuras tollere conatur. Tridentinum autem Concilium talem facultatem reformationis Prælatis conceſſit *ſeſſ. xxv. cap. 1. de regul.* Tournely.

Religioſus obligari poteſt a Superiore etiam cum periculo vitæ, quando actio periculoſa neceſſaria eſt ad commune bonum Religionis. Sic Suarez cum aliis. Hinc obligari poteſt ut aſſiſtat fratribus eiuſdem Religionis peſte infectis: quia commune bonum Religionis exigit ut Religioſi in neceſſitatibus ſibi ad invicem ſubveniant; & hoc ſaltem implicite in regula continetur. Sic Caietanus. Similiter Religioſi qui vi ſui inſtituti tenentur incumbere proximorum ſaluti, obſequi debent Superiori præcipienti miniſtrationem Sacramentorum ſæcularibus peſte infectis, quando Parochi ad hoc implendum ob infirmorum copiam ſatis non eſſent: & Superior hoc ſuis ſubditis præcipere tenetur. Hoc enim eſt ſecundum eorum regulam, vi cuius munus eorum eſt ut ſint Epiſcoporum & Parochorum coadiutores, eos in proximorum ſalute adiuvando. Ita P. Antoine cum aliis.

Nota quod peccatum contra votum obedientiæ duplicem continet malitiam: unam ſacrilegii ob votum; alteram iniuſtitiæ ratione traditionis ſui ipſius factæ Religioni eiuſdemque Prælatis. In dubio vero de poteſtate Superioris, vel an res præcepta ſit licita, ſubditus parere debet (ex *can.* Quod culpator XXIII. *q. 1.*) quia præſumptio ſtat pro Superiore, qui cum ius habeat præcipiendi quidquid certum ſit non excedere eius poteſtatem, eſt in poſſeſſione præcipiendi; & melior conditio eſt poſſidentis. Quare ſive Superior vetet, ſive deneget ſubdito etiam irrationabiliter, præcipue quoad licentiam rerum neceſſariarum, & nihil ſequatur in Religioſo contra aliquod præceptum: De peccato contra hoc votum & quædam de ſuperioribus notantur.

ex

ex tali prohibitione ſive denegatione licentiæ uſus alicuius rei quæ eidem opus ſit, licet peccet Superior vetans vel denegans contra iuſtitiam & caritatem; Religioſus tamen parere tenetur. Non tenetur vero parere, ſi iniuſte & irrationabiliter vetet vel licentiam deneget Religioſo agendi id cuius omiſſio efficiat Religioſum deficientem præcepto graviter obliganti in materia iuſtitiæ vel caritatis. Neque enim tum peccaret agendo contra prohibitionem vel licentiæ denegationem; cum votum obedientiæ nequeat eſſe ligamen iniquitatis.

Superior Regularium habet etiam poteſtatem patrisfamilias in ordine ad politicam domus gubernationem, etiam erga Novitios. Unde, etiam ubi regula non obligat, ſi opus ſit, poteſt ex quarto Decalogi præcepto præcipere ea quæ neceſſaria videat ad religioſe vivendum. Et eo magis quod habet a Papa quaſi epiſcopalem auctoritatem in ſuos ſubditos, etiam Novitios.

Superiores regulares poſſunt legibus ſuis & ſtatutis ſuos ſubditos, ubicumque terrarum extent, obligare, excommunicare, fugitivos propria auctoritate capere. Nam poteſtas in ſuos eis non competit ratione territorii; ſed ratione perſonalis obligationis, ex vi voti obedientiæ.

Papa eſt ſuperior omnium Religionum, Præpoſitus generalis. Unde Religioſi ex voto obedientiæ ei primario parere tenentur in omnibus in quibus obſequi debent ſuis Superioribus: quia hoc votum fit principaliter ſummo Pontifici. Hinc Innocentius XI. hanc damnavit propoſitionem Michaelis de Molinos; *Propoſitis obediendum eſt in exteriore: & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo exterius pertingit; in interiore vero aliter ſe habet, quo ſolus Deus & director intrant.*

§. IV.

De culpa Religioſi qui violat regulam.

Tametſi regula, ſicut aliquæ ſunt, non obliget ſub culpa; raro tamen contingere poteſt in praxi ut ſine culpa ſaltem veniali ea violetur, ob aliquam inordinatam affectionem, videlicet ſenſualitatis, curioſitatis, vanitatis, & ſimilium; vel ob otioſitatem, negligentiam, acediam; vel ob defectum finis honeſti vel debitæ circumſtantiæ in actu quo regula violatur; vel ob aliquem alium defectum. Sic communiter cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.* clxxxvi. *art.* 9. *ad* 1. Nam quævis de ordinatio eſt peccatum; cum oponatur rectæ rationi & legi divinæ, & vitiet actionem. Sic v. g. qui meditationem omittit, vel examen conſcientiæ, vel ſtudium ex negligentia ſeu torpore quodam, ſemper committit peccatum acediæ. Idcirco ſi non eſt peccatum ratione violationis regulæ quæ ita non obligat; eſt tamen ratione alicuius moralis vitii: quod licet eorum qui hic irrepunt, defectuum minimus eſſe videatur; de eo tamen ratio in die iudicii erit reddenda. Hinc colligitur repulſam divinæ inſpirationis vocantis etiam ad conſilia vix umquam culpa vacare, cùm honeſte & propter bonum finem omitti nequeat id quod Deus a nobis fieri peroptat. Unde viri timorati, & opera ſua verentes, ſuas divinis inſpirationibus renitentias humiliter in tribunali pœnitentiæ confiteri ſolent.

Licet non ex contemptu regula violetur, quia violatio etiam levis ex contemptu eſt ſemper mortalis; Religioſus tamen qui regulam circa ſpiritualia exercitia, abnegationem ſui, actus virtutum, diſciplinam religioſam frequenter & ex conſuetudine violat, peccat ſecundum aliquos graviter, & graviter tenetur hanc conſuetudinem vitare & emendare. Tunc enim intervenit contemptus ſaltem interpretativus religioſæ vitæ ac perfectionis; ac ſe periculo exponit violandi vota, ad quorum obſervantiam multum conducit, ut medium moraliter ſaltem neceſſarium, regulæ obſervantia: cum conſtet experientia, vota paulatim contemnere qui regulam violare aſſueſcunt. Præterquam quod, qui ex habitu ſeu conſuetudine regulam tranſgrediuntur, ſcandalum aliis præbent, diſciplinam religioſam perturbant, damnumque magis vel minus Religioni afferunt.

§. V.

De obligationibus Superiorum Regularium: & primum de Capitulo, & Generali quoad electionem Superiorum localium ſeu Monaſteriorum.

Superiores primarii, nempe Capitulum ſive generale ſive provinciale, ac Prior vel Abbas generalis Ordinis cuiuslibet, ad quos ſpectet electio ſeu deſtinatio Superiorum inferiorum, Abbatis ſcilicet, Prioris, Guardiani, pro regimine Monaſteriorum ſeu familiarum, tenentur in conſcientia ſub mortali eligere ac ſtatuere pro huiuſcemodi officio Religioſos digniores prudentia, ſcientia, ac pietate (ut ſæpe & graviter incul-

cant ſacri canones & Pontificum conſtitutiones) necnon peritos circa rerum temporalium adminiſtrationem. Ex hoc enim maxime pendet regularis diſciplinæ obſervantia, pax, tranquillitas, & fraterna Superiorum & inferiorum, necnon inferiorum inter ipſos mutua Chriſtiana caritas quæ eſt fundamentum, baſis, & forma religioſæ perfectionis, ad quam totis viribus tendere tenentur Religioſi: Nam talis perfectionis ſollicitudo, cura, & exercitium eſt eſſentia ac anima ſtatus religioſi, iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* clxxxvi. *art.* 2. qui docet, ſcopum ſtatus religioſi eſſe perfectionem, utpote qui eſt diſciplina vel exercitium perveniendi ad perfectionem; & hæc perfectio ex ipſo Sancto Doctore *ibid.* conſiſtit in perfectione caritatis: *Perfectio*, ait Angelicus, *caritatis eſt finis ſtatus religioſi*. Hinc graviter peccant, & omnium quæ inde ſequuntur, peccatorum cauſſa ſunt ii qui ſub prætextu alicuius pietatis eligunt in Superiorem imperitum, aut alias indignum, ob defectum requiſitorum a ſacris canonibus; ſcientiæ nempe, pietatis, vel prudentiæ: quarum poſtrema præcipue maxime neceſſaria eſt in iis qui aliorum regimini præficiuntur. Prudentia tamen ſemper ſupponit ſcientiam eorum quæ alicui neceſſaria ſunt, ut regimen cui præficitur, rite peragat. Ceterum alii etiam ſunt caſus quibus tanquam indignus regulari regimine quis excluditur: & præcipue ob morum defectum; quæ omnium pravior eſt indignitas. Hanc autem regulam diſerte exponit P. Henno hiſce verbis: *Excludendos eſſe ratione morum adulatores, hypocritas, magis politicos quam Religioſos: omnes adinſtar Abſalom exterius honeſtiſſime recipientes, & ſuis tantum bene facientes; ſuorum imperfectiones excuſantes, & perfectiunculas ad cælum uſque extollentes; aliorum vero exagerantes imperfectiunculas, & perfectiones labefactantes: in bonis ſuorum memores; in malis econtra magis ſollicitos placere ſæcularibus quam prodeſſe Religioni: quærentes Superiorum maiorum gratias & favores litteris & laudibus adulatoriis, muneribus, delicatioribus ferculis. Et idem eſt, ſi ipſimet ſimilibus capiantur, eorum ideo & communem refectionem fugientes.*

§. VI.

De obligationibus Superiorum localium ſeu Monaſteriorum.

Dotes quæ in Superioribus Regularium familiarum regimini præfectis prælucere debent, breviter ac ſummatim, & ſimul ſolide, exponuntur ab Innocentio III. *cap.* VI. *de ſtat. Monach.* ubi hæc habentur: *Præceteris potens ſit ſuperior in opere & ſermone, ut exemplo vitæ verboque doctrinæ Fratres & inſtituere poſſit in bono, & a malo revocare: zelum Religionis habens ſecundum conſcientiam, ut delinquentes corripiat & caſtiget, obedientes foveat & confortet ... Quanto frequentius poterit, ſit cum Fratribus in Conventu, vigilem curam & diligentem ſollicitudinem gerens de omnibus, ut de officio ſibi commiſſo dignam Deo poſſit reddere rationem.* Quare tenetur Superior, & hoc ſub gravi, ſubditos promovere ad perfectionem propriam ſui inſtituti, quæ eſt finis & forma religioſi ſtatus. Porro ab hac pendet Religioſorum æterna ſalus, quam pro viribus in ſuis ſubditis curare debet Superior: utpote qui eſt eorum ſpiritualis Paſtor, & ad hoc ad talem gradum & regimen electus fuit & promotus a Religione. Unde, quantum fieri poteſt, ſollicitus eſſe debet Superior ut ſerventur vota & regulæ omnes ſui inſtituti, quæ ſunt media quibus ad perfectionem perveniri queat. Idcirco graviter peccat Superior negligendo ac diſſimulando in ſubditis culpas etiam veniales ac violationes regulæ, licet non obliget ne ad veniale quidem: quia in huiuſcemodi negligentia deficit Superior muneri ſuo, quo tenetur conſulere ſpirituali ſuorum ſubditorum profectui & regulari obſervantiæ, quæ per eiuſmodi defectus maxime labefactatur. Unde a fortiori ſequitur, graviter peccare Superiorem, ſi per eius incuriam ac diſſimulationem ſubditi ſomno vel otio vacent, & exercitia ſpiritualia omittant & negligant. Quocirca non tantum incumbit Superiori, non permittere ſuis ſubditis occaſiones etiam venialium; ſed inſuper invigilare debet ne amittant fervorem ſpiritus ac ſtudium perfectionis, ut ex Apoſtolo Rom. *cap.* XII. & *Hebr. cap.* XIII. ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXV. *cap.* II. & ex S. Antonino *Part. II. tit.* IX. *cap.* V.

Verum quia præter regimen ſpirituale ſeu Monaſticum incumbit Superiori regimen temporale quoque & œconomicum, hinc peccant Superiores qui alieni a regimine caritatem ſpirante, & ii præſertim qui nihil neceſſarii, ne dicam ſuperflui, etiam ſibi denegantes, vel aliquid ſubtrahunt ſanis quod ſpectat ad eorum ordinariam ſuſtentationem (dixi *ordinariam*: reſpectu eorum locorum ubi non ſervatur vita communis) infirmis medicamenta, ſenibus reſtauramenta: quæ ſane nemini negari queunt abſque gra-

Digitized by Google

gravi culpa nedum contra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiam. Cum enim Superior ſit tantummodo miniſter bonorum Monaſterii, quorum dominium eſt penes communitatem; tenetur ex vi ſui muneris cuique, prout neceſſarium ſit, providere: dum ad hoc in tali miniſterio a Religione Superiores conſtituuntur. Sed de hoc infra, ubi ſermo habendus erit de bonorum Monaſterii uſu qui fieri debet a Superiore, præcipue quoad infirmos & imbicilles. Tournely aliique.

Similiter graviter peccant contra caritatem Superiores qui, ut dominantes in cleris, aſpera verba, clamores, ſeveriorem vultum, elatam vocem & imperioſam, nimis aſperum agendi modum erga ſuos ſubditos exercent, contra illud Eccli. cap. XXXII. *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Curam illorum habe .... ut Cæteris propter illos.*

§. VII.

De bonorum Monaſterii uſu quem facere debet Superior.

Superiores locales Monaſteriorum, cum ſint meri miniſtri & diſpenſatnres bonorum communitatis, ut iuſtam rectamque normam diſpenſandi ſervent & exequantur ea fidelitare quam exigit illorum munus, miniſtrare debent iuxta vires Monaſterii Religioſis ſuſtentationem quoad victum & veſtitum, conſiderando, præcipue quoad victum, uniuſcuiuſque conditionem & valetudinem, etiam ubi non viget perfecta communitas: ita ut vel in tali re conſueta, vel in alia quam exigat alicuius Religioſi neceſſitas, ſaltem in æquivalenti tribuatur quod ipſi opus ſit. Hunc modum miniſtrandi docet Sacer Textus Actuum Apoſtolorum, ubi habetur quod primævis fidelibus in communi viventibus (qui normam Cœnobitarum in communi viventium adumbrarunt) dabatur ſingulis, prout ipſis opus erat: *Dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*. Act. cap. II. & S. Auguſtinus in Reg. *cap.* VIII. inquit: *Virtus & tegumentum non æqualiter omnibus diſtribuatur; quia non æqualiter valentes omnes: ſed potius unicuique, prout cuique opus fuerit.*

Superiores igitur ut iuſte recteque diſpenſandi normam ſervent, debent ſingulorum conditionem & valetudinem animadvertere, atque ita ſingulis ſine perſonarum acceptione ex communibus Monaſterii proventibus, ad quos nullus præ alio plus iuris habet, diſtribuere, *prout cuique opus fuerit*. Præcipue tamen in monaſterii bonorum diſtributione curam habere debent infirmorum, ſive poſt ægritudinem reficiendorum, ſive aliqua imbecillitate etiam ſine febribus laborantium, providentes ut nihil neceſſarii ipſis deſit. Et hæc infirmorum ac imbecillium cura in omnium Ordinum regulis & conſtitutionibus enixe commendatur. Nec mirum: cum experientia manifeſtum ſit, nullam eſſe maiorem Religioſis tentationem privata peculia ſibi colligendi & conſervandi, quam ſi videant ex communibus monaſterii proventibus infirmis & imbecillibus neceſſaria non miniſtrari. Van-Eſpen *Part. I. tit.* XXIX. *cap.* VIII. *pag.* 266.

§. VIII.

De aliis quibuſdam ſtatus religioſi obligationibus.

Circa alias obligationes quæ incumbere poſſunt Religioſis, ſive Profeſſis, ſive ſacro Presbiteratus Ordine inſignitis, inter alias tres præcipue hic remanent diſcutiendæ. Primo, videlicet recitatio quotidiana horarum canonicarum, ſcilicet num ex vi religioſi ſtatus ad eam teneantur, adeo ut etiam clerici Ordinibus ſacris nondum initiati tantummodo ex vi proprii inſtituti ab hoc onere non eximantur. Et hoc intellige etiam de Sanctimonialibus pro choro profeſſis. Secundo, an ad ſtudia teneantur. Tertio, quando Sacerdotes ſint, num ad Miſſæ celebrationem adſtringantur. De aliis autem Regularium obligationibus differemus, Deo dante, ex profeſſo agentes de ſtatu religioſo: cum hic ſatis ſit, magis obvia & communiora pro Confeſsariorum directione exponere.

Quoad horarum canonicarum recitationem, certum eſt (quidquid aliqui in contrarium dicant, quorum opinio nova eſt ac ſingularis, & paucorum) certum, inquam, eſt ex unanimi Sapientum conſenſu, ut notat hic Tournely, Religioſos ad chorum profeſſos, & nondum in ſacris conſtitutos, etiam extra chorum teneri ſub mortali ad divinarum horarum recitationem; niſi ſpecialiter cum iis diſpenſaverit Papa, aut aliud ferat ſpeciale Ordinis inſtitutum. Sic, exceptis aliquibus paucis laxioribus Theologis, pene omnes tenent. Nam revera fere omnium conſenſu oppoſita ſententia reiicitur, ab aliis ut temeraria, ab aliis ut ſcandaloſa, ab aliis ut pernicioſa animarum ſaluti, ab aliis ut improbabilis. Hinc iuſſit Clemens VIII. illam eradi; e libro Emmanuelis Sa. Celebres

bres tres Hiſpaniarum Academiæ, Hiſpalenſis nempe, Cæſarauguſtana, Conimbricenſis, illam impugnarunt anno MDCXXXII. Iam præiverat cenſuram hanc anno MDCXXV. generalis Præpoſitus Societatis Jeſu R. P. Mutius Viteleſchi, vetans ne a quovis ſuorum ne ut probabilis quidem prædicta opinio doceretur. Demonſtrare poſſem hanc Regularium obligationem ex praxi priſcorum Monachorum qui, accepto a Clericis uſu ſacræ Salmodiæ, diutius & accuratius Divinis matutinis & horis vacarunt lucernalibus teſte S. Epiphanio *expoſit. fid. Cathol. cap.* XXIII. ubi ait: *Magna vero ex parte Monachi in decantandis pſalmis ac perpetuis orationibus occupantur*. Sic Caſſianus de Monachis Ægypti ac Thebaidis, S. Gregorius Nyſſenus in vita S. Macrinæ, & S. Hieronymus in *Epiſt.* XXVII. & in ea quam ſcripſit ad Demetriadem. Verum quia fiunt quandoquidem ea quæ non ſunt præcepta; ac proinde incertum eſt an hoc facerent Monachi & Sanctimoniales eorum temporum ex debito ipſis iniuncto, an vero tantummodo ex eorum particulari devotione ac pietate: hinc ſecuriorem obligationis Regularium noſtrorum temporum obligationem illam cenſui quæ habetur ex fere communi ſenſu Theologorum, Academiarum, ſummorumque Pontificum, quæ confirmatur ex ipſa Eccleſiæ conſuetudine.

Sancta conſuetudo & legitime inducta eſt in Eccleſia, quæ proinde legis vim habet, ut Religioſi choro addicti quotidie horas divinas etiam privatim, ſi choro non interſint, recitare teneantur. Hinc ſi non ſcripto præcepto quod habeat aliquis Ordo in ſua regula vel conſtitutionibus, ſaltem ex eccleſiaſtica traditione & conſuetudine vim legis habente, graviter obligante & in conſcientia, Religioſi omnes in ſacris non conſtituti, & extra chorum verſantes, ad huiuſmodi quotidianum penſum perſolvendum tenentur ſub mortali. Quare ſtatim ac quis auſus eſt aſſerere, huiuſmodi Religioſos poſſe abſque culpa recitationem privatam officii omittere, eidem fortiter acriterque obſtitere religioſorum Ordinum Superiores.

Quod autem dicitur de Religioſis, extendendum eſt etiam ad Sanctimoniales ob paritatem rationis & conſuetudinis. Et hoc idem dicendum eſt de Virginibus illis quæ in Belgio & Germania Canoniſtæ dicuntur. Etenim cum hæ quoque de bonis Eccleſiæ vivant, Eccleſiæ ſervire debent, etiam privata horarum canonicarum recitatione. Sic cum Leſſio alii graves Theologi. Si enim Canoniſſæ Monialium vicem gerunt, quoad reditus, vicem gerere debent etiam quoad divini officii quotidianum penſum etiam privatim, quando choro non interſint.

Nota, quod Regulares choro addicti, non ſecus ac Clerici ſæculares a die & hora ſuæ Ordinationis, ita illi quoque a die & hora ſuæ profeſſionis divini Officii obligationem incurrunt.

Quoad Miſſæ celebrationem, tenentur Prælati Regulares curare ut unum ſaltem ſacrum diebus ſingulis in eorum Eccleſia celebretur; nec huic officio ſine populi offenſione deeſſe poſſunt. Pro Miſſa hac, licet Conventualis ſit, recipere poſſunt ſtipendium: niſi lex vel contraria obſtet conſuetudo. Facilius certe letaliter delinquit Sacerdos regularis quam ſæcularis, qui ex ſocordia diu Miſſæ celebrationem negligat. Miſſam pro quo maluerit celebrare ſeu offerre poteſt: niſi aliter ſancitum ſit. Peſſima tandem videretur conſuetudo quæ pœnitentiis Regulares adigeret ad Miſſæ celebrationem. Hac certe via, ait hic Tournely, haberi poſſunt Miſſæ, a quibus celebrandis debeat quis ſub gravioribus etiam pœnis averti.

§. IX.

De ſtudiis Regularium.

Regulares duplicis ſunt claſſis ſeu generis. Alii quorum inſtitutum utramque vitam complectitur, contemplativam ſcilicet & activam: ſeu præſcribit ſuis profeſſoribus non ſolum pium devotumque interius exercitium, ſed etiam exercitium exterius caritatis, ut videlicet elaborent pro ſpirituali proximi utilitate & profectu, ſub Paſtorum auctoritate ſpargendo ſemen divini verbi, confeſſiones excipiendo, docendo, eademque magna ex parte munia obeundo quæ ſæculares Presbyteri; Et ad hunc finem huiuſcemodi inſtituta, quæ præcipue ſunt Ordinum mendicantium, elata fuere ad clericalem ſtatum, ideſt ad Ordinem Sacerdotii ſuſcipiendum. Alii monaſticam tantum profeſſi ſunt vitam: & ii vi proprii inſtituti ſibi primum invigilare tenentur contemplationis ſeu orationis exercitio: ideſt vi ſuæ profeſſionis tenentur ad vitam contemplativam; ceteris vero vix aliter prodeſſe quam orationibus, ieiuniis, & fletibus. Et huiuſcemodi inſtituta non afferunt debitum ſuſcipiendi ſacros Ordines, ſed ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto.

Priores, in videlicet qui cum contemplativa etiam

etiam activam in proximorum utilitatem fraternæ caritatis vitam profitentur, utpote copiæ auxiliares & coadiutores Cleri, cum procuIdubio potentes eſſe debeant in doctrina, tenentur ſe exercere in ſtudiis, divinæ Scripturæ præſertim & Dogmaticæ ac Moralis Theologiæ. Proinde non video, quomodo excuſari poſſint a gravi culpa talium Ordinum Religioſi qui otio & inertia marceſcentes, earumdem ſcientiarum ignorantia laborant. Hi enim apti non ſunt ut impleant debitum intentionemque proprii inſtituti, cooperando per ſacra hierarchica munia proximorum ſaluti: proindeque mentem Eccleſiæ defraudant, quæ vult ut de altari & de eccleſiaſticis bonis participent ii tantum qui, prout fert conditio proprii inſtituti, altari inſerviunt & in his ſe exercent quæ ſunt gloriæ Dei & fidelium ſalutis; necnon intentionem ac voluntatem eludunt benefactorum, qui ad hunc finem bona ſua Monaſteriis huiuſcemodi Ordinum legarunt & donarunt.

Circa Monachos vertitur controverſia, licita ne his ſint, an vero vetita ſtudia: & noſtra ætate agitata fuit inter Armandum Bouthillier Monaſterii Trappæ reformatorem, & P. Ioannem Mabillonium, quorum poſterior fortiter & ſimul erudite propugnavit pro litterarum ſacrarum ſtudio a Monachis etiam exercendo; utpote ipſis nullibi vetitum, ac proinde licitum immo etiam debitum. Nulla profecto generali lege umquam Monachis vetitum fuit vacare ſtudiis. Neque vero dicendum eſt, ſtudia vetita eſſe Monachis, quia de iis ſilent eorum regulæ. Nam, ut demonſtravit D. Thomas contra Gulielmum a S. Amore, illud Religioſis conceſſum intelligitur quod nulla lege prohibitum invenitur. Et ſane praxis præcipue ſanctorum hominum eſt regularum legitima interpres. Porro a primis iam Monachorum temporibus ſanctiores Cœnobitæ ſtudiis vacarunt: cuiuſmodi fuerunt venerabilis Beda, S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, S. Anſelmus, aliique.

Verum non ſolum licitum eſt Monachis ſtudium, quia nulla generali lege eis interdictum eſt, & multo minus talis prohibitio erui poteſt ex Regularum ſilentio, dum ex hoc potius arguitur ſtudio vacandi permiſſio: immo eis omnino debitum eſt. Plura enim Concilia, ſeu generatim, ſeu ſpeciatim, ſtudia Monachis indixere. Generaliter quidem: quia cum hodie Monachi contra vel præter inſtitutum primævum ſacris Ordinibus initientur; quæ ceteris Presbyteris ſcientiam commendant, & eam Monachis præcipere dicenda ſunt. Speciatim vero, ut patet ex Concilii Viennenſis Decreto, quod habetur in *Clement. 1. de ſtatu Monach.* Item ſtudia neceſſaria ſunt ad rectam Monaſterii ſtatus adminiſtrationem: dum in quolibet Monaſterio neceſſe eſt ut ſaltem duo ſint, Superior ſcilicet & alter eius ægri vel abſentis vicem gerens, qui poſſint confeſſiones ſuorum excipere, conſcientiæ caſus reſolvere, difficultateſque circa aliqua moralis vel divinæ Scripturæ explanare. Sed de omnibus melius fuſiuſque ſuo loco, Deo dante, ſermo redibit.

§. X.

De clauſura.

Nec feminis licet ingredi, nec Superiori eas admittere in Monaſteria ſive domos Religioſorum; nec viris intra ſepta Monaſterii mulierum religioſarum ſeu Sanctimonialium ingredi fas eſt: quia hoc ſemper vetitum fuit ſaltem ex conſuetudine vim legis tenente, ad ſcandalum ac peccati occaſiones vitandas. Id conſtat ex S. Gregorio *lib. III. Epiſt.* xl. *ad Valentin. Abbat.* Porro id vetitum eſt ſub pœna excommunicationis, quam ſola excuſare poteſt invincibilis ignorantia. Ita Theologi cum Canoniſtis. Religioſi autem introducentes ipſo facto incurrunt pœnas privationis officiorum, & in poſterum ſuſpenſionis a divinis. Quocirca falluntur ii qui putant, murum dirutum ſolvere clauſuram, adeo ut tunc ingredi Monaſterium liceat. Nam a nulla lege & doctore hoc excipitur: & *ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*. Quibus tamen & quando liceat talis ingreſsus, ſuo loco videbimus: nunc ſatis erit expoſuiſse id quod communiter obligat.

Clauſura vero, alia eſt a iure: & hæc variari nequit a Superioribus Religionis. Talis autem clauſura eſt Dormitorii, Refectorii, officinarum, aliorumque interiorum locorum conventus: quia huiuſmodi loca a ſacris canonibus in clauſura comprehenſa declarantur. Alia eſt a Superioribus Religionis ſtatuta: quando nempe Generalis vel Provincialis aliqua loca de quibus dubitatur, an ſint clauſuræ accenſenda. Hæc autem eſt variabilis pro Superiorum libito: cum ab eadem auctoritate tolli poſſit a qua fuit impoſita ſeu ſtatuta. Huiuſmodi loca ſunt ea quæ non immediate ſunt iuncta locis clauſuræ, ſeu immediate ad ea conducunt per communem ianuam. Variatio-

tionem clauſuræ ſine gravi ac rationabili cauſſa, prudentia certe non approbat. Hinc declaratio clauſuræ reſervata eſt Generali vel Provinciali, ut minus variationi ſubiaceat.

Clauſura per ſe obligat Religioſos ſub mortali: tum iure naturali orto ex vi voti obedientiæ promiſſæ ſuis Prælatis; tum iure poſitivo ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* xxv. *cap.* iv. *de Regular.* ubi Regularibus vetat recedere a ſuis Conventibus, ne ſub prætextu quidem accedendi ad Superiores, niſi ab ipſis miſſi vel vocati. Non tamen rei fiunt peccati ullius, quando exeunt de licentia expreſſa vel tacita Superioris, vel ex conſuetudine obtinente ac permiſſiva Superiorum. Peccaret vero ille Religioſus cui interdictum fuiſſet a Superiore egredi ſine expreſſa licentia, ſi exiret, hac non obtenta. Sic etiam qui noctu furtim exiret; tum quia hic ſit unus ex caſibus quos reſervant Superiores; tum etiam quia egreſſus eſt furtivus, contra Superioris voluntatem attentatus. Eſt communis. Non violarent tamen clauſuram: ac proinde excommunicationem non incurrerent, quæ nullibi invenitur.

Quoad loca vero quæ dubia eſſe poſſunt circa clauſuram, ut ſunt viridarium, horti, ſacriſtia, chorus, aliaque huiuſmodi: de his diſtincte habebitur ſermo ſuo loco.

CAPUT VI.

§. I.

De mutua Superiorum & inferiorum obligatione.

Superiores, ſive eccleſiaſtici, ſive ſæculares, ſecundum poteſtatem quam habent, ac munus quod erga ſubditos exercent, tenentur ſuis ſubditis bonum procurare, eorumque malum avertere. *Eccli. cap.* xxii. *& I. ad Timoth. cap.* v. Nam omnis poteſtas publica eſt propter bonum ſubditorum; & Superiores ratione ſui muneri parentum vices gerunt.

Subditi pariter, non ſecus ac filii erga parentes, proportione ſervata, erga Superiores quoslibet debent amorem, obedientiam, & reverentiam iuxta cuiuſque munus ac poteſtatem, ut docet Catechiſmus Romanus *de IV. præcept.* & conſtat ex ſacra Scriptura *Eccli. cap.* vii. *II. Petr. cap.* ii. *Rom. cap.* xiii. & *Hebr. cap.* xiii. Hinc graviter peccant inferiores, ſi Superioribus in re gravi ad eorum munus pertinente non obediant; ſi eos contemnant, vel eorum defectus aliis detegant, ut eos odioſos & contemptibiles reddant; ſi illis debita ratione officii non ſuppeditant, ut decimas Eccleſiaſticis, tributa Principibus, & aliis ſtipendia.

Nota quod domini temporales ſeu dynaſtæ (ii ſcilicet qui præcipuam fundi in Parochia auctoritatem habent) tenentur prius Eccleſiam eiuſque miniſtros verbo & facto tueri: quia tota eorum auctoritas eſt a Deo; ac proinde iuxta eius intentionem exercenda. Unde graviter ii peccant, ſi Eccleſiam non frequentant; ſi eius cæremonias derident; ſi eius Paſtores pro vilibus mancipiis habere videntur, eoſdemque ſuam pro Dei cultu & honore opem implorantes dedignantur ac abiiciunt; ſi ob eorum mollitiem divinorum officiorum ordinem tempuſque notabiliter non ſine gravi multitudinis præiudicio invertunt, ſi feſtivos dies choreis & litigiis inhonorari patiuntur.

Item procurare tenentur ſuis vaſſalis iuſtitiam & immunitatem ab oneribus indebitis. Nam alias vel ipſi violarent iuſtitiam; vel a ſuis Officialibus violari paterentur: & utrumque communibus naturæ principiis repugnat. Quocirca graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur domini ſeu dynaſtæ, ſi iudices alioſve miniſtros imperitos, avidos, dubiæ ſeu inexploratæ probitatis conſtituant. Item (ſi ius gladii teneant) peccant, ſi maleficos ac ſceleratos pœnis a lege conſtitutis plecti non curent; ſive ut ſumptibus parcant; ſive ut ab iis flagitioſis commodum conſequantur. Tournely. Et idem dicendum eſt, ſi agant vel permittant quidquam ex quo violetur iuſtitia & populorum protectio quæ ipſis incumbit, & damnum populus patiatur. Item ſi cum ſubditorum detrimento tributum in alia rei ſpecie ac tenentur, puta pecuniam pro vino vel frumento, ſive e contra, dari prætendant.

§. II.

De obligationibus tutorum & curatorum.

Nomine tutoris intelligitur is cui commiſſa eſt cura pupilli & bonorum eius: curator autem ille intelligitur qui aſſignatur minori, præcipue in curam eius bonorum. Idcirco tutor in hoc differt a curatore: quod tutor datur primario in curam perſonæ, & ſecundario in curam bonorum; curator e contra primario datur in curam bonorum, & ſecundario in curam perſonæ.

Qua-

Quare tutori incumbit cura pupilli, ſeu eius perſonam tueri, bonis moribus imbuere, & dare operam ut artem ſeu profeſſionem aliquam ſuo ſtatui conſonam addiſcat. Item eius bona regere fideliter, ac diligenter adminiſtrare: cum ad hunc finem publico iure conſtituatur pupillo loco patris. Curator vero tenetur bona minoris recte ac fideliter curare ac adminiſtrare; necnon eius perſonam tueri, ſi opus fuerit, ac eius educationi & inſtitutioni invigilare: eo quia principaliter aſſignatur in curam bonorum; ſecundario in curam perſonæ. Quare ſi tutor vel curator in his deficiant, vel ſint graviter negligentes, graviter peccant, & obnoxii ſunt reſtitutioni: utpote qui peccant contra proprium officium ad aliorum commodum ſpectans; ac proinde contra iuſtitiam. Hinc tenentur ſtatim inventarium bonorum omnium pupilli & minoris facere (*l.* xxiv. *cod. de admin. tutor.*) omnia eorum bona, iura, & actiones diligenter conſervare, & curare, ut ex his annui reditus percipiantur; bona alias peritura vendere; ex mobilibus prædia idonea comparare. Ex ff. *& eod.* Quod ſi neglexerint, vel bona pupilli & minoris in proprium commodum converterint: rem, ſive ablatam, ſive amiſſam, reſtituere tenentur, ac totum lucrum ceſſans & damnum emergens compenſare. Inſuper tutor (& ſic etiam curator) tenetur de culpa lata & levi. *l.* vii. *cod. de arbit. tutel.* Nam iuſtum pretium ſuæ adminiſtrationis exigere poſſunt: & ſic eorum munus cedit in utilitatem ſuam & aliorum. Peccant itidem, ſi pupillo vel minori dent pecuniam ad uſus malos vel inutiles: cum ex ſuo officio debeant fideliter ac utiliter bona eorum adminiſtrare.

Ceterum pupilli & minores tenentur obedientiam & reverentiam exhibere tutoribus, & curatoribus, velut parentibus, quorum locum illi obtinent.

§. III.

De mutua obligatione heri, & famuli.

Heri ſeu domini iuxta communem tenentur primo famulorum & famularum ſpiritualis ſalutis curam gerere, ex *I. Timoth. cap.* v. Etenim ſunt illorum caput & parentum vices erga eos gerunt. Hinc dominis incumbit curare, ut famuli & ancillæ res quæ ad fidelem ſpectant, addiſcant, peccata & peccati occaſiones vitent, præcepta Dei & Eccleſiæ obſervent, debito tempore ſacramenta frequentent. Item bona exempla his exhibere debent, graviter delinquentes corrigere, iiſdemque invigilare, ut Eccl. cap. xxxii. *Attende domeſticis tuis.* Secundo, congrua alimenta his miniſtrare debent, ac ſtatuto tempore iuſtam ſolvere mercedem. *Levit. cap.* xix. *Eccli. cap.* xxxiv. *Coloſſ. cap.* iv. Nec ſine iuſta cauſſa ante elapſum tempus poſſunt eos invitos dimittere: quia violarent contractum. Porro integrum ſtipendium in tali caſu eis dare tenerentur; ac ſi toto ſtatuto tempore ipſis ſervitutem exhibuiſſent: niſi tamen alteri eo tempore famulatum præſtitererint. *L.* xxxviii. §. *Locati*. Si vero, invito domino, & ſine iuſta cauſſa famulus diſcedat, nihil quidem ei conceditur in foro externo: in foro vero conſcientiæ ei debetur merces pro rata temporis quo ei ſervierit; niſi aliud ferat pactum, vel ex intempeſtivo ſuo diſceſſu damnum hero intulerit, mercede retenta, aut illius parte, compenſandum. Etenim opera præſtita eſt digna pretio, quo famulus privari nequit in pœnam, niſi ex conventione vel per ſententiam iudicis. Ita de Lugo cum aliis. Tertio, tenentur eos non aſpere ac ſuperbe tractare; ſed benigne tamquam fratres in Chriſto & vitæ æternæ coheredes, quos debent ſicut ſe ipſos diligere. *Epheſ. cap.* vi. Unde peccant, ſi domeſticos contumeliis afficiant; ſi diabolos v. g. aut canes appellent; ſi immoderato labore vexent. Quarto, tenentur curare ut in eorum infirmitatibus ſpiritualia ac temporalia auxilia non deſint. Attamen iuxta multos, ſecluſa pactione vel conſuetudine, non tenentur ex iuſtitia alimenta & ſtipendium dare famulis toto tempore diuturni morbi: cum hæc ſolum propter quotidianas operas debeantur; & conductor nihil ſolvere tenetur, dum re vel opera ſibi locata uti nequit, ob cauſſam ex parte locatoris vel rei locatæ provenientem. Item non tenentur ſolvere impenſas pro eorum curatione; niſi ſint modicæ, vel niſi in neceſſitate verſentur. Tunc enim ſolum tenerentur ex caritate: quæ tamen hoc non exigit, quando famuli licet indigentes ſatis ſint ad huiuſmodi impenſas ſupplendas. Quinto, tenentur expellere famulos qui liberos alioſve domeſticos ſuis pravis moribus vel locutionibus corrumpunt, præcipue ſi reprehenſione non emendentur. Sic S. Carolus in *Inſtruct. Confeſſ.* & Concilium Mediolanenſe III. Nam tenentur cauſſas occaſioneſque peccandi a ſuis removere. Et quando famulus vel famula iuſtis de cauſſis dimittantur; ſatis eſt, ſi pro rata tantum ſtipendium

dium eis perſolvatur. Nam locum habet eadem ratio de impedimento ex parte locatoris proveniente, ob quam opera locatoris vel rei locatæ conductor uti nequit.

Famuli & ancillæ amorem, reverentiam, obedientiam, & fidelitatem ſuis heris præſtare tenentur. *I. Timoth.* cap. VI. & *Epheſ. cap.* VI. Nam eadem reddere tenentur ſuis dominis quæ filii parentibus: quia domini vicem parentum erga illos gerunt.

Item tenentur ex iuſtitia fideliter ſervire & laborare, munus ſibi commiſſum meliore modo implere, necnon res ſibi creditas ſedulo curare, cuſtodire, & ſervare: utpote qui ut ad hæc præſtanda conducti ſunt, & ex contractu oneroſo huiuſcemodi obligationem ſuſceperunt. Hinc peccant mortaliter, ſi in re non levis momenti inobedientes ſint; ſi defectus ac peccata familiæ aliis referant; ſi toto tempore deſignato non elaboraverint, ac negligenter debita obſequia exhibeant. Porro in his caſibus tenentur ad reſtitutionem ſtipendii pro rata laboris omiſſi; quia non habent ius niſi ad ſtipendium labori & operæ congruens: tum ad compenſandum damnum & lucrum ceſſans; quia fuerunt iniuſta illorum cauſſa, cum ſequantur ex omiſſione diligentiæ & operis, quando ex iuſtitia ea præſtare debebant. Idem dicendum de aliis operariis conductis. Item ſi diſponant de bonis dominorum, non quæſito eorum conſenſu. Item ſi grave damnum inferri dominis permittant, dum impedire valent; vel videntes damnum his ab aliis inferri, ſileant, nec dominos moneant, ſive extranei ſint qui illud inferunt (quod certius eſt, & ſecundum Leſſium ita fere habet communis gentium ſenſus) ſive conſamuli, in rebus quoque quarum cura non eſt ſibi ſpecialiter demandata: & damnum in aliorum defectu tenentur dominis compenſare. Nam famuli & ancillæ hoc tacito pacto recipiuntur, ideſt ut dominorum damnum impediant: & magis domeſtici quam extranei. Hi enim ſola caritate tenentur: domeſticis vero quibus ſpecialiter domus vel alia res commiſſa eſt, ex officio incumbit bona domini cuſtodire, & diligenter invigilare ne quid damni ipſe patiatur. Si ante tempus in contractu ſtatutum diſcedant ſine iuſta cauſſa, & dominus damnum patiatur, eo quia alios maiore pretio conducere debuit: quia ex iuſtitia toto illo tempore ſervire debebant, damnum illatum domino ſuo intempeſtivo diſceſſu compenſare tenentur. Omnis enim iniuſtitia damnoſa obligationem parit reſtitutionis.

§. IV.

De obligationibus Magiſtrorum, & Diſcipulorum.

Eadem quodammodo obligatio quæ inter parentes & liberos, currit etiam magiſtros pœdagogoſque inter & diſcipulos: cum magiſtri & pædagogi erga diſcipulos vices gerant parentum circa ea quæ ad ſtudia ſpectant & ad bonos mores. Verum magiſtri præcipue & pædagogi graviter in his caſibus peccare cenſentur. Primo, cum non ſint idonei, nec ſufficienter docti ut munus huiuſmodi recte utiliterque obire valeant; ſi illud ſuſcipiunt, aut non dimittunt, vel ſe ad illud aptos non reddunt. Secundo, ſi progreſſum diſcipulorum in litteris ſollicite non promoveant. Tertio, ſi ipſi ſtudiis non ſatis vacent, ut recte officio fungantur. Quarto, ſi ex propoſito falſa ut vera doceant, vel ſuperſtitioſa, aut ſaluti noxia. Quinto, ſi malum exemplum præbeant diſcipulis. Item ſi improbos, & alios pernicioſos ad ſcholam admittant, vel eos non expellant ne alios non depravent. Sexto, ſi doctoratus vel licentiatus conferatur indignis: quia, iuxta S. Antoninum, Navarrum, alioſque, eſt mortale peccatum præcipue in Theologia, iure canonico, civili, & medicina, immo videtur etiam in Philoſophia. Nam grave nocumentum bono publico inferunt, & Rempublicam & Eccleſiam in re gravi publico teſtimonio decipiunt. Quare ex hoc fit ut officia ſæcularia vel eccleſiaſtica beneficia non ſine multorum damno indignis conferantur. Tandem tenentur magiſtri ex decreto Concilii Lateranenſis V. *ſeſſ.* IX. ut ſimul cum humanioribus litteris diſcipulos rebus fidei & præceptis Dei & Eccleſiæ imbuant.

Diſcipuli pariter primo peccant, ſi magiſtris ſuis, ac pædagogis debitum honorem & reverentiam non reddant. Secundo, ſi his morem non gerant in rebus quæ ad ſtudia & bonos mores ſpectant. Tertio, ſi conſortium malorum ſibi vetitum non effugiant, ut *Prov. rb. cap.* XIV. Quarto, ſi libros prohibitos legant. Quinto, ſi abſque iuſta cauſſa ſcholam non frequentent. Sexto, ſi horis ſtudio ſtatutis luſui vacent vel otio. Et certe graviter peccant, quando ſtudia notabiliter negligunt: tum quia deficiunt in re gravi contra obedientiam parentibus ac præceptoribus debitam; tum quia ſe incapaces reddunt, ut munia quæ ſuo ſtatui conveniunt, rite in poſterum obire queant; tum

quia

Digitized by Google

quia vità otioſa eſt fons & origo multorum peccatorum, præcipue in adoleſcentibus.

CAPUT VII.

De obligationibus perſonarum iudicialium vel forenſium.

Inter præcipuas obligationes quæ incumbunt perſonis quæ negotiis iudicialibus & forenſibus diſtinentur, hæ potiſſimum recenſeri ſolent: ſcientia videlicet, diligentia, veritas, fidelitas, & iuſtitia.

Nota. Qui officium aliquod in aliorum commodum cedens ſuſcipit, tenetur ex iuſtitia ad cavendum ne ſua negligentia damnum alicui ſequatur. Rurſus tenetur ad procuranda, ſaltem quantum commode fieri poteſt, illius commoda cui per ſuum officium ſervire contingat: necnon ad ea diligenter obeunda quæ ad tale munus pertinent, ac neceſſaria ſunt ad finem ad quem tale munus inſtitutum eſt. Nam ex eo quod munus ſuſcipit, ad ea tacite ſe obligat: & ideo ſtipendium ei tribuitur. Idcirco ſi munus ſuum negligat, damna exinde ſecuta reſarcire debet, necnon ſtipendium acceptum reſtituere.

§. I.

De iudicis obligationibus.

Iudicum obligationes in ordine ad ſe

Iudex (idem dic de advocato) non ſolum pollere debet ingenio, intelligentia ſeu (ut loquimur) bono ſenſu, ſcientia, conſtantia, animi fortitudine, gravitate morum; animo alieno a lucri commodorumque ſuorum ſtudio; ſed præcipue neceſſe eſt ut ſcientiam habeat legum ac conſuetudinum, ad munus ſuum recte obeundum: quia ex iuſtitia tenetur recte iudicare. *Sap. cap.* I. Quare has diligenter addiſcere debet, ut omnes difficultates definire valeat, & omnes fraudes forenſium detegere. Nam iudicis eſt ferre ſententiam de rebus ut plurimum valde involutis ſeu ex ſe, ſeu ex parte colligantium & advocatorum, qui res etiam perſpicuas aliquando adeo involvunt, ut vix certa ab incertis, indubia a dubiis ſecerni poſſint. Quare attendere debet ad omnes iuris & facti circumſtantias, & principia ſingulis qui occurrunt caſibus applicare. Niſi autem intelligentia & plurima ſenſus rectitudine ſit donatus; non magis præſtare poteſt quam quis ſine pedibus ambulare. Idcirco Salomon populum Iſrael iudicaturus, præ ceteris petiit a Deo cor docile & intelligens, necnon ſapientiam ad diſcernendum iudicium. Hinc petens ac ſuſcipiens munus iudicis ſine ſufficienti ſcientia & idoneitate peccat mortaliter: quia voluntarie ſe periculo exponit mala ſeu iniuſta iudicia ferendi cum alterius detrimento. Item peccat iudex male iudicando ob imperitiam: & licet putet ſe recte iudicare, tenetur damnum compenſare quod inde litigantibus obvenit, ſive in ſubſtantia litis, ſive in ſupervacaneis expenſis. Eſt enim iniuſta cauſſa talis damni, ex *cap. ult. de iniur.*

Iudex ex communi ſententia, ad hoc ut rectum ferat iudicium, præter ſcientiam neceſſe eſt ut habeat iuriſdictionem quoque & auctoritatem ſuper perſonas & cauſſas circa quas iudicium ferre debet: alias iniuriam faceret tum litigantibus, tum legitimo iudici, cuius iudicium poteſtatemque ſibi iniuſte vindicaret. Idcirco violaret in hoc caſu ius privatum & publicam auctoritatem, ipſiuſque iudicium irritum eſſet. *Cap.* IV. *de iudic. & cap.* IV. *de pœnit.* Et hoc patet ex ipſa iudicii natura & ratione, quæ illud expoſcit, ut ſententia in ſubditum dumtaxat feratur; receptumque eſt veluti adagium: *Nullum in iudice maiorem eſſe defectum quam iuriſdictionis.* In ordine ad alios.

Quadruplex autem eſt poteſtas iudicandi aliquem: ordinaria, vel delegata; per compromiſſum, ſcilicet ex conſenſu partium alicuius iudicio ſe ſubmittentium; ratione delicti in ſuo territorio commiſſi; & ratione rei, de qua cauſſa contra poſſeſſorem movetur, ex *cap. ult. de for. compet.*

Iudex habere debet certitudinem ſaltem moralem in cognitione cauſſæ: alioquin imprudenter iudicaret, & teneretur ad reſtitutionem damni ſi ob eius negligentiam hoc contingeret.

Iudex ſententiam ferre tenetur ſecundum leges & ordinem a legibus præſcriptum: ideſt tum quoad modum procedendi, ordinem, & formam iudicii; tum quoad ſententiam ferendam & exequendam ut ex *cap.* I. *de conſtitut.* quod deſumptum eſt ex Concilio Meldenſi anno DCCCXLVIII. Huius autem Concilii auctoritas valet etiam pro iudicibus laicis: his enim non magis licitum eſt quam aliis, proprium ſuum ſenſum auctoritati legum præponere. Porro hoc comprobat etiam Patrum auctoritas, inter quos S. Auguſtinus *lib. de ver. Relig. cap.* XXXI. apud Gratianum *can.* III. *diſt.* IV. hæc habet: *In temporalibus legibus, quamquam de iis homines iudicent, cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ & firmatæ, non lice-* In ordine ad leges.

licebit iudici de ipſis iudicare; *ſed ſecundum ipſas*. Et ſane eatenus iudex legitime iudicat, quatenus iudicandi auctoritatem accepit. Nullus autem eſt iudicum cui poteſtas collata ſit, pro libito & phantaſia iudicandi; ſed omnibus & ſingulis id inviolabiliter præceptum eſt, ut ſecundum leges ſua ferant iudicia. Hinc non poteſt aliquem condemnare inauditum & ſine teſtibus (*Clement.* II. *de ſent. & re iudic.*) nec poteſt uti ſcientia iniuſte & contra iuris ordinem parta: alioquin iniuriam continuaret & augeret. Pariter, ſecundum communem ſententiam nequit condemnare eum quem privata ſcientia ſcit eſſe nocentem, ſi iuridice non probetur: quia non habet poteſtatem iudicandi niſi ut perſona publica; ideoque ſecundum ſcientiam publicam, quæ habetur per teſtes, legitima inſtrumenta, & acta. Hinc colliges, peccare iudicem qui commiſeratione ductus minorem reo indicit pœnam quam quæ legibus ſancita ſit iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* lxvii. *art.* 4. ubi dicit miſericordiam iudicis locum habere in iis quæ illius arbitrio relicta ſunt, in quibus boni viri eſt ut ſit diminutivus pœnarum: *non vero in iis quæ determinata ſunt ſecundum legem divinam & humanam*. Hoc enim munus eſt iudicis ſupremi ſeu Principis, cui eſt plenarie poteſtas publica commiſſa, & quem decet legum rigori detrahere poſſe. Et id docet Pontaſius *cap.* vi. *verb.* Iudex, locum habere, etiamſi accuſator cui a reo ſatisfactum ſit, deſiſtat a petenda eiuſdem rei pœna: quia non ad obſequium accuſatoris, ſed ad Reipublicæ utilitatem leges conditæ ſunt & obſervandæ. Item docet idem Pontaſius, non peccare iudicem qui pro circumſtantia loci vel temporis potius ſpiritum quam verba legis ſectatur. Quare qui crimen triremibus dignum commiſit, minore pœna quandoque affici poteſt, ſi conditio ætatis iam provectæ ita exigat. Ei quoque qui multam graviorem incurrit, ob inopiam qua alioquin premeretur, minor imponi poteſt. Hinc ea ſcientiæ ſenſuſque rectitudo quam ſupra notavimus, requiritur in iudice: quæ ſi deſit, ille reipſa erit imperitus, tametſi leges ſciat, ut ex *l.* xvii. ff. *de leg.* colligitur: *Scire leges, non hoc eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem*.

Si tamen rei crimen, tametſi probabilius, maneat obſcurum nec ſatis probatum; mitius cum eo agendum erit, ut præſcribunt iura tum canonica iuxta reg. xi. in 6. *Cum ſunt partium iura obſcura, reo favendum eſt potius quam actori*: tum civilia quibus cautum fuit, ut *favorabiliores rei potius quam actores habeantur*. *l.* clxvii. ff. *eod. tit.*

Quod ſi contingat ut uterque litigans perſonam ſuſtineat poſſeſſoris (puta ſi duo qui de iure venandi contendunt, ambo ſuam poſſeſſionem probent) præfertur ille cuius antiquior eſt poſſeſſio vel titulo munita. Si vero utrobique ſit paritas; cuilibet poſſeſſio communiter aut diviſim adiudicanda erit, iuxta titulum iſtud: *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*.

In caſibus a lege obſcure tactis pro nutu & arbitrio iudicare nequit, ſed tenetur ferre iudicium ſecundum opinionem certo probabiliorem in quæſtione iuris & facti: ideſt prout, omnibus rite ponderatis, æqui & veri magis ſimile detexerit. Etenim officium iudicis eſt iudicare ſecundum merita cauſæ, & ſententiam ferre quæ inſpectis allegationibus & probationibus, æquitati & iuri ex naturali rationis lumine conformior videtur. Nam, deficiente lege poſitiva, ſequi neceſſe eſt naturalem, quæ numquam deficit, & debito modo interrogata ſemper id quod magis verum eſt, reſpondet. Tournely.

In caſibus qui arbitrarii dicuntur, non poteſt iudex iudicare pro arbitratu ſuo. Non enim ex hoc dicuntur arbitrarii: ſed quia partes communi voto iudicio viri prudentis rem ſuam commiſerint. Hinc dici ſolet, in hiſce caſibus rem commiſſam eſſe, vulgo *rimeſſa*, iudicio prudentum. Idcirco ſententiam ferre tenentur ſecundum id quod, omnibus mature inſpectis, æquitati magis conſonum videatur: alias in hiſce & ſuperioribus caſibus locus eſſet acceptioni perſonarum, contra Divinæ ſcripturæ præceptum variis in locis expoſitum, & contra reg. iur. in 6. *In iudiciis non eſt acceptio perſonarum habenda*. Hinc Innocentius XI. hanc damnavit propoſitionem: *Probabiliter iudico, iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem minus probabilem*. Unde iudex qui poſt diligentem & ſinceram veritatis inquiſitionem certus eſt de maiore probabilitate ſuæ opinionis, aliorum opinionem ſequi nequit. Quod ſi opiniones ſint æque probabiles, & nullus ex litigantibus, vel ambo rem poſſideant; debet rem inter partes ex æquo dividere vel eius pretium, ſi dividi nequeat. Iudex enim non eſt rei dominus, ſed tenetur ius ſuum cuique tribuere ſecundum merita cauſæ, iuxta definitionem Alexandri VII. qui hanc propoſitionem confixit: *Quando litigantes ha-*

Digitized by Google

bent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. Hoc idem dicendum eſt in quæſtione facti. Iudex enim debet cauſſam adiudicare parti quæ habet inſtrumenta, teſtimonia, aliaque probabiliora argumenta: quia ius probabilius hæc reddunt. Si vero hæ facti probationes ſunt æquales; æquale ius fundant. Idcirco res a neutro æqualiter iam poſſeſſa, æqualiter dividenda eſt inter partes litigantes: alioquin ſi ab uno tantum poſſideatur, ei eſt adiudicanda. *Nam in dubio & pari cauſſa melior conditio eſt poſſidentis.* Reg. lxv. iur. in 6. At in cauſſis criminalibus æqualis probabilitas debet reo favere, eum abſolvendo (ex reg. xi. iur. in 6.) alioquin periculo ſe exponeret damnandi innocentem. P. Antoine.

Iudex, etiam delegatus, parti litiganti tenetur procurare idoneum advocatum, ſi hunc ob paupertatem, iudicii imbecillitatem, vel adverſarii potentiam, aliave de cauſſa habere nequeat (*cap. 1. de offic. iudic.* cui concinit *cap. 1. §. de poſtul.*) alias pauperes a potentioribus opprimerentur, quod a iudice cavendum eſt.

Iudex ſupplere poteſt ea quæ a litigantibus, vel ab eorum advocatis, prætermiſſa vel non bene dicta fuerint, ſi de iure ſint; non autem, ſi ſint de facto ſaltem communiter. Sic Doctores in *l. unic. cod. Ut quæ deſunt advocatis partium, iudex ſuppleat.* Hinc tenetur iudex ineptum actoris libellum reiicere, concedere dilationes, teſtes haud legales excludere: quia hæc ſunt iuris. Non vero poteſt monere partium alteram, ut dilationibus aliiſve privilegiis ſibi conceſſis utatur, ut petat ſatisfactionem pro iniuria, ut certa producat inſtrumenta: cum partes advocati gerere non debeat, nec de ſtudio partium ſe ſuſpectum reddere. Si vero factum aliquod aliunde vel ex actis notorium ſit; poteſt illud iudex ſupplere, ſi a partis advocato ſuppreſſum ſit: puta ſi publice aut ex actis conſtet, aliquem ex delicto inhabilem eſſe ad ſtandum in iudicio, item eum iam præſcripſiſſe rem de qua lis movetur: immo ſi agatur de bono publico, cauſa pupillari, matrimoniali, & alia pia cauſſa, plura tunc iudex ſupplere poterit.

Tenetur iudex lites celeriter expedire. *Cap. 11. de ſentent. & re iudic.* Nam partes ius habent ne ſine iuſta cauſſa iudicium differatur: alias debitor eſſet de damno ex tali dilatione ſecuto. Item debet habere iudex rectam intentionem, nempe iuſtitiæ ſervandæ, ſecluſa omni paſſione invidiæ, odii, alteriuſve pravi finis. Nam actio, tametſi bona ex obiecto, malitiam a pravo fine participat. Unde iudex qui in dignoſcenda vel iudicanda cauſſa negligenter vel inique ſe gerit, peccat contra iuſtitiam; & damna omnia quæ exinde parti læſæ obvenerunt, reſarcire tenetur, cum fuerit iniuſta eorumdem cauſſa.

Gravis vertitur difficultas Theologos inter & Canoniſtas etiam circa modum quo iudex ſe gerere debeat, quoties contingat ut habeat ſcientiam allegatis & probatis contrariam in favorem alicuius cauſſæ, præcipue in criminalibus, quando agatur de ſententia mortis vel mutilationis, quam iudicando ſecundum allegata & probata ferre debet contra eum quem certo novit eſſe innocentem. Antequam tamen aliquid circa hoc ſtatuatur, ut certa ab incertis ſecernantur, quædam prænotanda ſunt. Primo videlicet, omnes communiter fateri, quod iudex cui non prorſus certa & indubitata rei alicuius eſt notitia, curare debeat ut & conſcientiam deponat; quia *quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam:* & ſecundum allegata & probata iudicium ferat, quia inverteretur iudiciarius ordo, ſi ob privatam notitiam, nedum certam omnino, ſed & fallibilem, ab allegatis & probatis iudex recedere poſſet. Secundo hoc pariter Doctores omnes agnoſcere: reum ſcilicet quem de viſu delinquentem iudex agnoſcit, ſecundum allegata & probata de eius innocentia abſolvendum eſſe, iuxta communiſſime receptam regulam iuris: *Actore non probante, reus abſolvitur.* Præterea in alia regula iuris pariter ab omnibus admiſſa habetur, quod ex duobus malis quæ ſimul vitari nequeunt, illud amplectendum eſt quod minus fuerit. Porro minus profecto eſt ut reus abſolvatur, quam ut iudiciarius ordo negligatur. Tandem quia iudex ſaltem ordinarius (quidquid ſit de iudice ſupremo ſeu Rege, qui pariter, ſecluſis extraordinariis caſibus, tenetur ſequi iudiciorum leges) cum unus ſit teſtis, ac proinde nullus; gratis & irrito ad minus conatu reum de quo nunc agitur, morti addicere auderet. Tertio, & in hoc quoque omnes conveniunt, ut magiſtratus, antequam iudicet ex allegatis & probatis, omni maiore vi ac ſtudio curare debeat, ut fortunæ & multo magis vitæ innocentis conſulat.

Num iudex poſſit damnare eum quem certo novit inſontem.

Triplex hac de re eſt ſententia. Prima univerſim ſuſtinet, iudicem in quacumque ma-

materia etiam capitali ex allegatis & probatis ſententiam ferre poſſe: & tunc agere quidem contra conſcientiam quam habetur homo eſt, ideſt ut perſona privata; non vero contra eam quam habet ut iudex, ſeu perſona publica, quam ſolam in publicis iudiciis reſpicere debet. Et hæc opinio eſt Caietani, Azorii, aliorumque inſignis notæ Doctorum cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXIV. *art.* 6. *ad* 3. *&* *quæſt.* LXVII. *art.* 2. Secunda e contra contendit, iudicem contra propriam ſcientiam ne in materia quidem civili poſſe iudicare. Tertia mediam tenet viam: ſcilicet in criminalibus, quando agitur de morte aut mutilatione, non poſſe contra propriam ſcientiam iudicare; ſed ſolum in his, quando agatur de pœna pecuniaria vel de privatione officii. Sic Leſſius, & Reinfeſtuel cum aliis, qui licita approbant huiuſcemodi iudicia. Et hanc ſequi ſtatuimus.

Iudex igitur in ferendo mortis iudicio contra eum qui ſecundum allegata per teſtes & probata reus demonſtratur, cum certo ſciat eſſe innocentem, non debet etiam cum periculo cuiuſcumque proprii damni, ipſius quoque vitæ, addicere morti vel mutilationi ex allegatis & falſo probatis, ſed tenetur inquirere vias omnes quibus illum liberare valeat: ut impediendo accuſationem, ſe tali iudicio ſubtrahendo, ipſumque ad ſapientiorem remittendo, & apud eum officium teſtis aſſumendo; vel potius, ſi huiuſcemodi mediis eum liberare nequeat, debet officium dimittere, ac iurare, ſe illum innocentem agnoſcere. Nam damnaret innocentem (quod eſt contra iuſtitiam) ſi tale indicium attentaret proferre. Nemo autem ius auctoritatemque habet ſuper vitam innocentis. Non enim talem poteſtatem virum innocentem interimendi recepit a Deo, in cuius manu eſt hominum vita; nec a Republica, quæ directe ſaltem inſontem morti addicere nequit. Verum quidem eſt, quod iudex iudicare debeat ſecundum allegata & probata, quæ eſt publica probatio correſpondens publicæ auctoritati: dummodo tamen non habeat in ſe ſcientiam in contrarium, qua cognoſcat, quod innocentem occideret. Non poteſt tamen eum abſolvere, quia publice reus probatur. Et quod dictum eſt de ſententia mortis, intelligitur etiam de iudicio mutilationis: cum Reſpublica poteſtatem non habeat inferendi huiuſcemodi pœnam innocenti.

In cauſſis vero civilibus & in iis in quibus agitur de ſola pœna pecuniaria, ex communi poteſt iudex etiam contra propriam ſcientiam ferre iudicium iuxta allegata & probata. Republica enim poteſtatem ac dominium habet ſuper bona ſubditorum: idcirco de his diſponere poteſt, quando ita bonum publicum exigat, ſicut in caſu noſtro, ne ſcandalum oriatur ex iudicio contra legalem ac iuridicam probationem. Tenetur tamen iudex in tali caſu curare prius omni induſtria ut falſum detegatur, vel ut proceſſus impediatur: vel ſi abſque boni communis detrimento fieri queat, remittere cauſſam ad iudicem ſuperiorem. P. Antoine cum aliis.

Peccaret & ad compenſationem damni ſecuti teneretur iudex qui reum damnaret per notitiam iniuſte extortam. Confeſſio autem criminis iniuſte extorqueretur primo, reum interrogando ſine ulla præcedenti infamia, vel ſemiprobatione, vel indiciis competentibus. Secundo, eliciendo confeſſionem tormentis, vel eorum metu, ſine ſufficientibus indiciis ad torquendum: licet poſtridie reus ratificet. Nulla enim eſt ratificatio ex confeſſione per ſe irrita. Tertio, torquendo perſonam quæ ob ætatem, infirmitatem, privilegium, ac dignitatem torqueri non poterat. Quarto, doloſe promiſſione v. g. impunitatis, reum ad confitendum inducendo: quia tunc iniuria ei infertur. In his enim caſibus confeſſio iniuſte extorta eſt iniuſta; & ſic nullum dat ius: idcirco ex ea procedi non poteſt, cum iniuſtum ſit uti medio iniuſto. Quid de quæſtionibus exercendis.

Non licet iudici ſpecialiter contra aliquem inquirere ut eum puniat, niſi infamia præceſſerit, vel ſemiprobatio, vel aliquod indicium quod iuſtam det cauſſam, ex *cap.* XXI. & XXIII. *de accuſat.* Eſt communis. Nam per illam inquiſitionem ſuſpectus & infamis redderetur.

Iudex ad hoc ut iuſte & ſine culpa reum ſubiiciat torturæ, neceſſe eſt, quod reum non ſubiiciat torturæ quam, ſpectatis viribus & complexione, impoſſibile eſt ut ille ſuſtineat; alias eſſet iniuſta; ac proinde ex confeſſione ſic extorta procedere non poſſet. Peccat pariter, ſi ante torturam non tentet per vias mitiores inducere reum ad confeſſionem; cum tortura ſit ultimum remedium, in aliorum defectu, damnoſum & valde periculoſum. Ad hoc ut poſſit reus torqueri, iuxta communem requiruntur probationes vel indicia de crimine commiſſo digno pœna mortis, tali medio & cruciatui congruentia; ita ut ſola confeſſio rei ad plenam probationem deeſſe videatur. Nam tor-

tortura inſtituta eſt ad ſubſidium probationis, cum indicia & argumenta ſunt ceteroquin magna, nondum tamen ſufficientia ut ſit plena probatio. Prohibentur vero torqueri in criminibus exceptis viri nobiles vel in magna dignitate conſtituti, doctores, milites, ſenes, impuberes, prægnantes, & nondum confirmatæ a partu. Semel tortus, ſi nihil confeſſus ſit, nequit amplius torqueri, niſi nova criminis indicia ſuperveniant: quia per torturam priora eliſit. Si vero intra torturam crimen confeſſus, extra eam coram iudice revocet, repeti poteſt tortura uſque ad tertiam: quia per revocationem indicia non ſunt eliſa. Si vero tertio tortus retractet, eſt abſolvendus: quia præſumendum eſt, vi tormentum faſſum fuiſſe. Excipiunt tamen aliqui, niſi indicia eſſent graviſſima, quæ violentam præſumptionem pariant, crimen a reo malitioſe negari.

Ad quid obliget ſententia iudicis. Sententia iuſta iudicis obligat in conſcientia: quia ſententia iuſte prolata eſt præceptum legitimum ſuperioris, a legitima poteſtate procedens, cui reſiſtendo Dei ordinationi reſiſtitur. Dixi, *iuſta ſententia*: quia certo iniuſta iuxta communem per ſe non obligat. Primo, ſi conſtet, eam niti falſa præſumptione falſiſque probationibus, tametſi lata ſit ſecundum allegata & probata: quia cum falſo nitatur fundamento, & ideo nullo, nulla idcirco eſt talis ſententia. Iudex enim ius non habet diſponendi de iuribus boniſque aliorum; ſed ſolum cuique ius ſuum reddendi, ac declarandi quod cuique debitum ſit. Secundo, ſi iniuſta ſit ex omiſſione debiti ordinis iuris quoad ſubſtantialia. Nam iudex poteſtatem non habet ferendi iudicium, niſi ſervato iuris ordine. *Iniuſtum iudicium non eſt iudicium:* ait Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxx. *art.* 4. *ad* 2. Quare qui ſcienter per huiuſcemodi iudicium bona alterius accepit, ea reſtituere tenetur; nec cum poſſeſſor ſit malæ fides, umquam præſcribere poteſt: immo tenetur impenſas & damna compenſare. Qui vero per ſententiam iniuſtam iudicis quam iuſtam putabat, bona fide quid accepit, ſi antea tempus completum præſcriptionis cognoſcat fuiſſe iniuſtam, reſtituere tenetur accepta: non tamen impenſas, nec fructus conſumptos, niſi ex his factus ſit ditior. Quod ſi bona eius fides perduret toto tempore præſcriptionis, non tenetur reſtituere: quia legitime præſcripſit. Hactenus P. Antoine.

Sententia tamen iniuſta ſervari debet, quantum requiritur ad tollendum ſcandalum, perturbationem, aliaque graviora incommoda: etiamſi non ſervatus ſit iuris ordo. Idcirco multo minus licet contra iudicem eiuſque miniſtros ſe defendere, quando ſervatus ſit iuris ordo; cum iudex ius habeat exequendi ſententiam quam, ſervato iuris ordine, tulit.

Quando iudex tulit ſententiam criminalem ſecundum legem quæ pœnam minitetur, tenetur iuxta communem, facta ſufficienti probatione, crimen declarare, & curare pœnæ executionem quæ a lege impoſita eſt. Iudex enim eſt miniſter ac executor iuſtitiæ a Principe vel Republica ad hoc conſtitutus, ſcilicet ut curet leges ſervari, & crimina puniri. Quare iudici ex eius officio incumbit invigilare cuſtodiæ legum & executioni, nec non criminum punitioni. Et ſane ſi Princeps ipſe, licet principali præditus poteſtate & iure, nequit condonare crimina, utpote quod bono communi adverſetur, niſi aliquando ex iuſta cauſa: multo minus præfectus ulla ratione remittere vel imminuere poteſt pœnam lege ſtatutam, exceptis caſibus in iure expreſſis aut conſuetudine receptis. Inferiori enim poteſtas non eſt diſpenſandi in lege ſuperioris. Alioquin ſi delicta impunita vel non ſatis punita remanerent, exinde daretur anſa malis & moralis occaſio ut multo magis crimina multiplicarentur. Iudici pariter non licet, ſaltem ordinarie, pœnam lege ſtatutam augere: quia iniuriam faceret reo. Eo enim ipſo quod lex menſuram ſtatuit pœnæ, iudici poteſtatem reſtrinxit graviorem imponendi. Poteſt quidem, quando extraordinariæ circumſtantiæ crimen aggravent, puta ſi crudeliſſimo genere mortis patratum ſit homicidium: quia lex pœnam ſtatuendo intendit de delicto ordinario modo commiſſo, nec præcludit viam ut, quantum opus ſit ad aliorum exemplum bono communi provideatur.

Iudex dona munera, & penſiones ab iis quibus ius dicere debet, accipere nequit ſive peccato, & quidem gravi, ſuo contentus ſtipendio intra limites ſibi permiſſos, ſive accipiat pro iuſta, ſive pro iniuſta ſententia ferenda. Non pro iuſta: quia ex iuſtitia eam debet; unde venderet quod de iure alteri debitum eſt ſine ulla impenſa. Idcirco ſic accepta reſtituere teneretur: utpote iam non data liberaliter, ſed ad tollendam vexationem iniuſtam. Non pro iniuſta: & tunc patet, quod eo magis teneretur ad reſtitutionem, ut habetur ex S. Auguſtino *Epiſt.* liv. Porro ad talem reſtitu- Iudex munera, nequit accipere.

tionem tenetur ex iure naturali ante omnem ſententiam iudicis: quia iniuſte accipiendo agit contra ſuum officium. Et talis acceptio quacumque via iuſti ſive iniuſti iudicii procedat, vetita eſt iudici etiam in divina Scriptura variis in locis, & præcipue Proverb. cap. XXII. *Qui dat munera, animam aufert accipientium*. Immo nec munera ſponte liberaliter, & ſine quovis onere oblata, recipere poteſt. Quia hoc iure communi humano *l.* XVIII. *§. de offic. Præſid. & l.* VI. *de offic. Proconſ.* laicis prohibetur; eccleſiaſticis vero *can.* LXXI. *c.* XI. *q.* III. *cap.* XI. *de reſcript. & cap.* X. *de vit. & honeſt. cleric.* Immo Concilium Toloſanum anno MCCXXIX. *can.* XLIII. & Cantuarienſe anno MCCXCV. *can.* XLV. univerſim tales acceptiones iudicibus interdixere. Licet tamen iudex poſt iudicium latum, quando nullum eſt amplius perverſionis periculum, poſſit aliquid a partibus accipere, multa nihilominus hic cautio requiritur.

Iudex non poteſt recipere exemptionem vectigalium ut munus ſibi oblatum a vectigalium collectore, niſi ratione ſui officii ſeu ex privilegio immunis foret. Alias damnum quod ſuis concivibus intulit, communia onera cum iiſdem non partiendo, reparare tenetur. Sic Pontaſius *verb.* Iudex *caſ.* XXII.

Iudex in iure dicendo effugere debet omnem acceptionem perſonarum, ſive pauperis, ſive divitis: cum talis perſonarum acceptio eidem omnino vetita ſit. Nam iudex conſtituitur a Principe ſeu a Republica ut ius ſuum unicuique reddi curet, nullo habito cuiuſvis perſonæ reſpectu: ita ut ſi aliter ſaciat, peccat graviter & ei reſtituere debet litis æſtimationem (ait S. Raimundus *l.* 2. ſummæ tit. 3. §. 36.) qui propter eius negligentiam læſus eſt.

§. I I.

De accuſatore.

Accuſator & denuntiator, tametſi idem eſſe videantur, revera tamen inter ſe differunt. Etenim accuſare eſt deferre crimen iudici ad vindictam ob bonum commune: denuntiare vero eſt deferre crimen iudici ad rei emendationem, vel ob commune bonum. Denuntiator inſuper non tenetur probare crimen delatum; tenetur tamen accuſator.

Accuſare iuxta communem ſententiam tenentur ii qui ad hoc deputati ſunt, vel ſtipendium a Republica recipiunt, cuiuſmodi ſunt Fiſcalis, cuſtodes, ac vigiles. Hi tenentur ex iuſtitia deferre crimen, & ad compenſanda damna ex omiſſione delationis ſecuta. Pariter ad hoc tenentur cuſtodes agrorum ac nemorum; ſaltem quantum ſit neceſſe ad damnum domini vitandum, vel illatum reſarciendum: cum contractus intercedat eos inter & Rempublicam ſeu communitatem, ut id præſtare debeant. Alii vero privati accuſare ſeu denuntiare tenentur etiam ſine ſuperioris mandato, quando crimen noxium eſt Reipublicæ, & putatur in poſterum continuandum, ut hæreſis, proditio, fabricatio ſalſæ monetæ, crimen læſæ maieſtatis, veneficium, publicum latrocinium, hiſque ſimilia. Nam quiſque tenetur quantum poteſt, etiam cum proprio damno, avertere malum publicum communitatis. Item cum agitur de impediendo gravi damno innocentis, dum hoc poſſumus ſine gravi noſtro incommodo; licet inde malum reo impendeat: quia innocens præferendus eſt voluntarie nocenti. Nec tunc præmitti debet ſecreta monitio: niſi certo conſtet, malum per eam impeditum iri. Nam in re gravi eligendum eſt id quod bono communi, vel innocenti tutius eſt. Accuſator vero qui crimen probare non poteſt, accuſare non debet: quia (ut ait D. Thomas 2. 2. quæſt. LXVIII. art. 2.) *nemo tenetur ad illud quod perficere non valet*. Porro tunc monendi ſunt illi qui malum impendens avertere poſſunt, & ſi hæc monitio ſufficiat ad malum illud impediendum, abſque eo quod nominetur perſona a qua illud malum imminet; non licet eam nominare. Illicitum enim eſt, aliquem ſine neceſſitate lædere in fama, aut aliis ipſius bonis, præſertim privata auctoritate. Verum etiamſi delictum probari poſſit, quando hoc ſit occultum, & per privatas monitiones ſperetur proximus emendandus ac ad debitam ſatisfactionem inducendus; non licet privato, ſaltem non præmiſſa admonitione accuſare: quia tunc proximus ſine iuſta cauſſa infamaretur. Sed S. Thomas in IV. *diſt.* XIX. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 4. ſentit, poſſe bona conſcientia accuſari ad bonum commune, nempe ad iuſtitiam conſervandam per punitionem delinquentis. Nec *eſt*, inquit, *contra præceptum Domini, quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis*.

Aliquando accuſator tenetur deſiſtere ab accuſatione: nempe quando deprehendit, accuſandum eſſe innocentem; vel crimen eſſe dubium, vel illud probare non poſſe, Nam

Nam quiſque in his caſibus ius habet ne accuſetur.

§. III.

De Teſtibus.

Supponendum eſt, ad hoc ut in iudicio legitima ſit & plena probatio, regulariter loquendo, duos requiri teſtes, iuxta illud Matth. cap. XVIII. *In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum*. Dixi *regulariter loquendo*: nam aliquando etiam unus tantum ſufficit, ut ad impediendum matrimonium (*cap.* XXVII. *de ſponſal.*) ſicuti etiam ad leviores pœnas. Quocirca ſolo teſtimonio cuſtodis publici multari ſolent ſurantes ligna in ſilva communi: & ſic in aliis huiuſcemodi caſibus, in quibus ita ad bonum commune expedit facere. Teſtes autem percepiſſe debent ſenſu externo id de quo teſtificari debent; de eodem facto cum iiſdem circumſtantiis deponere; & eſſe debent omni exceptione maiores, hoc eſt ut contra eos nihil opponi queat cur admittendi non ſint ad teſtificandum.

Quidam reiiciuntur iure ne teſtes eſſe poſſint: videlicet I. ſervi: II. mulieres iure canonico in criminalibus; in civilibus vero in omni cauſſa admittuntur. III. minores viginti annis in criminalibus; in civilibus vero impuberes: IV. inimicus: V. conſanguinei & domeſtici actoris, exceptis quibuſdam caſibus apud Leſſium: VI. infames: VII. periuri: VIII. ſocii criminis: IX. perſona vilis & inops, de qua ſuſpicio eſt facile corrumpi poſſe; ſecus, ſi honeſta ſit: X. delirus & ſemiſatuus. Ex his tamen qui ſolo iure poſitivo ad teſtificandum inhabiles ſunt, admitti poſſunt in criminibus exceptis, cuiuſmodi ſunt hæreſis, crimen læſæ maieſtatis, falſæ monetæ, maleficii, furti ſamoſi, & ſimilium. Item quando ſcelus patratum fuit & tempore & loco, ubi copia teſtium haberi nequit, ut in agro, nemore, cubiculo, nocturno tempore.

An & quando quis teneatur teſtificari.

Quoad debitum vero teſtificandi, hoc profecto currit ſecundum communem ſententiam, & quidem ſub mortali, quando neceſſarium ſit ad avertendum grave malum imminens, ſpirituale vel temporale, publicum vel privatum innocentis: licet a iudice id non requiratur. Etenim tunc caritas graviter obligat ut proximus ab iniuſto damno ſervetur, ut docet Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* LXXVI. *art.* 10.

Tenetur ſciens crimen teſtificari, ſi præcepto ſuperioris vel iudicis urgeatur, exceptis caſibus de quibus infra dicetur. Nam omne iuſtum præceptum obligat in conſcientia; & ita commune bonum exigit, ne crimina cum gravi Reipublicæ detrimento impunita remaneant. Teſtis, iuxta communem Doctorum ſententiam, legitime & iuridice interrogatus teſtificari tenetur, quando præceſſerit accuſatio, denuntiatio, aut querela ab alio porrecta: nec ad hoc requiritur infamia delinquentis (licet a fortiori ſufficiat) aut ſemiprobatio, aut indicia; ſicuti requiritur ut reus legitime interrogetur. Nam bonum commune expoſtulat ut iudex tunc ius habeat interrogandi.

Non tenentur vero teſtificari, etiam facto præcepto & monitorio (ut communiter Doctores aſſerunt) primo, qui rem ſciunt ex ſacramentali confeſſione. Secundo, qui rem norunt ſub ſigillo ſeu ſegreto naturali, conſilii vel auxilii petendi cauſſa, ut advocatus, Theologus, Medicus, Obſtetrix, Chirurgus. Nam tunc adeſt obligatio ſervandi naturalis ſecreti: alias averterentur peccatores a conſilio petendo; ex quo deſperatio & multa mala ſequi poſſent. Præterea tunc iudex non intendit ut fiat revelatio; cum commune bonum & civilis ſocietatis conſervatio exigat ſervari ſecretum. Excipe tamen, niſi teſtificatio neceſſario requireretur ut grave communitatis vel privatæ etiam perſonæ innocentis damnum avertatur. Cum enim tunc urgeat præceptum caritatis; ſecretum aperiri debet, tametſi iuramento firmatum, quod tunc minime obligat, cum ſit de re illicita. Sic cum S. Thoma communiter. Alii vero, qui delictum per ſe ipſos perſonaliter viderunt, vel ab aliis audierunt, & poſtea iuraverint ſe non revelaturos, obſequi debent Superioris mandato, quamvis non agatur de alterius damno avertendo: cum in tali & in iuramentum, utpote de re illicita, & contra ius ſuperioris, vim nullam habeat obligandi. Tertio, qui rem cognovit a viris non fide dignis; cum talis teſtificatio nullam in iudicio fidem habere poſſit. Quarto, ſi ſcias, alterum non deliquiſſe mortaliter; cum iudex totus ſit ad inquirendum de gravi crimine. Quinto, ſi ex tua teſtificatione grave damnum tibi vel tuis immineat: niſi publicum bonum eam exigat, aut niſi privatum damnum quod ex tali teſtificatione impedires, longe tuo malo prævaleant. Nam leges humanæ ordinarie non obligant cum tanto incommodo. Sexto, eximuntur ab obligatione teſtificandi pater, filius, maritus, uxor, fra-

tres, ſorores, conſanguinei vel affines delinquentis, iuxtas aliquos uſque ad ſecundum gradum, & ſecundum alios uſque ad quartum (ex cap. Si teſtes IV. q. III.) tum quia requirit bonum commune ut conſervetur pax, odiaque vitentur in familiis; tum quia ordinarie hoc fieri non poteſt ſine gravi nocumento revelantis ob ſanguinis coniunctionem. Excipe ſemper crimina hæreſis, læſæ maieſtatis, veneficii, aliorumque quæ grave damnum inferunt communitati, niſi revelarentur.

Circa famulos vero & alios domeſticos, num teſtificari teneantur contra dominum, an vero a tali debito eximantur, quæſtio eſt inter Doctores Standum tamen eſt praxi fori contentioſi, in quo niſi excipiantur, teſtificari debent.

Quando iudex in reo ſolummodo intendit emendationem vel partis læſæ ſatisfactionem, & ad hoc præcipit teſtificationem per monitorium, qui novit crimen, non tenetur illud aperire iudici ante præmiſſam monitionem, niſi conſtet non profuturam. Nam tunc urget præceptum de fraterna correptione, cuius obligationem tolli nequit ab humano præcepto. Si autem reus reſipiſcat ad admonitionem ipſi factam, ac ſatisfecerit; non licet amplius eum denuntiare: quia ſine iuſta cauſſa diffamaretur; nec Superior cenſendus eſt, tunc velle delicti manifeſtationem cum iam eius intentioni reus ſatisfecerit. Secus vero dicendum eſt in caſu quo iudex intendat punitionem: quia tunc, ut multi ſentiunt, ob rationes antea iam allatas teneretur qui novit crimen, illud teſtificando aperire.

Monitorium non obligat ad revelationem ipſum delicti auctorem, nec cooperatores; poſſunt tamen compelli ad ſatisfaciendum parti læſæ per cenſuras.

Crimen cognitum per iniuriam alteri illatam, puta aperiendo ipſius litteras, ratione injuriæ æquivalet conventioni de ſecreto ſervando: ac proinde qui hac via talem notitiam adeptus eſt, non tenetur de illo teſtificari.

Mandatum porro ſeu monitorium quo præcipitur ſcientibus delictum de eo teſtificari illud revelando, ita obligat in conſcientia ſub gravi, ut qui intra tempus in monitorio præſcriptum non revelat, peccet mortaliter, excommunicationem latam contrahat, & quam commode poterit, ſi hoc adhuc proſit, revelare teneatur. Nam ceſſante termino, non idcirco ceſſat obligatio; cum terminus ad eam ſollicitandam apponatur, ac proinde etiam poſt terminum talis remanet in peccato inobedientiæ.

Teſtis peccat itidem mortaliter, & ad reſtitutionem quoque tenetur in hiſce caſibus. Primo, ſi adfirmet ut verum quod certo non novit. Secundo, dum tenetur ad ferendam ſuam atteſtationem, ſe occultat ne interrogetur. Tertio, ſi interrogatus a iudice, ei non obediat. Quarto ſi veritatem celet. Quinto, ſi pro dicenda veritate, pretium accipiat: non tamen pro labore itineris, expenſis, lucro ceſſante. Sexto, ſi teſtificetur falſum, ex *Proverb. cap.* VI. Hic enim præter peccatum periurii committit ſimul peccatum iniuſtitiæ: ac ideo tenetur ad reſarcienda damna omnia inde ſecuta, necnon teſtimonium revocare cum pari ſuo damno, & periculo etiam vitæ, ſi accuſatus de ea periclitetur, & retractatio credatur profutura. Etenim in damno æquali melior eſt conditio innocentis. Unde qui alium induxit ad falſum teſtificandum, tenetur ex iuſtitia illum admonere ut ſe retractet. Et ſi recuſet, tenetur ipſe qui induxit, rem totam iudici aperire, etiam cum periculo vitæ, ſi innocens illud ſubeat, & talis manifeſtatio ei profutura ſit: quia eſt cauſſa iniuſta talis periculi & damni.

Quando teſtis peccet lethaliter, & teneatur ad reſtitutionem.

Si teſtis vero falſum bona fide teſtificatus ſit, quando hoc deprehendat, tenetur ex iuſtitia ſe retractare ſi ex eo ſequatur alterius damnum: etenim quilibet tenetur cavere ne ex ſua actione damnum alter patiatur.

De eo qui bona fide falſum teſtificatus ſit.

Pariter peccant mortaliter contra iuſtitiam, qui falſas conficiunt ſcripturas, ſeu veras adulterant ad ſubvertendum iudicium, & debitores fiunt ad damna compenſanda, etiamſi huiuſcemodi fraudes exerceantur ad manifeſtam iniuriam repellendam & ſuum ius certum vindicandum; cum iſta noxia ſint fidei publicæ ac Rempublicam in re gravi decipiant: quocirca graviter hæ fraudes interdicuntur. In his autem caſibus non occurrit debitum reſtitutionis, quia qui his artibus utitur, habet ius certum ad rem hoc modo acceptam. Idemque dicito de eo qui cum publicam ſcripturam amiſerit, alteram ſimilem conficiat pro ſua indemnitate, cum huiuſcemodi falſificatio ſcripturæ, & ſigilli valde pernicioſa ſit Reipublicæ quæ ducit ad ruinam fidei actuum publicorum.

De culpa falſificantium ſcripturas.

Tenetur is quoque ad reſtitutionem, qui ne ſuum ferat teſtimonium ad quem citatur a Iudice, ſe ſubtrahit ut teſtimonium fraude hac evitet, ſeu veritatem reticeat.

De teſtibus alia obnoxiis reſtitutioni.

Sic

Sic communiter; quia Reſpublica imponit tale debitum, & officium ferendi teſtimonium poſt citationem. Unde qui aliquid ſcit, tenetur ex officio ſibi impoſito tamquam publica perſona veritatem revelare, non ſecus qui a Republica iudex invitus conſtitueretur, ex iuſtitia iudicare teneretur. Si vero fugiat, vel ſe occultet antequam citetur, num peccet, & teneatur de damno, non conveniunt Doctores.

Similiter tenetur damnum reſtituere, qui ſubtrahit, lacerat, vel tradere renuit ſcripturas alteri profuturas ad ius ſuum conſequendum Cap. *ſi quis* XII. *q.* II. etiamſi in favorem ſit adverſarii ex Cap. IV. *de teſt. cogend.*

§. IV.

De obligationibus Rei.

Reus non eſt obnoxius confeſſioni ſub culpa, quando iuridice non interrogatur.

Reus non eſt obnoxius confeſſioni veritatis ſub culpa quando non iuridice ſeu ſervato iuris ordine interrogatur, videlicet quando non præceſſit infamia, vel indicia competentia, vel ſemiplena probatio, ſeu unius teſtis omni exceptione maioris. Non poteſt tamen iudicem eludere cum mendacio. Non tenetur reſpondere reus interrogationibus ipſi factis non ſervato iuris ordine: quia iudex ius non habet interrogandi nec obligandi reum niſi cum iuridice procedit cap. XXI. XXIV. *de Accuſat.* Quamvis ſentiunt non pauci ad interrogandos teſtes ab accuſatore productos ſufficere accuſationem. Quare iudex debet exponere reo ſtatum cauſæ, probationes, indicia, teſtes, ut ſciat ſe iuridice interrogari, & ſi aliquid habeat quod contra opponere poſſit. Poſita autem tali iuridica interrogatione tenetur reus ſub mortali exponere, iudici veritatem criminenque ſuum fateri, tametſi ſubiturus ſit mortis ſupplicium, quod negando vitaret; ſic cum D. Thom. 2. 2. *q.* LXIX. *art.* I. *Caiet. Covar.* aliique communiter contra paucos ſecus docentes, quando tamen tacita veritate & culpa ſpes ſit mortem effugiendi. Ratio priorum ſententiæ eſt: quia Iudex ius habet interrogandi veritatemque exigendi ob publicum bonum quod ex officio ſuo curare tenetur. Ius enim in iudice interrogandi veritatem illamque exigendi, & obligatio in reo eam clare aperiendi ſunt correlativa, ac proinde unum ſine altero ſtare nequeunt. Et revera ſi reus non premeretur ſtricto debito fatendi veritatem, ad hanc aperiendam non poſſet per torturas compelli. Præterquamquod unicuique incumbit ſub mortali parere Superiori iuſte præcipienti in re gravi; cum humanum præceptum obliget ſub tali onere, imo cum agitur de bono communi gravi & neceſſario, etiam cum periculo vitæ.

Nec valet dicere, ex quorumdam ſententia non teneri reum obedire iudici præcipienti ne fugiat, igitur nec præcipienti manifeſtare veritatem. Nam quidquid aliqui dicant in contrarium, certum eſt tamen ſecundum communiorem graviorumque Theologorum doctrinam reum obſequi debere iudici ei prohibenti ne fugiat, ut mortaliter peccet fugiendo; a fortiori igitur incumbit reo ſub mortali patefacere iudici, dum iuridice eum interrogat, veritatem, cum tale præceptum bono communi magis neceſſarium ſit quam illud de non fugiendi. Et multo minus valet quod teſtes, iuridice interrogati, ſi veritatem revelando ſibi vel ſuis grave malum immineat, non teneantur ad eam aperiendam, quia ius iudicis in tali caſu non ſe extendit erga teſtes ſicuti erga reum; niſi tamen veritatis revelatio neceſſaria ſit ad avertendum grave malum communitatis. Inſuper teſtes ut innocentes ſunt, ius habent vitam bonaque ſua atque conſanguineorum conſervandi, non autem reus ob crimen patrarum, & ſemiprobatum.

Reus eludere nequit iudicis interrogationes.

Reus tandem eludere nequit iudicis interrogationes, niſi mentiendo, quod ſemper in iudicio iuſto circa crimen mortale eſt, cum mendacium ſit in tali caſu contra iuſtitiam in re gravi, iuxta D. Thomam quæſt. LXIX. *art.* I. Unde ſi iudex poſcat iuramentum a reo de veritate dicenda, ſaltem ante iudicis ſententiam abſolvi nequit. Eadem interrogatio iudicis, quamdiu iudicium durat, perſeverare cenſetur; ac proinde eadem quoque fatendæ veritatis obligatio perdurat, & cauſam iniuſtam iniuſta denegatione tuetur; ſic communiter. Imo Cordubas, Navarrus, Cabaſſutius cum aliis volunt, quod etiam poſt ſententiam mortis teneatur reus veritatem fateri, quod alii negant, niſi talis confeſſio neceſſaria ſit ut aliquod grave publicum malum, vel etiam privatum impediatur, eo quia prolata ſententia iudicium iam finitum eſt; idcirco etiam obligatio rei ad reſpondendum finita cenſeri debet, cum etiam interrogatio iam finita ſit; & eo vel maxime quod huiuſmodi confeſſio nihil facit ad ſalutem iudicis, quando ſecundum allegata, & probata iudicaverit; ſi ſecus fecerit iudex, nihil ei iuvat, nec negatio talis confeſſionis infamiam iudici af-

Digitized by Google

affert, quia iam notum eſt morem eſſe reorum commiſſa ſua crimina negare.

Si reus abſolvatur volunt DD. non amplius teneri veritatem confiteri.

Porro Doctores conveniunt, reum ſi abſolvatur, non teneri crimen ſuum apud iudicem fateri, ſed ſola Sacramentalis confeſſio cum debita pœnitentia ei ſufficit, cum iam ſit extra iudicis poteſtatem.

Quando reus tenetur complices manifeſtare.

Si reus interrogetur de complicibus ſui criminis, tenetur eos manifeſtare quando tamen contra eos ſtent indicia ſufficientia, aut unius teſtimonium, & infamia, aut ſi eius crimen ſine ſociis patrari non poterat, & commune bonum exigat ut detegantur, quia tunc de his legitime ſeu iuridice interrogatur. Aliter vero dicendum his omnibus deficientibus, quia tunc legitime non interrogaretur, ex lege ult. *cod. de accuſat.* & cap. 1. *de confeſſ.* dummodo tamen crimen exceptum non ſit, ac tendens in publicum damnum, ut hæreſeos, læſæ Maieſtatis, proditio, publicum latrocinium, veneficium, monetæ falſificatio, vel crimen committendum ſit in privatæ perſonæ perniciem.

Reus ſi ad tormenta cavenda falſum crimen ſibi imponat, propter quod morte plectendus ſit, peccat graviter, utpote qui ſit directe & poſitive iniuſta moralis cauſa ſuæ mortis, & non minus eſt ſui homicida ac ille qui falſo teſtimonio mortem alteri infert. Unde abſolvi nequit, niſi dicta revocet, etiamſi periculum incurrat quodvis grave tormentum ſuſtinendi.

Quando reus appellare queat a iudicis ſententia.

Licet reo appellare a iudicis ſententia, quando prudenter iudicet eam iniquam eſſe, vel quia ſit innocens, vel ſi vere reus, pœna, ad quam damnatus eſt, gravior ſit iuſto, nam cuique licet iuſtum præſidium ſibi quærere contra iniuriam; cap. 54. *de appellat*. Hoc tamen ei non licet, quando contrarium putet, cap. 6. *de appellat.* ex Concil. Later. Alias iniuriam faceret & iudici, cui calumniam imponit, atque officium impedit, & adverſario ſuo, cuius iuſtitiam quantum poteſt impedit. Quare iniuſte appellans tenetur omni iure ad litis expenſas, ac ad damna alia, quæ inde adverſario ſequuntur.

Reus, qui iuſte damnatus ſit ad mortem, quam fugiendo vitare nequit, iuxta communem ad locum deſtinatum pergere debet, collum parare, manus apponere, ac ea facere, quæ a miniſtro iuſtitiæ fieri nequeunt, quia tales actiones neceſſariæ ſunt ſaltem moraliter, ut iuſta ſententia exequatur; nam hæc iuſte præcipere poteſt iudex per ſententiam mortis, ut iuſtitia conveniente exerceatur, nec ex ſe, ſeu ex natura ſua connexionem habent cum morte. Non tamen licet reo pœnam mutilationis, & mortis per ſeipſum exequi, v. g. venenum haurire, &c. quia tunc directe ſeipſum occideret.

Reus fugere poteſt.

Reus & ante, & poſt ſententiam licite fugere poteſt ad vitandam mortem, & mutilationem, niſi ad permanendum ſe obligaverit, ſic communiter cum S. Th. quæſt. lxix. art. iv. ad 2. Non enim coniicitur in carcerem ad hoc ut ibi ſponte remaneat, quia hoc præceptum nimis grave eſſet, & durum ob ſummam hominis ad ſui conſervationem inditam a natura inclinationem; nec bono communi hoc neceſſarium eſt, cum aliter facile detineri queat. Imo licet reo fugere ad mortem evitandam etiam cum damno cuſtodis, dummodo aliter iuramento, voto, vel ſpeciali promiſſione ſe non obligaverit. Item ſe defendere ne capiatur a miniſtro apprehendente, non tamen miniſtrum, vel cuſtodem percutiendo, vel vulnerando.

Licet pariter eidem reo ſecundum communem Doctorum, ut mortem mutilationemque effugiat, frangere carcerem: nam ſi fuga ei licita eſt, ei quoque licitum erit neceſſarium medium. Neque dici poteſt in hoc iudici formaliter reſiſtere, vel vim publicæ poteſtati inferre. Utitur enim in tali caſu iure ſuo periculum fugiendo, & leges, quæ fugam reis vetant, ſunt mere pœnales, *lege* 1. §. *de fract.*

De cooperatione Rei fugæ.

Num vero alii licite ſuppeditare poſſint reo inſtrumenta ad carcerem effringendam, viam, & modum ſuæ fugæ indigitare, quidam negant, ut Navarrus, Toletus, Sotus &c. quia, aiunt iſti, hoc eſt agere contra publicum bonum; quidam vero, ut Caietanus, & alii licitum eſſe contendunt, cum licitum ſit conſulere reo fugam, utpote ei licitam; conveniunt tamen omnes hoc licitum non eſſe Officialibus ac Miniſtris iuſtitiæ, quia hi agerent contra debitum ſui officii, quo tenentur diligenter reos cuſtodire, & iudici ſubſervire: Itidem communiter negant licere aliis reum in fuga iuvare cooperando in effringendis ianuis ac parietibus, aliaque huiuſmodi faciendo, quia violarent publicam cuſtodiam, quod eſt gravis iniuria Reipublicæ, nec daretur locus firmus, & tutus ad reos cuſtodiendos, quod vergeret in magnum Reipublicæ damnum; & quamvis iure naturali licitum ſit reo ad vitam conſervandam capere fugam, & ad eam capiendam neceſſariis mediis uti, aliis ta-

tamen eſt illicitum, utpote qui non ſint in pari neceſſitate.

Quid de defenſione innocentis damnati contra iudicem?

Reo etiam morti damnato non licet reſiſtere, nec ſe defendere contra iudicem, & ipſius ſententiæ executores: nam hoc eſſet reſiſtere divinæ ordinationi, quæ ad pravorum hominum vindictam ita diſpoſuit, & ordinavit; ac proinde iudex tantum, & eius miniſtri ius habent puniendi reum ſententiamque exequendi. Licitum quidem eſſet innocenti, qui iniuſte ſeu contra ordinem iuris damnatus eſſet, ſecluſo ſcandalo, ita D. Thomas *quæſt.* lxix. *art.* iv. Dicitur iniuſte, nam ſi damnatus eſſet ſervato ordine iuris, videlicet ſecundum allegata, & probata, ideſt iudicio iuſto in foro exteriori, licet ſine veritate, deberet patienter tolerare pœnam, quando ſine publica reſiſtentia, & ſcandalo eam vitare non poſſet, quia cum in tali caſu iudex legitime poteſtate ſua utatur, illicitum eſt ac iniurioſum publicæ authoritati ei reſiſtere. Ita Sotus, Covarruvias, & alii.

Damnatus ad exilium &c. parere tenetur.

Damnatus ad exilium, vel ad carcerem ſaltem non valde moleſtum, eo ſe conferre debet, & in exilio, vel carcere manere, ita Sanchez, Suarez, qui aſſerunt hanc ſententiam, ut communem. Similiter damnatus ad certam pecuniam, eam ſolvere tenetur, etiam antequam exigatur, quando iudex præcipiat ſolvi ſine alia monitione; quia pœnæ iuſtæ, nec nimis acerbæ prompte per ſeipſum a reo exequendæ ſunt. Quod ſi reus ante ſolutionem moriatur, hæredes ſolvere tenentur, quia cum ſuccedant in omnia eius iura, ita in omnia eius onera.

Damnatus ad Triremes licite fugere poteſt dummodo non ſe obligaverit manere.

Damnatus ad triremes iuxta multos licite fugere poteſt, dummodo fidem non dederit, præcipue iuramento, manendi: non enim tam damnatur ad ibi manendum, quam ut detineatur; & cum huiuſmodi pœna ſit valde gravis, nimis dura eſſet reo obligatio in conſcientia ibi ſponte manendi. Excipe tamen Religioſum, cum hic ex voto obedientiæ Prælatis ſuis parere teneatur.

§. V.

De obligationibus Advocatorum.

Cum Senator & Cauſidicus nota proximitate ſocientur, iuxta dictum Ennodii, manifeſte patet, non minus uni quam alteri obligationes, ſeu onera incumbere: & revera advocati communiter æſtimantur iuſtitiæ defenſores, iudiciorumque propugnatores, privatorum patroni, necnon Reipublicæ ſalus. Hinc faciliter deprehendi poſſunt cuiuſmodi ſunt eorum obligationes. Verum ut clarius hæc pateant, ſit.

De obligationibus Advocati.

Advocati iuxta communem ſententiam ex iuſtititia habere debent ſcientiam plurimam, fidelitatem, diligentiam, iuſtitiam, charitatem, & probitatem.

De multa ſcientia neceſſaria Advocatis.

Scientia multa conſpicui eſſe debent Advocati, utpote qui vel cauſas agere, vel conſulti de iure reſpondere: ac proinde apti eſſe debent ad merita cauſarum, & iuſtitiam ſecundum iura cognoſcenda ac proponenda, unde ſcientia non certe mediocris in iis requiritur, quando ſe proponunt ut idonei Advocati, & ut tales ſtipendia recipiunt; alias ſe exponunt periculo graviter ſuis proximis nocendi. Quamobrem neceſſe eſt ut apprime ſciant leges generales ſtatus ſeu dominii ubi tale munus exercent, municipales locorum, quæ eidem dominio ſeu Principatui ſubduntur, conſuetudines quæ ſæpe variæ ſunt, innumeras iuris formalitates quas inſtitui oportet ut via cavillis & dolo præcludatur ipſumque ius Cæſareum ſeu commune *legum mater* & præſertim Iuſtiniani inſtitutiones quæ ut celebriores Cauſidici fatentur, æconomiam totius iuris ſummatim continent, ſeu complectuntur: tandem generalem omnium artium notitiam teneant, cum non tantum de iure, ſed etiam *de rebus ſacris, de agro colendo* tractare ſeu agere teneantur.

Fidelitas requiſita in Advocato.

2. Fidelitate dotati eſſe debent, quo nomine hic intelligitur tum ipſa ſecreti fides, tum ſincera ingenuitas, qua res nude ac ut ſe ſe habent exponantur; ſcilicet aperire cauſæ æquitatem, vel iniuſtitiam, probabilitatem obtinendi, periculum perdendi; cum hæc propria ſint eius officii & ad hoc eos ſuſcipiunt clientes. In utrolibet ſenſu accipiatur fidelitas, ita neceſſaria eſt in Advocatis ut hac deficiente negotia clientum evertunt ſive eorum arcana adverſariæ parti revelando, ſive ſuadendo iniquam litem ac proinde exitioſam inchoare, utrumque quorum naturæ legibus adverſatur.

Diligentia neceſſaria in Advocatis.

3. Diligentiam præſtare debent Advocati ſuis clientibus; quia vel ii reſpondeant de cauſa vel eam agant, exquiritur neceſſario quod & circumſtantias omnes rei aliquando intricatiſſimæ cognoſcant ac eaſdem motivis omnibus moraliter poſſibilibus ſuſtentent, non ſolum his, quæ cauſæ peremptoria ſunt, ſed his quoque, quæ minutiora ſibi quandoque videntur; quia ex teſtimonio peritorum in hac arte fortius plerumque nonnullos iudices hæc movent, ſeu flectunt, quam quæ plus nativæ efficaciæ ac roboris habere cre-

creduntur. Hæc autem munia ſollicitam intentamquê diligentiam exigunt : & hæc in Advocatis maxime neceſſaria eſt, cum ſit eius officii hanc clienti præſtare, a quo ad hunc finem ſtipendia retribuuntur. Quare nihil omittere debent ut ſuorum clientum negotia quocit ius moraliter fieri poteſt, terminent ac finiant; nam moroſitas, ſeu dilationes ſumptus multiplicanr, & ad iniquas tranſactiones, ſeu compoſitiones compellunt, & occaſio ſunt ut probationes pereant, ac nobiles diviteſque familiæ ad inopiam perducantur.

Iuſtitia pariter requiritur in Advocato.

4. Iuſtitia ſummopere requiritur in Advocaro. Cum enim iuſtitia ſit virtus, quæ ſuum unicuique tribuit, ſi cui umquam, hæc profecto cauſarum patronis neceſſario ſub oculis ſemper eſſe debet. 1. quoad ſeipſos ne ultra pretium iuſtum ſcilicet, vel ſi taxatum non ſit, illud iuſtum cenſeatur quod rale habetur iudicio prudentum ſpectata qualitate negorii, peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac conſuetudine approbata; ita ut non tranſigant ſeu paciſcant. cum cliente contra ius, & leges de *quota parte* litis ſi vincat, nempe ur pro pretio det v. g. tertiam vel quartam partem illius quod ex victoria conſequirur, quia vetirum eſt a lege talia inire pacta *l.* III. *de pactis*, & iniuſtum non ſecus ac omnis alius exceſſus ſupra iuſtum pretium : Huiuſcemodi enim pacta occaſionem præberent Advocato fraudum ad victoriam per fas & nefas obtinendam. Item ne ſcripturas multiplicent : ne cauſam, quam ſive ab inirio, ſive in progreſſu iniuſtam novit, vel quæ fere nihil habet probabilitatis cum ſemper reiiciatur apud iudices, tueatur, quia iniuſtum eſt iniuſtum tueri. In Civilibus tamen licet Advocato ut volunt non pauci, in cauſis æque probabilibus alterutram tueri, dummodo cliens de periculo litis perdendæ moneatur; quia utraque pars ius habet rationes ſuas proferendi in iudicio, vel per ſe, vel per alium, ideſt per Advocatum, qui in tali caſu effugere debet omnem artem, & fraudem, ut cauſa, quæ eſt ſolum probabilis, iudici probabilior appareat, præſertim ſi vergeret in damnum poſſeſſoris, cuius in dubio porior eſt conditio.

Non licet Advocato cauſam civilem ſuſcipere quam minus probabilem indicat, & talem Iudex quoque cenſet, cum cauſam patrocinetur quam ſuo iudicio magis iniuſtam tenet, quam iuſtam; ac tentaret impedire ne iudicium favorabile proferatur ei cuius ius porius, ac melius credit unde vincere debet, quod iniquum eſt ac ideo iudicem ad iniuſtum iudicium adduceret.

2. In Advocato requiritur iuſtitia relative ad clientes ne quando eos amice componere poteſt, ad litem pluribus motivis incertam & periculoſam provocet ne impenſis eos oneret & procraſtinationibus frangat. 3. relative ad adverſas clientum ſuorum partes, ne dolo, fraudibus, falſis probationibus eaſdem a iure ſuo deturbet, nec conviciis, aliiſque iniuriis eos afficiat : quia gravem iniuriam eis faceret.

Charitate, ac probitate Præditus eſſe debet Advocatus.

Charitate ac probitate præditus tandem eſſe debet Advocatus, ut ſicut prima exigit, tamquam patris pauperum, & præcipue viduarum, ac pupillorum eos iuvet, ac defendat, præſertim contra potentes, & divites, ac ſecundum alterius indolem, ideſt probitatis, impleat omnia quæ hactenus expoſita ſunt, ut ad officium iuſti ſeu integerrimi Advocati ſpectantia; Nam ſi hæc in Advocaro deficiat, nihil eorum præſtabit, conſultus non aperiet veritatem, ſed reſpondebit pro pecunia, utrique parti conſilia dabit, utramque ad litem compellet.

Hinc Advocatus gravirer peccat contra iuſtitiam & ad reſtirutionem tenetur : ſi tale officium cum ſit imperitus, agere ſuſcipiat, quia ſe exponit periculo proximo damnum alteri inſerendi, quories ex ignorantia, aut malitia, vel imprudentia cauſſa fuit cur cliens vel litem malam inchoaret, vel a iuſta cauſa excideret, vel indebitos ſumprus faceret; quia violat pactum quo ſalrem tacite ſe obligavit bona conſilia ſe daturum, & ea ad minus diligentia uſurum, quæ virorum prudentum communis eſt, ut clienti ius ſuum a iudice aſſeratur. Nec requiritur in Advocato ad hoc ur debitum reſtiruendi incurrat, negligenria craſſa, ſed ſufficit levis. Si cauſam quamcumque ſine diſcrimine ac conſideratione eius iuſtitiæ ſuſcipiat, attendens ſolum formalitates iuris non meritum cauſæ, & multo magis ſi defendere accipiat, quam ſcit eſſe iniuſtam, vel in progreſſu iniquitarem cauſæ detegat, nec Clientem de hoc monear, nec eius patrocinium deſerar, & tenetur compenſare damna inde partibus ſecuta non ſolum in priori caſu, ſed etiam in poſteriori, poſtquam ſcilicer iniuſtitiam cauſæ agnovit. Si in cauſa incerta non monuir clientem de periculo eam amittendi; quia forſan a litigando receſſiſſer, ſi cauſæ expeditionem cum damno clientis differar, aut poſtponat. Si falſiratibus in ſcripturis vel in adducendis teſtibus vel legibus falſis, vel abrogatis,

ve-

veras leges in falſum ſenſum detorquendo utatur, & tunc tenetur de damno partis immerito condemnatæ. Si iniuſtis dilationibus, vel cavillationibus adverſariam partem vexet, aut impediat ne ius ſuum proſequatur. Si adverſæ parti eiuſve Procuratori ſecretum clientis revelet, & arma contra eumdem præbeat; & tunc præter culpam proditionis, & iniuſtitiæ tenetur ad omne damnum & intereſſe læſo, ut cum communi docet S. Antoninus 2. *p. tit.* VI. Uno verbo peccant graviter Advocati, & obnoxii fiunt reſtitutioni, aut compenſationi, quando vel imperitia ſeu ignorantia, vel negligentia, iniuſtitia, infidelitate, improbitate prodant debitum ſui officii cum damno ſui clientis, vel etiam partis adverſæ. Tandem peccare poſſunt Advocati defectu caritatis non ſolum erga partes contendentes, ſed etiam erga pauperes, ſi dum tenentur ſub gravi in extrema, vel gravi pauperum neceſſitate gratis eis patrocinari, non ſecus ac Medicus, & Chirurgus aliique operam ſuam eiſdem præſtare gratis, ſine mercede, ad quam apti non ſunt pauperes (cum quiſque teneatur ex caritate opitulari proximo indigenti quando poſſit ſine gravi ſuo incommodo) defraudant eos tali ope, vel ita negligenter, ac tepide impenderent ut ſæpe ſæpius potius eſſent eis damno quam utilitate.

§. VI.

De obligationibus Procuratorum, Referentis, Secretarii, Notarii & Apparitoris.

Ne circa hæc multum immoremur, ad faciliorem intelligentiam prænotandum cenſeo. Omnes generatim in quocumque officio vel arte verſentur, teneri in conſcientia fideliter ac iuſte quæ ad officium ſuum ſpectant implere, ac ideo ſcire omnia quæ ad illud pertinent, debitam diligentiam adhibere, ita ut ſi aliquid committant, vel omittant contra proprium munus, peccant contra iuſtitiam ex contractu implicite inito dum tale munus ſuſceperunt, quamobrem fiunt obnoxii ad resarcienda damna inde procedentia. Nec poſſunt excuſari ab ignorantia dum ſcire tenentur ſaltem ſufficienter omnia quæ ad ſuum officium rite, ac recte implendum exquiruntur; *cap. ult. de iniur. l.* CLXXIV. *de regul. iuris* idcirco peccant & ad reſtitutionem tenentur. Unde

De caſibus in quibus peccat Procurator.

1. Peccat Procurator. 1. quando aliquid agat eorum quæ Cauſidicis, ſeu Advocatis vetita diximus ſive erga clientes ſive erga adverſas partes, ut cum ſcripturas multiplicant, ſive quia craſſiori caractere eas lineant, ſive quia inanibus ratiunculis pagellas implent. Si reo vel parti ſuadeant ut veritatem neget. Si clientes ad iniquam compoſitionem inducant ut faveant parti adverſæ, vel a iuſta compoſitione retrahant in lite incerta, ſeu dubia quam certam iactant. Si falſos teſtes inducant. Si cauſam primo acceptam primo non procurent, ſervato tamen iuris ordine, qui quandoque exigit ut gravia negotia levioribus præcurrant. Si clientis nomine iis ſe non opponunt quibus ſe opponere tenentur, puta publicis proclamationibus. Si ſcripturas & ſecreta clientis debita diligentia non cuſtodiant. Si nomine partis iurent ſine particulari eius informatione cum periculo peierandi. Si ſua imperitia &c. ſicuti iam diximus de Advocatis præcipue quoad ſtipendium.

2. Peccant Referentes ſi defectu ſtudii vel ſufficientis ſollicitudinis male referant aut aliquid ſubſtantiale omittant, unde contingit ut litigans excidat in toto, vel in parte a ſua cauſa, quod etiam fieri poteſt ſi conetur magis ius unius quam alterius exponere. Si in rei referendæ ſtudio ſegnes ſint, ac tardiores, quam deceat, ita ut ex mora creſcant litigantium expenſæ. Si partium inſtrumenta per ſe non legant, ſed excerpta ſolum aliena manu exarata; niſi manus hæc ſit admodum perita, & fidelis.

De peccatis Tabellionis, ſeu Notarii.

3. Peccant Notarii ſeu Tabelliones & tenetur de damno, ſi vel ex ignorantia eorum quæ ad ſuum ſpectant officium, vel ex malitia inſtrumenta rite non conficiunt ſeu ambiguas clauſulas ponunt, quæ ſunt litium ſcaturigines: unde illud tritum; *Ignorantia Notariorum meſſis Advocatorum*. Si teſtimoniis teſtium aut partium dictis vel factis aliquid addant, vel detrahant, aut res omnes ſincere ut ſeſe habent non ſcribant, & quæ ab homine in his rebus verſato ſcribi ſolent. Si tranſcriptori cum erroris periculo aliquid committant: Si ea conficiant acta quæ legibus interdicuntur, & reprobantur, ut teſtamentum falſum, uſurarium, ſimoniacum, vel iniuſtum. Si amiſſo inſtrumento, vel teſtamento antiquo publico, vel aliud ſimile configant. Si teſtimonium aliquod neceſſarium cum alterius damno non exhibeant. Si falſos teſtes admittant. Si neceſſarias ſolemnitates in contractibus ſive ex imperitia vel inquitate prætermittant. Si animo extorquendæ pecuniæ differant inſtrumentorum expeditionem; aut acti tranſumptum petenti ſine quo recuperare non valet, quod ſibi

Digitized by Google

ſibi eſt debitum, vel ſua iura approbare & tueri, negent aut occultent, cum in hiſce omnibus peccent contra officium ſuum atque contra iuſtitiam, & ſint iniuſta cauſſa damni. Si iuramentum vel ſecretum violent. Si ſuſpenſi a ſuo officio proſequantur ſicut ante inſtrumenta conficere. Si ſcribant pecuniam coram ſe fuiſſe ſolutam; quando revera perſoluta non fuit: ſi alicui ſuadeant ut alteri mutuam pecuniam tribuat, quem cognovit aptum non eſſe ſolvendo, quando ne dum id facere nequeunt, immo admonere tenentur clientem ſi aliquid noverint quod vergat in illius damnum, ut inter alios Toletus. Si inſtrumenta caute non cuſtodiant, nam hæc ſi ex ſua culpa perdantur, tenentur de damno.

Apparitores utpote iudicum miniſtri facile ſervare poſſunt ſuum officium, & ſe immunes a culpa reddere. Verum cum raro intra fines ſuos qui in rebus forenſibus implicati ſunt, ſe contineant, hinc nec de iis prætermittendi ſunt caſus, unde peccare poſſunt & graviter, cum varii ſint etiam ipſi modi in ſuo officio graviter delinquendi, nempe. Si aliquid ultra iuſtum ſtipendium exigant aut potius extorqueant; ut ſi plura negotia expedientes, eodem, vel fere eodem loco, tantundem pro ſingulis exigunt ut eis ſolvatur quantum pro diverſis diebus, & itineribus exciperent, idest ſi cum eodem die plures aſſignationes in locis paulo remotis dederе, tot computant dietas quot executiones confecerunt. Si accepto mandato de aliquo capiendo vel eius bona, ſpe muneris monent ut ſibi ſuiſque caveat. Si luſtrando domos, vel bona occupando aſperius agant minitantes, ut munera extorqueant. Si metu, aut pretio corrupti munus ſibi commiſſum præſcripto tempore non exequuntur ex quo partibus damnum ſubſequitur. Si extra limites ſuæ iuriſdictionis operantur, ſi in ſuppellectilium venditione vel licitatione conſtitutum tempus non concedunt, vel certis emptoribus favent. Si facta venditione pecuniam ex ea perceptam iis ad quos eadem ſpectat, ſine cauſſa remittere differunt.

CAPUT VIII.

De obligationibus Ducum & militum.

Ducum & militum obligationes.

DIverſi cum ſint modi quibus Duces, & milites nomen ſuum dando militiæ ſe obligatione devinxerunt, nempe fidelitate, & obedientia Principi eiuſque Præfectis militiæ, caritate, & manſuetudine erga populos pro quibus militant, fide & iuſtitia erga ipſoſmet hoſtes hinc iuxta hanc triplicem obligationem tum Duces, tum milites peccare poſſunt graviter & etiam contra iuſtitiam, & obnoxios fieri reſtitutioni. Quare peccant contra primam obligationem ſi militiam abſque dimiſſione & ante conventum tempus ut ſponte obliti deſerant, quia pacta ex iuſtitia ſunt ſervanda. Si ad partes adverſariorum tranſeant. Si Ducibus ac militiæ Præfecto non obſequantur, fortiter non pugnent, ſtationem non ſervent, arcem ſibi commiſſam non diligenter cuſtodiant, defendantque, etiam cum periculo vitæ. Si exercitum deſerant, quia ad hæc omnia fideliter implenda conducti ſunt. Si plus exigant quam a Principe ſtatutum eſt, vel non contenti ſuis ſtipendiis extorqueant a non hoſtibus, vel ab illis apud quos diverſantur, de eorum ſubſtantiis; alioquin iniuriam faciunt & tenentur de talibus iniuſtitiis ad reſtitutionem. Nec eos minimum ſuffragatur quod ſtipendia eis integre non ſolvantur; quia hoc ſpectat ad Principem minime ad loca; nec unus locus præ cæteris gravari poteſt. Si a ſubditis Principis hoſtis aliquid exigant; quando illi ſolvunt contributiones ad redimendam omnem vexam moleſtiamque cum tali ſolutione facta Principi vel Duci ius acquirunt immunitatis ab omni damnificatione. Mortaliter peccant Duces & obnoxi fiunt reſtitutioni, ſi ſuorum copias militum non complent dum poſſunt, & tenentur. Si in copiarum recenſione extraneos non milites ſupponunt, ſeu ſubſtituunt. Si annonam extorqueant, & ſtipendia pro militibus, quos non habent. Qui militibus annonam defectuoſam miniſtrant. Si militibus debitum ſtipendium defraudent. Si pecuniam exigunt a locis per quæ tranſeunt ne diu ibi morentur, aut in alia divertant. Si militibus plura ſyngrapha dent ad illorum, vel proprium emolumentum in alterius damnum. Si permittant militibus hoſpites ſuos variis modis vexare, ut pecuniam, vel quid aliud eis indebitum exigant; vel non obligant eos ad ea reſtituenda quæ furati ſunt. Peccant milites, & Duces. Si fidem datam hoſtibus frangant, aut doloſe interpretentur: qui propria auctoritate prædam in eos exercent. Si glandes puteos aquas &c. veneno inficiunt. Si directe eos interficiant, qui nec arma deferunt nec geſtare ſolent, ut pueros, mulieres, ſenes, Religioſos, Clericos, Peregrinos, Ruſticos, Mercatores, etiamſi præda urbis eis

Quomodo peccent contra fidelitatem.

Digitized by Google

eis eſſet conceſſa. Si Eccleſias diripiant, & rebus divino ſervitio conſecratis ſacrilegas manus iniiciunt. Qui ferro, & neci non parcunt, dum ipſis a militiæ Præfectis imperatum fuit. Si ex mero odio, & vindicta hoſtes etiam iuſte trucidant aut damnum eis inferunt. Recordari igitur debent ſemper Duces, & milites ſe obnoxios eſſe divinis legibus, idcirco eis abſtinendum ab omni iniuſtitia, & crudelitate aliiſque vitiis, ut luxuriæ & ebrietatis, quæ graſſari ſolent in gentibus militiæ dicatis.

Subditi iuſſi tenentur ad militiam. Subditi non eximuntur ab obligatione parendi proprio Principi iuſſi ire ad bellum, ac militare, etiamſi dubitent de iuſtitia belli, ideſt an bellum geſtum a ſuo Principe iuſtum ſit. Nam cum Superior ſit in poſſeſſione præcipiendi, & ita poſtulet obedientiæ debitum, etiam in dubiis iuxta regulam iuris: *in dubiis potior eſt conditio poſſidentis*; in tali dubio de iuſtitia belli adhuc tenentur ſubditi obſequi ſuo Superiori, & hoc exigit debita ſubordinatio. Non enim eſt Ducis, vel militis, ſive ſubditi ſint, vel conducti, examinare iuſtitiam belli. Extranei tamen, qui non ſunt conducti, militare licite nequeunt, niſi re explorata prudenter iudicent Principem iuſtum bellum agere. Aliter prudenter iudicare non valent ſe non peccare militando; & cum non debeant Principi militanti obedientiam, voluntarie ſe periculo exponerent graviſſimæ iniuriæ aliis inferendæ. Porro nemo debet militare contra proprium Principem & Patriam, quia hoc eſt contra debitam pietatem, & fidelitatem.

CAPUT IX.

De obligationibus Medicorum, Pharmacopolarum, Chirurgorum.

Obligationes Medicorum &c. recenſentur. QUatuor aſſignari poſſunt Medicorum, aliorumve qui ex profeſſo ſanitati hominum inſerviunt, obligationes præcipue, ad quas cæteræ reducuntur. 1. nempe ut nullus medicinæ artem exercere præſumat, niſi ab auctoritate habentibus approbatus fuerit. Idcirco ex D. Antonino graviter peccant qui abſque Magiſtratus facultate medicinam exercent; quia omnis in materia gravi præſumptio & temeritas, cuiuſmodi eſſet ſi aliquis artem arduam a qua vita hominum pendet cum periculo graviſſimi damni Reipublicæ pro libitu exerceret, grave peccatum eſt. 2. obligatio eſt ut qui morbos curare profitetur, ſufficienti ſcientia & experientia ſit præditus. Et hæc obligatio eſt ſub mortali, cum debito compenſandi damna ex ignorantia vel imperitia Medici ſecuta, cum lex tam naturalis quam divina & humana vetet, ne quis artem maxime periculis refertam quam ignorat, exerceat. 3. obligatio eſt, & hæc pariter ſub mortali cum debito reſtitutionis & compenſandi damna ſecuta, ut fideliter artem ſuam exerceant. Hanc fidelitatem exhibere tenentur tum ex iuramento ab ipſis Reipublicæ præſtito, tum ex pacto implicito cum ægroto inito de eorum ſanitate fideliter curanda. 4. obligatio eſt, & hæc itidem ſub mortali, ut artem ſuam exerceant cum pietate, religione, & charitate.

Tenentur Medici adhibere tutiora & expeditiora. Hinc tenentur adhibere remedia tutiora, certiora & in horum defectum probabiliora, & quæ citius ſanitatem allatura ſunt. Quod ſi dubium ſit medicamentum, & probabiliter non profuturum, docent aliqui Theologi non eſſe dandum, ut evitetur periculum, niſi tamen prorſus deſperata ſit ſalus; quia tunc in defectum aliorum illud adhiberi debet; quia ſic infirmi negotium utiliter agitur. Tenentur pariter in morbis periculoſis alios Medicos advocare, dum hoc neceſſarium probabiliter videtur. Tenentur monere infirmum vel per ſe, vel per alios de periculo mortis. Et hoc præcipue præcipitur a Concil. General. Lateranenſ. IV. Cap. *Cum infirmitas de pœnitentia*; quam legem innovavit S. Pius V. Conſtitut. 11. Idcirco ſi in omnibus his deficiant graviter peccant, ſicuti etiam ſi aliquid contra legem Dei ſuadeant, ſi eſum carnium ſine iuſta cauſſa permittant, & a ieiunio avertant, ſi pauperibus graviter ægrotantibus gratis non opitulentur, ſi medicamenta ad impediendam generationem, vel ad fœtum expellendum præbeant vel doceant; ſi optent morborum frequentiam; ſi occultos morbos eorum quos curant, divulgent; ſi mercedem iuſto maiorem exigant, vel maioris quæſtus gratia ægroti curationem in longum protrahant; ſi in favorem Pharmacopolarum ut hi lucrentur, remedia inutilia præſcribant. Idemque dicito de Pharmacopolis, nempe graviter peccare & de damno teneri, ſi medicamenta ob eorum ignorantiam, vel imperitiam ſecundum artem non ſint apte elaborata; ſi præſcripta a Medicis remedia diligenter ac fideliter non conficiant, ideſt pharmaca minoris pretii ſubſtituendo, vel ea adhibendo quæ propter nimiam vetuſtatem efficaciam ſuam amiſerunt; ſi tandem pharmaca ſua a rudi plebe ignota plus æquo faciunt. Quæ omnia cum contra iuſtitiam militent, hæc & ſi-

& ſimilia perpetrantes ad damni illati teſtitutionem procul dubio adſtringuntur.

CAPUT X.

De obligationibus Parentum erga Filios, & Filiorum erga Parentes.

De his quæ filiis debent Parentes ex iuſtitia.

PArentes filiis ac filiabus ſuis quatuor ex iuſtitia exhibere tenentur; ſcilicet amorem, inſtructionem, exemplum & correptionem. Idcirco ſi Parentes in his peccent, duplex peccatum committunt in Confeſſione aperiendum. Quare contra amorem filiis debitum peccant Parentes graviter. Si vitam prolis conceptæ fovere notabiliter negligunt, aut ſi immoderata itineratione, curſibus, ſaltibus &c. abortus periculo ſeſe committunt. Si prolem ortam caute nutriri diligenter non curant. Si abſque graviſſima, urgentique neceſſitate filios ſuos in Hoſpitalibus collocandos exponunt, & ſi poſſint, tenentur eadem loca pro damno iniuſto eis illato compenſare. Si ob tenacem avaritiam, vel prodigalitatem, vel pigritiam in laborando neceſſaria ad victum, & veſtitum ſtatui ſuo proportionatum filiis non ſubminiſtrant. Si modicos reditus, dotem ſufficientem, ſcientiam, vel artem ipſis procurare minime ſatagunt. Si nimis affecti erga quoſdam ex ſuis filiis alios acerbe tractant. Si filios invitos ad aliquem ſtatum cogunt, vel ab aliquo amplectendo invitos retrahunt.

De obligationibus Genitorum erga illegitimos.

Circa filios vero illegitimos. Mater tenetur alere uſque ad triennium completum, niſi lacte careat, aut iuſta ei ſubſit cauſſa non ablactandi, quo caſu tenetur pater ad lactationis expenſas. Completo triennio tenetur. Pater, & eius loco ſi deficiat, Mater præbere alimenta, qui etiam cauſſa mortis non poteſt præter ſuſtentationem aliquid plus eis donare, vel relinquere, ne legitimis minuatur hæreditas: & ſi aliter fecerint, tenentur illegitimi etiam ante iudicis ſententiam exceſſum, utpote illis indebitum, legitimis reſtituere.

Peccant itidem Parentes contra inſtructiones, ſi rudimenta fidei filios ſuos edocere negligunt, ſi de rebus divinis raro aut fere numquam cum ipſis loquuntur. Si a peccandi occaſionibus eos non retrahunt, ſi mane & veſpere non invigilant, ut Deum orent aliaque chriſtiana officia expleant. Si ſcandalum eis præbent blaſphemiis, verbis impudicis, maledicis, ebrietate, ludis, aliiſve notabilibus vitiis. Si propter inordinatum amorem, vel incuriam nimis indulgentes & cœci erga filios, eos non reprehendunt in ſuis defectibus, non ſolum verbis, ſed ſi hæc non proſint, etiam verberibus. Sicuti etiam ſi erga illos nimium ſeveri ad iracundiam eos provocent, quique magis iræ impetu quam caritatis affectu, irrationibili rigore in eos agunt.

Debita filiorum erga Parentes.

Filii pariter ad amorem tenentur erga Parentes, reverentiam, & obedientiam, ut habetur in quarto decalogi præcepto. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam* &c. Quocirca mortaliter delinquunt filii qui Parentes ſuos odio ac malevolentia proſequuntur, lætantur de eorum infortuniis, de eorum proſperitate triſtantur, optant ut eis ſe liberent, ut citius capere poſſint hæreditatem. Qui ſine iuſta cauſſa ea dicunt, faciunt; aut omittunt, ex quibus prævident, aut prævidere debent Parentes contriſtandos & ad gravem iram incitandos eſſe: qui parentes ſi infirmi, ſint viſitare, conſolari, curationem procurare, ac in omni eorum calamitate ipſi opitulari negligunt eos de neceſſariis providendo; ſi peccatores ſint, reverenter tamen eos non admonent, & ſi periculoſe infirmi, non curent ſacramentis muniri. Peccant autem contra reverentiæ debitum, ſi Parentes illudant, deſpiciant, torvis oculis aſpiciant, iniuris afficiant verbis, & multo magis ſi contra ipſos manus elevent, non ſolum leviter, ſed ſi tantum eorum percuſſionem intentent: ſi refugiant ipſos alloqui, & ſalutare, a ſe tamquam extraneos expellant, & tractent, excipe tamen ſi ex iuſta cauſſa Parentibus non diſſentientibus id faciant. Peccant tandem contra debitum obedientiæ ſi in his quæ ad mores pertinent, non obſequuntur Parentibus. Et hoc peccatum eſt diſtinctum, quod aliunde ſimul committunt contra bonos mores, vel contra Religionem. Item ſi eiſdem parere nolint in iis quæ ſpectant ad bonum familiæ regimen. Si matrimonium ſine eorum conſenſu contrahunt, vel ipſis rationabiliter invitis, quia ſi iniuſte conſenſum filiis ad matrimonium contrahendum denegent, licite contrahere poſſunt: ſed de his fuſius in quarto Decalogi præcepto, ubi habebitur etiam de mutuis coniugum aliorumque coniunctorum obligationibus.

CA-

CAPUT XI.

De Obligationibus Ruſticorum, Artificum, aliorumque Operariorum.

TEnentur hi omnes generatim artis, ſeu profeſſionis ſuæ ſufficientem peritiam habere. Illam ſine fraude, negligentia & cuiuſque damno exercere. Debitam diligentiam ad opus ſuum perficiendum, ac utile aliis, ac ſecundum rationabilem eorum voluntatem præſtando adhibere. Nihil ultra iuſtum pretium exigere. Contractus pactioneſque fideliter in omnibus ſervare. Quare

Quando peccent ruſtici, opifices &c.

1. Graviter peccant ac ad reſtitutionem tenentur ruſtici qui ſua imperitia graviter culpabili cauſſa ſunt cur in arboribus, vineis, meſſibus aut animalibus grave damnum obveniat. Operarii quilibet, qui craſſa ignorantia in opere perficiendo damnum inferunt ei, cui operantur. 2. Graviter peccant cum reſtitutionis onere coloni, qui dominos ſuos defraudant in tribuendo integram partem fructuum de qua conventum eſt, vel nonniſi de peioribus frugibus ſub prætextu quod heri aliqua ab illis prout mos eſt, officia exigant. Item Paſtores, qui greges in alieno fundo, aut capras in locis prohibitis paſcunt, ſeu id fieri permittunt. Item laniones, & piſtores qui farinas, aut carnes corruptas vendunt. Molitores qui granum acceptum immutant, & minus bonum ſubſtituunt. Sutores, & ſartores, qui partem materiæ ſibi datæ uſurpant ſeu ſubtrahunt, quique veſtimenta, vel calceas non bene conſuunt, ut citius frangantur & diſſuantur. 3. Graviter peccant & ad damni compenſationem tenentur ruſtici qui ob gravem eorum negligentiam cauſſa ſunt quare fruges, aut pecus pereant, vel a lupo devorentur, vel furto auferantur. Mercenarii pigri qui iuſtam operam diurnam ad quam ſunt conducti, non peragunt. Opifices qui laboribus ſui parcentes, opus imperfectum ac vitioſum reddunt; & ſic dicito de cæteris de quibus facile docere poteſt uſus, & experientia.

CAPUT XII.

De obligationibus eorum qui exercent artem Theatricam, ut licite eam peragant.

Ars theatrica triplex.

ARs teatrica triplex eſt. 1. eximiorum ſaltantium. 2. Hiſtrionum, ſeu ioculatorum. 3. Comœdorum ſeu mimarum. Quoad primos certum eſt eorum exercitium non eſſe illicitum, dummodo ſuis ſaltibus non ſe exponat periculo mortis, ideſt non ſe dent ſaltibus præcipitibus, ut hi qui per extenſum funem volitant &c. quia graviter illicitum eſt contra caritatem ſibi debitam ſe committere probabili periculo mortis, & tunc peccant etiam ſpectatores utpote alieno peccato cooperantes. Quoad ſecundos, qui cantilenis, ludis, præſtigiis, aut facetiis ſuis populi lætitiam, ac riſum movent, iſtorum exercitium non videtur D. Thomæ illicitum. 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3. Niſi tamen utantur verbis & factis illicitis, ut ſæpius contingit; qui ſi ita ſe gerunt, proculdubio graviter peccant, & etiam, qui interſunt, quia intereſſendo huic malo cooperantur, ac proinde communicant in peccato.

Quoad tertios: licet comœdiæ de ſe non ſint illicitæ, cum ad civitatis decorem, populi recreationem publicamque lætitiam ordinentur; immo & inventæ fuerint ad morum reformationem, fiunt illicitæ ſi comœdi utriuſque ſexus in ſcenam prodeant verbis geſtibus laſciviam ſpirantibus, & turpes cogitationes, ac deſideria impura excitantibus.

Ut igitur hi omnes licite ſuam artem exerceant, primi ſaltationes præcipites & periculoſas agere non debent; non uti alii verbis, geſtibuſque laſcivis, & inhoneſtis.

CAPUT XIII.

De officio & obligatione Epiſcoporum.

Quid Epiſcopus.

EPiſcopus, ut iam ſuo loco dicitur, eſt legitimus, ac ſaltem mediatus alicuius Apoſtoli ſucceſſor in munere plebem concreditam in rebus ſacris dirigendi, idoneoſque miniſtros ordinandi. Dixi ſaltem mediatus, quia ſinguli Apoſtoli Eccleſias principaliores ſeu Patriarchales fundarunt, ex quibus poſtea in dilatatione fidei catholicæ alii Epiſcopatus prodiere.

Duplex Epiſcopi poteſtas.

Epiſcopi poteſtas duplex eſt, Ordinis nempe, & Iuriſdictionis. Prior, ideſt poteſtas Ordinis, conſiſtit in legitima facultate idoneos Eccleſiæ miniſtros ordinandi per continuam ſucceſſionem ab uno aliquo Apoſtolorum deductam a Chriſto. Altera, ideſt juriſdictionis, conſiſtit in poteſtate iuris ſacri dicendi, atque ad eius obſervantiam cogendi Fideles ſibi concreditos ſub pœna privationis a divinis rebus participandis.

De obligationibus Epiſcoporum.

Obligationes Epiſcoporum, nempe quæ ad ipſorum ſtatum officiumque pertinent, quæ

quæque exteriorem eorum agendi modum reſpiciunt (nam de internis eorum obligationibus relinquitur iudicium Deo, qui unice eſt cordium ſcrutator) variæ ſunt: nam primo Epiſcopus tenetur ſcire obligationes ſui ſtatus, ſedulo eas inquirere, ac frequenter revolvere iuxta monitum Apoſtoli 1. Timoth. 4. v. 13. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Hæc meditare, in his eſto, attende tibi, & doctrinæ; inſta in illis. Hoc enim faciens & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt*. Huic obligationi non ſatiſfaciunt illi Epiſcopi, qui negligunt lectionem librorum, qui tractant de iis quæ incumbunt ſuo ſtatui, idcirco Epiſcopus tenetur legere ac frequenter revolvere Epiſcoporum obligationes, quæ continentur in Scripturis ſanctis, in Conciliis Generalibus, præſertim in Tridentino, in Iure communi canonico, & in ſummorum Pontificum Conſtitutionibus. Huic obligationi profecto deficiunt illi Epiſcopi qui ne quidem habent ſecum Scripturam, Concilia Generalia, præſertim Tridentinum, Ius canonicum, Bullarium ac Pontificum Decreta; vel ſi ea habeant, eorum lectione neglecta vel otioſe, vel in ſtudiis quæ ad ſtatum ſuum vel minime vel parum pertinent, tempus inſumunt. 2. Epiſcopi eſt capere informationem de cauſſis & negotiis ſuæ Diœceſis. Unde huiuſcemodi debito minime ſatiſfaciunt ii qui cauſſas omnes & negotia ſuæ Diœceſis ita relinquunt Vicariis Generalibus vel Conſiliariis, ut nunquam aut fere nunquam exigant ab his relationem aut reviſionem actorum gravioris momenti. 3. Epiſcopo incumbit curare perſonalem inſtructionem de ſtatu ſuæ Diœceſis per annuam Synodalem convocationem ſui Cleri Diœceſani iuxta Decretum Concilii Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. Huiuſmodi obligationi deſunt, quando ſingulis Clericis Diœceſanis liberum acceſſum non concedunt, ſive non convocant ſaltem deputatos a ſingulis Capitulis, & Collegiis pro accipienda relatione, ut ita per quamdam Synodum ordinariam, non ſolemnem, ſtatutis temporibus Synodi ſolemnis defectus ſuppleatur. 4. Epiſcopi partes ſunt ſedulo communicare cum ſuis Conſiliariis, aut cum Synodali conventu de cauſſis & negotiis diœceſanis. Unde hoc onus non adimplent qui cauſſas huiuſmodi & negotia ſuæ Diœceſis conferunt tantummodo cum ſæcularibus miniſtris, vel cum inexpertis circa res eccleſiaſticas, vel ſi cum expertis, privative tamen, ſeu non audito aliorum conſilio. 5. Tenetur Epiſcopus ad perfectum amorem practicum Dei, hoc eſt voluntatem habere conſtantem cooperandi ad maiorem Dei gloriam, & ſuæ gregis ſalutem, modo meliori quo poteſt. Hinc non ſane obligationem hanc implent qui nec ipſemet legunt vitas libroſque SS. Epiſcoporum, unde percipere poſſent varias rationes modoſque promovendi gloriam Dei ac ſalutem animarum, & forſan non ſtudent ſecum habere in Epiſcopali Palatio familiares eiuſmodi eruditionis peritos, qui poſſent condiri utiliter privata præſertim ad menſam colloquia, nec inſtituunt certis datis temporibus collocutiones eccleſiaſticas de ſervanda & melioranda Cleri & populi diſciplina. 6. Epiſcopus ſcire tenetur, inquirere & diligenter revolvere non ſolum obligationes ſui ſtatus, ſed etiam directiones, monita & incitamenta a SS. Epiſcopis relicta pro recte obeundo munere Epiſcopali. Quocirca hoc onus minime explent quando negligant exhortationes pro accendendo Epiſcopali aut Clericali fervore, inſtituere, audire aut legere. Nam eo ipſo indicant hi in ſeipſis contemptum quemdam ſaltem interpretativum eorum mediorum quæ habent accendere, fovere, ac nutrire perfectum Dei amorem practicum, hoc eſt conſtans ſtudium cooperandi ad maiorem Dei gloriam & ſuæ gregis ſalutem eo meliori modo quo fieri poteſt. 7. Epiſcopus tenetur Epiſcopales redditus, qui ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperſunt, in pias cauſſas erogare, ſervato tamen recto charitatis ordine, ideſt eo modo meliori quo videat ſervire ad maiorem Dei gloriam, & animarum ſibi concreditarum ſalutem, ut docet S. Carolus in Concilio Mediolanenſi I. celebrato anno 1565. p. 2. tit. 62. 8. Epiſcopus ſervare debet modeſtam frugalitatem & moderantiam in menſa, ſuppellectili, & ordine ſuarum actionum, ut ſint ad omnium ædificationem & imitationem proportionatam præire ſuo exemplo Clero & populo iuxta monitum D. Pauli: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum .... neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo*. Idem monitum habetur etiam in Tridentino ſeſſ. 25. cap. 1. Revera deficiunt huic obligationi qui ita ſplendide vivunt, ut licet proviſi pinguibus redditibus nihil aut parum eis remanet ut in pias cauſſas impendant; multoque magis peccant qui in ſuperflua ædificia vel ad maiorem ſplendorem ære alieno gravantur: Item illi qui cum ex ſua familia vel ex ſua domo ſi in ſæculo

culo remanſiſſent, vi ſecundæ geniturae ad honeſtatem ſui ſtatus nonniſi valde moderatum haberent ſervitium, aſcenſi ad Epiſcopale thronum ex proventibus eccleſiaſticis primogenitorum ſuæ gentis vel ſæcularium Principum neglecto exemplo, ipſorum Summorum Pontificum ultra decorem ad tuendam dignitatem Epiſcopalis ſuæ conditionis ſufficientem, ſplendorem æmulantur. 9. Epiſcopus in exercitiis Religionis catholicæ publicis Clero ſuo & populo exemplo præire debet; quomodo huic oneri ſatisfacerent, ſi ſolerent non intereſſe publicis ſolemnibuſque proceſſionibus & comprecationibus, ſolemni divino officio ſui Cathedralis Capituli, communioni generali, aliiſve religioſis functionibus ab Eccleſia vel conſuetudine ſolemniter inductis? 10. Epiſcopus eximio caſtitatis zelo præire debet ſuo clero, & populo, quod ſane non præſtaret ſi miſcerentur in ſuis converſationibus præcipue nocturnis feminæ quamtumvis honeſtæ, & multo minus ſi eas ad ſuam menſam quoque libenter admitteret, aut quod nimis redderetur obſervabile, ſi ſub pietatis ſpecie in ipſo Epiſcopio aleret non concurrente aliquo titulo neceſſitatis, ſive libenter viſeret, earumque inutiles viſitationes reciperet, cum hiſce iocarent, ac luderet, munuſcula pretioſa, vel profana donaret, idemque de aliis huiuſcemodi dicito, quæ caſtitatis fervens zelus individuus venerabilibus Epiſcopis comes non amat. 11. Nec ſolum ſuper ſe ipſum invigilare debet Epiſcopus, ut nihil ſub oculis Cleri, & populi exhibeat a ſanctitate ſui gradus alienum, ſed ſimul invigilare debet, ut omnes ſui familiares eius obſequio dicati ea morum honeſtate ſe gerant, & innocentia, ut ſint aliis virtutis, & pietatis exemplo. Hanc obligationem non exequuntur, qui nullam a curiæ Præfectis, aliiſve inferioribus officialibus rationem eorum vitæ morumque exquirunt, ſingulos ad audiendum verbum Dei non compellunt, nec ad ſacramentorum frequentiam, aliaque pietatis exercitia, nec ordinationes pro domeſtica diſciplina conſtituunt.

Duodecimo. Circa Diœceſis ſuæ gubernationem debet Epiſcopus ſuper omnia vigilem eſſe, ut catholica Religio in omnibus ſuis Diœceſanis incontaminata ſervetur; ut monet Apoſtolus 1. Timoth. 6. *Depoſitum* (fidei) *cuſtodi*; ut conſtantia eorum in ſancta doctrina ædificet incredulos, ſi qui ſunt, ſive occulti, ſive manifeſti; prompte errorum zizania ſi ſeminaret in aliquo inimicus, omni conatu eradicare; vitia corrigere, virtutum exercitia, Chriſtianam perfectionem in ſubditis promovere. Unde reprehenſibiles redduntur, qui Clericorum ſcandala tollere viriliter non conantur, delinquentes corrigendo & pœnis canonicis mulctando, & ſi hæc in his qui nondum ſacris ordinibus initiati ſunt, profectum non reportent, ut revera ad piam exemplaremque vitam per talia remedia reducantur, a ſtatu clericali repellant: ſacris autem initiatos eccleſiaſticis cenſuris ad meliorem frugem compellant. Item qui non ſatagunt, ut Laicorum quoque gravia crimina & corruptelæ corrigantur, præcipue frequentes crapulæ, ebrietates, blaſphemiæ, uſuræ, illicitæ negotiationes, concubinatus, violentiæ, oppreſſiones pauperum, viduarum, ac pupillorum, mortales ac diuturnæ rixæ & inimicitiæ, homicidia, furta, quæ vitam Chriſtianam maxime deturpant, & quorum ſcandalis moralis Chriſtiana periclitatur, ac ſubvertitur cum notabili ſui gregis detrimento, incumbendo Parochis, ut ſalutaribus ac paternis monitis, & exhortationibus ſtrenue, & indeſinenter elaborent, ut hæc mala a ſuis ovibus eliminentur. Et ſi aliqui contumaciter in ſua pravitate perſiſtant, eum certiorem faciant, ut validioribus remediis provideat. Item tenetur Epiſcopus invigilare, ut tam in ſtudiis publicis, quam privitis ſana doctrina fidei, & morum iuxta probatiorum Doctorum ſententiam ſuſtineatur, & laxitates opinionum tollantur. Unde graviter ſuo officio deſunt, qui nullam inſtructionem capiunt de doctrina, & moribus magiſtrorum a quibus Clerici inſtituuntur in ſcientiarum diſciplina, de auctoribus quibus in tali munere utuntur, num ſanæ doctrinæ quoad fidem, & mores; num eos detineant in quibuſdam ſcholaſticis quæſtionibus, ac contentionibus prorſus inutilibus Clericorum ſtatui, & fini; cum neceſſe ſit eos inſtrui, ac exerceri ſuper dogmata fidei & morum, in ſacris canonibus, ac Pontificum decretis, in Eccleſiaſtica hiſtoria, & diſciplina, in regulis ſacrorum rituum, ut rite & recte officium ſuum exequi ſciant, & valeant pro maiori Dei gloria & ſpirituali proximorum ſalute, præcipua, quinimo unica ratio, quare a Deo inſtitutus fuerit Clericalis ordo. Idcirco non leviter deficit muneri ſuo Epiſcopus, ſi ſtudioſe non exquirat ſeu ſcrutetur de ipſo Clericorum ſtudio, & profectu; an exacte ſerventur in eorum inſtitutione quæ præſcripta ſunt a ſummis Pon-

Pontificibus, & Conciliis, præcipue Tridentino ſeſs. II. c. I. quod enixe inculcat quibus viſitare & reformare ſpectat, quod præcipue eſt Epiſcopi, ſedulam ſtudiorum curam, corrigendo in his, & re formando, quæ correctione, & reformatione digna ſunt pro Religionis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ augmento. Hinc ut facilius hac in re partes ſuas expleat multum contulerit non ſolum erigere Seminarium cum proportione ad extenſionem ſuæ Diœceſis ſicut præcipit Tridentinum Concil. ſeſſ. XXIII. cap. XVIII. in quo adoleſcentes a teneris annis in diſciplinis clericalibus ac pietate inſtituantur; ſed ſimul munire talem locum optimis legibus pro ſtudiorum, & morum diſciplina, ſedulo, & accurate invigilare ſi hæc aliaye ad huiuſmodi inſtitutionem, ac convictum, exacte ſerventur. Talis Epiſcopi vigilantia non minori ſolicitudine occupari debet in Licæis, Accademiis, Conſervatoriis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Eremitoriis, ſcholis, ut ſuis legibus inſtituantur, & pro earum obſervantia in ſacris viſitationibus enixe urgere, vel in annuis conventibus ſynodalibus. Idcirco nullo habito expenſarum reſpectu inſtituere debet ſuper hiſce rebus viſitationes, & inquiſitiones.

Decimo tertio incumbit graviter Epiſcopo invigilare & curare, ut in Parochiis diebus dominicis, aliiſve feſtis habeatur concio, & horis pomeridianis catecheſes a Parochis; in quibus doctrina Chriſtiana (quod ſervandum curabit etiam in concionibus) pure ſine fabuloſis narrationibus, ſine incertis revelationibus, ſine profanis digreſſionibus ex probatis auctoribus tradatur, & puerii prima doceantur fidei rudimenta. Rei tanti momenti deeſſet, qui non ſoli citaret ut de tali obſervantia diſtincta inſtructio ei exhibeatur. Imo Epiſcopus ipſe meliori modo, quo poteſt, tenetur prædicare verbum Dei, & ubi verbo paſcere non poſſunt plebem ſibi concreditam hoc peragere debent per Paſtorales Epiſtolas in Eccleſiis perlegendas; vel per miſſiones. Ita ſuper his omnibus ardenti zelo urget Concil. Trident. Seſſ. XXIV. cap. IV.

De debito Epiſcopi quoad officiales. Decimo quarto tenetur Epiſcopus ſuis expenſis providere de ſufficienti numero officialium, ideſt conſiliariorum Eccleſiaſticorum, cenſorum, itaut tota Diœceſis viſitari, cauſæ Eccleſiaſticæ ordinate expediri, libri omnes exacte revideri, & commiſſiones ſine vacatura prompte inſtitui poſſint. Sic præcipit Trident. ſeſſ. XXIV. c. III. Quocirca tenetur ſub gravi ad iſtiuſmodi officia aſſumere viros in Theologia, & iure canonico peritos, necnon probitate morum exemplares. Tenetur in ſuper Diœceſim perluſtrare, ſeu viſitare meliori modo, quo poteſt, ut Epiſcopis præcipit Trident. ſeſſ. & cap. cit. Sed ſi fieri poteſt, hoc faciant per ſe ipſos perſonaliter, ut inſtructionem percipiant de ſtatu ſui gregis, de Parochorum cura & ſolicitudine erga ſuum gregem, ac de legum ſynodalium obſervantia, & hoc faciant frequentius, vel ſaltem ſingulis trienniis.

Decimo quinto curam habere debet Epiſcopus pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum, inculcando tam in Synodis, quam per Epiſtolas Paſtorales obligationes Clericorum, qui ſunt de Eccleſiaſtico beneficio proviſi, erogandi in ſubſidium pauperum, quæ ex honeſta ſua ſuſtentatione ipſis ſuperſunt.

Decimo ſexto tenetur Epiſcopus, ut alias diximus, reſidere, niſi legitimo impedimento ex iuſta, & legitima cauſſa diſpenſetur; quæ plane eſſe nequit ſolius recreationis, vel curioſitatis gratia, aut negotium mere profanum non neceſſarium; idcirco ſi tali titulo diu abſunt a ſua Diœceſi, deſunt ſuæ obligationi & graviter peccant.

Circa ornatum Eccleſiarum. Decimo ſeptimo tenetur Epiſcopus magnam habere ſolicitudinem, & zelum pro decenti ornatu Eccleſiarum, honeſtate divini officii, & ſanctitate ſuorum ſubditorum; quare rei fiunt tranſgreſſionis in debito ſui muneris qui non perquirunt nec efficacia media præſcribunt, & urgent, ut ſervetur mundities in Eccleſiis, & paramentis, circa decentiam in publico cultu religionis, & non ſtudent removere ſacras perſonas a vanitatibus ſæculi, quæ devotionem puritatemque animi commaculant.

Circa res fidei definitas. Decimo octavo. Si circa res fidei oriantur perculoſæ controverſiæ, Epiſcopus eas ad S. Sedem referre debet. Circa res fidei a Concilio generali, ſeu a S. Sede definitas nova cum Sectariis colloquia Epiſcopus permittere non debet. Tenetur Epiſcopus perpetuam inſtituere inquiſitionem circa libros uſuales ſuarum ovium, ut examinetur, an quid contineant hæreticum, pernicioſum, vel ſuperſtitioſum iuxta Decretum Concilii Tridentini Seſſ. IV. *de edit. librorum*. Non debet permittere nec pati Epiſcopus in libris verba Scripturæ detorqueri ad profana iuxta Tridentinum de *edit. libr.* Item curare debet Epiſcopus, ut ex libris expungantur pro-

Digitized by Google

propoſitiones ſcandaloſæ, temerariæ, ſeditioſæ, aut rituum novatoriæ, imo vocum etiam novitates ab Hæreticis excogitatæ, Hæreticorum encomia, & famæ proximorum contraria. Ita præſcribitur in Regulis Indicis. Inſuper curare debet Epiſcopus, ut in Cathedrali, ac in omnibus Monaſteriis etiam exemptis, & in omnibus Gymnaſiis lectio, ſive expoſitio ac interpretatio S. Scripturæ, ſicut ſtatuit Trident. Seſſ. v. c. I. introducatur, nec non lectiones ac ſtudium Theologiæ moralis; quæ licet tam neceſſaria facile nihilominus ab Eccleſiaſticis etiam ſtudioſis, ſed in aliis diſciplinis, negligitur, ut alii prorſus ignorent regulas, quibus ſaltem ſuam conſcientiam dirigere valeant, alii ex doctioribus, & ſtudioſis, qui de difficilioribus in philoſophicis & mathematicis rationem reddere valent, in moralibus ſæpe ſæpius ſunt ieiuni, etiam in his quæ ad proprium ſtatum, ideſt clericalem ſpectant, cum non levi ſuarum animarum detrimento, dum multa ſibi licita credunt, quæ iuxta ſacrorum canonum ſtatuta ſtatum clericalem omnino dedecent. Quare numquam ſatis laudabilis cura & zelus inter alios ſapientiſſimi Prælati ac Cardinalis Patavini Veroneſii, qui ſtudium moralis diſciplinæ enixe, & indeſinenter ſuo clero inculcat. Non ſinat Epiſcopus prædicari de Purgatorio incerta, & quæ turpem quæſtum ſapiunt, iuxta monitum Tridentini ſeſſ. xxv. de *Purgatorio*. Curet tamen ut ſuffragia pro Defunctis pie, & devote fiant, & fundationes exacte impleantur.

Debitum Epiſcopi quoad lectionem Theolog. in Cathedrali.

Item accurate invigilare debent Epiſcopi, ne introducantur ſeu populo evulgentur nova miracula, non examinata, novæ imagines inuſitatæ non exponantur, vel parum honeſtæ, novæ Reliquiæ non ſatis certæ, nec ſuperſtitioſæ devotiones inducantur, uti monet ac præcipit cit. Tridentinum. Conari pariter pro viribus debent Epiſcopi exturbare & eradicare e ſuis Diœceſibus diſſolutas choræas, profanas comœdias, aliaſve prophanationes in diebus feſtis. Inquirere pariter & ſcire tenentur, num ubique in Eccleſiis omnibus Sacrificium Miſſæ devote peragatur & ſine ſordido quæſtu. Inquirant inſuper & curent, ut Parochi pro Parochianis diebus Dominicis & feſtis de præcepto applicent pro populo iuxta monitum ſeu præceptum Concilii Trid. Seſſ. XXIII. cap. I. & Conſtitutionem felicis recordationis Benedicti XIV. in qua clariſſime rem exponit circa debitum indiſpenſabile Paſtoribus omnibus ac præceptum innovat. Caveant tandem Epiſcopi & maxime attendant, ne Beneficia curata iis conferant, qui ad obeunda perſonaliter officia parochialia vel abſolute vel notabiliter minus idonei ſunt, & eo magis quando talis inſtitutio fieri debet in concurſu, cum in tali caſu agatur etiam de ſtricta iuſtitia eligendi digniorem, ut enixe inculcant ſacri Canones, & præcipue poſtremum generale Concilium, nempe Tridentinum ſeſſ. XXIV. cap. XVIII.

CAPUT XIV.

De Obligatione Regum ac Principum præſertim circa res eccleſiaſticas.

Obligationes Regum ac Principum ab aliquibus perdoctis viris expoſitæ fuere, inter quos Franciſcus de Salignac de la Mothe Fenelon Archiepiſcopus Cameracenſis, qui ante Archiepiſcopatum fuit præceptor Ludovici Delphini, filii Ludovici XIV. in libello edito ſub titulo *Directions pour la Conſcience du Roi*. Principes tenentur non iam obiter, imo clare & diſtincte ſcire veritates omnes Chriſtianæ Religionis, omneſque Chriſtianæ legis obligationes. Quare credere tenentur, ipſos minime exemptos eſſe a lege Evangelii, quæ omnibus indiſcriminatim præcipit animi humilitatem, iuſtitiam, ſinceritatem, ideſt verborum veritatem, affectuum actionumque moderationem, compaſſionem ac miſericordiam, manſuetudinem, unde ſemper parati ſint ad iniuriarum remiſſionem. Huiuſcemodi obligationi directe adverſantur quorumdam adulatorum vel politicorum principia, murmurantium, ſevere imperandum eſſe & cum auſteritate, & dure erga ſubditos agendum, nec Principes verbis ſuis teneri ſeu ligari. In eligendis Conſiliariis cavere debent in omni genere ne adulatores aſſumant, nempe non tales qui ſoleant blandiri & approbare Principis ambitionem, vanitates, mollitiem, inertiam, fraudulentias, ſed qui ſincere ac libere veritatem proferant. Principes cum omni devotione precari debent ut impetrent a Deo ſcientiam eorum quæ Deus ab eis exigit: nam niſi humiliter & inſtanter petant ſupernaturale gratiæ lumen, unde viam, media, necnon alia quibus dignoſcere poſſint Chriſtianam legem, aliaſque obligationes quæ ad eorum ſtatum pertinent, ignorantiæ omnes, quæ ex hoc neglectu ſequuntur, erunt ipſis voluntariæ, & ad culpam imputabiles. Itidem præeligere

gere debet ac aſſumere directores ſuæ conſcientiæ præ cæteris pios, intrepidos ac peritos, non ſecus ac in bellicis & corporalibus præferri ſolent Generales ac Medici peritiores. Verum cum unus quantumvis peritus facile ſubiici poſſit ſuis præiudiciis, prudentia Chriſtiana exigit ne uni tantum concredat, ſed Concilium eccleſiaſticum inſtituat, ac ei plenam facultatem ſe in negotio ſuæ conſcientiæ admonendi conferat, ut ample probat Franciſcus de Arrauxo Epiſcopus Segobienſis Deciſionum Moralium diſp. 10. diff. 2. n. 26. & 27. nempe Princeps cuius ditioni ſubiectæ ſunt plures Provinciæ variis legibus viventes, omnino oportet ut plures miniſtros habeat, quando hos reperire poſſit.

Quænam tenetur Princeps addiſcere.

Princeps addiſcere debet leges omnes, conſuetudines ac obſervantias Regni vel Principatus ſibi ſubditi. Cum enim ipſe ſit ſupremus controverſiarum tam civilium quam militarium iudex, de his profecto recte iudicare nequit, niſi earumdem legum & conſtitutionum plene ſit inſtructus. Non enim ipſi ſatis eſt ſi in Senatu regio, ubi hæc iudicare debet, reportet ſemper votorum pluralitatem, quia ipſi incumbit, non numerare, ſed ponderare vota, dum facile fieri poteſt quoſdam Conſiliariorum tacito reciproco fœdere maxime in cauſſis valde ambiguis, vel obſcuris, aut intricatis ultro citroque cedere potius inclinationi Collegæ in favorem clientis, quam rationi & iuri. Item noſſe debet ius gentium & ius commune relate ad vicinos, formamque regiminis ac fines ſeu limites ſuæ poteſtatis qui a primævis temporibus indeſinenti obſervantia in Regno ſuo vel Principatu præfiniti fuere: nam ſi hæc ignoret, facillime inducetur ab adulatoribus exemplo exterorum Principum alio iure per fas aut nefas utentium ad inducendam novam regiminis formam omnino alienam a iuribus antiquitus receptis, tacito inter Principem & ſubditos fœdere firmatis, vel prorſus per capitulationes & pactiones iuratas ſacratis. Inſuper ſcire debet numerum ſubditorum, agricolarum nempe, artificum, forenſium, mercatorum, nobilium, militarium, Clericorum ſæcularium & regularium, ut ſciat quinam bono publico deſint, proſint, aut oneri ſint vel detrimento. Debet quoque ſcire ſuorum ſubditorum conſuetudines, privilegia, libertates, commercia, negotiationes, leges commerciales uſuales tam intra quam extra Regnum. Item oportet ut ſit inſtructus de omnibus tribunalibus, iuribus & abuſibus Officialium in quovis tribunali. Nam niſi hæc ſciat, ignorabit iuſtum valorem rerum ſuis oculis perpetuo obſervandarum, quotidie decipietur a ſuis Miniſtris, & multo plus noxia erit bono publico ipſius ignorantia quam populo corruptio Officialium & Præfectorum miniſterialium. Pariter non minori cura vitare debet vitia perſonalia morum quam vitia publica regiminis. Etenim ſi Princeps in ſua Regia operetur, loquatur, vel patiatur inhoneſta, vel quæ legibus Chriſtianis opponuntur, habet frequentes imitatores nedum intra limites ſui Regni vel ditionis; ſed in exteris quoque Provinciis, & huiuſmodi pravus effectus eſt irremediabilis, & longiſſimæ durationis non raro ad integra ſæcula. Ex oppoſito vero vitia regiminis non incitant ad imitationem, ſed ſunt obiecta tantummodo contemptus, horroris, ac univerſæ abominationis. Noxia ſunt quidem fortunis, non vero animabus. Igitur cum effectus vitiorum perſonalium in Principe ſit quædam lues univerſalior ac diuturnior, vitia perſonalia Principum æque ac vitia politica regiminis ſolicite curanda ſunt, licet negari nequeat ſub alia conſideratione, quatenus vitia regiminis innumeris iniuſtitiis Provincias replent, ex hac parte graviora eſſe vitiis perſonalibus.

De feminis admittendis a Principe in ſua Curia.

Non debet Princeps admittere in ſua aula omnes indiſcriminatim feminas nobiles, ſed eas tantummodo quæ ſervitio Reginæ ac Principiſſarum opus eſſe poſſint; & præcipue cavere debet, ne feminas invenes admittat in ſua aula quæ ſua pulchritudine facile eſſe poſſunt ſuis aulicis laqueum iniquitatis: & multo magis admittendæ non ſunt in aula feminæ ſuſpectæ, quæ varias periculoſaſque novitates ac libertates introducunt, aut quarum fama aliquam patitur maculam. Ad ſervitium vero Reginæ ſeligendæ ſunt matronæ nobiles, ætate & moribus graves. Inſuper corrigere debet luxum, & reprimere formæ inconſtantiam non ſolum quoad luxum & formam veſtium, ſed quoad luxum etiam & formam mobilium, apparatus, conviviorum, ædificiorum, hortorum, nemorum &c. nam exinde quamplurima mala ſequuntur, ac maxime Reipublicæ & Eccleſiæ Dei. Nam ex luxus licentia feminæ, quibus ſatis non eſt domi facultas, quærunt mediis illicitis unde ſuperbiant, & Principibus ipſis ad hunc finem inſidias tendunt, qui niſi eas arceant, ſemper in proxima peccati occaſione verſantur. Summopere

pere cavere debet, ne circa Religionem aut res ad ipſam ſpectantes verbo, facto, riſu vel geſtu contemptum vel indifferentiam oſtendat. Quocirca reprehendere tenetur omne verbum quod videatur inſinuare poſſe irreligioſitatem, ac ſeriam indignationem indicare contra impietatem, nec in re hac ullam æquivocationem permittere, ita ut verbis & factis ſemper oſtendere debeat zelum pro ſinceritate fidei & vitæ Chriſtianæ.

Principi vetitum eſt auferre bona ſubditorum.

Principes prohibentur ab ullo ſubditorum auferre ſua bona vel iura præciſe titulo authoritatis regiæ ſeu poteſtatis contra regulas iuſtitiæ commutativæ. Et ſi quando alicui particulari domum vel agrum abſtulit ad locum aliquem regium ampliandum, vel quando extinxit officia iure debita vel redditus debitos, perſonas eiuſmodi debet effective indemnes reddere æque ac tenentur alii privati.

Quid in gravaminibus ſubditis imponendis.

Quando agatur de imponendo aliquo gravamine populis, mature examinare debet atque conſulere viros qui ſuſpecti non ſint nec aſſentationis nec imbellis formidinis, num titulus neceſſitatis publicæ revera tanti ſit ponderis, ut poſſit æquiparari cum gravitate impoſitionis faciendæ. Neque licet appellare publicam neceſſitatem onera belli ſolum ſuſcepti ex motivo ambitionis præciſe lucratorio, vel ex motivo iuvandi prætenſiones ſolum perſonales ſeu familiares ſuæ domus ad ſucceſſionem hæreditariam in vicina Provincia. In tali enim caſu tenetur gerere bella impenſis propriis, vel ex mutuis vel ex ultro donatis ſeu collatis ex affectione a populo. Eiuſmodi enim prætenſiones ſicuti non reddunt ſubditos feliciores, ita nec quoad onera incumbunt populo.

Non debet Princeps tolerare iniuſtitias.

Princeps ut ipſe tenetur non committere, ita nec tolerare debet iniuſtitias. Hinc tenetur caute ſeligere tales redditutum Cameralium præfectos, gubernatores, miniſtros, officiales, &c. quos non ſecretum votum per eos Cameralia iura ampliandi ultra iuſtos limites, ſed amor recti & meritum officio proportionatum commendat. Non enim licet præciſe ob affectionem neritos etiam immenſis fortunis cumulare, ſi hæ meritum aut præſentes fortunas Regni ſeu Principatus nimia improportione ſuperent. Idcirco tenetur Princeps informationem capere de adminiſtratione ſuorum præfectorum, gubernatorum & officialium, ac conſequenter tenetur publice declarare ac demonſtrare ſe promptum eſſe ad excipiendas querelas contra eos quos ſuos adminiſtratores conſtituit; & ſi forte detegatur exceſſus, debet promptam iuſtitiam gravatis adminiſtrare. Inſuper peccat ſi eiuſmodi præfectis vel concedit vel tolerat laborum exceſſivas taxas in gravamen populi, repugnans iuſtitiæ vel miſericordiæ. Aſſignare debet Princeps præfectis, gubernatoribus & officialibus ſalarium competens quod ſine ullis illicitis extorſionibus ſatis ſit ad honeſtam familiæ ſuſtentationem. Ulterius tenetur his expedire aſſignationem officii gratis, nec in his luxum tolerare, alioquin reus erit omnium exceſſuum, qui committi ſolent ab huiuſmodi officialibus & præfectis ut plurimum promotis ex conditione humili & indigna.

Quantum fas eſt debet minuere tributa.

Quia populi bona extorqueri non debent vel applicari niſi pro publico bono totius populi, inquirere tenetur Princeps media idonea ſublevandi & conſolandi populum, quatenus boni publici neceſſitas id permittat. Quare conſulere debet viros peritos qui eum fideliter informent de ſtatu Provinciarum, de cultura terræ, de ſterilitate annorum etiam præcedentium, ut deprehendat quid ſuſtinere poſſint ſubditi ſine miſeria & deſolatione. Huiuſcemodi inſtructioni peritorum pro bono publico bene affectorum debet accommodare annua gravamina, & in publica neceſſitate reſtringere proprios ſumptus quos percipit non ſolum ex collatione populi, ſed etiam ex bonis ſuæ familiæ. Caveat ſub variis multiſque titulis multiplicare novarum impoſitionum genera ſub novo genere officialium. Melius enim eſt in caſu neceſſitatis non augere impoſitiones, quam nova officia erigere. Nam licet novorum officiorum inſtitutio per eorumdem venditionem tranſitoria ſubſidia pro nunc ferrantur Principi: tamen multo maius eſt damnum, quod affertur bono communi ſubditorum; quia ſi ex venditione horum officiorum in publicum Principis ærarium inferuntur centum mille argenteorum, quingenta millia emunguntur a ſubditis, & talis officiorum erectio eſſe ſolet malum perpetuum ac irremediabile. Quia licet aliquando ſuſpendantur, brevi tamen amore lucri excitantur: ac proinde numquam ceſſant ſubditi ab huiuſmodi æris gravamine, ita ut perpetuo ſe debitis oneratos ſentiant.

De vigilantia Principis ſupra ſuos miniſtros.

Debent pariter Principes etiam ſine legali accuſatione, vel denuntiatione informationem capere, quando audiunt vel ex auditis merito ſuſpicantur a ſuis miniſtris officialibus aliiſve de curia violenter extorqueri bona ſubditorum vili pretio, aut differri ſolutionem cum venditorum damno, aut oppri-

mi ac violari eorum iura. Quamobrem tenetur Princeps exacte ſe informare; non tantum quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum quoque de his quæ ſub umbra eius auctoritatis fieri contingat.

Quomodo contrahere cum ſubditis.

Peccant Principes ſi ineundo per ſe, vel per ſuos officiales varios contractus cum ſubditis, non relinquunt eis plenam libertatem a metu liberam aſſentiendi contractui, vel non aſſentiendi, qualem habent apud æquales. Peccant itidem ſi in compenſandis iuribus, vel damnis donent ſubdito aliqua tributorum iura, ſeu redditus alios in eorum ditione, vel creationem novorum officiorum &c. quæ cum Principes quoad iura Regalia pro perpetuis minoronibus habendi ſint, & eorum iura ſint inalienabilia, a ſucceſſore extingui, ſive ad ſuum ærarium reduci poſſunt. Fatendum tamen eſt ſucceſſores eiuſmodi Principum, qui talia iura alienarunt, in duplici caſu peccare poſſe. Primo ſi iura vel bona alienata ſine compenſatione reducant, quando non certo conſtet ea pertinere ad Regem, ideſt eſſe Regalia Principis, & ea bona fide tam a Principe, quam a ſubdito, & generali ſenſu Doctorum eo tempore, quo celebratus ſuit contractus, tamquam alienabilia conſiderata fuere, & ipſe contractus utrinque oneroſus in bonum publicum Principis, & ſucceſſorum converſus eſt. Si hæc duo concurrant, reductio bonorum alienatorum ſub titulo Regii iuris, ideſt Regaliæ eſset iniuſta. Alter caſus eſt quando Princeps non alienavit dominium, ſed tantummodo uſumfructum reſpective tenuem iurium Principis, qui uſusfructus iuxta Egidium Romanum Archiepiſcopum Bituricenſem alienari poteſt.

Quid erga Conductores vectigalium?

Tenetur pariter præcavere, ne conductores vectigalium publicorum, Principatus iurium, ac redditūum aliique monopoliſtæ per terminos nimis generales, verſatiles, ſeu æquivocos adhibitos in expoſitione commiſſionum huiuſmodi ipſis concreditarum anſam arripiant nimis ſua iura ampliandi, ac inique vexandi alios mercatores, & negotiatores ſub prætextu mercium vetitarum, cum commercii nocumento, ac ſimul publici boni.

De aſſumendis ad militiam.

Tenetur item efficaciter impedire ne ad militiam compellantur ex ſubditis aliæ perſonæ niſi revera ab omni vinculo naturalis obligationis expeditæ, & bono communi domi non neceſſariæ. Verum quidem eſt ſubditos omnes debere concurrere ad ſtatus defenſionem; Sed Princeps quoque tenetur non ſuſcipere bella niſi iuſta, & iuſte. Hinc in quovis Oppido, Pago vel rure eos tantum aggregare debet exercitibus, quorum abſentia, nec agrorum culturæ, nec commercio, nec neceſſariis artibus, nec ſuſtentationi alicuius familiæ opus ſint. Et hi ipſi non obligandi ſunt inviolabili fide, niſi ad paucos annos, quibus evolutis alii ad militaria exercitia ſubſtituendi ſunt. Si enim obligentur ad multos annos, miſere pereunt, vel ex incommodis, quæ in tali exercitio milites patiuntur, ſive in Hoſpitalibus militaribus auxiliis deſtituti neceſſariis quod non eſt excuſabile apud Deum nec coram hominibus.

Quid circa damnatos ad triremes &c.

Conſulere debet Princeps ut damnati ad triremes vel ad metalla ſive ad alia opera publica completo tempore ſeu termino damnationis liberi, dimittiantur. Nec cohoneſtare poteſt detentionem prætextus quod deſint alii operarii in eorum locum ſubſtituendi: quia iuſtitia publica præferenda eſt utilitati privatæ & etiam publicæ.

Curare debet Princeps ut ſtipendia militibus ſolvantur.

Providere ſimiliter debet Princeps ut militibus ſtipendia exacte ſolvantur; ne compellantur ad concuſſiones violentas ſubditorum, ad furta ad deſertiones ex quibus multorum ſuſpendia ſequuntur, & Officiales loco deſertorum compleant numerum militum iniuſte cogendo ad militiam invitos, quorum peccatorum Princeps reitatem contrahet.

De peccato Principis ob violentias.

Peccat Princeps ob quamcumque iniuſtam violentiam, quam vicinis inferat, cum huiuſcemodi violentiæ ſint incitamenta, ac provocationes ad bellum, atque eorum occaſione, ac bellorum multa & vicino Principi & ſubditis inferuntur damna, quæ ex iuſtitia exigunt compenſationem, non ſecus ac latrocinia, & damnificationes illatæ a privatis. Nec diluitur crimen per tractatus, ac fœdera pacis, ſicuti non purgaretur in ſuis furtis ſeu rapinis latro, qui armata manu extorquet a viatore voluntariam pecuniæ traditionem. Iniuſte itaque acquiſita non obſtante pacificatione tenetur reſtituere, qui bello occaſionem dedit, cum nulla ei ſuppetat ratio ea retinendi, utpote qui iniuſtum bellum geſſerit; Princeps autem provocatus, qui iuſte ad ſui ſuorumque ſtatuum defenſionem bellum geſſit, utpote coactus ad belli impenſas, quæ ſunt graviſſimæ, ſi forte hoſtem vincat, ac ut fert ordo belli, ut utilitatem victoriæ ſuſtentet, hoſtem inſectando, mœnia ac civitates capere debeat in compenſationem expenſarum, nec non damnorum in ſuis ſtatibus ab hoſte illatorum, ſi in tractatu pacis ei cedantur, iuſte retinere poſſet.

ſet. Peccat pariter Princeps violenter aut fraudulenter inferendo inſtrumento pacis terminos æquivocos, verſatiles ac ſemper idoneos ad novam in iuſtitiam inferendam. Hoc enim nihil aliud eſt quam præparare bellorum ſemina.

Quid in bello in ferendo. Quando agitur de bello inferendo, tenetur Princeps conſulere de iuſtitia belli non adulatores vel emolumenti cauſſa ſperandi exinde partiales, ſed indifferentes quærere debet, audire & ponderare rationes omnes contra ſe, & ſumere ſufficiens tempus ad deliberandum, ut omnium ſuorum Conſiliariorum, quos tamen non prævenlat, liberam ſententiam percipere valeat. Sola gloria, vel ſecuritas quærenda contra vicinum, nunquam eſſe poteſt ſufficiens titulus ad bellum movendum, alias nullus terminus daretur in bello. In cauſſa autem belli non ſolum ſerio examinare debet, an bellum ſit abſolute neceſſarium populo, vel num ſolum agatur de iuribus ſeu prætenſionibus particularibus domus ſeu familiæ Regiæ, quorum augmentum ſeu diminutio nec proſit, nec obſit notabiliter populo; ſed etiam ac præcipue examinare debet an ſuſceptio belli non plus detrimenti bono communi allatura ſit quam emolumenti. Nemo enim prudens litem ſuſciperet, cuius maiores prævidet impenſas, quam lucrum victoriæ in iudicio. Et hæc Fenelonii conſideratio maxime locum habere debet, quando ex bello ſecuturum prævideatur ingens damnum Eccleſiæ Dei, cui in æſtimatione divina merito poſtponendum foret damnum temporale Principis. Cæterum in caſu etiam quo bellum neceſſarium appareat, nihilominus tentanda ſunt media omnia pacificæ compoſitionis, recurrendo ad mediatores, & omnia evitanda, unde animi exaſperari queant.

Tempore belli exacte ſervare debet datam fidem in Capitulationibus & aliis reciprocis pactionibus. Item ſervare leges bellicas æque religioſe ac leges pacis. In ipſo bello cuſtodiendum eſt quoddam mutuum ius Gentium fundatum in ſociali natura hominum, ſemper quantum fieri poteſt, tendente in reciproca obſequia caritatis & humanitatis. Hoc ſacrum & inviolabile vinculum populorum nunquam armis rumpere licet; alias bella nihil aliud forent, quam latrocinia, proditiones, aſſaſſinia ac barbaræ crudelitates. Inimicis nihil inferendum niſi quod ab his iure tibi debetur. Non licet fraudi rependere fraudem, nec datam fidem violare eo quod hoſtis eam iam fregerit. In caſu quo duæ Potentiæ virium inæqualium bello congrediuntur, potentior ſervare tenetur æqualitatem. Hinc Princeps etiam potentiſſimus ſequi tenetur regulas omnes contributionum, quæ præſervent ſuos ſubditos a captivitate, cædibus, incendiis, & regulas Capitulationum & pactionum. Religioſe obſervare tenetur nedum Capitulationes initas cum præſidiis urbium; ſed etiam eas quæ initæ ſunt cum populis devictis, idque ſine fraudulentia per terminos ambiguos. Nam obedientia, & promiſſa ſubiectio populi devicti ſundatur in contractu illo bonæ fidei, quem ſi victor violet, non amplius ligat etiam victos. Tenetur pariter impedire tempore belli ne varia hoſtilitatum & malorum genera hoſtibus inferantur, inutilia ad finem belli, nempe ad iuſtam pacem obtinendam. Hinc vetare tenetur rapinas, incendia, ſacrilegia ac cædes, quæ nihil contribuunt ad belli deciſionem, & ſine quibus obtineri poterit victoria. Debebit enim Deo rationem reddere de malis omnibus ſua authoritate illatis ſine ulla neceſſitate.

Circa obſervantiam articulorum pacis. Obſervare debet tractatus pacis quoad articulos ſignificationis ambiguæ iuxta obſervantiam nationum contrahentium immediate ſubſecutam. Etenim ea immediata obſervantia mentem contrahentium interpretatur, aut ſane intra quinquaginta annos ſundat præſcriptionem. Sublata hac regula tollitur tranquillitas & ſecuritas in mundo, quæ duæ res ſunt quaſi duo poli totius mundi. Tenetur ad officia omnia Regni perſonas idoneas, in quibus reperitur perſpicacia intellectus & rectitudo animi, inquirere & aliis præferre. Hanc ſuam obligationem negligendo maius damnum infert Regno vel Principatui, quam ſi poſſeſſiones, officia & pecunias particularibus auferret. Hac enim iniuſtitia paucis noceret, illa vero omnibus quos rectoribus optimis privat. Rex ſeu Princeps omnia per ſe ipſum, ſi poſſet, adminiſtrare deberet. Verum cum id præſtare nequeat, debet conſtituere ſui vicarios qui ipſum Principem repræſentent. Si vero Princeps debet & vult eſſe optimus, etiam vicarius, quem ſuo loco ſubſtituit, ut optimum repræſentet, optimus eſſe debet. Ut vero reperiat perſonas optimas, duo habet media, nempe ut loco aliarum recreationum converſetur cum plurimis. In converſatione enim Princeps habilis facile deprehendit ac detegit converſantium levitatem, indiſcretionem, vanitatem, mentis doloſitatem, adulationem, & falſa principia. Alterum medium eſt, ut eos,

De electione ad officia Regni.

Medi ad dignoſcendos idoneos ad officia.

eos, quos reperit habiles, tentet in officiis inferioribus. Tenetur pariter providere, ne conſtituti in eius ſervitiis nimio faſtu & luxu ſe, ſuam familiam, & regnum perdant.

Quid quando iniqua Principi deferantur de aliquo miniſtro.

Peccat graviſſime, ſi ex eo ſolum quod delatores quempiam deferant, infamem aut ſuſpectum reddant, eum ab officiis removeat, vel tamquam ſuſpectum a promotione excludat, quin prius rem debite examinet. Peccat inſuper graviſſime, ſi præ otio, inertia, vel delibitate animi ſe eo uſque directioni miniſtrorum aut familiarium relinquat, ut, ſi quis illorum exceſſus confidenter illi aperiat, remedium quidem ſpondeat, interim tamen amore denuo vel blanditiis victus delationem Miniſtris aut familiaribus aperiat, & non obſtante quod veritatem delationis agnoſcat, vel ſaltem obligationem inquirendi advertat, denuntiatorem in miſeram prædam denuntiantis relinquit. Hac ratione privat ſe media ſumme provinciis integris neceſſario cognoſcendi in poſterum exceſſus ſuorum miniſtrorum, familiarium vel officialium.

Inter maximos defectus Principis numerari meretur, ſi inter aulicos dignos & indignos diſcernere neſciat vel negligant. Indigni ſunt effrontes, vani, rebus ſolum curioſis, lepidis, inutilibus, voluptuariis dediti, garruli, leves, qui omnia tono deciſivo definiunt, qui omnia critice culpant, qui omnia in riſum & facetias vertunt, qui omnibus applaudunt dictis aut factis a Principe, homines phantaſtici, vanis imaginationibus ducti, omnia oratorie exaggerantes, præſumptuoſi, conantes dominari animo Principis. Quando eiuſmodi homines aulas replent, ab his exulant viri ſolidis artibus, ſcientiis vel meritis præditi. Medici, Prælati, Generales, Legati, &c. ſectabuntur potius auram aulicam, quam obligationes ſui ſtatus. Econtra aulici amore & familiaritate Principis digni ſunt, qui ſunt modeſti, cauti, ſecreti, homines boni & ſolidi iudicii, qui non ducuntur partium ſtudio, qui diffidunt ſibi ſolis, qui timent ſublimia officia, qui parum promittunt, præclara tamen operantur effectu, qui parum loquuntur, ſemper tamen multa animo ſuo volvunt, & conferunt, qui loquuntur tono dubioſo ac deliberativo, & qui norunt contra dicere cum reverentia. Peccat quoque Princeps, ſi graviſſima negotia, quæ vix a quatuor debite expediri poſſent, avaritia, amore, vel pigritia unius ſolius capiti imponat. Exinde enim neceſſario innumeræ iniuſtitiæ & immedicabiles; dum vel acta omnino intacta manent; & non examinantur, vel ob defectum temporis non profunde inſpiciuntur; dum efformari non poſſunt variæ rerum gerendarum ideæ, ut Princeps ex his meliores eligat, dum illi tempus deficit in eorum animos debite inquirendi, cum quibus eum converſari neceſſe eſt. Hactenus Fenelonius.

Cum autem Princeps poteſtatem, authoritatem, omniaque temporalia bona per modum adminiſtratoris a Deo acceperit, ea ad fines a Deo præſtabilitos, ad maioremque eius gloriam iuxta ſupremi Domini intentionem rationabiliter adminiſtrare debet meliori modo quo poteſt. Quare cum clare conſtet, Deum voluiſſe, ac recto rerum ordini congruere; ut in Religione divinitus revelata habeatur Sacerdotalis ſtatus hierarchicus, ideſt ordinatus per ſubordinationem inferiorum ad Superiores, & per colligationem Superiorum ad unum communem directorem, ideſt ſupremum Chriſti Vicarium, ut unitas corporis inſtituti a Deo perpetua ſubſiſtat, tenetur Princeps quoque cooperari ad rectam unionem, conſervationem, ordinatiſſimamque gubernationem huius Sacerdotalis ſtatus & corporis, cuius finis eſt & officium verbo ac exemplo animos populorum dirigere ad amplectenda dogmata & inſtituta divinitus tradita, eoſque ab inordinato temporalium amore avocare, amore ſempiternorum bonorum corda eorum inflammando.

CAPUT XV.

De Obligationibus Confeſſariorum.

Varii ac tot de huiuſcemodi negotio prodierunt eximii Tractatus, ita ut ſupervacaneum videatur ulterius de eo agere. Verum cum in animo habuerim, ne quid, quantum brevitas patitur, in opere hoc deſit, ad pleniorem moralium rerum inſtructionem cenſui de hoc etiam aliquid dicere, ut facilius ad manus habeant Confeſſarii quod ſaltem generaliter circa rem hanc occurrere poteſt. Hinc inter fines generalis inſtructionis me continere ſtatui indicando ſummatim præcipuas tantummodo Confeſſariorum qualitates, quæ ad minus quatuor recenſentur a Theologis, & hæ ſunt, nempe poteſtas ad abſolvendum, ſcientia ad diſcernendum, pruden-

dentia ad docendum, probitas ad rite miniſtrandum. Sit igitur

§. I.

De poteſtate requiſita in Confeſſario ad abſolvendum.

Quæ poteſtas requiratur in confeſſario?

Ut Confeſſarius in hoc miniſterio ſe exerceat, ſatis non eſt ipſum habere poteſtatem Ordinis, ſed requiritur inſuper ut proviſus ſit etiam poteſtate iuriſdictionis, quæ conferri ſolet vel Ordinarii approbatione, vel certorum Beneficiorum collatione, quæ in Beneficiato poteſtatem hanc & officium exigunt. Et hoc patet ex Trid. Concilio ſeſſ. XIV. cap. VII. ubi ſic habetur: *Quoniam natura & ratio iudicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem debere quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* Et quidem licet Sacerdotes in eorum promotione ad ſacrum Presbyteratus Ordinem recipiant etiam poteſtatem iuriſdictionis, cum hæc tamen ſubditos ſupponat, eis quodammodo ſuſpenditur, ſeu exercere nequeunt illam, donec vel per approbationem Epiſcopi, vel per collationem alicuius Beneficii, cui adnexa ſit animarum cura, Eccleſia iiſdem aſſignaverit ſubditos quos vel ligent vel abſolvant. Aſſignat vero Eccleſia ſubditos ope & miniſterio primorum Paſtorum, qui, non ſecus ac ſæculares Principes, hanc ſpiritualem iuriſdictionem eo gradu & modo conferunt quo conferre volunt. Hinc 1. infertur, quod ſi quis pro certis tantummodo perſonis, peccatis, loco aut tempore approbetur, non poterit præfixos ſibi limites tranſgredi, ita ut approbatus ad annum, ſi expleto anno abſolvat, approbatus in uno genere peccatorum, puta pro non reſervaris, ſi reſervata abſolvat, ſi abſolvat Moniales approbatus ſolum pro ſæcularibus, ſi approbatus pro certa Monialium ſpecie aut domo, domum aliam aut aliam ſpeciem abſolvere præſumat, unuſquiſque iſtorum prorſus invalide abſolvet. Idem dicito ſi approbatus hac vice, alia vice idem munus obire velit. Hæc extendi debent ad ipſos quoque Regulares, etiam relative ad Moniales ſuo Ordini ſubiectas, ut declaravit Gregorius XV. per Bullam *Inſcrutabili*, quæ tamen non ubique viget, bene an male viderint alii.

Nota 1. hæc quoad tempus intelligi de Confeſſariis delegatis, ideſt de iis qui approbati ſunt ad officium Confeſſarii ab Epiſcopo, non vero de Beneficiatis, quibus cura animarum incumbit, cum his ex eorum officio hæc facultas ordinarie loquendo illimitata ſit, ſive perpetua, & dicitur poteſtas ordinaria. Et ut melius pro clariori intellectu res elucidetur,

Nota 2. Poteſtatem quæ confertur Sacerdotibus in ſacra ordinatione, aliam eſſe quæ dicitur *ordinis*, *aliam iuriſdictionis*. Poteſtas Ordinis illa eſt quam quilibet in ordinatione, ſeu in ſua promotione ad Sacerdotium accipit, & ſecundum varios aliud non eſt, quam ipſe character, qui in ipſa ordinatione imprimitur, vi cuius quilibet ſacerdos recipit poteſtatem conſecrandi, & poteſtatem abſolvendi, & retinendi peccata: ſed hanc poſtremam remotam, ſeu impeditam adhuc defectu ſubditorum. Ideoque poteſtas iuriſdictionis, quæ eſt altera collata in ſacra ordinatione Presbiteratus *ſolvendi*, & *ligandi*, quæ ſine ſubditis ſuſpenſa eſt, & impedita ſeu remota, expedita fit & proxima ad hoc ut exeat in actum, aſſignatis ab Eccleſia ſubditis in quos exerceat Sacerdos abſolvendo, vel ligando imperium, & iudicia. — Quid poteſtas ordinis, quid iuriſdictionis.

Hæc autem poteſtas iuriſdictionis, ſeu ius dicendi in ſubditos, alia eſt ordinaria, quæ habetur a iure ex vi cuiuſdam officii, cui annexa eſt cura animarum, ut Epiſcopatus, Paſtoratus parochialis; alia delegata, quæ non a iure vi alicuius paſtoralis officii, ſed ab homine confertur, approbatione ſcilicet illius, qui iuriſdictionem habet ordinariam, qualis eſt ſummus Pontifex in toto orbe, Epiſcopus in ſua diœceſi, Prælatus Regularis quoad Religioſos ſibi ſubditos: immo etiam quoad ſæculares, qui ſunt in monaſterio de familia, ſeu commenſales ex Bulla VII. Clement. X. quæ incipit *Superna* §. 4. Parochus in tota ſua Parochia, quamvis in ipſo ſit reſtricta, cum nunc non poſſit eam aliis delegare delegatam habent omnes cæteri, quam ideo non poſſunt ſubdelegare: niſi ſpecialis facultas delegandi eis concedatur. — Poteſta iuriſdictionis, duplex ordinaria, & delegata.

Iuriſdictio delegata alia eſt directa quæ ſcilicet conceditur ab habente ordinariam; alia indirecta, quæ confertur ab eo qui privilegium habet ſibi eligendi Confeſſarium, quale habent Reges, Cardinales, Epiſcopi, ac Prælati Regulares, dummodo eligant Sacerdotem alicubi, & aliquando approbatum. — Poteſtas delegata alia directa, alia indirecta.

Sine iuriſdictione ordinaria, vel delegata nulla peccata ne quidem venialia abſolvi poſ- — Non approbatus minime

abſolvere poteſt niſi in caſu neceſſitatis. poſſunt, cum id vetitum ſit ex Decreto Innocentii XI. Poteſt tamen non approbatus abſolvere in caſu neceſſitatis, quia in articulo mortis & in defectu approbati, etiamſi periculum immineat ab extrinſeco, ideſt a bello, a navigatione &c. omnis Sacerdos habet iuriſdictionem. Ita communiter.

Poteſtas delegata poteſt limitari. Approbatio ad confeſſiones audiendas, ſcilicet iuriſdictio delegata, ſive limitata ſit ad certum tempus, quod completum non ſit, ſive ſit illimitata, perdurat etiam poſt mortem concedentis, donec vel a Capitulo Sede vacante, vel a ſucceſſore revocetur, & quoad primam communi conſuetudine res accepta eſt. De illimitata pariter certum eſt, valide eam revocare poſſe ſucceſſorem, etiam ſine cauſſa, cum talis revocatio non ſit cenſura, ut ad eam iuſta cauſſa requiratur: idcirco ſucceſſor poteſt ita approbatum etiam examinare, iuxta decretum S. Congregationis XXVI. Auguſti MDCXXVIII. & idem poteſt reſpectu Parochorum qui ignorantiæ ſuſpicionem præbuerint.

Epiſcopo Regulares alias idoneos etiam ſine cauſſa reiiciente, hi non poſſunt audire confeſſiones ſæcularium. Poterant id olim ex privilegio, ſed illi iam derogatum eſt per Trident. ſeſſ. XXIII. c. XV. de Reform. & deinde ab Alexandro VII. proſcripta fuit hæc propoſitio *num.* XIII. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis qui confitetur Regulari præſentato Epiſcopo, ſed ab eo iniuſte reprobato.*

Habens titulum coloratum, ex quo communi creditur errore habere iuriſdictionem in foro pœnitentiali, quam tamen ob occultum impedimentum reipſa non habet, valide abſolvit: ſic paſſim Theologi, eo quod in iſto caſu cenſetur Eccleſia ſupplere defectum, & iuriſdictionem tribuere, ne alias fideles ſubeant incommoda gravia tali miniſtro bona fide confitentes. Hoc tamen non contingeret in errore communi circa eum qui non eſſet Sacerdos. Non valeret enim abſolutio collata a tali ficto Sacerdote, cum abſolutio ex divina ordinatione ſupponat characterem ſacerdotalem, cuius defectum ſupplere nequit Eccleſia.

Parochus excipere poteſt confeſſiones ſubditorum alterius Parochi, etiam ex alia Diœceſi, cum id uſu certo & ab Epiſcopis permiſſo conſtitutum ſit; quia tunc mutua iuriſdictionis communicatione alter alterius gregem quoad præſens punctum regere poteſt. Sed caute notandum, licentiam hanc ab Epiſcopi nutu pendere, quia Parochi iuriſdictio quoad proprias eſt ordinaria, quoad alienas delegata tantum, ac proinde a ſolo Ordinario, ſeu Epiſcopo pendet. Igitur contradicente Epiſcopo non poterit unus Parochus confeſſiones ſubditorum alienæ Parochiæ excipere, quidquid aliquis in contrarium ſcripſerit. Sed nunc hoc intelligendum de Parocho alienæ Parochiæ & etiam Diœceſis. Regulares iuxta communem praxim, immo quivis alius Confeſſarius intra Diœceſim in qua ſunt approbati, abſolvere poſſunt pœnitentes, venientes ab aliena Diœceſi, ſine fraude tamen, ubi non ſunt approbati, & ita etiam ſentiunt Sylvius, Bonac. Navarr. Fagnan. qui de re hac refert deciſionem ſacræ Congregationis innixam Clement. *Dudum de ſepulturis*. Hinc vagabundi, & viatores ubique abſolvi poſſunt a quovis Confeſſario approbato.

Qui in decurſu confeſſionis animadvertit pœnitentem commiſiſſe peccatum aliquod reſervatum, eumdem ad Superiorem, vel ad confeſſarium qui facultatem habeat in reſervatis, remittere debet, vel petere a Superiore licentiam abſolvendi a reſervatis. Ubi nota, facultatem abſolvendi a reſervatis non extendi ad vota, & irregularitates, nec ad hæreſim publicam. Sed in re hac conſulendum eſt propriæ Diœceſis Rituale, cui ubique conformandum. Parochus approbatus ſolum ratione Parochiæ, ſi parochiali beneficio renuntiet, etiam ſponte, non poteſt amplius excipere confeſſiones ſine nova approbatione; quia dimiſſione Parochiæ amiſit facultatem ordinariam ad confeſſiones; idcirco ad eas aptus reddi nequit niſi per delegatam, quæ ab Epiſcopo non ſecus quam aliis ei conferatur, ut declaravit S. Congreg. relata a Barboſa. Ceterum Parochus actualis ubique excipere poteſt confeſſiones ſuorum Parochianorum. Et eſt communis apud Theologos.

Nota, gravi periculo ſe exponere tranſeuntes de una in aliam Diœceſim qui negligunt legere ſtatuta Diœceſana, cum fieri poſſit eos temere credere ſibi licitum eſſe in una Diœceſi, quod poterant in alia, immo & aliquando contrahere cenſuras, iiſque ob imperitiam quam tollere debebant, violatis, irregularitatem. Nec ſolum ſtatuta legi debent, ſed & civilis locorum conſuetudo inquirenda ne putet ibi eſſe valida quæ talia alibi agnoverit.

§. II.

§. II.

De Scientia requiſita in Confeſſario.

Cum Confeſſarii munus ſit non ſolum audire peccata, ſed quod maius eſt ea quoque cognoſcere iudicare ac mederi, hinc plane requiritur ut pollat ſcientia, quæ ratione obiecti multiplex eſſe debet. Et ad hoc tenetur ſub mortali. Etenim qui tenetur ad finem, ſicuti Sacerdos Confeſſarius graviter tenetur munus ſuum, utpote graviſſimum, dum agitur de offenſa Dei vindicanda, de hominum peccatorum ſalute per reconciliationem cum Deo, & iuſtificationem, procuranda, de vitiis emendandis &c. recte exequi, tenetur quoque ad neceſſaria media ad recte munus hoc exequendum. Igitur tenetur ſub gravi neceſſariam ſcientiam ad tale munus habere. Quamobrem iuxta communem Doctorum mortaliter peccat, qui ſine debita ſcientia munus audiendi confeſſiones etiam ex ſola caritate & obedientia ſuſcipiat, quia iure divino naturali quiſque tenetur habere ſcientiam muneris quod exercendum ſuſcipit, præſertim erga alios.

Incommoda quibus ſe exponit Confeſſarius cui deſit debita ſcientia.

Præterea hic ſe exponit evidenti periculo male fungendi tanto munere cum iniuria Sacramenti, damno proximi, ac animarum detrimento. *Si quis autem ignorat* (ait Apoſt. I. Corinth. XIV.) *ignorabitur*. Neque enim obedientia aut Epiſcopi approbatio etſi bona fide per examen facta excuſat, quia hoc non dat ſcientiam ex natura rei debitam, nec eius defectum ſupplet. Neque ignorantia excuſare eum poteſt, quia nemo ſuſcipere & exercere debet officium, cuius munia omnia recte obire nequit, alias periculo ſe exponit errandi, & male officium obeundi cum aliorum damno, contra quos exclamavit Chriſtus Matth. XXII. *Væ vobis duces cœci*. Et D. Gregorius ait, Paſtor. *Cur. p.* I. *cap.* I. *Nulla ars doceri præſumitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur.*

Quæ ſcire debeat Confeſſarius.

Confeſſarius, ut communiter ex iam dictis conſtat, ſcire debet ea omnia quæ ad valorem, ſubſtantiam, integritatem & effectum huius Sacramenti, eiuſque licitam adminiſtrationem tam ex parte ſui, quam ex parte pœnitentis requiruntur. Tenetur igitur, ſcire præcepta Dei & Eccleſiæ, obligationes communes & proprias cuiuſque ſtatus, varias peccatorum ſpecies, multiplicationem numericam, circumſtantias quæ mutant ſpeciem, vel notabiliter aggravant, & principia diſcernendi inter mortalia & venialia, imo quæ ſint peccata mortalia vel venialia in ſingulis præceptis ſaltem communi & ordinario modo; item quinam ſunt actus invalidi vel ſolum illiciti, caſus reſervatos, cenſuras & excommunicationes quæ vigent, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, cauſſas reſtitutionis, radices & occaſiones peccatorum, remedia peccatis vitandis & vitiis emendandis apta, & ſatisfactiones ſalutares ac convenientes, alias munus ſuum iudicis, medici, & magiſtri exercere non poſſet, quæ munia in tali officio continentur. Oportet enim ut ſciat cognoſcere quidquid debet iudicare. Sic ex cap. I. *diſt.* VI. *de Pœnitent.* alias non poſſet eſſe debita iudicii æquitas. Et Cœleſtinus Papa cap. *Nulli diſt.* XXXVIII. ait: *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod, poſſit Patrum regulis obviare*; & clare ac diſtincte omnia Confeſſariorum requiſita expoſuit S. Carolus in ſuis *Confeſſariorum Inſtructionibus*. Temere igitur & periculoſe ſibi blandiuntur qui experientiam ſibi ſcientiæ loco eſſe arbitrantur. Experientia enim facit, ut multa audiantur, non ut bene iudicentur, cum id & ſtudio & eruditiorum colloquiis & meditatione plurima addiſci opus ſit.

Neque ex hoc inferi poteſt, vix ullum eſſe in orbe Chriſtiano Sacerdotem, qui digne, & ut par eſt, munus Confeſſarii exerceat, cum vix ullus ſit qui ſcientiam ſupra expoſitam, & a S. Carolo requiſitam poſſideat. Nam in primis conſtat apud omnes ſive peritos ſive imperitos, plures eſſe inter Sacerdotes Confeſſarios qui cœcis ducatum præſtantes in eamdem communi lapſu foveam cadunt. Et ut melius ad propoſitum, licet tanta ſcientia requiratur in Confeſſario, non tamen abſolute requiritur, ut præfata omnia perfecte cognoſcat, ac memoriter actu teneat, ſed ſatis eſt ut ſciat ac memoria teneat virtualiter, nempe ut generalia omnium principia in mente habens de communibus prudenter iudicet, de arduis vero dubitare noverit, ſeu quia ex his quæ olim legit, confuſe colligit in propoſito caſu eſſe non parum difficultatis, ſeu quia intelligit relationem rei ignotæ cum alia ſibi notiori. Hinc ad dubium vere requiritur ſcientia; hinc ſtrenue imperiti nullibi errant, ſed nodos omnes ſecant. Porro evidens eſt ſcientiam quæ ſufficit in

Pa-

Pago, vel rure, non ſemper ſufficere in Urbe mercatoria, aulica, vel forenſi quæ caſus offert admodum implicatos. Hinc Confeſſarii, qui quoslibet pœnitentes audire ſunt parati, maiori quam alii ſcientia pollere debent.

Plus ſcientiæ requiritur in uno loco quam in alio.

Quare ex dictis recte colligit Filliucius, peccare mortaliter non ſolum Confeſſarium qui prædicta ſcientia caret, ſed etiam Superiorem qui ei tribuit facultatem confeſſiones audiendi, ac etiam ipſum pœnitentem qui ſcienter eligit Confeſſarium ignorantem reſpectu ipſius, cum conſentiant & cooperentur peccato Confeſſarii, ideoque talem pœnitentem eſſe indiſpoſitum, invalidam eius confeſſionem, & iterandam. *Cæcus, ſi cæco ducatum præſtet*, Matth. 5., *ambo in foveam cadunt*. Confeſſio tamen bona fide facta Sacerdoti ignaro eſt valida, quia ex parte pœnitentis intervenit integra confeſſio & debita diſpoſitio, & ex parte Sacerdotis aliqua cognitio ac perceptio illius, quæ quamvis non ſit accurata, ſufficit tamen, ut cognoſcat illam eſſe ſufficientem materiam huius Sacramenti. Sic Suarez. Ceterum Sacerdotem ſuæ ſibi ignorantiæ certo conſcium, certum quidem eſt, nec de Prælati quidem imperio ſacrum Tribunal ingredi poſſe. Verum ſi a Superiore poſt legitimum examen approbatus tanto muneri par iudicetur, tunc fundamentum habet grave deponendi ſcrupulos, & nimiam propriæ ignorantiæ ſuſpicionem.

Confeſſarius debet necesſario peccata audire.

Cum Sacerdotis munus ſit etiam peccata audire, eo vel maxime quia ſine auditione nec cognoſcere, nec iudicare, nec mederi poſſit, ſi Confeſſarius deficiat in audiendis peccatis, ita ut nullum audiat, quia vel dormiat, vel ſit omnino diſtractus dum pœnitens confitetur, etiamſi hic utpote non advertens ſit in bona fide & diſpoſitus, ipſum invalide abſolvit; quia quando Confeſſarius nullum audit peccatum, nulla eſt confeſſio, quæ eſſentialiter auditionem includit, ideoque nulla etiam eſt abſolutio, quæ in confeſſione fundatur, quæ tamen ut diximus valida eſſe poſſet in confeſſione facta ſine malitia Confeſſario ignaro, qui neſcit peccata recte cognoſcere vel iudicare, quia cum in tali caſu nihil eſſentiale deficiat ex parte ipſius pœnitentis, ex cuius ſola indiſpoſitione tunc poſſet invalidari abſolutio, hæc valida eſt. Ad hoc tamen ut Confeſſarius diſtractus vel dormiens valide abſolvat pœnitentem qui non advertat ſuæ diſtractioni, ſatis eſt ſi unum ſaltem veniale percipiat. In tali tamen caſu ſi pœnitens poſtea talem defectum cognoſcat, utpote abſolutus tantummodo indirecte a non auditis, tenetur confeſſionem repetere, quia auditum fuit aliquod peccatum, non autem omnia.

§. III.

De Prudentia requiſita in Confeſſario.

Requiſita in Confeſſario, ut prudenter ſe gerat.

Cum prudentia ſit ratio mediorum ad finem, finis autem Confeſſarii qua Iudicis & Medici ſit, apte inveſtigare indicia debitæ diſpoſitionis in pœnitente, rudes inſtruere, ad dubia reſpondere circa agenda, imperfecte diſpoſitos ad verum dolorem & propoſitum diſponere, ignorantes corrigere, a vitiis abſterrere, vitia vindicare, animare ad virtutem, probos ad perfectionem & unionem cum Deo dirigere; ideo tenetur ſibi comparare idonea ad hos fines media, videlicet 1. notitiam de varia natura, ac diſpoſitione pœnitentium, v. g. puerorum, iuvenum, coniugatorum, mulierum, ruſticorum, &c. diverſa enim in his ſolet eſſe ad contritionem & propoſitum, & integritatem Confeſſionis diſpoſitio; quia maior eſt in pueris & feminis verecundia, qua de cauſa verbis gravioribus terrendi non ſunt; maius etiam in his eſt periculum circa veram agnitionem malitiæ theologicæ & propoſiti. 2. Notitiam morum & negotiorum in omni conditione hominum, ut ſciatur, quid congruentius cuivis conditioni conſuli poſſit. Ad hoc iuverit legere *Paſtorale D. Gregorii*, & frequenter cum hominibus, aut de hominibus circa omnia eventuum & negotiorum humanorum genera in converſatione colloqui. 3. Notitiam variorum motivorum ad abſterrendum a peccato, inſpirandam contritionem, perſuadendam ſeriam converſionem, incitandum ad virtutes. 4. Notitiam variorum remediorum ad excindendas pravas propenſiones, corrigendos pravos habitus, ſuperandas graves tentationes, implantandas ſolidas virtutes. Tam motiva quam remedia adverſus varia vitiorum genera legi poſſunt in Aſcetis. 5. Notitiam Aſceſeos quoad præcipua perfectionis conſtitutiva & ſubſidia.

Et

Digitized by Google

Et ratio eſt, quia omnes Authores agnoſcunt, munus eſse Confeſsarii etiam dirigere probos ad perfectionem. Nam omnis pœnitens tenetur cooperari Deo iuxta qualitatem talentorum & donorum a Deo acceptorum. Itaque tenetur etiam Confeſsarius in pœnitente cooperari ad removenda impedimenta maioris gratiæ, atque ad ſuggerenda augendæ gratiæ ſubſidia, ubicumque prudenter fructus ſperari poteſt ſine impedimento maiorum bonorum & periculo maiorum malorum. Ex hoc autem ſequitur, quod Confeſſarii præſertim Parochi vanitatibus, diſſolutionibus ac voluptatibus dediti, cum ad hunc finem a Chriſto tam dilectum prorſus inepti ſint, quia *carnalis homo non percipit ea quæ ſpiritus ſunt* 1. Corinth. 2. v. 14. tali ratione vitæ muneri ſuo non ſatisfaciant.

Debitum Confeſſarii adiuvandi Pœnitentes examine culparum.

Verum quia inter præcipua Confeſſarii munia eſt curare ut confeſſio integre fiat, proinde operam ſuam non mediocriter Confeſſarii adhibere debent præſertim imperitos, & rudes examine, & interrogationibus commiſſarum culparum adiuvando, & in hoc maxime eius prudentia exerceri debet, ut cum magna dexteritate rem gerat. Quare ut plurimum neceſſe eſt, 1. ut pœnitentem deducat per varios vitæ ſtatus, quos decurrit, per varias, quibus fuit obnoxius, peccandi occaſiones, per ſingula Dei, & Eccleſiæ præcepta, per capitalia peccata, per ea item quibus fœdari ſolent perſonæ eiuſdem profeſſionis, ac demum per circumſtantias, quæ vel ſpeciem mutant, vel intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravant; ubi adverte, in peccatis exterioribus, detractionis præſertim & impudicitiæ inquirendum eſſe coram quot perſonis ea perpetrata ſint, cum aliud ſit hominem coram uno, aliud coram decem denigrare.

Quomodo ſe gerere debeat cum verecundis, &c.

2. Ut quibus veretur ne vocem præcludat pudor, hos ſenſim adducat ad ſufficientem in quibus lapſi ſunt, confeſſionem, incipiendo a cogitationibus, proſequendó a deſideriis, finiendo ab exteriori opere. 3. ut caute aut ſagaciter interroget, ne vel quædam doceat, ut aliquando contigit, pœnitentes quæ adhuc ipſis erant ignota, vel ipſe nativam ſenſualitatem, aut curioſitatem foveat, aut fovere indicetur. 4. ut tamen interroget quantum ſatis eſt ad dignoſcendum, an pœnitens in cogitatione moroſa ſteterit, an non ad deſiderium uſque progreſſus ſit, quod item fuerit huius cogitationis, vel deſiderii obiectum. 5. ut iudicet an pœnitens confeſſiones iterare teneatur. In his porro innumeriſque aliis quæ recenſere nimis longum eſſet, nemo non videt quanta opus ſit cirumſpectione prudentia attentione ad Deum &c. ac proinde operæ pretium ſit uti exhortatione S. Caroli, ideſt ut numquam ſe accingat ad tam perdifficile miniſterium ſacer Miniſter, niſi prius brevi aliqua oratione auxilium Dei impetraverit, ut & ipſe in nullam reprehenſionem incidat, & aliorum ſordes hoc ſalutari remedio abſtergere valeat.

De debito Confeſſarii iuvandi pœnitentes conſiliis.

Secundo ſatagendum eſt Confeſſariis, ut pœnitentes idoneis proportionatiſque conſiliis iuvent. Ad id autem quanta opus ſit ſagacitate, iam patet, cum vir imprudens animas timoratas, quas conſolare & ſublevare debuerat, impleat terroribus, qui mentem perturbant, & concutiunt; conſuetudinarios, qui terrendi erant, utpote dura cervice, ac incircumciſis cordibus reficiat, & conſoletur; ſcrupuloſos perinde tractet ac ſi effrenis eſſent conſcientiæ; monendos non moneat, videlicet in errore culpabili verſantes, tametſi monitio infructuoſa credatur, & laborantes errore invincibili vergente tamen in damnum, vel ſcandalum tertii; vero moneat ſaltem hic & nunc non monendos, cuiuſmodi ſunt aliquando ignorantes invaliditatem ſui matrimonii, qui ea cognita vel formaliter prævidentur peccaturi, vel grave damnum proli, aut proximo ſcandalum præbituri. Quare ſumma Confeſſario in conſiliis dandis opus prudentia eſt.

De pœnitentiis a Confeſſario iniungendi.

Tertio Confeſſarii iniungere debent ſalutares pœnitentias, nec tales iniungere poſſunt ſine prudentia. Nam pœnitentia & eſt ſatisfactoria, quæ præteritas maculas mundat, & medicinalis, quæ a futuris præſervat. In utraque autem ſpectandum eſt, ut reſarciatur damnum per furta, detractiones, & ſimilia populo illatum: ut non præcipianturquæ cedant in præiudicium vel pœnitentis, ut quædam corporis caſtigationes, vel alterius, ut ieiunium diuturnum, aut longæ peregrinationes reſpectu ſervi, mariti, & uxoris. Item iuxta Rituale Romanum, *publica pro peccatis occultis pœnitentia, quamtumvis gravibus*, non imponatur; ſed quod pœnitens prorſus deſerere debeat occaſiones, quæ eum ad peccandum abripuerunt, quod labores ſuos, & quotidiana opera offerat Deo, frequenterque in die mentem ad eum extollat. In his autem omnibus inſpicienda

eſt

eſt conditio, vires, locus aliæque quotquot hic occurrere poſſunt, circumſtantiæ.

Quando denegare debeat abſolutionem. Quarto denegare debet Confeſſarius abſolutionem cum pericoloſe daretur, & eam largiri, quando periculoſa eſſet dilatio. Hic plane Confeſſarius rerum omnium maturo indiget examine, cum hinc, & inde periculum immineat vel irritum ſcilicet faciendi ſacramentum, vel eos novo exponendi peccato, quos gratia ſuſtineret. Ceterum his profecto differenda eſt abſolutio, qui pro virili non recedunt a proxima occaſione peccati, qui (& hoc in militibus præcipue cavendum) voluntatem duelli offerendi, vel acceptandi retinent, vel vindictæ pro iniuria accepta capiendæ; qui ſumptus ſuperfluos, quibus impares ſunt, ac proinde debita contrahunt quæ ſolvere non valent, coercere nolunt; qui aliis vel libellis amatoriis, vel pectoris nuditate peccandi occaſionem præbent; qui filios ac domeſticos de rebus neceſsariis etiam neceſſitate præcepti ad ſalutem erudiri non curant, præcipue ſi iam moniti adhuc talem ſolicitudinem neglexerint; qui omnem reconciliationem admittere renuunt cum inimico ad reconciliationem parato; qui Confeſsario quædam ut uſuraria gravibus de cauſſis prohibenti fidem habere nolunt.

Aliter tamen eſſet dicendum de pœnitente Confeſſario non acquieſcente. 1. ſi pœnitens non imperitus bona fide opinionem ſuam credat eſſe probabiliorem: alias cum in materia morum docti doctis quotidie adverſentur, vix unus reperiretur, qui alium abſolvere poſſet: *Eſto* (ait Cabaſsut. lib. 3. cap. 13. n. eod.) *Eſto, inquam, agat Confeſſarius erga alterum non ſecundum propriam opinionem, non tamen contra propriam conſcientiam*. Cum iudicare debeat ſe non poſſe mundum totum compellere, ut ſibi in omnibus conſentiat. Et equidem an non ipſe moleſte ferret, ſi pari iure, & poteſtate ab alio Confeſſario cogeretur ab ea opinione recedere, quam rebus ſincera mente coràm Deo perpenſis iudicat eſſe probabiliorem? Aliter dicendum eſſet ſecundo, ſi pœnitens de re ancipiti, cum viris virtute; atque eruditione præſtantibus deliberaturum ſe polliceretur; & huic ob eius probitatem compertam, aut certa ſinceritatis indicia fides præſtari poſſit.

Quid cum conſuetudinariis &c. Quinto non minor prudentia requiritur in Confeſſario cum his qui vel in habitu, vel in occaſione peccandi verſantur. Nam circa priores præcipue ſi mali conſuetudo fixas radices egerit, cavere debet Confeſſarius ne eorumdem promiſſionibus, & lacrimis ut plurimum fictis ſe decipi ſinat; ſed eos probet ſufficienti tempore, etiamſi quando accedunt, ſit tempus Paſchatis Iubilæi Miſſionis vel matrimonii ineundi; quin talis data circumſtantia vim habeat ut eorum indurata corda emolliat, ac convertat; nec rite converſos cenſeat eos qui certo tempore lapſi non ſunt, quia eis defuerit occaſio peccandi. Caveat pariter ne moveatur inconvenientibus quæ hi facile obiiciunt evenire poſse ob dilationem abſolutionis; non ſunt enim hi caſus revocandi ad caſus neceſſitatis, ſicuti volunt aliqui, ac proinde æquius alii ſentiunt; etiam tunc abſolutionem eſse differendam. Curare debet tamen Confeſsarius, ne in longum tempus tales peccatores remittat; multo quippe conſultius eſt, ut octava quaque die ad tribunal revocentur; hac enim induſtria ſuſtentantur, & ex brevi triumpho aſſueſcunt ad longiorem. Quanto vero tempore habituati, & conſuetudinarii probandi ſint a Confeſsario, nulla generali regula definiri poteſt, ſed ex fructu iudicandum; ideſt remedium hoc adhibendum donec profectus obtineatur.

Hinc abſolvi poſsunt conſuetudinarii non ſolum in articulo mortis, & inſtante prælio, cum in extremis remedia dubia adhibere liceat, ſed etiam cum extraordinaria ſeriæ converſionis indicia præbent, ut cum uſurarii reſtituant, quidquid lucri ex uſuris perceperunt; cum viri officio ſuo impares voluntarie, licet honorificum illud ſit, dimittunt; ſic dicito de aliis: hi porro fructus, niſi confeſſiones præceſserint, probandi erunt. Caute igitur in hoc ſe gerant & cum maxima prudentia Confeſsarii, & præcipue ubi conſuetudo verſatur circa incontinentiæ crimen, temperent rigorem cum commiſeratione humanæ fragilitatis, quando tamen experiantur ex ſuo modo agendi emendationis effectum. Non ſit tamen ita facilis, ſi poſt probationem profectum obtinuit, & cenſeat ſuccurrendum eſse pœnitenti gratia abſolutionis, ut ſtatim eum ad ſacram communionem admittat, ſed per ulteriorem dilationem melius conſtantiam pœnitentis in ſua emendatione experiatur. Quod de conſuetudinariis, ideſt in peccati habitu conſtitutis, ſentiendum eſt de recidivis, eademque cum iſtis eſse debet ratio agendi, & regula, niſi forte denuo ſemel tan-

tum

tum relapſi ſunt, ex vi occaſionis, vel tentationis extraordinariæ, non quæſitæ, nec prævisæ & relapſum ſubſecutus ſit ſincerus cordis dolor. De conſtitutis vero in occaſione peccandi, iam alias dicendum; idcirco ſatis hic erit advertere, quod attendere debeat Confeſsarius num occaſio ſit libera, vel neceſsaria. Nam ſi libera, non profecto eſt abſolvendus niſi occaſionem dimittat, ſicuti etiam, ſi non adhibeat remedia quæ eidem fuere præſcripta, ſi neceſſaria ſit.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum ægrotis.

Circa vero ægrotos eo diligentius citiuſque ipſis conſulendum, quo gravius eſt in eis periculum. Hinc mature inviſendi ſunt, ac monendi, abſque nimio tamen terroris impulſu, ne confeſſionem differant, imo ſolandi ſpe quod ſublevata conſcientia & corpus ſit ſublevatura, ſolicitandi ut rebus domeſticis provideant, ſolvendi ſi iam amiſſa loquela ſigna pœnitentiæ antea præbuerint; imo etiamſi non dederint; quia cum adhuc indefinitum ſit, num actus pœnitentis ſint materia Sacramenti, quod etiam Scotiſtæ negant, abſolutio, ſaltem in tali neceſſitate, quando etiam dubia materia adhiberi poteſt, pro materia & forma haberi poteſt. Quod ſi dum Parochus detulit viaticum infirmo, ex confeſſione quam tunc petit ut ſe a quibuſdam culpis ſe exoneret quæ in ultimo confeſſione ei e memoria exciderunt, cognoſcat iterandas eſſe a tali infirmo præteritas confeſſiones ab annis multis, & periculum non ſit in mora, ne S. Euchariſtia præbeatur indigno, debet efficere Parochus, ſeu quivis alius ſit ille Sacerdos, ut declaret moribundus, ad tollendum ſcandalum, ſe in præſenti mentem non habere ſatis liberam, ac tranquillam ut Euchariſtiam fructuoſe ſumat: ac eadem ad Eccleſiam reportata, ſtatim redeat Sacerdos ad infirmum, & plenam, quantum ferent ægri vires, confeſſionem elicere conabitur: ita famæ ægri & ſacramento conſulitur. Si autem periculum ſit in mora, poſtquam audierit graviora quædam ægroti peccata, eumque ad contritionem, & fiduciam adhortatus fuerit, data ei abſolutione ſacram Euchariſtiam eidem adminiſtrabit. Quod ſi forte æger uſque ad animæ expirationem hypocrita permanens actu viaticum petat, non poterit denegari, ipſe viderit. Cum antea facta ſit aliqua mentio de confeſſionibus iterandis, cum id quoque non leve exigat Confeſſari prudentiam, operæ pretium eſt ut de re hac quoque ſolita brevitate opportuniora exponantur.

§. IV.

De his qui adigendi ſunt ad Confeſſiones reiterandas.

A quibus iteratio confeſſionis exigenda.

Extra omne dubium habetur apud Theologos, quoties prudenter Confeſſarius de validitate confeſſionum præteritarum pœnitentis dubitet, & multo magis quando moraliter de ea certus ſit, quod pœnitentem adigere debeat ad iterandas eaſdem confeſſiones. Idcirco novæ confeſſiones exigendæ ſunt 1. ab iis, qui ſufficientis examinis defectu quem non ſupplevit charitas Confeſſarii, vel peccata quædam, vel eorum numerum, vel circumſtantias, quæ exprimendæ erant, ſuppreſſerunt. 2. ab iis qui de propoſito, ideſt data opera peccatum aliquod celavere, niſi, quod rarum eſt, celaverint ad conſulendum vitæ ſuæ &c. 3. ab iis qui aliquod grave reticuerunt ex ignorantia mortaliter culpabili. 4. ab iis, quoque, qui confeſſi ſunt tempore quo myſteria Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, & Dei remuneratoris etiam invincibiliter ignorabant, cum horum explicita fides neceſsaria ſit neceſſitate medii ad iuſtificationem, uti dictum eſt, quando de Fide. 5. ab iis quoque, qui debitum dolorem non elicuerunt, cuiuſmodi putandi ſunt, qui paulo poſt ad vomitum rediere; niſi forte impulſum dederit eorum lapſui, ut antea notavi, extraordinaria tentatio, & occaſio & ſuum lapſum paulo poſt copioſe fleverint. In huiuſce autem caſibus ſi confeſſio renovetur apud alium Confeſsarium, denuo confiteri debent peccata omnia mortalia quoad ſpeciem, numerum, & neceſſarias circumſtantias. Si vero apud eumdem Confeſſarium, & hic memor non ſit, neceſſe eſt confiteri iterum omnia ſigillatim ut ſupra: ſi autem memor ſit, ſatis erit confiteri generaliter.

Qui iterare debet confeſſiones quia ob ignorantiam myſteriorum neceſſariorum neceſſitate medii invalida fuit abſolutio, non tenetur tamen innovare niſi confeſſiones factas antequam de eiſdem myſteriis eſſet inſtructus non vero eas de quibus ob ignorantiam de eorum invalidita-

te

te numquam fuit confeſſus, quia ſolum poſt inſtructionem, & non ſtatim has ſolas, inquam, reitetare debet, non vero quæ ſubſecutæ ſunt inſtructionem, quia iſtæ validæ fuere, & in his deleta fuere indirecte etiam peccata præcedentia, ideſt confeſſa invalide ante inſtructionem, quæ tamen ſubiici debent. clavibus Eccleſiæ.

Idemque dicito de iis qui ſerio converſi ad Deum, poſt annos aliquot a ſua converſione ex librorum lectione vel ex confabulatione cum aliquo perito cognoverunt, ſe pluries invalide fuiſſe abſolutos, vel qui recordantur ſe olim celaſſe peccatum in confeſſione, quod tempore converſionis non explicavere, quia eiuſdem obliti, ſic Lugo; dummodo tamen notat idem Lugo, oblivio non fuerit ſaltem graviter culpabilis. Item ille qui reticuit etiam ex verecundia peccatum aliquod quod pro levi habebat, cum eſſet grave, hanc confeſſionem tantum repetere debet ſi inculpate erraverit circa naturam peccati huius, quod & viris etiam doctis contingere poteſt. Inculpate vero erraſſe cenſendus, qui ita affectus, & diſpoſitus erat ut mortem ipſam potius elegiſſet, quam grave peccatum culpabiliter ſilere. Qui in confeſſione ſuppreſſit, ideſt reticuit certas circumſtantias, puta ſcandali, ſine ſua mortali culpa, quia de ea nec inſtructus erat, nec interrogatus fuit a Confeſſario, quod ſæpe contingit, non eſt neceſſe ut totam confeſſionem reiteret, ſed ſatius eſt ut caute ſuppleatur, quod minus caute omiſſum eſt.

Utrum autem reiteranda ſit confeſſio facta non habenti iuriſdictionem; & ſi agatur de eo qui nullam habet iuriſdictionem, ſive quia non ſit Sacerdos, ſive ſi Sacerdos, non ſit nec Paſtor, nec approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones excipiendas; tunc profecto confeſſio eſt reiteranda; ſi vero agatur de eo, qui aliquam habet iuriſdictionem, ſed non omnimodam, ideſt non habet ad reſervata, & pœnitens bona fide quædam reſervata ei confeſſus ſit, & quædam minime reſervata: circa hoc diſcrepant Doctores. Alii volunt, & eſt communior ac dicametiam probabilior, abſolutionem tunc collatam validam eſſe directe quidem quoad non reſervata, indirecte vero quoad reſervata: idcirco ſequitur confeſſionem quoad non reſervata non eſſe iterandam; ſed tantummodo quoad reſervata, non ut dimittantur cum ſint iam dimiſſa, ſed ut ſatisfiat reſervationis ſcopo. Sic Lugo, Navarr. in Sum. c. IX. num. VI. ubi omnes de hoc convenire dicit Sylveſter, Tabiena, Fumus in Armilla, & alii, quos citat, nec improbat Cabaſſutius l. III. cap. II. n. 6. Alii vero contrarium docent; quia Tridentinum Concil. ſeſſ. XIV. cap. VII. docet: *Et nullius momenti abſolutionem eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem*, & puros Sacerdotes extra neceſſitatis articulum, *nihil poſſe in caſibus reſervatis*. Verum I. non dicit Concilium, Sacerdotem approbatum pro non reſervatis nihil poſſe in perſonam pœnitentis, ut advertit Auct. ſupplem. Theol. Tourn., *ſed nihil poſſe in caſibus reſervatis*: quod ut verum, ſit ſatis eſt Sacerdotem non poſſe per ſe & directe abſolvere a reſervatis, licet aliquando ab his indirecte abſolvere poſſit, v. g. cum eorum inculpate oblitus eſt pœnitens; ſic Suarez diſput. XXXI. de Pœnit. ſec. III. Et equidem ipſe Habertus, qui hanc ſecundam ſententiam ſuſtinet, non negat, immo ultro concedit, Confeſſarium non approbatum ad reſervata, in caſu neceſſitatis abſolvere poſse indirecte quidem a ſervatis etiam, & a non reſervatis directe, ut habet in *cap.* VII. *de Pœnit. q.* VII. Idem igitur dicendum eſt, quando pœnitens peccatum ſuum confeſsus eſt, & Sacerdos ex inattentione quæ attentiores quandoque occupat, non animadvertit illud eſse reſervatum, aut credit nondum finitam eſse facultatem, quæ ad tempus ſibi conceſsa erat dimittendi reſervata, aut demum pænitens peccatum illud celare potuit, quia cum gravi fundamento timuit, ne inde Sacerdos anſam forſan ſumere poſſet vel peccandi, vel pœnitentem occidendi, vel prodendi ſecretum. Idem valere pro caſu inculpatæ oblivionis & ignorantiæ, docet Paulus a Lugduno. Num vero abſolutus ſit ſub tali principio is quoque qui nonniſi reſervata Sacerdoti non approbato pro reſervatis peccata ſubiiceret, quia nihil ſubiiceret in quod iuriſdictionem directam haberet Sacerdos; hoc relinquitur videndum, ubi de Pœnitentia, exponendo Theologorum ſententias, qui tamen omnes in hoc perdifficili caſu fluctuant. Verum ne Lector ieiunus hic relinquatur, breviter dicam quid ſentio, nempe quod quando id inculpate contingat, ac proinde res reducatur ad caſum neceſſitatis, ſive ex ignorantia invincibili pœnitentis, ſive ex in

at-

Digitized by Google

attentione involuntaria Sacerdotis, ſive ex inculpata oblivione quod facultas ſibi conceſsa ad reſervata finierit, fieret ut nunquam huic malo mederetur, quia nunquam adverteret amplius pœnitens ad ſuam ignorantiam, nec Sacerdos ad ſuam inattentionem & oblivionem, ac proinde exponeretur certiſſimo periculo ſaltem æterna ſalus. pœnitentis, quæ cum maxime cordi ſit amantiſſimæ Eccleſiæ matri, pro certo habendum, non ſecus ac in extremo mortis periculo vult omnes Sacerdotes, ideſt etiam non approbatos, in defectu approbati poſſe abſolvere, ſic etiam in hiſce caſibus reſpectu reſervatorum velle approbare tales abſolutiones.

Quid quando non impleta ſit impoſita pœnitentia? Num vero iteranda ſit confeſſio, quando pœnitens impoſitæ pœnitentiæ deſuit, vel hæc ei e memoria evanuit, in hoc videndum, an quando beneficium abſolutionis recepit, in animo habuerit non implendi pœnitentiam: & tunc extra omne dubium invalida ſuit confeſſio, ac proinde iteranda. Si vero ſerio intenderit ſatisfacere pœnitentiæ ſibi iniungendæ, atque deinceps voluntate ad malum converſa intentio eam exequendi deſuerit, videndum quo tempore huic malæ voluntati conſenſerit. Nam ſi hoc paulo poſt abſolutionem contigerit, dubia profecto eſt ſinceritas eius confeſſionis, quia qui ſincere converſus eſt, non ita facile & brevi tempore remedia a Confeſsario præſcripta negligit; (niſi forſan aliquod extraordinarium ei ſupervenerit, ut feſtinum iter, &c.) Quod ſi hoc contingat poſt tempus ſatis longum, puta duos, aut circiter menſes, ſecus erit dicendum, cum abſolutio pœnitentes impeccabiles non reddat, nec impediat quin firmiora propoſita tandem evaneſcant. Ad ſecundum vero, nempe quando pœnitens non implevit impoſitam pœnitentiam, eo quia hæc e memoria ei excidit, diverſimode ſentiunt Theologi. Alii nempe, ut Lugo, Enno, &c. dicunt, non teneri pœnitentem ad iterandam confeſſionem, ſed ſatis eſse ut peccatum huius culpabilis oblivionis confiteatur, & pœnitentem ſatisfacere debeſe oblitæ pœnitentiæ, prout ſibi prudenter omnibus attentis viſum fuerit. Alii tamen ſanius ſentiunt, inter quos Pontaſius, cuius opinioni ut multo tutiori adhærendum, quia ſatisfactio, de qua nunc ſermo habetur, & clavium virtute imponi, & Sacramenti completiva eſſe debet, quorum neutrum competere poteſt pœnitentiæ quam pœnitens pro libitu ſibi imponit, ac proinde fatentur omnes, eum non poſse in aliquid etiam melius impoſitam ſibi pœnitentiam in caſu quoque oblivionis ejuſdem commutare, ſed hoc fieri debere per Confeſsarium. Unde vel accedit ad Confeſſarium, a quo pœnitentiam accepit, & Confeſsarius adhuc plus minuſve culparum, quæ pœnitens confeſsus eſt, recordatur, & tunc non tenetur reiterare confeſſiones: ſecus vero, ſi Confeſsor nullius peccati meminerit, plane confeſſionem iterare debet. Si vero ad alium Confeſſarium accedat, patet iam, eſse ab ipſo confeſſionem iterandam, quia cum pœnitentia ſive ut punitiva conſideretur, ſive ut ſalutaris, imponenda eſt ſecundum menſuram culparum, quod iudicium ſacere nequit Confeſsarius, niſi culpæ ei innoteſcant.

Quid circa commutationem Satiſfactionum? Quæri hic etiam poteſt, an qui pœnitentiam ſibi commutari vult, confeſſionem iterare debeat. Et in hoc pariter videndum, num pœnitentia ſalutaris ſit & conveniens: & tunc non poteſt in aliam quæ etiam conveniat & ſalutaris ſit, commutari, nequidem ab eodem Confeſſario; tum quia nulla eſt illius mutandæ cauſsa, tum quia Deus alligando in cœlis quæ alligata ſunt in terra, ſtatuit ut præcepta a Confeſsario clare non errante obſervent pœnitentes. Itaque tunc ſolum pœnitentiæ mutationem petere poteſt pœnitens, quando hæc ob ſupervenientes circumſtantias ſit animæ vel corpori moraliter periculoſa, ſive quia acerbior eſt quam par ſit, ut ieiunium in pane & aqua pro verbo otioſo, aut quia ſine infamia impleri nequit, aut denique, addit Pontas, quia alia ſperetur utilior futura, qualis ut præſumatur, videtur ſufficere, ut multo maiori cum animæ ſolatio implenda ſit, modo tamen ſit ſemper peccato proportionata. Inſuper vel pœnitentia commutanda eſt ab eodem Confeſsario qui eam impoſuit, & licet facienda ſit hæc mutatio in alia confeſſione, quia agitur de actu iudiciali & uſu clavium, quæ nonniſi in tribunali pœnitentiæ exercetur, quando tamen Sacerdos memoriam ſaltem confuſam habeat peccatorum, opus non eſt nova eorumdem confeſſione, in quo caſu utrum danda ſit etiam nova abſolutio, non conveniunt Theologi. Verum ſi alia pec-

peccata non habeat, & hoc contingat non a multo tempore poſt primam confeſſionem, non videtur neceſsaria nova abſolutio. Si vero multum temporis tranſierit, ut cum abſolutione & ſatisfactione unum fiat moraliter totale & integrum iudicium, ac ideo unum cum ea Sacramentum, iteranda videtur abſolutio, & ſic etiam opus erit novo contritionis actu circa eadem peccata. Si vero mutatio pœnitentiæ facienda eſt ab alio Confeſsario, idem dicendum ob eamdem rationem quod ſupra de eo qui pœnitentiæ impoſitæ oblitus fuerat. Notandum tamen hic occurrit quod in utroque horum caſuum confeſſionis iterandæ non requiritur, ait Habertus, ut confeſſio integre iteretur, ideſt quod ſingula peccata quoad ſpeciem & numerum exponantur, ſed ſatis eſt, ſi ſummatim graviora peccata declarentur, & peccandi conſuetudo, propter quæ veroſimilius eſt graviorem pœnitentiam impoſitam fuiſse; quia ad hoc ſatis eſt, ut Confeſsarius plus minuſve ſtatum præteritum pœnitentis agnoſcat.

Duo hic inſurgunt dubia, 1. An poſſit inferior mutare pœnitentiam a Superiore pro reſervatis impoſitam. 2. An pœnitens qui eamdem apud alium Sacerdotem iterat confeſſionem, eo ipſo ſit a priori pœnitentia Immunis, quo novam recipit a ſecundo Confeſsario. Ad primum reſpondetur negative cum Suarez, Lugo, & aliis pluribus, 1. Quia inferior qua talis, non poteſt moderari legem impoſitam a Superiore qua tali: porro pœnitentia pro reſervatis impoſita eſt a Superiore qua tali, ideo mutari nequit ab inferiore, niſi quoad hoc ſiat æqualis Superiori per acceptam ab ipſo facultatem. 2. Quia ſecundus Sacerdos non poteſt priorem pœnitentiam mutare, niſi quatenus poteſt novam proferre ſententiam perinde ac ſi eſſet prima: ſed qui pro reſervatis non eſt approbatus, non poteſt oblatam ſibi cauſam iudicare velle, perinde ac ſi eſſet hæc prima eiuſdem cauſæ cognitio & ſententia; nam falſum eſt reſervationem cadere in ſolum peccatum. Nec valet paritas de eo cui votum caſtitatis mutatum ſit in materiam minime reſervatam; quia Superior cum materiam unam commutat in aliam, nec ſententiam fert, nec præceptum imponit, ſed conſentit tantum, ut unum ſolvatur alterius loco, perinde ac ſi unum illud Deo promiſſum fuiſſet: at vero in noſtro caſu Superior & legem & ſententiam tulit, quæ ex natura rei, non niſi æquali authoritate limitari aut corrigi poſsunt. Ad ſecundum reſp. negative. Sententia enim legitime lata ſubſiſtit uſque dum revocetur; igitur neceſse eſt ex parte Confeſsarii ſive idem ſit, ſive alius ut, eam revocare intendat, ac ideo de revocatione hac ſive partiali ſive totali oportet ut pœnitens a Confeſsario moneatur. Cæterum ait P. Antoine, ne prius Sacramentum ſua integritate privetur relinquendum eſt aliquid ex pœnitentia priore præſtandum, aut ſaltem id expedit, imo addiderim fieri poſse, ut ſecundus Confeſsarius ſine gravi peccato pœnitentiam a priore impoſitam mutare nequeat, ſi nimirum hæc adeo præſervativa ſit, ut eam pœnitens ſecluſo etiam Confeſsarii præcepto ſibimet imponere teneatur; ſecus ſi pœnitentia præſervativa ſit commutabilis in aliam æquivalentem quoad effectum, & quæ eo ſenſu utilior futura ſit, quo fidelius & ſanctius implenda.

§. V.

De probitate Confeſſarii.

Quid hic nomine probitatis.

Nomine probitatis hic ea intelligitur virtus, ſeu virtutum complexio, ope cuius Sacerdos præciſo quocumque humano reſpectu pœnitentis ſalutem digne ac ſancte intendit, & hæc probitas ſummopere Confeſsariis omnibus neceſſaria eſt.

1. Quidem omnes indigent ſpecie illa probitatis quæ quamcumque propriæ utilitatis intentionem excludat. Quia alias optabunt & exquirent menſas divitum, necnon dona, & munera, *quæ excæcant* oculos ſapientum, & miniſterii libertatem minuunt, etſi omnino non auferunt; legata captabunt a moribundis; feminis, quæ, ut erga ipſas homo, ſic naturaliter in hominem propendent, eo periculoſius quod ſub directionis, ac pietatis colorato titulo adhærebunt; unde non ſecus ac de venenoſo fonte, ſcaturiunt innumera mala, videlicet iactura temporis, ſupervacaneæ viſitationes, teneriores in utroque morbi, & va-

Digitized by Google

valetudinis ſtatu demonſtrationes ; pallor ad ipſum ægrotantis directoris nomen : timor directoris ne ab ipſo ad alium tranſeat ovis impenſius dilecta : confeſſio pene ſine verecundia , & doloris ſenſu , quia facta apud amicum , cui ſua quæcumque aperire dulce eſt . Adde his , quæ iam quandoque accedunt , murmurationes domus , ac totius Parochiæ , contemptus , atque ſuſpiciones perditorum hominum , proborum ſcandala &c. Quare pius & prudens Confeſsarius omni maiori circumſpectione in hoc ſacro miniſterio ſe gerere debet , ita caute & caſtigare agere cum muliebri ſexu , ut non ſolum caveat ab omni eo quod aliquam affectionem caritati extraneam ingerere valeat , præcipue a nimis longis collocutionibus etiam , ſpiritualibus , & in ſacro tribunali , & multo magis alibi , a munerum , maxime frequentium , & alicuius momenti largitionibus , utpote magis ſuſpectis , a non neceſſariis , & affectaris viſitationibus ; ſed præterea ſi Confeſſarius percipiat mulierem pœnitentem humano quodam , nec ſatis moderato affectu ſibi adhæreſcere , tunc brevius , & gravius aſperiuſque ſolito cum ipſa agat . Breviter dicam , ne inanes ſcrupuli foveantur , quia alii ex aliis pullulant ; vel longiora colloquia ſint carnalis amoris , ac ſenſualitatis incentivum. Aliquantulum aſperius , ut animadvertat pœnitens ſe non aliter , quam in Deo, ſuo Confeſſario gratam fore , ideſt non ſecus ei placituram , quam ipſa conetur placere Deo . Quod ſi hæc non proficiant , & iuſtus oriatur timor , ne malum in dies augeatur , utilius ac melius , immo quandoque neceſſarium erit , vincula adhuc ſubtilia diſrumpere , antequam fortiora evadant , & non amplius , vel ſaltem nonniſi cum maxima difficultate effringi valeant , ac tandem inducant in funeſtiſſimos illos eventus quos aliquando in parum timoratis & circumſpectis Confeſſariis contigiſſe dolent probi , cum tanta iniuria Sacramenti Pœnitentiæ , cum ſacrorum miniſtrorum decoris diſpendio , & magno fidelium horrore , & ſcandalo .

2. Indigent ea ſpecie probitatis , quæ teneram charitatem , ac zelum ſalutis animarum importat. Confeſſarius enim eſt paſtor pœnitentium, euſque inter & Deum mediator ; paſtor autem & mediator ſoliciti eſſe debent, ut ovem errantem quærant , ad ovile revocet , aſperam monitis tandem flectant , primo ac ſupremo Paſtori per preces ſuas , & gemitus reconcilient.

3. Indigent ea probitate , quæ facit ut ſacramenta digne adminiſtrentur, quæque conſequenter peccati lethalis ſtatum excludit . Confeſsarius enim iudicis munus exercet ; porro *indicans alium , qui ipſe iudicandus eſt , condemnat ſeipſum. Cognoſcat igitur ſe , & purget in ſe , quod videt alios ſibi offerre. Curet ut a ſe proiiciat , quidquid in alto damnoſum reperit*. Sic ex Auguſtino S. Antoninus III. part. tit. cap. XVII. Hinc colligitur cum agmine Theologorum mortaliter peccare in ratione ſacrilegii Sacerdotem , qui in peccato habituali poſitus confeſſiones excipit ; immo tot admittere peccata , quot audit confeſſiones . Unde neceſse eſt , ut quantum fieri poteſt , aperiat Confeſsario , quot audierit pœnitentes . Nec ſatis eſse videtur , quidquid exiſtiment nonnulli , ut dicat ſe obvios quoſcumque audiiſse , cum ea declararionis ſpecies nihil exprimat clari , niſi forte Confeſsarius inde rem totam percipiat . Idem dicendum de Sacerdote malo qui in caſu neceſſitatis quempiam abſolvit ; quia Sacerdos etiam non approbarus , ex officio agit , dum excipit moribundi confeſſionem , cum in uno inſtanti contritionis actum elicere poſſit. Si tamen adeo urgenti & repentina neceſſitate moveretur , ut ſtatim in abſolutionis verba erumperet , non videretur peccati reus . Colligitur etiam quod Sacerdos Pœnitentiam , aut aliud Sacramentum miniſtraturus , *ſolicite & intime recogitare debet , an alicuius peccati mortalis (quod ſanctiſſima cautione vitare debet) ſibi conſcius ſit. Quod ſi reum ſe eſſe novit , prius Sacramentali confeſſione ſe expiare ſtudebit. Contritionem certe habere quam diligentiſſime curet* . Ita S. Carolus in Inſtructionibus pro adminiſtrandis Sacramentis. Quoniam tamen rara eſt contritio , quæ extra Sacramentum iuſtificet , unde & ſubeſt periculum , ne , quem remorder conſcientia mortalis peccati , ſacra indigne contrectet , ſalubriter ſibi conſulit , qui cum facile poteſt , recurrit ad Confeſsarium. Et ratio eſt quia numquam licet exponere ſe probabili peccandi periculo , & contritio non deler peccatum , niſi prout coniuncta eſt *voto Sacramenti* ; voto , inquam , ſerio & efficaci , ac proinde implendo , quamprimum fieri poterit.

In lethali munus exercens lethaliter peccat.

Por-

Porro votum hoc non habet, qui Sacramentum non recipit, cum facile poteſt. Hactenus Author Supplementi Tournely. Verum de his omnibus fuſius agendum, quando de Pœnitentiæ Sacramento.

TOMI SECUNDI FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

00X11305

Digitized by Google

Digitized by Google